UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

urn:nbn:de:hbz:466:1-62656

Visual Library

M III
29
Th. 4797.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTITVTIONVM CANONICARVM

SIVE

IVRIS ECCLESIASTICI,

PRÆLECTIONIBUS & EXERCITATIONIBUS ACADEMICIS

AD

GREGORII P. IX. DECRETALES

IN

Alma, Catholica & florentissima Studiorum
Generalium Universitate
INGOLSTADIENSI

à

P. JACOBO WIESTNER

Soc. JESU SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctore
Jurisque Primario quondam Professore explicati,

LIBER II.

Adjecto ad finem Operis Rerum ac Verborum Notabilium Indice Generali.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæsar. Majest. Approbatione Academica Permissúque Superiorum.

Collegii Soc. Jesu Paderbornæ 1730

MONACHII,

Sumptibus JOAN. JACOBI REMY Bibliopolæ.

Formis MATHIÆ RIEDEL.

Anno M DCC VI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHVS TITULORUM Hísque ſubjectorum ARTICULORUM LIBRI II. DECRETALIVM.

TITULUS I.

De Judiciis.

ARTICULUS I. De Judicij Natura & Varietate. folio 3.
II. De Actore & Reo. 10.
III. De Judice. 21.
IV. Quomodo Judicium finiatur, aut reddatur Nullum. 31.

TITULUS II.

De Foro Competente.

ART. I. De Fori Natura & Varietate. 39.
II. De Foro Competente ratione Originis & Domicilij. 43.
III. De Foro Competente ratione Contractûs. 51.
IV. De Foro Competente ratione Rei ſitæ. 56.
V. De Foro Competente ratione Delicti. 60.
VI. De Foro Competente ratione Cauſæ. 68.
VII. De Foro Competente ratione Jactationis ſeu diffamationis. 77.
VIII. De Foro Competente ratione Connexionis Cauſarum. 80.
IX. De Foro Competente ratione Præventionis. 82.
X. De Foro Competente Perſonarum Eccleſiaſticarum. 91.
XI. De Foro Competente Scholarium. 102.
XII. De Foro Competente ratione Prorogationis. 107.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione.

ART. I. De Libelli Conceptione, Emendatione & Mutatione. 113.
II. De Rei Citatione. 120.

TITULUS IV.

De Mutuis Petitionibus. 129.

TITULUS V.

De Litis Conteſtatione. 138.

TITULUS VI.

Ut, Lite non contestatâ, non procedatur ad Testium receptionem, vel sententiam definitivam. 145.

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ. 151.

TITVLVS VIII.

De Dilationibus. 159.

TITVLVS IX.

De Feriis.

ART. I. De Feriarum Natura, Varietate & Introductione. 165.

II. De Actibus, in Feriis sacris præceptis & prohibitis. 169.

TITVLVS X.

De Ordine Cognitionum. 175.

TITVLVS XI.

De Plus Petitionibus. 184.

TITVLVS. XII.

De Causa Possessionis & Proprietatis.

ATT. I. De Possessionis Natura, Varietate & Emolumentis. 188.

II. De Possessionis Acquisitione & Amissione. 192.

III. De Natura & Varietate Proprietatis. 196.

IV. De Adquisitione Proprietatis. 199.

V. De Causis Possessionis & Proprietatis. 207.

VI. De Judice Possessionis & Proprietatis Causarum. 214.

VII. De earundem Causarum Ordine & Cumulatione. 222.

TITULUS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

ART. I. Regula de Spoliati Restitutione. 226.

II. Regulæ traditæ Declarationes. 231.

III. De Fructuum Restitutione, faciendâ à Spoliatore, aliôve malæ fidei Possessore. 237.

IV. De Restitutione Fructuum, faciendâ à bonæ fidei successore Spoliatoris, aliôve ejusmodi Possessore. 244.

V. De Spoliati restitutione in causis Matrimonialibus. 250.

VI. De restitutione Spoliati Beneficiô Ecclesiasticô, vel Pensione. 256.

VII. De restitutione Spoliatorum Decimis &c. 263.

TITVLVS XIV.

De Dolo & Contumacia.

ART. I. De Dolo. 269.

II. De Doli mali Probatione. 274.

III. De Contumacia. 278.

TITVLVS XV.

De Eo, qui mittitur in Possessionem causâ Rei servandæ. 283.

TITVLVS XVI.

Ne, Lite pendente, aliquid innovetur. 290.

TITVLVS XVII.

De sequestratione Possessionum & Fructuum.

ART.

ART. I. De Sequestrationis Natura, Decreto & Effectu. 295.
II. De Sequestratione, Jure prohibita & permissa. 300.

TITVLVS XVIII.

De Confessis.

ART. I De Confessione Judiciali. 306.
II. De Confessione Extrajudiciali. 314.

TITVLVS XIX.

De Probationibus.

ART. I. De Probatione in genere. 319.
II. De Probatione per Inspectionem Ocularem. 326.
III. De Probatione per Famam. 328.
IV. De Probatione Ætatis. 330.
V. De Probatione Filiationis. 336.

TITULUS XX.

De Testibus & Attestationibus.

ART. I. De Personis, testificari Prohibitis generatim. 340.
II. De Prohibitis testificari pro vel contra certas Personas. 342.
III. De Iis, qui in certis causis non admittuntur. 346.
IV. De Productione & Juramento Testium. 351.
V. De Testium Numero. 356.
VI. De Testium Examine ac Depositionibus. 361.
VII. De Attestationum Publicatione & Exceptionibus contra eas. 363.

TITULUS XXI.

De Testibus Cogendis, vel non. 372.

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

ART. I. De Natura & Varietate Instrumentorum. 376.
II. De Vi probandi, quam habent Instrumenta Publica. 381.
III. De Vi probandi, quam Instrumenta Authentica habent. 384.
IV. De Vi Instrumentorum Privatorum. 389.
V. De Productione Instrumentorum. 394.

TITVLVS XXIII.

De Præsumptionibus.

ART. I. De Natura & Varietate Præsumptionum. 404.
II. De vi Præsumptionis Temerariæ & Probabilis. 406.
III. De vi Præsumptionis Violentæ. 409.
IV. De vi Præsumptionis Necessariæ, sive Juris & de Jure. 413.

TITVLVS XXIV.

De Jurejurando.

ART. I. De Jurisjurandi Natura & Varietate. 416.
II. De Juramenti Honestate. 418.
III. De Juramento Assertorio. 420.
IV. De Juramento Promissorio Invalido. 427.
V. De Juramento Promissorio Valido. 433.
VI. De Juramento confirmante Contractus. 437.

VII. De Juramenti Interpretatione. 440.
VIII. De Perjurij Peccato & Pœnis. 445.

TITVLVS XXV.

De Exceptionibus.

ART. I. De Natura & Varietate & Origine Exceptionis. 452.
II. De Exceptionum Oppositione. 455.
III. De Effectibus Exceptionis. 461.

TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

ART. I. De Præscriptionis Natura & Honestate. 464.
II. De Possessione, requisita ad Præscriptionem. 468.
III. De bona Fide. 470.
IV. De Titulo. 484.
V. De Tempore, requisito ad Præscriptionem rerum corporalium. 487.
VI. De Tempore Præscriptionis rerum incorporalium. 496.
VII. De Rebus, quæ obnoxiæ non sunt Præscriptioni. 502.
VIII. De Præscriptionis suspensione & interruptione. 508.

TITVLVS XXVII.

De Sententia & Re Judicata.

ART. I. De Conclusione in causa. 511.
II. De Natura & Varietate Sententiarum. 514.
III. De Circumstantiis Sententiæ Definitivæ. 517.
IV. De ejusdem Definitivæ Qualitatibus. 522.
V. De Re judicata. 531.
VI. De Rei judicatæ Retractatione. 538.
VII. De Rei judicatæ Executione. 547.
VIII. De Litis Expensis. 551.

TITVLVS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus & Relationibns.

ART. I. De Natura & Varietate Appellationis. 559.
II. De iis, qui possunt Appellare. 562.
III. De Actibus, à quibus Appellatio est permissa. 566.
IV. De Judice, à quo Appellatur. 573.
V. De Judice, ad quem Appellatur. 575.
VI. De Appellationis Interpositione ac Receptione. 580.
VII. De Fatalibus Appellationis. 585.
VIII. De Effectibus Appellationis, & post hanc attentatis. 591.
IX. De Judicis Recusatione. 596.
X. De Relatione causæ ad superiorem. 601.

TITVLVS XXIX.

De Clericis peregrinantibus. 602.

TITVLVS XXX.

De Confirmatione utili vel inutili. 604.

IN NO-

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, AMEN.

INSTITUTIONUM CANONICARUM LIBRI II.

SUMMA.

CONstitutione Prælatorum, eorum, cæterorúmque administratorum & Judicum, præsertim Ecclesiasticorum, Officiô ac Potestate declaratis, variísque Judiciorum Præparatoriis, quasi præludiis quibusdam decursis, aggredimur ipsum Ordinem, sive, ut communi usu vocatur, Processum Judiciarium: quem Gregorius IX. ejúsque, sicut in Vicaria Christi in terris potestate successores, sic & in Ecclesiasticis sanctionibus adornandis, novísque & saluberrimis Constitutionibus exornandis perficiendísque imitatores Bonifacius VIII. Clemens V. & Joannes XXII. perquàm accuratâ & ab ipsis quoque Imperialium Sanctionum Interpp. ac DD. approbatâ methodô, & Apostolicarum Constitutionum, omnium ferè etiam Secularium Curiarum usu receptâ Æquitate, secundô hôc Decretalium Librô sunt executi. Continet autem Processus iste, sive Judicium latiùs acceptum, omnia Acta circa causam sive controversiam à partibus litigantibus propositam, & dividi à DD. solet in tres partes, Judicii principio, medio, sive progressui finíque respondentes: quarum prima inchoatur Citatione, sive Rei ad Actoris instantiam in jus evocatione, Conventionísque & Reconventionis Libelli oblatione: & hanc secutâ, illos inter agitandæ Litis, in judicio factâ contestatione absolvitur. Altera complectitur imprimis præstationem Calumniæ & huic affinis Malitiæ vitandæ

vitandæ juramenti, Dilationum ac Feriarum, litigantibus à Jure vel à Judice conceſſas inducias, & quæſtionum, in eam, quæ principaliter in judicium deducitur, incidentium & Poſſeſſionis ac Proprietatis cauſarum ordinationem: dein doloſæ litigantium Contumaciæ per expenſarum refectionem, Miſſionis in poſſeſſionem & Sequeſtrationis decreta coërcitionem: & demum plenam cauſæ actorem inter & reum controverſæ, iſtiúsque, ex Confeſſionibus, Depoſitionibus teſtium receptis, ex Inſtrumentis & probationibus aliis hísque objectis exceptionibus, apparentium meritorum diſcuſſionem: & à litis Conteſtatione extenditur ad ipſam in cauſa, ut vocant, Concluſionem. Poſtrema, quæ poſt hanc fiunt, omnia, Sententiam ſcilicet, ſive judicis ſuper cauſa pronuntiationem definitivam, iſtiúsque vel in Rem judicatam tranſitum & executionem, vel per Appellationem relationémve ad ſuperiorem Magiſtratum provocantium ſuſpenſionem comprehendit, & latæ ab inferiore ſententiæ Reformatione vel Confirmatione terminatur. Bartol. in *l. Furtorum 2. ff. de Furtis, n. 6.* Beroius in *Rubr. de Judiciis, n. 6.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. n. 1.*

LIBRI

LIBRI II.
INSTITUTIONUM CANONICARUM
TITVLVS I.
De Judiciis.

PRocessum Judiciarium non, ut in Foro solet, à Citatione vel Contestatione litis: sed, Interpretum & Comentatorum more, à Judiciorum Natura Varietateque & Personis ea constituentibus ordimur.

ARTICULUS I.
De Judicii Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Judicii varia significatio.*
2. *Propriè accepti definitio.*
3. *Differentia à causa, lite, instantia,*
4. *Et divisio in Ecclesiasticum ac Seculare.*
5. *Quibus addendum est Mixtum.*
6. *In Petitorium & Possessorium,*
7. *In Universale, Generale & Speciale,*
8. *Et in Plenarium ac Summarium.*
9. *Quò causæ celeritatem poscentes,*
10. *Et modicæ:*
11. *Imò in curia Romana aliæ quoque,*
12. *Ad litium protelationem excludendam, expediuntur.*
13. *Divisio in Ordinarium & Extraordinarium,*
14. *Aut etiam Delegatum.*
15. *In Civile, Criminale & Mixtum*
16. *Criminalis in Capitale & non Capitale,*
17. *In Publicum & Privatum.*
18. *Divisio in Simplex & Duplex.*
19. *De Personis judicium Civile,*
20. *Et Criminale constituentibus:*
21. *Hisque accessoriis.*
22. *De Auditoribus.*

JUdicii nominis significationes variæ, eæque non vulgi tantùm sermonibus tritæ, sed ipsorum quoque Juris conditorum usu receptæ & approbatæ sunt. 1.

Et primò quidem aliquando ejus nomine denotatur Rationis usus ac discretio, *l. Cùm Prætor* 12. §. 2. ibi, *Quia judiciò carent, ff. hâc Rubr.* & §. 1. ibi, *Quia nullum co-*

lum eorum animi judicium est, Instit. Quib. non est permiss. fac. test. imò & Opinio seu credulitas apud M. Tullium, qui *Intra parietes*, inquit, *aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo judicio est consecutus, de Clar. Orator.*

Secundò aliquando Ultimæ voluntatis elogio accommodatur, ut *l. 1. C. de SS. Eccles.* quâ Constantinus M. ut Sanctis locis ultimâ voluntate bonorum, quod quisque optaverit, relinquentis *Non sint cassa judicia*, Imperiali authoritate sancivit: quò sensu Bonifacio VIII. *Pro anima sua aliquid judicare*, idem, quod aliis *Ultima voluntate relinquere*, est, *c. Licet 4. de Sepult. in 6.* Glossa *ibi, V. Judicare.*

Tertiò, aliquando eô nomine venit Actio, *l. 1. ff. Communi divid.* ibi, *Communi dividundo judicium ideo necessarium est*, & paulò post, *Cessat communi dividundo judicium, si res communis non sit:* aliquando ipsa rei examinatio, *can. Si officia 2.* ibi, *Quod oportet districti esse judicij, dist. 59.* imò & condemnatio; sic enim, qui Christi corpus & sanguinem indignè sumunt, *Judicium sibi manducare & bibere* dicuntur 1. Corinth. *cap. 11. v. 29. & can. Nec timorem 25. pr. dist. 2. de Consec.*

Quartò judicii nomen sumitur pro Jurisdictione & Authoritate, ut *l. Consensisse 2. ff. hâc Rubr.* cujus §. *fin.* Ulpianus *His*, inquit, *datur multa dicendæ jus, quibus publicè judicium est*, & *c. Decernimus*, ibi, *Prælati de negotiis Ecclesiasticis laicorum judiciô nihil disponant, Rubr. cit. & can. 1.* ibi *Metropolitani judiciô consecrati, dist. 62.*

Quintò demum & in proposita eique concordantibus Pandectarum & Codicis Rubricis Judicii nomen denotat Ordinem seu totum Processum discussionis ac definitionis causæ, quæ inter duas partes litigantes, actorem scilicet & reum coram judice competente agitatur, Maranta *de Ord. Jud. p. 1. n. 5.* & Pax Jordan. *Lucubrat. Lib. 13. tit. 1. n. 3. in fine.* Quô modò acceptum

Judicium ita vocatur à *Juris dictione, c. Forus 10. de V. S.* sive à *Jure dicendo*: éstque Legitima controversiæ, quæ est inter actorem & reum, per Judicem cognitio, discussio ac definitio. Ita ipsum juxta *l. Judices 9. & l. Properandum 13. C. hâc Rubr.* definiunt *in ff. ibidem* Wesenbecius *n. 5.* & Zœsius *n. 4.* cui definitioni aliqui, Judicii introducti causam finalem præcipuè spectantes, cum Cujacio addunt, *Litis gratiâ finiendæ*, sive; ut ista publicâ authoritate terminetur. 2.

Cum judicio aliquando, sed malè, confundi solent Causa, Lis & Instantia. Quæ tamen ab illo non voce magis differunt, quàm significatione; cùm Causa propriè dicatur res vel jus, de quo quæstio & controversia in judicium est deducta, Maranta *de Ord. Judic. p. 5. n. 66.* Lis autem, aliquando Causa & Actio in judicium deducta, ut *l. Lis 36. ff. de V. S.* aliquando Causæ Instantia, ut *l. Properandum 13. C. de Judic.* vocatur. Judicii autem nomine, causæ sive controversiæ & quæstionis in judicium deductæ tota discussio, à citatione ad finem usque denotatur, ut dictum. Instantia demum appellatur ipsa exercitatio judicii sive discussionis causæ, quæ incipit à litis contestatione & usque ad sententiam definitivam, si feratur: vel, si ista non feratur, usque ad triennium in Civili: in Criminali causque ad biennium durat. Sententiæ autem publicatione aut triennii vel biennii lapsu: uti etiam rei ab observatione judicii absolutione vg. propter contumaciam actoris, de Jure saltem Civili perimitur, *l. Properandum cit.* ut infrà dicetur. 3.

Ejus divisiones sunt permultæ: & species ferè tot, quot Actionum, quæ in judicium 4.

judicium deducuntur. Nostro instituto maximè congruunt, quæ ex quadruplici Causarum genere desumuntur à Vestrio *Prax. Lib. 3. cap. 2.* & à Scaccia *de Judic. Lib. 1. cap. 3. à n. 6.* atque ab aliis DD. passim approbantur.

Primò itaque à causa Efficiente, sive personarum judicantium diversitate, Judicium aliud Ecclesiasticum est, aliud Seculare. Ecclesiasticum dicitur, quod coram judice Ecclesiastico agitatur, cujusmodi est, quando de re spirituali aut huic annexa vg. De Prælati electione, electi confirmatione vel consecratione: de clerici ordinatione vel præsentatione: de voto, aut professione Religiosa: de matrimonio, sponsalibus aut divortiis: de primitiis, decimis, oblationibus: de beneficiis & pensionibus Ecclesiasticis, aut jure patronatûs &c. quæstio est, vel Hæreseos, Apostasiæ, Schismatis, Simoniæ & similium criminum rei conveniuntur, *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. hâc Rubr. c. Tuam 3. de Ord. Cognit. c. Ut inquisitionis 18. V. Prohibemus, de Hæreticis in 6. c. Si judex 12. pr.* ibi, *Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excom. in 6.* uti &, quando litigantium uterque, aut saltem reus conventus Clericus, Religiosus, Ecclesia, vel Monasterium, aut alia persona, communitas, vel locus Ecclesiasticus est; quia actor sequitur forum rei, *c. Cùm sit generale 8. de Foro compet.* Reus autem Clericus, Ecclesia & alia persona, communitas & loca Ecclesiastica forum Ecclesiasticum sortiuntur, *c. At si clerici 4. c. Clerici 8. hâc Rubr. c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. c. Seculares 2. ibidem in 6. &c.* Seculare est, quod agitatur coram judice Seculari: sicut contingit, quando lis est de re merè temporali vg. castro, prædio, fundo, domo, equo, *can. Celebritatem 21. in fine, dist. 3. de Consec. c. Causam 7. Qui filij legitimi &c.* & litigantium uterque, vel saltem reus conventus laicus, communitas vel locus Sæcularis est, *arg. c. Cùm sit generale cit. & l. Juris 2. C. de Jurisdict. omn. Judic.* Laiman *Lib. 3. tract. 6. cap. 1. n. 1. & 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 5.*

5. Duabus his Judicii speciebus addendum est Mixtum sive, quod coram Ecclesiastico & Sæculari judice agitari potest, ut Possessorium Retinendæ & Recuperandæ possessionis quarundam rerum spiritualium hisque annexarum, adversus laicum intentatum: &, quô de hujusmodi rebus meri facti quæstiones aliæ in judicium deducuntur & reus conventus laicus est, ut *Tit. 2. n. 139. Tit. 10. à n. 17. & Tit. 12. à n. 123.* pleniùs tradetur.

6. Secundò, à Materia sive re, super qua lis vertitur, Judicium aliud Petitorium, aliud Possessorium est, illud sive Petitorium vocatur, in quo litigatur de proprietate, sive rei vg. prædii, domûs, beneficii Ecclesiastici, aut juris eligendi, vel patronatûs dominio vel quasi, de jure in re vel ad rem alicui competente vg. de pignore aut servitute. Istud autem, sive Possessorium, in quo inter partes contentio est de sola rei vel juris possessione vel quasi adipiscenda, retinenda vel recuperanda, Maranta *cit. p. 4. dist. 7. n. 1.* Pirrhing *l. cit. n. 6.* cujus judicii utriusque plenior explicatio infrà dabitur *Tit. 12. à. n. 108.*

7. Ejusdem Materiæ, vel potiùs quantitatis rerum in judicium deductarum, ratione Judicium aliud Universale, quô petitur universum jus vg. hæreditas, bonorum possessio, Ecclesia, castrum, aut alius locus cum omnibus pertinentibus & finibus suis: aliud Generale, quô aliquod genus rerum, sub universo jure contentarum, petitur: sicut fit propositâ tutelâ, negotiorum gestorum aut aliâ simili actione. Et demum aliud Speciale sive

singulare, quô una vel plures res particulares vg. prædium, fundus, domus, equus rei vindicatione, vel solutio debiti, rei promissæ præstatio, aut aliud factum personali actione petitur, Speculat. *Tit. de Judic. §. 1 & n. 1.* Maranta *p. 4. dist. 4. n. 1. & 2.* Jordanus *Lucubrat. Lib. 13. Tit. 1. à n. 20.*

§. Tertiò, à Formâ Judicium aliud Ordinarium, aliud Extraordinarium vocatur. Ordinarium sive, ut etiam nominatur, Plenarium judicium est, in quo, Juris ordine & solemnitatibus accuratè observatis, de causa cognoscitur & pronuntiatur: sicut fit, cùm reo, tribus simplicibus vel unâ citatione peremptoriâ in jus vocato, libellus sive intentio actoris editur: dein lite inter partes contestatâ, præstitísque, si exacta fuerint, Calumniæ Malitiæque & Veritatis juramentis & feriarum ac dilationum intervallis observatis, testibus aliísque probationibus receptis, concluditur in causa: & demum sententia à judice, pro tribunali sedente, in scripto fertur: &, si appellatio vel alia Juris remedia non intercedant, mandatur executioni, *c. Quoniam 11. de Probat. c. In causis 19. de Sent. & re judic. Auth. Offeratur. C. de Litis contest. & l. Prolatam 4. C. de Sent. & interlocut.* cujus textu Juris Ordine non observato lata sententia pro irrita habetur. Extraordinarium sive, ut fere loquimur, Summarium judicium est, in quo simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, hoc est, Juris solemnitatibus non omnibus observatis, de causa cognoscitur, & quodammodo, solâ rei veritate attentâ, pronuntiatur: eâ tamen moderatione; ut quantumvis libelli formalis oblatio necessaria non sit, sed simplex, scriptô aut verbis duntaxat expressa & actis continuò inserenda actoris petitio sufficiat: litis contestatio omitti, feriæ prophanæ non observari, amputari dilationes, exceptiones & appellationes dilatoriæ & frustratoriæ repelli, non necessariæ partium & advocatorum contentiones & jurgia testiúmque multitudo & superfluæ probationes aliæ refrenari possint: omitti tamen nequeat citatio partis, calumniæ malitiæque & veritatis juramentorum exactorum præstatio, assignatio terminorum ad exhibenda acta, producendos testes aliásque probationes: & sententiæ definitivæ in scriptis, à judice sedente vel stante, prolatio, juxta *Clement. Sæpe 2. V. Nos autem, de Verb. signif. citt.* Maranta *p. 4. dist. 9. à n. 12.* & Jordan. *Lucubrat. Lib. 12. Tit. 1. à n. 79.* ut adeò *Clement. Sæpe cit.* pro Judicio Summario, ad pernicioſam litium protelationem excludendam ex Ordinarii Processûs solennitatibus eæ tantùm retentæ sint, quæ ad causarum, in judicium deductarum, legitimam discussionem definitionémque justam, Naturali Divinóque aut Gentium Jure spectatis, necessariæ, vel celerem illarum expeditionem non morari videbantur, Maranta *cit. p. 4. dist. 9. à n. 8.* & Barbosa *in Clem. cit. à n. 11.*

Porro causarum, in quibus summariè, & de plano procedi solet, duo præ- 9.
puè genera sunt. Ad primum spectant, quæ requirunt celerem expeditionem: cujusmodi inprimis sunt causæ electionum aliarúmque provisionum & beneficiales quæcunque: causæ decimarum, primitiarum & oblationum & similes: causæ matrimoniorum, usurarum, *Clement. Dispendiosam 2.* relatæ: quibus *Extravag. Unic. inter communes* adduntur causæ injuriarum, & molestiarum, quas Religiosi Mendicantes & Prælati vel Parochi sibi mutuò inferunt ratione sepulturæ; quia, has omnes citò ad finem perduci, speciáliter exigit favor Ecclesiarum & animarum, vel periculum adulterii, scandali, injuriarum, quæ ex earum protractione

tractione facilè oriuntur, Glossa *in Clement. cit.* & Vivianus *in ejus Rubricam.* Dein causæ incidentes, cùm super iis, ne diu protrahantur, & principalis causæ progressum morentur, testes recipi, lite etiam non contestata, possint. Glossa *in c. fin. V. Procedendum, Ut lite non contestata.* Et Demum causæ mercatorum, ob suam frequentiam, naufragorum, viduarum, peregrinorum, pupillorum, carceratorum aliarúmque miserabilium personarum: uti etiam causæ alimentorum & similes, *cit.* Maranta *p.* 4. *dist.* 9. *à n.* 42.

10. Ad alterum genus pertinent causæ modicæ, sive in quibus de levis momenti rebus, aut præjudicio facilè reparabili agitur: cujusmodi sunt pleræque causæ mercedum, salariorum, quæque inter pauperes, plebejas aut viles personas agitantur; uti &, in quibus agitur de possessione momentanea & levibus delictis, *cit.* Maranta *à n.* 34. *& n.* 72.

11. Quod de hujusmodi modicis aliisque causis, celerem expeditionem ex speciali ratione exposcentibus, ut summariè, de plano, simpliciter & sine figura judicij pertractentur, ad litium protelationem impediendam, *Clement. Sæpe cit.* statutum est, id in plerisque aliis causis servari sine periculo Nullitatis posse, Jordanus *cit. Tit.* 1. *n.* 68. asserit, secutus Piasecium *Prax. Episc. p.* 2. *de Ord. Judic. n.* 67. & Vestrium *Lib.* 5. *Prax. cap.* 1. quo teste Signatura Justitiæ, in causis summariè procedendum, passim rescribit adeò; ut, si rescribat aliter, id errore Regentis in extensione Supplicationum factum, existimetur. Quem summariè procedendi modum luculenter commendavit Pius IV. cùm, ne nimis scrupulosa Juris subtilitatum ac solennitatum observantia causarum expeditionem retardaret, salubriter statuit; ne Processus judiciarius in quacunque causa ex alio, quàm jurisdictionis, citationis & mandati procuratorii defectu vitiaretur. Quam utilitati publicæ vel maximè accommodatam ejus ordinationem Clemens. VIII. aliâ sequentis tenoris Constitutione innovavit.

12. *Litium dispendiis & ambagibus, præsertim inter personas curæ & jurisdictioni nostræ & in temporalibus subjectas occurrere, quantùm in nobis est, cupientes, statutum fel. record. Pij Papæ IV. Prædecessoris nostri, ne judices almæ Urbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, jurisdictionis, aut mandati, sed illis non obstantibus ad expeditionem causarum procedant, ad omnes & quoscunque judices ordinarios, magistratus & officiales in quibusvis ditionis nostræ temporalis Ecclesiasticæ provinciis & civitatibus, terris, oppidis & locis quamcunque jurisdictionem exercentes & quavis authoritate & dignitate fungentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione extendimus & ampliamus, atque in quocunque tribunali aut curia, Seculari vel Ecclesiastica, firmiter & inviolatè servari, sicque & non aliter per quoscunque ex ipsis judicibus, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores & Cam. S.R.E. Cardinales ac Legatos etiam de Latere, sublata eis &c. Dat. Romæ annô Incarnationis Domini 1592. 5. Id. Februarij.*

Quantumvis autem, Constitutionem hanc ad solos teritorii Ecclesiæ Romanæ temporalis judices directam, ex ejus tenore planum sit, eam tamen ad aliarum quarumcunque Curiarum ac judicum Ecclesiasticorum institutionem pertinere, & in Christiani Orbis provinciis omnibus observandam, *cit.* Piasecius *n.* 70. Jordanus *n.* 72. rectè monent, suadétque ratio; cùm enim Ecclesia Romana omnium aliarum Ecclesiarum Mater ac Magistra sit, *c. fin. de Foro compet.* ejúsque Stylus vim obtineat legis, istiús-

que instar sit, *c. Quam gravi 6. de Crim. falsi*, Anchoran. *Consil. 53.* Guido Pap. *Decis. 198. n. 2.* & Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 5. n. 5.* Constitutio, omnium ejus tribunalium usu in causis quibuscunque recepta, à cæteris Christiani Orbis curiis ac judicibus Ecclesiasticis omnibus observanda erit, *arg. c. In causis 19. de Sent. & re judic. & L. Si Imperialis 20. pr. C. de LL.*

13. Alio sensu Ordinarium judicium dicitur, in quo, sive civiliter, sive criminaliter per actionis de Jure competentis aut accusationis viam proceditur, & pœna, Jure vel consuetudine definita, irrogatur: Extraordinarium verò, in quo, cùm de Jure actio non competit, aut etiam ejus locô officium judicis imploratur, vel contra criminosum ex officio proceditur per viam denuntiationis, aut inquisitionis, vel pœna extraordinaria sive arbitraria imponitur, *cit.* Maranta *n. 1.*

14. Rursum, in alia significatione, & ab ipsis judicum personis, Ordinarium judicium vocatur, in quo coram judice ordinario, sive ordinariam jurisdictionem habente, cujusmodi judices, ex Ecclesiasticis, præter Papam ejúsque in provinciis Legatos, sunt Episcopi cæteríque Episcopalis ordinis Prælati, sede Episcopali vacante, Capitulum & Vicarius generalis: uti & Abbates iísque similes Prælati respectu subditorum suorum Regularium & aliquando respectu cleri & populi territorii, in quo obtinent jurisdictionem quasi Episcopalem &c. Extraordinarium autem sive Delegatum, in quo coram habente jurisdictionem Apostolicô rescriptô vel Episcopi aut alterius judicis ordinarii commissione delegatam disceptatur, Glossa *in c. Quoniam cit. V. Extraordinario*, & Maranta *cit. p. 4. dist. 5. n. 1.*

15. Quartò à Fine, ad quem obtinendum judicium ordinatur, aliud Civile, aliud Criminale est, & aliud Mixtum. Civile dicitur, quô in rem vel in personam agitur principaliter in commodum privatum, sicut contingit, cùm actor prosequitur id, quod suum, sive rem sibi propriam, vel quod ex contractu vel quasi, ex delicto vel quasi sibi debitum est; cùm enim crimina quædam non tantùm Rempublicam, sed personas etiam privatas, injuriam vel damnum inferendô, lædant, de iis non solùm, ut mox dicemus, criminaliter: sed civiliter etiam agi & injuriæ damníve reparatio peti potest, Criminale, in quo de crimine agitur criminalter, sive ad utilitatem, puta vindictam & pœnam publicam, corporalem vel pecuniariam, non privato eâ læso, sed fisco applicandam, aut etiam ad alicujus dignitatis, officii vel juris privationem. Mixtum denique est, quo de crimine agitur civiliter simul & criminaliter, hoc est, tam ad privatum interesse sive injuriæ & damni resarcitionem, quàm ad vindictam & satisfactionem publicam sive Reipublicæ per crimen læsæ, juxta *c. Tuæ 5. in fine, de Procurat.* & *cit.* Maranta *dist. 1. à n. 2.* Jordanus *à n. 8.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 8.*

16. Criminale Judicium ulteriùs aliud Capitale est & aliud non Capitale: quorum illô de Capitali, istô de non Capitali crimine agitur ad publicam vindictam. Capitale autem crimen dicitur, ex quo reo irroganda est pœna Capitalis: ut non solùm mors naturalis est, sed etiam libertatis & civitatis amissio; quòd quis vel efficiatur servus pœnæ, ut cum damnatur in metallum, vel deportatione in insulam & aquæ atque ignis interdictione plectatur. Non Capitale autem crimen est, ex quo reus, salvo capite, seu vita, libertate & civitate retenta, circa bona existimatio-

istimationémque punitur, aut aliquam corporis coercertionem sustinet, *l. & §. Publicorum 2. ff. & Instit. de Public. judic. l. Rei 2. & l. Capitalium 28. pr. &c. ff. de Pœnis.* Quantumvis enim capitalis omnis causa existimationis videri possit; quòd fama & vita aliquo modo æquiparentur, *l. Isti quidem 8. §. 2. ff. Quod metûs causâ gest. l. Justa 9. pr. ff. de Manumiss. vind. & l. Eorum 4.* ibi, *Quibus cujusquam salus aut existimatio laderetur, C. de Malef. & Mathemat.* propriè tamen Capitalis appellatione mortis duntaxat vel amissionis libertatis & civitatis pœnæ intelliguntur, *l. Licet 103. ff. de V. S.* ut adeò rectè Cicero, Judicia Privata, quæ infamiam damnato irrogant, *Non capitis*, sed *Penè capitis* esse dixerit, *Orat. pro Roscio Comœdo, cit.* Maranta *p. 4. dist. 2. ànum. 1.* & Ant. Matth. *de Crimin. Proleg. cap. 4. n. 5.*

17. Idem Criminale Judicium rursum aliud Publicum, aliud Privatum vocatur, prout eô agitur de crimine Publico sive tali, quod accusare cuivis de populo est permissum, §. 1. *Instit. de Publ. jud. & l. Quamvis 30. pr. C. ad L. Jul. de Adult.* vel de Privato sive tali crimine, quod accusandi jus non cuivis è populo, sed iis duntaxat competit, ad quos ea res vel injuria pertinet, *l. 1. &c. ff. de Privat. delict.* Quæ autem delicta Publica aut Privata sint, *Lib. 5. tit. 1. num. 25. & 26.* dicetur.

18. Demum Judicium aliud Simplex est & aliud Duplex: in quorum priori plerúmque, Actoris vicem litigantium pars duntaxat una, & altera Rei: in posteriori autem, ut in Divisoriis *Familiæ herciscundæ, Communi dividundo & Finium regundorum* judiciis litigantium pars utraque Actoris & Rei vicem subit, *l. In tribus 13. ff. hâc Rubr.* licet ratione ordinis judicii, oblationis libelli, oneris probandi &c. is, qui prior provocavit, Actor, & qui ab eo antè provocatus ad judicium venit, Reus habeatur: &, cùm ambo simul provocant, res dirimi sorte & fortunæ committi soleat, *l. Sed cùm ambo 14. ff. Rubr. cit.* ut in *l. In tribus cit.* Petrus notant Barbosa *n. 65.* & Bruneman. *n. 2.* ubi cum eodem *n. 3.* rectè advertit, communi huic & divisorio judicio locum solummodo esse, quando, quòd res sit communis, partes concordes sunt, & agunt ad ejus divisionem; cùm, qui non possidet rem communem, eô, qui rem possidet, eam esse communem, inficiante, ad judicium divisorium ineptè provocet, *l. 1. ff. Communi divid.* sed priùs agendum ac probandum ei sit, rem esse communem: eóque probatô, divisoriô judiciô partem, quam in re communi habet, sibi adjudicari petere debeat. Hujusmodi duplex judicium etiam est interdictum *Uti possidetis*; nam & in hoc, quatenus provocat Actor, & quatenus suam possessionem tuetur, Reus uterque est, Menoch. *Retinendæ remed. 1. n. 44.* licet ad excludendam confusionem, qui prior provocavit, Actor, & Reus habeatur, qui priùs provocatus judicium subit.

19. Porrò propriè dictum judicium quodcunque principaliter constituunt tres personæ, scilicet ipse Judex & duo litigantes, Actor & Reus, *c. Forus 10. V. In omni, de V. S. & l. Inter 62. hâc Rubric.* Ex litigantibus Actor dicitur, qui suo nomine actionem proponit & prior ad judicium provocat, *l. In tribus 13. & l. Qui appellat 29. ff. ibidem:* qui in Criminali judicio vocatur Accusator, *c. 1. c. Si quis 2. de Accusat. & l. Inter 10. ff. de Publ. Judic.* Reus à Re, pro qua in judicium petitur, sic dictus *V. In omni cit.* est, qui ab Actore in jus vocatus, ejus actionem propulsandô, se defendit.

Glossa

Gloss *in c. Forus cit. V. Reus.* Judex demum appellatur, qui publica authoritate quasi mediatorem agit inter Actorem & Reum, eisque jus dicit: *Publica*, inquam; cùm enim lites authoritate privata efficaciter, sine infirmorum à potentioribus oppressione & Reipublicæ perturbatione, dirimi non possint, publica authoritate constituuntur judices, qui de litigantium causis cognoscendò, & juxta sacrorum canonum legúmque præscriptum & locorum consuetudines pronuntiandò, itáque jus suum cuique tribuendò, finem litibus imponant, *V. In omni cit. & pr. Instit. de Offic. Judic.*

20 Neque dictarum personarum ternarium minuit; quòd in judicio Criminali, cùm agitur de crimine notorio, & per viam inquisitionis specialis ex officio proceditur, Actoris, *c. Evidentia 9. & c. Qualiter 24. de Accusat.* & in inquisitione omnino Generali, ad inveniendum malefactorem instituto, ipsius & Rei etiam personæ desiderentur; quia priori casu Actoris vicem ipsa criminis notorietas, *arg. c. Evidentia cit. & Can. manifesta, 2. q. 1.* vel præcedens fama, eíve succedanea criminis indicia supplent, *c. Qualiter cit.* ibi *Si per clamorem & famam ad aures superioris pervenerit*; postetiori autem, quamdiu generaliter proceditur, & de crimine in certam personam non inquiritur, judicium verè non datur, *cit.* Marant. *p. 2. n. 3.* & Pirrhing *n. 2. in fine.*

21. Præter principales has intervenire in Judiciis solent etiam aliæ personæ; quæ solummodo accessoriæ sunt: vel litigantibus, ut causarum Patroni, & Defensores, Advocati, Procuratores, testes: vel ipsi Judici, ut Assessores, Consiliarij, eum in causa cognoscenda & rectè dijudicanda adjuvantes, *l. Consiliari 5. ff. de Offic. Assess.* Tabelliones sive Notarii, Judicii acta conscribentes, *c. Quoniam 11. de Probat.* Apparitores, Executores, Cursores sive nuntij & viatores, quibus personarum citationes, denuntiationes, incarcerationes, custodia, aliæque ejusmodi executiones expediendæ committuntur.

In judiciis Ecclesiasticis aliquando 22.
interveniunt Auditores, quales dicuntur, quibus committitur certus aliquis articulus audiendus aut examinandus, Speculat. *Tit. de Auditore, n. 1.* In Curia Romana S. Palatii, & in Provinciis Legatorum Apostolicorum Auditores vocantur, qui Papæ vel Legati vice causas examinant eô fine; ut rem omnem ad illos referant, & secundùm illorum imperium ac beneplacitum sententias eorum authoritate promulgent & causas decidant, idem *n. 3.* Eadem ferè ratio olim fuisse videtur Capellanorum Papæ, qui hodie Rotæ sive supremi Tribunalis Apostolici Auditores vocantur: quorum, etsi Rota sive Tribunal universum Ordinariam, singuli tamen solummodo Delegatam jurisdictionem habent, ex remissionibus sive commissionibus à Decano sibi factis, teste Veterano ejusmodi Auditore, & postea Eminentiss. Card. de Luca *Relat. Curia discursu 32. n. 5.*

ARTICULUS II.

De Actore & Reo.

SUMMARIUM.

23. *Agere invitus nemo,*
24. *Extra paucos casus, cogitur.*
25. *Prohibentur autem I. Infans, furiosus &c.*
26. *II. Servus propriè dictus:*
27. *III. Ligatus excommunicatone major:*
28. *Quò tamen agente gesta valent,*
29. *Et ali-*

29. *Et aliquando Actio:*
30. *Non etiam Reconventio regulariter est permissa.*
31. IV. *Pupillus sine Tutore,*
32. V. *Et sine Curatore Minor:*
33. *Pro quibus tamen lata sententia valet.*
34. *In causis spiritualibus Minor:*
35. *Non etiam impubes sine Curatore ad litem agit.*
36. VI. *Filiusfamilias sine consensu Patris:*
37. *Qui tamen ei sæpe necessarius non est.*
38. *VII. Mulier quoque in causis Criminalibus.*
39. *In Civilibus ipsa agere non cogitur, nec prohibetur:*
40. *Aliquando tamen volens non admittitur,*
41. *Et invita in judicium trahitur,*
42. *VIII. Religiosus sine consensu Prælati:*
43. *Variis casibus exceptis.*
44. *Capitulum non agit sine Prælato:*
45. *Sed iste sine Capitulo:*
46. *Cujus tamen consilium Prælato valde utile:*
47. *Aliquando consensus etiam necessarius est.*
48. *Pro rebus Monasterii agit etiam Abbatissa.*
49. *Speciali tamen Jure ejus:*
50. *Et aliquando etiam Præpositorum Regularium potestas libera non est.*
51. *Regulariter pro Parochia Parochus &c.*
52. *Et pro Hospitali ejus Rector agit:*
53. *Quorum tamen potestas ferè multùm est restricta.*
54. *Actorem & Reum, ut per se compareant, supremus:*
55. *Non etiam inferiores judices cogere possunt:*
56. *Nonnullis casibus exceptis.*
57. *Ad factum pertinentia de Jure procuratores,*
58. *Vel Actor & Reus per seipsos proponunt,*
59. *Non per advocatos:*
60. *Variis tamen casibus etiam per hos possunt.*

REgula est, agere in Civilibus, 23.
& in Criminalibus accusare, invitum neminem compelli, *l. Unica, C. Ut nemo invit. ag. vel accus. cog.* quantumvis in reum etiam invitum judicium reddatur, *l. Inter 83. §. 1. ff. de V. O.* &, qui agere cœpit, ut eâdem, quam semel ingressus est, viâ procedat, & actionem prosequatur, cogi possit, *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex*: præter quem casum

A dicta Regula excipiuntur Inpri- 24.
mis, & ratione officii pro pupillis & adolescentibus agere compelluntur tutores & curatores: nisi tutelæ judiciô damnari velint, *l. Nomina 2. C. arbitr. tut.* Deinde, qui aliquem de jure vel de facto aliquo, propter quod contra ipsum agere velit, diffamavit, ad diffamati instantiam ad agendum intra certum terminum compelli potest: nisi sibi silentium velit imponi, *l. Diffamari 5. C. de Ingenuis;* quod, qui alterum diffamat, ad judicium tacitè se adstringat, Gaill *Lib. 1. observat. 9. n. 4.* Eòdem modô ex justa vg. abitûs causa creditores monere quis potest; ut, si ab eo sibi debitum prætendant, intra certum tempus moneant, Gomez *Lib. 3. variar. cap. 1. n. 3.* & Studiosi ab Academiis discessuri designare & publico programmate denuntiare possunt certum temporis spatium, intra quod ratione debiti conveniantur, Bruneman, *in l. Unic. cit. n. 8.* Demum hæredes, adversus eum, à quo defunctus necatus est, agere tenentur: nisi hæreditatem

ditatem sibi, ut indignis, velint auferri, *c. 1. C. de His, quibus ut indign.* Alios casus, quibus ad agendum quis cogitur, recenset Glossa *in L. Unic. cit.*

25. Ut autem Judicium semel susceptum sit legitimum, litigantium Actoris & Rei personas ab eo Jure non removeri, est necesse.

Removentur autem, & in judicio stare Jure varii prohibentur: sicut sunt Primò, infantes, furiosi, amentes, surdi & muti, uti etiam prodigus: pro quibus tamen, agendô eósve defendendô, judicium suscipiunt tutores aut curatores, *l. 1. §. 2. in fine, ff. de Administr. Tut. l. 1. C. de Curat. furiosi & arg. l. His qui 12. §. fin. ff. de Tutor & Curat.*

26. Secundò, Servus propriè dictus in causa pecuniaria, *l. Servus 6. C. hâc Rubric.* quia quoad actus Civiles pro mortuo habetur, *l. Quod attinet 32. ff. de R. J.* In causis Criminalibus quandoque propter criminis atrocitatem, servi quoque audiuntur, *l. Vix certis 53. ff. hâc Rubric.* Dixi etiam *Propriè*; quia impropriè dicti servi, ut sunt coloni fundo colendo adscripti & Originarii, apud nos die Leibaigne Bauren / in judicio standi personam legitimam habent, Bruneman *in l. cit. num. 6.*

27. Tertiò Hæreticus, *c. Vergenti 10. de Hæret.* & cæteri excommunicati majori excommunicatione; *c. A nobis 2. c. Exceptionem 12. de Except. & c. Intelleximus 7. hic,* ubi censurâ hâc irretitus in judicio solummodo ut Reus, non etiam ut Actor stare permittitur: cujus tamen textûs decisionem difficilem reddit ratio non contemnenda partim; quòd, in judicio stare etiam non posse, videatur ut Reus; quia, sicut in Divinis, sic etiam in humanis ac politicis ceteris cum fidelibus communicare prohibetur, *can. Sicut Apostoli 16. & c. 11. q. 3.* Partim verò; quòd, si ut Reus, in eo stare etiam posse videatur ut Actor, cùm; quòd per procuratorem in judicio agendô cum fideli non magis communicet, quàm Reus per illum respondendô: tum verò; quia aliàs, eô in judicio litigante, acta forent nulla, *arg. c. 1. de Rescript. in 6. & c. Non dubium 5. C. de LL.* sicut irrita & nulla est sententia & cetera acta judicis excommunicati vitandi, *c. Ad probandum 24. de Sent. & Re judicat.*

Sed omninò inhærendum est decisioni *c. Intelleximus cit.* ac proinde regulariter ejusmodi excommunicato in judicio, tam Seculari quàm Ecclesiastico, per se vel per procuratorem agere volenti, reus opponere exceptionem excommunicationis, vel à judice ex officio repelli potest, *c. Decernimus 8. de Sentent. excom. in 6.* Ratio est; quia ex una, excommunicatus, etiamsi denuntiatus non sit, semper, quantùm in se est, alios vitare tenetur; cùm nullus ei favor concessus sit, *Extravag.* quæ incipit *Ad evitanda*, à Martino. V. edita in Concilio Constantiensi; & propterea repelli ab agendo valeat: imò, si vitandus sit, omnino debeat, *c. Exceptionem & c. Decernimus citt.* Ex altera verò parte, à sua excommunicatione & contumacia commodum reportare non debet: quod tamen eveniret, si propter debitum vel delictum in judicium vocatus non teneretur respondere; ideóque saltem ut reus litigare in judicio potest, & per procuratorem tenetur, *c. Intelleximus cit.* ut *ibi* cum Panormit. *n. 3.* notant Laiman *n. 4.* & Barbosa *n. 19.*

Contra decisionem hanc allata non speciosa magis primô occursu, quàm levia sunt, si accuratè ponderentur: & ad prius quidem responsio patet ex dictis. Non magis urget alterum partim; quia, licet reus in judicio stare per procuratorem valeat: imò, si causa ardua non sit & procuratorem

curatorem habere sine notabili incommodo possit, etiam debeat, ut *in c. Intelleximus cit.* notant Immola *n. 2.* & Decius *n. 7.* id tamen actori permissum non est; quòd, agendô per procuratorem, agere censeatur per se ipsum, juxta *Reg. Qui facit, 72. in 6.* præsertim in judicio, in quo eadem conditio procuratoris & domini censetur, Suarez *de Censur. disp. 16. s. 3. à n. 2.* & Barbosa *in c. cit. n. 3.*

28. Partim; quia actis ab excomunicato non repulso valor aperte adstruitur, *c. 1. de Except. in 6.* Neque id mirum videri debet; cùm multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent, *c. Ad Apostolicam 16. de Regular.* Neque paritas est cum judice; quia, hunc excommunicatum ad sententiæ valorem maximè necessaria jurisdictione, ejúsve actuali & valido usu privatum, patet, *ex c. Ad probandum cit. & c. 1. de Officio Vicar. in 6.*

Dixi, *Regulariter*, Inprimis; quia excommunicatus in judicio stare tantùm potest, ut reus necessarius, hoc est, per ſpecialem vel generalem citationem vocatus: non etiam, ut reus voluntarius, & qui non citatus pro suo commodo ad judicium venit; quia in hac materia actor & reus voluntarius æquiparantur,

29. *citt.* Laiman *n. 4.* & Barbosa *n. 28.* Dein; quia in judicio stare etiam ut Actor potest Primò; cùm agit in causa suæ excommunicationis, *arg. c. 1. de Rescript. in 6.* Secundò, quoties agitur de ipsius animæ periculo; ad hoc enim evitandum eum, si non ex jure sibi competente, saltem ex officio judicis admittendum, monent *citt.* Decius *n. 48.* & Barbosa *n. 10.* Tertiò, quando periculum est in mora, vg. si ipsius debitor sit fugitivus; hôc enim casu non omnino voluntariè agit, Felinus *in c. Cùm inter 5. de Except. in 6.* Quartò; cùm impeditur agere sibi permissa, vg. ire Romam ad impetrandum rescriptum Apostolicum super appellatione; tali enim casu agere potest contra impedientes, Panormit. *in c. Cùm inter cit. n. 17.* Unde

Dubium oritur, an excommunicatus possit actorem reconvenire. Ratio dubitandi desumitur à paritate appellationis; quàm interponere & prosequi non prohibetur, Glossa *fin. in c. Intelleximus cit.* Sed meritò actoris reconventio in alia causa reo excommunicato negatur, *c. Inter cit. in fine* & ab ipsamet Glossa *cit.* In *alia*, inquam, *causa*; quia in eo, quod causam in judicium deductam sublevat, vg. actorem oppositâ excommunicationis exceptione repellendô, vel ei, solutionem petenti, opponendô cautionem de solutione ab eo sibi laceratam, eum reconvenire potest; cùm sic reconveniendô se potiùs defendat, quàm agat. Ratio resolutionis est; quia reconventio est reciproca petitio, *c. Significantibus 2. de Mutuis petit.* ideóque in nova causa reconveniendô voluntarius actor evadit. Neque refert; quòd valeat appellare; quia appellatio est quædam sui defensio & Juris præsidium, quô gravamen removetur, *c. Cum speciali 61. §. Porro de Appellat.* Cùm ergo defensio Juris naturalis, & excommunicato etiam permissa sit, appellatio ei neganda non est, per expressum *text. cap. Significavit 11. de Except.* 30.

Quartò, à judicio removetur Pupillus sine authoritate tutoris, *l. 1. C. Qui legit. person.* Isto verò authore convenire & conveniri pupillus, vel pro eo tutor potest, *l. 1. l. In rebus 2. C. ibid. & l. 1. §. 2. ff. de Administr. tut.* 31.

Quintò, minor viginti quinque annis, sine authoritate curatoris in Criminalibus, *l. Clarum 4. C. de Auth. præst.* & in Civilibus etiam causis, Gaill. *Lib. 2. Observat. 108. n. 1.* Nisi impletis viginti an- 32.

ginti annis impetraverit veniam ætatis, *l. Omnes 2. C. de Hù, qui ven. ætat.* Vel intentaverit Possessorium possessionis retinendæ vel recuperandæ, *l. fin. C. Qui legit. poss. ubi* Glossa *V. Per quamcunque*, vel habeat curatorem, vel generalem vel specialem ad litem, *l. Adversus 2. C. de Administr. tut.* qui ad hanc ei etiam invito dari potest, §. *Item inviti 2. Instit. de Curat.* aliàs contra ipsum, & multò magis contra pupillum indefensum lata sententia, ipso Jure nulla foret, *l. Acta 44. & l. Contra 54. pr. ff. de Re Judic.* etsi pro ipsis lata Jure subsistat, *l. Non eo minùs* 33. *14. C. de Procurat.* quâ hujus discriminis ea ratio redditur; quia *Minoribus ætas in damnis subvenire, non in rebus prosperè gestis obesse consuevit*; ne quod ipsorum favore constitutum est, in odium convertatur, & ad eorum læsionem inventum videatur, contra *l. Quod favore 6. C. de LL. & Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.*

34. Jure autem Canonico, hac in re à Legalibus sanctionibus divertente, prodita est distinctio inter causas: & licet, cùm hæ Prophanæ, & de rebus merè temporalibus controversia est, sine curatore agere vel respondere viginti quinque annis minor in judicio per se vel procuratorem nequeat: in causis tamen Spiritualibus & ab his dependentibus vg. in matrimonialibus, beneficialibus, decimalibus, juris Patronatûs, litigare & ad litem procuratorem constituere perinde, ut qui ætatem illam excesserunt, etiam ipse potest, si pubes, hoc est, si mas decimum quartum & puella duodecimum ætatis annum implevit, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. Si annum 3. in 6.* relatâ; quia Jus hôc ipsô; quòd minores, pubertatem adeptos, ad matrimonia, beneficia & certa spiritualia obtinenda & administranda reddiderit habiles, à judicio super iisdem, per se vel per procuratores, subeundo eos censuit non removendos, Franc. *inc. cit. n. 6.* & Gemin. *n. 4.*

Neque hinc inferes etiam impuberem, quando cum eo ad beneficium Ec- 35.
clesiasticum à Papa dispensatur, super eo & juribus annexis per se litigare, aut ad agendum vel defendendum procuratorem constituere, liberè posse, cùm; quia dicta ratio solummodo procedit de personis, ad spiritualia habilitatis à Jure: tum verò; quia dispensatio, cùm sit interpretationis strictæ, à beneficii titulo ad liberam ejus administrationem, ut super eo etiam judicium subire valeat, extensionem non admittit, ut *in c. cit.* notant Franc. *n.* 2. & Anchoranus *n. 4.* & desumitur ex ejus §. *Si verò*, ubi impuberi in beneficiali vel alia spirituali causa litigaturo curatorem ad litem à judice Ecclesiastico deputandum, habetur.

Sextò, Filiusfamilias in propria 36.
causa sine consensu patris, saltem generali, agere, séque defendere in judicio non potest, *l. Si annum cit. §. fin. & l. fin. C. de Bonis, quæ liber.* ibi, *Ne judicium sine patris consensu consistere* videatur. Necessarius autem illi consensus patris est, non tam ob aliquod istius præjudicium, quàm ob judicii solemnitatem, quæ non patitur filiumfamilias sine parentis consensu in judicio audire, *Speculat. Tit. de Authore*, §. 1. *n.* 22. & Petr. Barbosa *in l. Soluto 2. §. fin. ff. Solut Matrim. n. 2.*

Verùm, etsi hoc de ejusmodi filio, 37.
etiam viginti quinque annis majore, regulariter verum, perpetuum tamen nequaquam est; cùm non desint casus, quibus sine patris consensu agere filiusfamilias permittitur: & Imprimis quidem, si pubes sit, in causis spiritualibus & ab his dependentibus; in his enim, sicut minor sine curatore, sic & ipse per se, vel per procuratorem judicium subire, consensu patris

patris non requisito vel exspectato, potest §. *fin. cit.* Ratio est; quia ad bona & res spirituales & cum his connexas patria potestas se non extendit, *cit.* Speculat. *n. 3.* & Laiman *in c. fin. cit. n. 5.* Dein, si viginti quinque annis major sit, filiusfamilias alienô, puta, tutoriô, curatoriô, procuratoriô nomine agere & respondere in judicio sine eodem consensu valet, *pr. Instit. Qui testament. tut.* juxta *l. Quæsitum 16. ff. de In jus voc. & c. Qui generaliter 5. §. Nedum, de Procurat. in 6.* Demum, suo etiam nomine convenire & conveniri in judicio potest super bonis castrensibus vel quasi, *l. Miles 4. §. 1. ff. de Castrensi peculio*; quia eorum plenissimam administrationem habet, & patrisfamilias instar reputatur, *l. 1 §. fin. & l. Usque 2. ff. de S. C. Macedonian.* & super aliis etiam rebus merè temporalibus, quando pater absens non reliquit procuratorem, vel præsens rebus propriis propter senium, amentiam &c. superesse non potest, Speculat. *cit. n. 22.* & aliis casibus, quos *in c. Si annum cit. §. fin.* cum Glosla *fin.* refert Francus §. *fin. cit. n. 5.*

38. Septimò, agere sive accusare in Criminalibus nequeunt mulieres; propter sexûs verecundiam & fragilitatem: nisi certis ex causis, vg. ut suam aut propinquorum suorum prosequantur injuriam, *l. Qui accusare 8. ff. de Accusat. & l. De crimine 12. C. de His, qui accusare:* vel publica utilitas id exposcat, *l. Mulierem 13. ff. de Accusat.* quâ de re sermo redibit *Lib. 5. Tit. 1. n. 28.*

39. In causis autem Civilibus, sicut invitæ personaliter ad judicium trahi non permittuntur, *c. Mulieres pr. 2. in 6. & l. Ad personas 15. ff. de Jurejurando*; quòd non conveniat, eas vagari & virorum cœtibus immisceri: ita agere & respondere, si velint, non prohibentur, argumentô ductô à contrario *c. cit.* Glosla *ibi, V. Invitas*; quia *c. cit.* sibi indultô privilegiô uti non coguntur, Francus *in c. cit. n. 1.*

Utraque tamen hujus Assertionis pars 40.
perpetua non est; cùm non desiderentur casus, quibus in Judicio personaliter comparere volentes non permittuntur, aut invitæ compelluntur; quia in primis Moniales, sive Religionem professæ mulieres, ut in judicio testimonii ferendi aut alia ex causa compareant, extra clausuram & Monasterii septa egredi prohibentur *c. cit. §. Sed cum, V. Caterum*, ubi contra hanc prohibitionem attentata disertè omnia in irritum revocantur. Deinde, 41.
aliæ mulieres etiam invitæ in judicium trahi possunt, quando earum personalem præsentiam exigit necessitas Juris, vg. ut atrocis aut gravissimi criminis perpetrati pœnas luant; cùm, licet ob debita merè Civilia conventæ, aut etiam criminis non valde gravis delatæ personaliter judicium aut carcerem subire non cogantur, *Auth. Hodie, C. de Custodia Reor.* desumpta ex *Novella 134. cap. 9.* sed defensio suscipienda à viris, & executio in earum bonis facienda sit, Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 88. n. 10.* Farinacius *Prax. Criminal. q. 27. n. 42.* & Bruneman *in Auth. cit. n. 2.* atrociorum tamen criminum accusatæ etiam ipsæ, aliquando in Monasterio, vel privata domo sub alicujus honestæ fœminæ custodia detineri, vel in carcerem publicum detrudi pro criminum & personarum qualitate consueverunt, secundùm *citt.* Menoch. *n. 21.* & Farinacium *n. 52.* qui tamen hac in re discrimen statuunt inter fœminas Nobiles, aliásve honestas, & viles, præsertim inhonestè, aut luxuriosè viventes; cùm, licet ad personalem apprehensionem & custodiam illarum non facilè, & sine magna circumspectione deveniendum sit: istæ tamen ad judicium personaliter vocari: &, si criminum reæ sint, custodiâ, seorsim tamen à

men â viris detineri, & pro debito etiam Civili, saltem ex delicto descendente, condemnatæ, si solvendo non sint, incarcerari non prohibeantur; quod privilegia Nobilibus & honestis mulieribus indulta, ad viles & inhonestè viventes extendi nec tribunalium praxis, nec Jus permittat, *arg. c. Quoniam 3. de Test. & attest.* Francus *in c. Mulieres cit. n.* 1. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 21.

42. Octavò demum, Religiosus sine consensu Prælati, etiam ratione spolii, aut injuriæ sibi illatæ, vel contractûs etiam in sæculo celebrati, neque convenire, neque conveniri in judicio per se aut per procuratorem potest, Navarrus *Comment. 2. de Regular. n. 64.* Sanchez *Lib. 6. Moral. cap.* 12. *n.* 1. & Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap.* 11. *pr.* omnia ab eo sine Prælati consensu acta pro irritis habentes. Ratio est; quia, cùm omnia sua bona, jura & actiones in Monasterium transtulerit, pro eo agere & respondere ad hoc pertinet, non ad ipsum; cùm ipse per professionem mundo sit mortuus, *can. Placuit, 16. q.* 1. *& l. De nobis 56. C. de Episc. & Cleric.* & non amplius sit sui juris, sed æquiparetur servo: qui in judicio stare non valet, *l. Servus 6. C. hâc Rubr.* aut saltem filiofamilias: qui regulariter judiciô contendere sine consensu patris non potest, *l. fin. C. de Bonis, quæ liber, & c. Si annum cit. §. fin.*

43. Ab hac tamen Regulari doctrinâ excipiuntur varii casus, quibus Religiosus agere & respondere in judicio per se aut procuratorem potest. Primò quidem, si obtineat beneficium Ecclesiasticum, annexam habens aliquam administrationem, cùm; quod respectu ejus sui juris reputetur: tum verò; quòd, qui administrationi præficitur, super ejus juribus agere possit, quantumvis Obedientiarius sit: quod Regularis dogmatis instar tradit Panormit. *in c. Cùm deputati 16. n.* 1. & *cit.* Speculat. *n. 49.* Secundò, cum licentia sui Prælati in causa sui Monasterii, *can. Monachi, 16. q.* 1. Tertiò, cùm studiorum aut aliorum negotiorum causâ à Monasterio procul abest; tali enim casu, si spolii, vel injuriæ illatæ, aut alterius causæ necessitas exigat, agere valet ex licentia Prælati præsumpta, *citt.* Navarrus *n. 65.* & Sanchez *n. 14.* Quartò, in causa suæ electionis ad Prælaturam, professionis, alimentorum, aliorúmque jurium, ex ea competentium, ejectionis &c. *citt.* Navarrus *n. 64.* & Sanchez *n. 16.* Quintò, cùm proprius Prælatus, vg. tanquam dilapidator est accusandus, *c. Ex parte 11. de Accusat.* ad quam *Rubr. n. 34.* hac de re sermo redibit. Sextò, ratione delicti, non Monasterium, sed Religiosus delinquens est conveniendus; quia de delicto monachi Religio, vel Monasterium non tenetur, *c. Quia 2. de Testament & Reg. Delictum 76. n. 6.* Quibus casibus judicium subeunti Religioso, si peculium à Prælato concessum non habeat, necessarias expensas, ne, his deficientibus, indefensus maneat, à Monasterio suppeditandas, *in c. Ex parte cit.* cum Glossa *fin.* tradit Panormit. *n. 9.* Felinus *n. 4.* & Sanchez *cap. cit. à n. 20.*

Dubium hôc locô est, cujus de Jure sit, Monasterii & Ecclesiæ nomine in judicio agere & respondere. Et, Prælati quidem id esse, patet ex *can. Nullam, 18. q. 2. & c. Edoceri 21. de Rescript.*

An autem id sine Conventûs vel Capituli consensu, saltem quoad bona & jura communia, Prælatus possit, ambiguum reddit Glossa *in c. cit. V. Debeant*, asserens, sine hujusmodi consensu Prælatum in judicio nec convenire nec conveniri posse; idq; suadere videtur paritas cum Conventu sive Capitulo: à quo in causis, ad ipsum & Prælatum simul pertinentibus, actionem aut defensionem judicialem suscipi 44.

sine

sine assensu & authoritate Prælati non posse, *c. causam 9.* est decisum. Ratio ulterior est; quia Prælatus Monasterii & Ecclesiæ suæ res immobiles & mobiles pretiosas alienare nequit sine consensu Capituli, *can. Sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. & c. Continebatur 2. de Iis, quæ à Prælat.* Is autem, qui rem prohibetur alienare, eam in judicium deducere non potest, ut Regulæ generalis instar traditur, & desumitur ex *l. Ait Prætor 7. ff. de Jure deliberandi*, cujus §. 2. Labeo, *Absurdum*, inquit, *est ei, cui alienatio interdicitur, actiones exercere.*

45. Sed melius, super ejusmodi bonis & juribus communibus in judicio agere & respondere, si ardui & magni momenti causa non sit, Prælatum sine Conventûs vel Capituli sui consensu posse, *in c. Edoceri cit.* defendunt Panormit. *n. 6.* Felin. *n. 2.* Barbosa *n. 2.* Gonzalez *n. 2.* & alii præsertim Interpp. passim id colligentes ex *c. Cùm olim 17. de Restit. Spoliat. & c. Auditis 15. de Præscript.* Rationem reddunt; quia Prælatus habet liberam & generalem administrationem rerum communium suæ Ecclesiæ vel Monasterii, *can. & c. citt. c. Fraternitatem 2. de Donat. c. Monachi 2. & c. de Statu Monach.* cujusmodi administrationem à Jure obtinentes in judicio agere & respondere possunt, ut patet in tutore, qui pro bonis pupilli, *l. 1. §. 2. & l. Si tutor 2. ff. de Administrat. Tut.* & in patre, qui pro bonis adventitiis filiifamilias agere & respondere in judicio possunt, *l. 1. V. Parentes, C. de Bonis maternis*; quibus, sicut honorabiliorem, sic etiam ampliorem potestatem in Ecclesiæ vel Monasterii sui rebus Prælatus habet, ut cum Glossa observat Panormit. *cit. n. 16.*

Quare hac in re lata disparitas est inter Prælatum & Conventum seu Capitulum; quia rerum ipsis communium libera administratio, cui agendi jus conjunctum est, penes illum, non penes Conventum residet, Prælaturâ non vacante; cùm ejus caput sit Prælatus, cui Capitulares tanquam membra subjiciuntur, *can. Scire debet 7. q. 1. c. Novit 4. de Iis, quæ à Prælat. & c. Requisivisti 15. de Testament.* Felin. *l. cit. n. 3.*

Neque aliud in contrarium allata ratio &, in qua hæc fundatur, Regula persuadet; quia inprimis non desunt, qui apud Laiman *in c. Edoceri cit. n. 10.* existiment, *l. Ait Prætor cit. §. 2.* ex quo Regula illa desumitur, contineri casum specialem: quô hæres, dum de adeunda hæreditate in deliberatione versatur, ex ea, sicut alienare, sic & in judicium aliquid deducere non potest; cùm, hæreditate nondum aditâ, rerum nec dominium habeat, nec à lege concessam administrationem. Deinde; quia, licet aliis quoque casibus locum habeat, tamen non procedit in iis personis, quæ non proprio, sed alienô, ut Prælatus Ecclesiæ, vel Monasterii nomine in judicio agunt, Panormit. *cit. n. 6.* Demum; quia, si ejus veritas esset universalis, Prælatus, qui sine consensu Apostolico vi proprii juramenti alienare non potest, *Extravag. Ambitiosa, inter communes, de Rebus Eccles. alienand.* sine ejusmodi consensu agere vel respondere in judicio non posset: uti etiam pater & tutor; quia ille bona adventitia filii, iste pupilli res plerasque alienare non potest, contra *ll. citt.* textus.

Etsi verò agendi & respondendi li- 46.
bera potestas de Jure competat Prælato, tutiùs tamen & propter authoritatem in contrarium allatâ etiam consultum est; ut ad alicujus momenti negotia expedienda & super Ecclesiæ, vel Monasterii rebus ac juribus exortas lites in judicio prosequendas, consensus, vel saltem consilium Capituli adhibeatur, ut præter alios notat Laiman *in c. Edoceri cit. n. 10.*

Rectè

47. Rectè etiam iste aliique Interpp. ac DD. excipiunt Inprimis casum, quô ardua & magni momenti causa, vg. de Ecclesiæ, vel Monasterii subjectione, ejus dignitatis diminutione, limitum restrictione, in judicio est pertractanda; super tali enim re & jure Prælato actionem, aut defensionem suscipere volenti, Capitulari consensu opus est, ex communi doctrina omnium, teste Felino *cit. n. 3. V. Prima.* Deinde casum, quô Capitulum vel Conventus ageret pro recuperatione rerum Ecclesiæ, vel Monasterii malè alienatarũ, præsertim si eam negligeret Prælatus: uti etiam, quô lis esset super rebus, à Prælaturæ bonis omnino separatis & Capitulo vel Conventui specialiter attributis, etiam quoad administrationem; utróque enim hôc casu agere Capitulum sine Prælati consensu potest, *cit.* Panormit. *n. 6. & 7.* nisi causa esset ardua; hæc enim, etiam cùm de bonis separatis agitur, neque à Capitulo sine Prælato, neque ab isto sine illo expediri valet, secundùm Regulam, ab eodem Panormit. traditam in *Clement. 2. de Reb. Eccles. alienand.* & receptam â Felino *l. cit.*

48. Abbatibus, aliisque Religiosorum Prælatis, quoad actiones judiciales, æquiparantur Abbatissæ, aliæque fœminæ Monialibus præpositæ; ut super Monasteriorum suorum rebus & juribus per constitutos procuratores agere & respondere in judicio de Jure etiam ipsæ possint, Glossa *in c. Contingebatur cit. n. 4.* Navarrus *Comment. 3. de Regular. n. 4.* Tamburinus *de Jure Abbatiss. disp. 32. q. 13. n. 2.* & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul.*

49. *Tract. 8. q. 16. De Jure*, inquam; quia illarum authoritas & administrandi potestas à specialibus Ordinum Regulis & consuetudine multùm est arctata: & hodie passim, non tantùm à Conventûs sui, Monialium consensu, sed à superioribus suorum Ordinum Prælatis & diœcesium Ordinariis in plerisque alicujus momenti negotiis pendent, ut Tambur. *q. cit. n. 3.* observat.

Eôdem modô & jure speciali in Mo- 50.
nasteriis virorum rerum communium administratio & super iis agendi facultas non ita libera, sed restricta aliquando est Prælatis, aliisque illorum Præpositis, præsertim in Religionibus Mendicantium: in quibus Locales superiores vg. Priores Conventuales, Rectores, Guardiani à Præpositis Provincialibus: isti verò ab uno totius Ordinis Generali, tanquam à capite, & sicut quoad jurisdictionem, potestatémque in sibi subditos Regulares exercendam, sic etiam quoad Ecclesiarum, Monasteriorum & Collegiorum, rerúmque & jurium ad ea pertinentium administrationem pendent. Quanta autem huiusmodi subordinatorum, tam Provincialium, quàm Localium, superiorum cuiusque potestas sit, non tam ex communi, quàm ex speciali Jure, sive Religionis cuiusque constitutionibus, privilegiis & receptis consuetudinibus est desumendum. Et quidem in Societate JESU, cuius subordinati superiores à supremo sive Præposito Generali plurimùm dependent, quanta ea sit, explicat Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 5.* ubi, *Ad cognoscendam*, inquit, *uniuscuiusque Prælati facultatem, utendum potiùs est affirmativâ, quàm negativâ Regulâ, id est, Id unumquemque posse, quod ei concessum est: non verò, quod sibi non est prohibitum.*

Dubium hîc est, an Episcopi, aut alii 51.
Prælati litigare in iudicio possint super rebus & iuribus Ecclesiarum Parochialium, sibi subiectarum, vel Monasterio suo per unionem incorporatarum. Ratio dubitandi est; quòd agere sit eius, qui administrat, *c Edoceri cit.* eiusmodi autem

Ecclesia-

Ecclesiarum administrationem de Iure habeat proprius Parochus, aut Vicarius perpetuus, in earum aliqua canonicè institutus. Quæ ratio licet omninò persuadeat, eiusmodi Ecclesiæ defensionem in iudicio Vicario, eius administrationem habenti: non Prælato vg. Monasterii, cui ea est unita: & Parocho potiùs competere, quàm Episcopo, cuius Iurisdictioni est subiecta: hic tamen eius in iudicio defensionem suscipere Iure non prohibetur, non tantùm, cùm Parochus sive Rector immediatus eam negligit, vel insufficiens est: sed aliis quoque casibus, ut ex *c. fin. de Succeſſ. ab inteſt.* desumit Innocentius; *ibi* asserens, Episcopum pro quolibet Collegio vel Ecclesia sibi subdita agere posse; quòd sit ordinarius Pastor omnium totius diœcesis Parochorum & Ecclesiarum: & omnes diœcesani, etiam ipsius sint parochiani, *c. fin. de Sepult.* ubi Panormit. *Not.* 1. Multò magis eiusmodi Ecclesiarum res & iura in iudicio tueri Episcopus & alius Prælatus potest, si causa æquè ipsum tangat, quàm Parochum aut Vicarium perpetuum; quòd illius rei & iuris litigiosi proventuum partem aliquam percipiat ipse Episcopus vel Prælatus, cuius Monasterio vel dignitati Ecclesia est unita.

52. Parochis similem rerum administrationem, & super iis actionem defensionémque in judicio obtinere Rectores Hospitalium aliorúmque piorum locorum, Episcopali authoritate erectorum, supponi videtur, *Clement. Quia contingit 2. pr. de Religioſ. domibus.* Quamvis istorum atque illorum etiam potestas hodie
53. non sit adeò libera & absoluta, multúmque pendeat ab Episcopis: & in multis locis à Principibus & aliis Magistratibus Sæcularibus. Imò multarum Parochiarum res temporales in pluribus diœcesibus, Germaniæ præsertim nostræ, administrentur per Seculares, vulgò die Kirchen-Pröbſt / Kirchen- oder Heiligen-Pfleger / ut constat ex *Receſſu Concordatorum*, inter Serenissimos ac Potentissimos Principes Bavariæ nostræ ex una, & Reverendissimos ac Celsissimos DD. Ordinarios ex altera parte, initorum 1583 *Art.* 1. §. Damit aber: & de rebus ad Parochiales & similes Ecclesias pertinentibus contractus cum Ecclesiastici & Secularis Magistratûs consensu celebrentur, ut eorundem *Concordat. Art.* 5. *ibi*, In den *contracten* habetur.

Dubium est, an actor & reus cogi 54.
possint, ut personaliter in judicio compareant. Posse in causa Criminali, quando corporis afflictiva, aut relegatione major pœna pro crimine imponenda venit, patet ex dictis *Lib.* 1. *Tit.* 38. *à n.* 40. Cùm pœnam mitiorem criminis qualitas admittit, ut Criminalem aut Civilem causam ipsi & suscipiant & pertractent, actorem & reum compelli à Principe alióve Magistratu supremo posse, argumentô à contrariò ductô ex *c.* 1. *in 6.* notat Glossa *ibi*, *V. Speciale*, & non est, qui inficietur.

Quare dubio locus tantùm est de ju- 55.
dicibus inferioribus, à quibus, sive ordinarii, sive delegati sint, litigantes principales, scilicet actorem & reum, ut in judicio personaliter ipsi compareant, cogi regulariter non posse, frequentiori calculô receptum est, & desumi solet ex *c. Querelam 2. de Procurat. c. 1. cit. l.* 1. *& l. fin. C. de Procurat.* quibus & aliis Juris textibus indultum beneficium, cùm à judice, illorum conditore inferiore, non sit auferendum, *Reg. Indultum* 17. *in 6.* in omni citatione, ad personalem præsentiam expresse non adstringente, alternationem, *Ut per ſe, vel per idoneum procuratorem compareat*, subintelligi, in *c.* 1. *cit.* notant Francus *n.* 3. & Laiman. *n.* 2.

56. Dictum, *Regulariter*; quia variis casibus, ut se ipsi in judicio sistant, litigantes principales, aut eorum alter, compelli permittuntur: veluti Primò à delegato, cui causa à Principe specialiter commissa est, ut partibus vel earum altera personaliter præsente de ea cognoscat, argumentò à contrario ductò ex *c. 1. cit.* Verbis, *Qui à sede Apostolica mandatum ad hoc*, ut alteram partium coram se personaliter comparere jubeat, *non receperit speciale*, Glossa *ibi V. Speciale* & Francus *l. cit.* Secundò, ad jurandum de dicenda veritate aut calumnia vitanda, *c. 1. cit.* ad quod tamen juramentum, in animam domini præstandum, procuratorem speciale mandatum habentem admitti, patet ex *c. In pertractandis 3. de Jurament. calumn. & c. Nullam 3. ibidem in 6.* Glossa *in c. 1. cit. V. Juramentum.* Tertiò, cùm actoris vel rei personalem præsentiam exigit necessitas Juris, *c. 1. cit.* quòd statum & veritatem rei, præsertim ea, quæ in facto consistunt, meliùs perspecta habeat & valeat explicare, *c. Pastoralis 14. & l. fin. cit.* Quartò, cum specialiter examinanda est qualitas, vg. ætatis maturitas, discretio judicii, aut doctrina personæ, *arg. l. Omnes 26. de His, qui ven. ætat.* Francus *in c. 1. cit. n. 2.* Quintò, ut in causa criminali ex rei, vehementibus indiciis gravati, vultu ac sermone, constantia, pallore, vel trepeditatione veritas faciliùs deprehendatur, Anchoran. *in c. cit. n. 4.* & Laiman. *n. 4.*

57. Dubium aliud est, an litigantes per alios proponere in judicio valeant ea, quæ pertinent ad factum. Ratio dubitandi est; quòd, qui alterius defensionem suscipit, in jure interrogatus ex omnibus causis, ex quibus dominus, respondere teneatur, *l. Non solùm 39. ff. de Procurat.* quod etiam de eo, qui alicujus universitatis nomine judicium subit, asseritur *l. 1. §. 1. in fine, ff. Quod cujusque Univers. nom. ag.* Unde ab eo, qui alterius in judicio suscipit defensionem, proponi quoque oportebit ea, quæ in facto consistunt; cùm aliàs non, ut oporteret, plenè defenderet actorem vel reum litigantem, suum principalem; cùm enim ex facto oriatur jus, *l. Si ex plagâ 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* & sæpe facti mutatione minima in circumstantia aliqua totum jus mutari contingat, ab eo, qui alterum est defensurus, factum cum ejus causa & circumstantiis omnibus diligentissimè investigari & judici exponi, necesse erit, si congruens responsum & commodam judicis sententiam reportare velit, *l. Ut responsum 15. C. de Transact.*

Verùm, licet facti plena cognitio ad 58
clientis sui defensionem necessaria advocato sit, ad eum tamen Iuris potiùs, quàm facti pertinent allegationes, *l. Eum quem 79. ff. hâc Rubr.* & apertiùs *c. Pastoralis 14.* quò relatò Apostolicò rescriptò Innocentius III. statuit, *Ut principales personæ, non per advocatos, sed per seipsas factum proponant:* sicut *l. Qui servum 20. §. 1. ff. de Interrog. in jure fac. c. Pr sentium 2. de Testib. in 6. &c.* est factum Ratio est; quia facti veritas in judicio petenda & exponenda est ab iis, qui eam meliùs perspectam habent, *c. Scriptum 40. de Elect. ubi* Glossa *V. Nati:* ea autem, quæ ad se & factum proprium spectant, litigantium personæ principales meliùs perspecta habent, quàm extranei, & ipse earum advocatus, *c. Ab excommunicato 40.* junctâ Glossâ *V. De facto suo, de Rescript.* cùm iste de tali facto, ejus causa & circumstantiis ab ipsis principalib⁹ instruendus & plenè informandus sit, ut *in c. Pastoralis cit.* observant. Hostiens. *V. Factum*, & Joan. Andr. *n. 4.* Cùm ergo judicem, ut de partium litigantium jure ritè pronuntiet, factum, ex quo earum jus ortũ est,

ejus-

ejúsque causam & circumstantias plenè cognitas habere, necesse sit, *l. Bonorum, C. Qui admitti ad bon poss.* ea, quæ, consistunt in facto, ex principalibus personis exquirere & intelligere potiùs debet, quàm ex advocato: quamvis & hunc interesse oporteat; ne per cavillosas, obscuras & æquivocas positiones clientes facilè decipiantur, *citt.* Hostiens. *V. Proponant*, & Joan. Andr. *n. 3.*

59. Neque cum ita declarato firmatóque Apostolico rescripto pugnant *l. Non solùm & l. 1. §. 1. citt.* textus; quia neutrô ut *c. Pastoralis cit.* sermo est de advocato: sed priori de procuratore ad litem, & posteriori de syndico, qui etiam ipse procuratoris instar universitatis nomine in judicio agit, *c. Unico, de Syndico*; hi enim cum per contestationem litis instantiæ domini fiant, *c. 1. §. Licet, de Procurat. in 6.* adeò; ut in eorum personas sententia feratur, *l. 1. C. de Sent. & interlocut.* censentur personæ principales; ut per se ipsi ea etiam, quæ pertinent ad factum, proponere valeant; cùm cuilibet concessum sit, constituere procuratorem, per quem factum proponat & respondeat in judicio litémque contestetur, *l. 1. ff. de Procurat.* Panormit. *in c. Pastoralis cit. n. 5. ubi* Joan. Andr. *n. 5.* & Vivianus *pr. V. His autem*, rectè monentes casu, quô dominus justior esset, quàm procurator, à judice provideri ex officio posse, ut ipse dominus ad iudicium veniat & ad ea, quæ in facto consistunt, interrogatus ipse respondeat, *l. fin. C. de Procurat. ubi* Bruneman. *n. 2.* Secus est in advocato, qui dominus litis non fit: cuiúsque officium in iis, quæ sunt Juris, puta, in aptè concipiendo libello, interrogatoriis & articulis probatorialibus formandis, in positionibus & exceptionibus ordinandis & similibus præcipuè versatur, *citt.* Hostiens. *V. Factum*, & Panormit. *n. 8.*

Variis tamen casibus ea, quæ pertinent ad factum, proponere in iudicio valent advocati Primò enim *c. Pastoralis cit.* id his permittitur, *Si principales personæ sint adeò rudes & indiscretæ, ut earum defectus per alios, de judicis licentia, supplendus sit:* non quidem, si sint amentes & rationis impotes, vel etiam prodigæ, eísque propterea rerum suarum administratio interdicta sit; cùm tales in iudicio stare & contendere nequeant per se, sed debeant per procuratorem vel curatorem eis datum, *l. 1. ff. de Procurat.* Sed; quòd, licet rationis usum habeant, propter simplicitatem tamen & ruditatẽ suam non possint mentem reíq; veritatem sufficienter declarare, Felin. *in c. cit. à n. 7.* Laiman *n. 2.* & Barb. *in Select. n. 3.* Secundò, si advocatus ad factum in iudicio proponendum habeat mandatum speciale; quia *c. cit.* agitur de advocato, qui speciali huiusmodi mandatô non est instructus, Felin. *in c. cit. n. 2. V. Amplia*, & *cit.* Barbosa *n. 4.* Quin, si absque tali mandato ea, quæ facti sunt, advocatus, iudice & parte adversa non contradicentibus, proponat, id parti quasi in sui præiudicium consentienti præiudicare, cum *cit.* Panormit. *n. 4.* notat Vivian. *V. Si tamen.* Tertiò, ex consuetudine seu praxi tribunalium, passim admittentium facti expositiones ab advocatis, teste *cit.* Barbosa *n. 5.* 60.

ARTICULUS III.

De Judice.

SUMMARIUM.

61. *Judices esse quidam Naturâ,*
62. *Cæcos ab Officio judicandi non remouente:*
63. *Alij Lege:*
64. *Et rursum alij Moribus prohibentur.*

65. *Lege remotù addendi I. Excommunicatus vitandus,*
66. *II. Minor viginti annis,*
67. *III. Jurium rerúmque, imperitus,*
68. *IV. Religiosus sine Prælati licentia,*
69. *V. Sine qua tamen illius acta judicialia subsistunt:*
70. *VI. Qui causam similem habet in judicium deductæ,*
71. *VII. Vel in ea egit advocatum.*
72. *Causa judicis propria qua dicatur,*
73. *In ea summi Principes, licet valeant,*
74. *Judices tamen esse non solent.*
75. *Inferiores esse non possunt.*
76. *Exercere tamen in semet jurisdictionem voluntariam,*
77. *Injuriam notoriam sibi illatam ordinariâ,*
78. *Et aliquando arbitrariâ pœnâ plectere:*
79. *In Ecclesia sua causa judicare,*
80. *Et de sua competentia pronuntiare, ferè non prohibentur.*
81. *Rationes dubitandi de actis Judicis existimati:*
82. *Qua valida sunt:*
83. *Si ille probabili,*
84. *Et communi errore pro vero Judice habeatur,*
85. *Republicâ vel Ecclesiâ defectum jurisdictionis,*
86. *Non etiam Ordinis, supplente,*
87. *In judice habente titulum coloratum:*
88. *Imò etiam isto carente.*
89. *Unde deducta Corollaria.*

61. MUltò magis, quàm litigantium sive Actoris & Rei, inter eos intercedentis sive iudicantis personam à iudiciis, ut legitima sit, Jure non removeri, est necesse.

Removentur autem quidam Naturâ, ut infans, surdus, mutus, perpetuò furiosus & impubes; quia carent iudiciô & discretione, *l. Cùm Prætor 12. §. 2. V. Naturâ, ff. Hâc Rubr.* ad tempus furiosus iudex dari: & dilucidi intervalli tempore sententiam dicere potest, *l. Cùm furiosus 39. ff. Rubr. cit.*

62. Eâdem judicandi officium cæco, utroque lumine orbato, committi non posse, vult Accursius apud Bruneman in *l. Cæcus 6. ff. hâc Rubr. n. 1.* quòd ab ipso munere postulandi removeatur, *l. 1. §. 5. V. Casum. ff. de Postul.* Sed contra apertum Jus; cùm §. *cit. V. Quamvis, & l. Cæcus cit.* eum judicandi officiô fungi posse, in terminis asseratur: & ratio; quòd cæcus publici Magistratûs insignia, quæ intueri nequit oculis, revereri non possit, cesset in cæco judice; quantumvis enim album à nigro discernere nequeat: justi tamen injustíque cognitio ac discretio, quæ judicis primæ partes sunt, in eo non desiderantur: & personarum ac munerum respectum, corruptelam judiciorum præcipuam, aufert cæcitas judicantis; ut proinde hanc judices, sapientiæ & æquitatis studiô potiores, quondam habuerint in votis, & apud Athenienses imitari conati sint Areopagitæ, de litigantium controversiis, ne earum respectu à Justitiæ semita facilè averterentur, noctu soliti pronuntiare.

63. Alii Lege, ut senatu moti propter turpitudinem, *l. Cùm Prætor cit. §. 2. V. Lege & l. Cassius 2. ff. de Senator.* & quavis ratione infames *V. & l. citt.* cùm enim senatu moti judicis officiô fungi prohibeantur ex ratione; quòd turpitudinis maculâ notati sint, ad cæteras quoque personas, ob crimen infamiâ notatas, prohibitio pertinebit: licet ab aliis muneribus Civilibus non habeant vacationem, *l. Unic. C. de Infamibus:* & ad has quoque *V. & l. Cassius cit.* prohibitionem pertinere, omninò evincitur *l. 1, pr. ff. ad L. Jul. de Vi privatâ*, quâ vi priva-

vi privatâ damnátus ob maculam inde contractam à judicis officio removetur: & præsertim *Reg. Infamibus 81. in 6.* infamiâ notatos non admittente ad dignitates: quarum nomine etiam veniunt publica officia Reipublicæ, ut vel maximè est Judicis & Assessoris, Molina *Tract. 4. de J. & J. disp. 11. num. 5.* Petr. Barbosa *in l. Cùm Prætor cit. §. fin. à n. 177.* & Hunnius *Vol. 1. in Treutl. disp. 11. q. 32.*

64. Alii demum Moribus, ut servi & fœminæ, non; quia non habent judicium: sed; quia receptum est, ut Civilibus officiis non fungantur, *l. Cùm Prætor cit. §. 2. V. Moribus, & §. Tria*, post *can. Infamis, 3. q. 1.* Fœminis etiam, si jurisdictio ex consuetudine vel alio Jure aliquando competat, eam non instar Joannæ Neapolis Reginæ, è solio ferentis sententiam Capitalem, per se solas: sed consiliô prudentum, præsertim JCT.orum, aut per Præfectos & Judices constitutos exercendam, salubriter monent DD. *in c. Dilecti 4. de Arbitr.*

65. Lege remotis accensendi sunt Primò Excommunicatus vitandus, ita quidem; ut ab eo, tanquam jurisdictionis actuali exercitiô privato, *c. 1. de Offic. Vicar. in 6.* lata sententia & cætera acta judicialia irrita sint, *c. Ad probandum 24. de Sent. & rejudic.* ubi sententia cassata est; quòd lata fuerit à pluribus delegatis, quorum unus excommunicationis censurâ publicè fuerat irretitus. Ab excommunicato non vitando & tolerato, si ab aliis Fidelibus requiratur, judicantis officium licitè: &, si non requiratur, dummodo per partis exceptionem non repellatur, saltem validè exerceri, ex *c. 1. §. fin. de Sent. Excom. in 6.* cum Navarro *Manual cap. 27. n. 21.* Covarruvia *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 9.* & aliis desumit Suarez *de Censur. disp. 11. s. 4. n. 9.* Ratio est; quia Ecclesia hôc ipsô; quòd cum hujusmodi excommunicatis communicationem cæteris Fidelibus permittat, in illis conservare debet jurisdictionem excommunicato judici necessariam; ut ejus officium alii utiliter valeant implorare.

Secundò, Minor viginti annis, *c. Cùm Vicesimum 41. de Offic. delegati:* nisi à Principe vel alio Magistratu supremo ex certa scientia sit datus, vel in eum octodecim annis majorem partes, ætatis scientiam habentes, consenserint, *c. cit.* 66.

Tertiò, Jurium rerúmque imperitus, *Novell. 82. cap. 1.* Cùm enim judex causas in judicium deductas, non suô arbitriô, sed secundùm leges & Canonicas sanctiones, locorum statuta & consuetudines debeat decidere, *can. Judices, 3. q. 7. & pr. Instit. de Offic. judic.* Jurium istorum rerúmque notitiam habere oportet eum, qui in se partes judicantis suscipit: aut saltem sibi associatos habere Assessores, vel alios eorum peritos, quorum consiliô ad judicandum & causas decidendas instruatur, & operâ adjuvetur, *l. 1. C. de Assess.* Glossa *in c. Statutum 11. V. Indigeat, de Rescript. in 6.* & Speculat. *Tit. de Assess. §. & n. 1.* Zoesius *in hanc Rubric. num. 25.* 67.

Quartò Religiosi; ut officium judicis in se suscipere nequeant, nisi de licentia Prælati, eam concedentis ex causa utilitatis Monasterii: qualis causa indirectè foret, si Prælatus prudenter judicaret, Monasterio expedire; ut judicandi potestatem Religioso subdito suo committentis voluntati annuat. Sine tali autem causa & licentia judicis officium Religioso non permissum, apertè desumitur ex Concilii Tarraconensis *can. 11.* relato *can. Monachi 16. V. Similiter, 16. q. 1.* & Monachis disertè vetante, *Ut nullus eorum forensis negotij susceptor vel executor existat; nisi quod Monasterij expoſcit utilitas, Abbate sibi nihilominus* 68.

imperante: quod Synodale decretum Innocentius III. iisdem verbis innovavit, *c. Ex parte 2. de Postulando*; cum enim Forense negotium vel maximè sit officium judicantis, hujus sine Abbatis sive similis Superioris licentia susceptio vel maximè interdicta intelligitur Monachis, & cæteris quoque Religiosis, *c. Ex parte cit.* Unde tamen

69. Dubium nascitur, an Religiosi, judicantis officium sine Prælati licentia suscipientis sententiæ aliáque acta valida sint. Ea certè valore destitui, cum Decio *Consil. 494. à num. 9.* Alciato *de Præsumpt. Reg. 3. præs. 15. n. 3.* & aliis non obscurè sustinent Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 65. art. 3* & Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 13. n. 69.* eâ ducti ratione; quòd Religiosus æquiparetur servo, Felin, *in c. Parochianos 9. de Sent. excom.* & Gomez *in §. Actiones 10 Instit. de Actionibus n. 22.* à quo lata sententia aliáque acta in judicio, communi circa ejus conditionem errore secluso, invalida, *l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prælat.* & arbitrium quoque nullum est, *l. Pedius 7. §. 1.* ibi, *Quamvis servi arbitrium nullum sit, ff. de Recept. arbitr.* Sed hanc Religiosi cum servo æquiparationem non perpetuam, eíque in proposita judiciorum & arbitrii materia locum non esse, inde satìs liquet; quòd officium judicis & arbitrium quoque etiam cum consensu domini & pro istius utilitate in servum non manumissum non cadant, *arg. l. Barbarius cit.* quô tamen modô in Religiosum ea cadere, planum est ex *can. Monachi cit.*

Quare Religiosi, sine Prælati licentia officium judicis suscipientis, acta, latámque ab eo sententiam & arbitrium Jure subsistere, cum Alex. de Nevo *in c. Quintavallis 23. de Jurejurando n. 105. differens* 12. Corneo *Vol. 2. Consil. 2. n. 7.* & aliis verisimiliùs sustinet Pacianus *Consil. 162. num. 27.* Ratio est; quia, ea irrita esse, ullo Jure non est expressum: & ex actûs prohibitione simplici ejus nullitas legitimè non infertur; cùm *Multa prohibeantur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem*, textus est *c. Ad Apostolicam 16. de Regular.* cui consonant *c. Ex literis 2. in fine & c. Unic. de Voto in 6.* Confirmatur; quia Religioso interdictum est officium tabellionis, *c. Sicut 8. Ne Clerici vel Monach. & c. Ut Officium 11. §. Verùm, de Hæret. in 6.* quô textu id tanquam speciale quid Religioso permittitur ob favorem Religionis: uti & testamenti executio, *c. Religiosus 2. de Testament. in 6.* & tamen, à Religioso, qui in seculo tabellio fuit, confectum testamentum valere, cum Angelo *in l. Prætor ait 4. §. fin. ff. de Edendo* post *pr. &c.* ejúsque executionem testamentariam subsistere, cum *cit.* Paciano *num. 79.* Menochio *Lib. 2. præsumpt. 46. n. 14.* & aliis defendit *cit.* Sanchez *cap. 13. num. 44. & cap. 11. n. 54.* quòd sacri Canones, Religiosum à muneribus illis removentes, utantur terminis simplicis prohibitionis; quibus cùm etiam utantur, qui ei interdicunt officia judicis & arbitri, non est, cur de his non idem statuatur; cùm, in dubio pro actuum valore potiùs, quàm nullitate standum, moneamur, *ll. Quoties 12. ff. de Reb. dub. & de V. O.* Roland. *à Valle Lib. 3. Consil. 61. num. 26.* Tuschus *Practic. V. Actus, concl. 136. n. 41.* & Mantica *de Conject. ult. volunt. Lib. 12. c. 17. num. 13.*

Quintò, qui consimilem causam habet ei, cujus tractationem tanquam judex Delegatus vel Ordinarius est susceptus, 70.
c. Causam, quæ 18. cujus textu relatô rescriptô Apostolicô ad causam delegati Ecclesiæ Parisiensis Archidiaconi, quòd illi *Similem penè causam seu controversiam ipse haberet*, recusatio ab Innocentio III.

approbata,

approbata, eíque tanquam meritò ſuſpecto ejusdem Eccleſiæ Decanus fuit ſubrogatus. Ratio prompta eſt; quòd veriſimilis præſumptio ſit, judicem in cauſa, ſuæ cognitioni commiſſa, ita judicaturum, ſicut ab aliis judicari vellet in conſimili ſua: &, quod tanquam pars litigans æquum juſtúmque exiſtimat in ſua, id æquum juſtúmque judicaturus ſit in cauſa aliena; ne ſibi contradicere, & aliò in alium, quàm in ſe ſtatuit, Jure uti videatur, contra Regulam *c. Omnes 6. de Conſtitut. in 6.* Panormit *in c. Cauſam, quæ cit. in fine, cit.* Maranta *p. 6. Actu 2. num. 46.* & Barboſa *in Select. in c. cit. n. 4.*

71. Sextò, qui in cauſa aliqua advocatum egit, in eadem judicem vel aſſeſſorem agere nequit, *arg. l. fin. C. de Aſſeſſ.* cùm de improbitate meritò ſuſpectum ſe reddat, qui judicare vel judicanti aſſiſtere vult in cauſa, cujus antè ſuſcepit defenſionem; quòd, ne ſe ipſum confundat, adverſus ea, quæ antè tanquam juſta defendit, non pronuntiaturus aut ſuaſurus præſumatur, Zoeſius *ad hanc Rubric. n. 27.* & Bruneman *in l. cit. n. 1.*

72. Dubium eſt, an quis ergo judex eſſe nequeat in propria cauſa. Propria autem ex ſententia Ulpiani *l. 1. §. 11. ff. Quando appell. ſit & can. Biduum 29. §. Si quis 2. q. 6.* ea cauſa dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet; ut in propria cauſa judex quis eſſe intelligatur, ſi judicantis partes aſſumat in cauſa ſeu controverſia, in qua pro una parte lata ſententia ad ipſius rerum juriúmque honoris atque exiſtimationis incrementum: & lata pro altera ad ipſius rerum juriúmque jacturam vel honoris atque exiſtimationis diminutionem tendit. Quò præmiſsò

73. Propoſitam dubitationem DD. paſſim reſolvunt auxiliò diſtinctionis inter judices; vel enim, inquiunt, iſte ſupremus, ut Papa & alii Principes & Magiſtratus, ſuperiorem ſaltem in temporalibus non recognoſcentes, ſunt: vel hujusmodi ſupremò inferior eſt?

Si prius, ipſi de cauſa, inter ſe & ſubditum ſuum controverſa, cognoſcendi ac pronuntiandi poteſtatem adſtruunt, ex *c. Cùm Veniſſent 12.* ubi quæſtionis, ſuper Sedis Apoſtolicæ privilegiis ortæ, cognitio ſumma illa Sede inferioribus denegatur: & ex *l. Et hoc 41.* juncta Gloſſa *Marg. ff. de Hæred. inſtit. & l. Unic. C. Si quis Imp. maledix.* quarum priori Tiberius Imp. in propria cauſa ſententiam dixit: ex poſterioris reſcripto, ſi quis improbò petulantíque maledictò Imperatorum nomina laceſſiverit, cauſa ad Impp. referenda eſt; ut, nocentis dictis penſatis, an diſſimulandò prætermitti, vel ad pœnam trahi debeat, ipſi cognoſcant. Ratio fundatur partim in ſublimitate & plenitudine poteſtatis, alteri non ſubjectæ: partim in præſumptione; quòd Princeps aliúsve ſupremus Magiſtratus tanquam legum Conditor Cuſtósque & Vindex juſtitiæ nihil niſi æquum juſtúmque ſit pronuntiaturus, Gloſſa *in c. cit. V. Judicari, ubi* Joan. Andr. *n. 6.* & Decius *n. 5.*

Neque hanc reſolutionem convellit, aut difficilem reddit; quòd de judicii ſubſtantia ſint tres perſonæ, *c. Forus 10. de Verb. Signif.* caſu autem, quò Princeps de cauſa ſe inter & ſubditum controverſa ipſe cognoſceret, præter ipſum & collitigantem ſubditum nemo interveniret; quia perſonarũ ternarius præſcriptus eſt Jure poſitivo humano: quò cùm ſuperior ſummus Princeps ſit, *l. Princeps 31. ff. de LL. & Novell. 105. cap. 2.* ipſi judicis ſimul & actoris vel rei partes ſuſtinenti *c. Forus cit.* eíque ſimiles textus non obſtabunt.

Rectè tamen *in c. Cùm veniſſent cit.* 74. Laiman *n. 2.* monet, conſultiùs & ratio-

in natu-

ni naturali conformiùs Principes aliósque Magistratus supremos acturos, si inter se & subditos suos ortarum controversiarum cognitionem definitionémque arbitris, vel constitutis judicibus inferioribus committant, juxta *l. Si adversus 2. C. Si adverſ. fiscum*, & praxim modernam, quâ lites eorum fiscales ab iis, qui fisco aut Cameræ Principis præsident, per sententiam definiuntur.

75. Si posteriùs, & judex inferior est, eum in causa propria judicantis partes assumere volentem neque ipsum Jus *l. Unic. C. Ne quis in sua causa judicet &c. l. Qui jurisdictioni 10. ff. de Jurudict. & can. Inter querelas 27.* juncta Glossa *V. Propria, 23. q. 4.* neque ratio permittit; quòd in propria causa jus dicens, propter naturalem affectionem ad eam, meritò sit suspectus. Eadem, quæ hujusmodi judicis, ratio est arbitri; cùm propter affectionem & ex illa ortam suspicionem in causa propria, sicut judex, *l. Unic. cit. &c.* sic & arbiter quis esse nequeat, *l. Si de re sua 51. ff. de Recept. arbitr.* adeò; ut arbitrium, prolatum in causa propria, invalidum sit, Glossa *in l. cit. V. Imperare, & in c. Cùm venissent cit.* Decius *ad finem.*

Verùm hoc Regulare duntaxat; non perpetuum est; cùm non desiderentur, imò plures sint casus, quibus inferior judex legitimè procedit in causa, quæ ipsiusmet est, aut esse videri potest. Veluti

76. Primò in iis, quæ sunt jurisdictionis Voluntariæ; nam inhis, ut quis publicam simul & privatam personam sustineat, permittunt; cùm emancipari & in adoptionem dari quis apud seipsum possit, *l. Si Consul. 3. ff. de Adoption. & l. Apud filium 18. ff. de Manumiss. vind.* &, qui dispensandi potestate præditi sunt, in omnibus casibus, in quibus cum aliis, etiam secum valeant dispensare, per tradita à Felino *in c. Præterea 2. de Spons. & Matrim. n.* 20. & Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 12. num. 8.* Sic & Nobilis jurisdictionem habens coram Actis sui judicii validè testatur, ut cum Hartman. Pistor. *p. 3. q. 9. n. 7.* notat Bruneman. *in l. Si consul. cit. n. 1.* rectè monens, consultum tutiúsque esse, Magistratum alium, vel assessores adhiberi: & *in l. Unic. ff. de Offic. Consul. n. 2.* excipiens Voluntariæ jurisdictionis actus, specialem causæ cognitionem exposcentes: sicut est confirmatio donationis excessivæ; cùm Jure invalida sit donatio, si quingentos solidos excedat & ipsi donatario insinuetur; quòd cognitionem causæ, & competentem judicem exposcat *l. Data 27. & l. Secundum 32. C. de Donat.*

Secundò, cùm factum vg. injuria, ipsi judici illata, notoria, & certa pœna lege vel consuetudine definita est. Ratio est; quòd, cùm hujusmodi pœnam in se notoriè delinquenti infligit, reipsâ Juris potiùs executor sit, quàm judex; atque idcirco causa suspicionis cesset, Panorm. *in c. Cùm venissent cit. n. 9. ibi*, & Layman *n. 3.* 77.

Tertiò etiam, si injuria judici quà tali, sive in ejus officii ac potestatis contemptum manifestè ac notoriè illata esset, in injuriantem in continenti procedere, eúmque delicti qualitati & circumstantiis commensuratâ, &, si ordinaria sive lege vel consuetudine definita desideretur, arbitrariâ pœnâ coërcere potest, *c. 1. de Pœnis in 6.* ubi relatô Innocentii IV. rescriptô Archiepiscopo provinciam suam visitanti in eos, qui non solùm ipsum, sed ejus quoque familiam & ministros, quos jurisdictione sua utendo per provinciam dimittit, injuriâ afficiunt, propriâ authoritate procedendi, eósque, si offensa manifesta & notoria sit, puniendi libera facultas adstruitur; ut, si ordinaria, quæ excessûs qualitati & circumstantiis ex æquo respondeat, lege statuta, vel consuetudine recepta non sit, arbitrariam im-

riam imponere valeat. Ratio est; quia, cùm talis injuria judicis non tam personam, quàm officium & potestatem respiciat, causa Ecclesiæ potiùs vel Reipublicæ, quàm judicis, & aliena potiùs, quàm propria videtur, Gaill. *Practic. Lib.* 1. *observat.* 39. *num.* 4. saltem, si pœna ad vindictam publicam & Ecclesiæ vel Reipublicæ læsæ satisfactionem tendat. Secus esset, si ea spectaret vindictam privatam & interesse ipsius judicis, & ab injuriante pœna vg. pecuniaria ipsius bursæ inferenda esset; tum enim in propria sua causa jus dicere videretur, *arg. l.* 1. §. 11. contra *l. Unic. cit.* Gaill. *cit. n.* 4. ut mox magis patebit.

79. Quartò enim Episcopus eíve similis Prælatus judex esse potest in causa suæ Ecclesiæ. Qua tamen in re opus est distinctione; vel enim causa principaliter & directè spectat ipsam Ecclesiam & dignitatem Episcopalem, vel ipsius Episcopi eíve similis Prælati personam ? Si priùs, causæ cognitio definitióque ipsi adstruitur à Glossa *in c.* 1. *cit. V. Punire:* licet, propter ipsius cum Ecclesia sua conjunctionem & ex ista ortam singularis affectionis præsumptionem, tanquam suspectus recusari valeat, *arg. c. Insinuante* 25. *de Offic. deleg.* Panormit *in c. Cùm venissent cit. n.* 10. Si posteriùs, & causa principaliter ac directè personam, imò etiam si ipsius mensam ita spectet, ejus sive principaliter, sive incidenter in judicium deductæ cognitionem, cum Glossa *cit.* ipsi meritò negat *cit.* Panormit. *n.* 9. quòd, cùm ejus emolumentum vel damnũ ad ipsum suo nomine pertineat, causa ejus propria apertè; ac proinde locus sit Regulæ *l. Unic. cit.*

80. Quintò in causa competentiæ sive, quando judex rationabiliter dubitat, an jurisdictio, quam habet, se extendat ad causam perlatam ad suum tribunal, *l. Ex quacunque* 2. *ff. Si quis in Jus vocatus*, Gaill. *cit. Lib.* 1. *observat.* 34. *n.* 1. Ratio est; quia Prætoris sive judicis est, æstimare, an sua sit jurisdictio, *l. Si quis ex aliena ff. hâc Rubric.* Cujus ratio ulterior est partim; quia hujusmodi cognitio, licet propriæ similis, revera tamen propria causa non est, cùm ejus commodum & utilitas ad judicem non pertineat, ut cum Glossa *in l. cit. V. Æstimare* & Felino *in c. Super literis* 20. *de Rescript. n.* 18. advertit Petr. Barbosa *in l. Si quis in aliena cit. n.* 112. partim verò; quia prævia ejusmodi cognitio necessaria est, ut judicandi munere ritè fungi possit.

Excipiendi tamen hôc locô sunt casus Imprimis, quô judex, cujus jurisdictio dubia est, ex causæ cognitione notabile emolumentum vg. magnæ quantitatis sportulas est percepturus; cùm enim propter tale emolumentum causam, an sua sit jurisdictio, ipsius quoque propriam esse, planum sit, *ex l.* 1. §. 11. *& can. Biduum* §. *Si quis citt.* locus est Regulæ *l. Unic. C. Ne quis in sua causa judicet &c.* atque idcirco vel recurrendum ad superiorem, vel dubii definitio arbitris, mutuo consensu electis, committenda erit, ut cum Bartolo *in l. Quidam* 57. *ff. de Rejudic. n.* 3. & Felino *in c. Super literis cit. n.* 28. advertit *cit.* Barbosa *n.* 113. Deinde, quô judicis jurisdictio istiúsque actuale exercitium dubium redditur objectione defectûs, suggillantis ipsius personam vg. quòd excommunicatus, infamis, aut jurisdictionis incapax sit; cùm enim tali objectione æstimatio ipsius personæ in discrimen adducatur, & provocetur ad indignationẽ, de defectu cognoscere, propter justam suspicionem ipse non valebit, sed vel ad superiorem, vel ad arbitros erit recurrendum, ut idem Barbosa *num.* 22. advertit cum *cit.* Felino *n.* 12. & Gaill. *cit. observat.* 34. *n.* 6.

81. Dubium secundò, & maximi in utroque, Seculari atque Ecclesiastico, & interno quoque sive Conscientiæ foro momenti controversia est, de judice solùm existimato, sive carente jurisdictione, aut eâ, quam habuit, quacunque ex causa privato: à quo acta, & præsertim latæ sententiæ, an valida sint, dubitandi ratio est Primò; quia ejus acta invalida essent, si error non interveniret: error autem ea valida reddere, & jurisdictionem non habenti tribuere nequit, cùm; quòd absurdum sit, jus, quod æquum bonúmque est, ex erroribus nasci: tum verò; quòd jurisdictionem ei conferre privati coram ipso litigantes non possint, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdict. omn. judic.* &, si possent, ignorantes eam conferre non censerentur, propter defectum consensûs, quem ignorantia & error tollit, *l. Consensisse 2. ff. hâc Rubric.* neque etiam eam conferat Superior; quia iste sæpe in impedimento, jurisdictionem tollente, dispensare non potest: &, si possit, ignarus propter defectum consensûs etiam ipse dispensare non censetur, *arg. l. cit.* Secundò; quia, licet ejus acta & sententia valida sint de Jure Civili & in foro Seculari: aliter tamen rem se habere de Jure Canonico & in foro Conscientiæ interno, non obscurè traditur, *c. Dudum §4. pr. V. In suæ quoque, de Elect.* ubi à clerico in parochia, per assecutionem alterius beneficii incompatibilis ipsô Jure amissâ, Sacramenta administrante, parochianorum animæ *damnabiliter deceptæ & dispendium passæ* dicuntur: quod, si istas ligandi atque solvendi potestatem propter populi errorem retinuisset, & ab eo collatæ absolutiones validæ fuissent, quomodo dici potuerit, non apparet, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Deceptæ*, notat Imola *n. 4.* Tertiò; quia, si, errore circa judicem & jurisdictionem interveniente, absolvendô & condemnandô latæ sententiæ subsisterent, vix unquam, imò nunquam invalidæ forent, propter defectum jurisdictionis; cùm in foro, tam interno quàm externo, jus sibi dici ab eo, qui jurisdictione caret, nemo petat: nisi, qui eum istâ carere, aut privatum ignorat, ut circa ejus personam erret, & propterea ejus sententiæ, si ab errore vires acciperent, ferè aut semper validæ forent. Quartò demum; quia, si error communis tribuat jurisdictionẽ, validæ essent absolutiones, collatæ à clerico non sacerdote, imò laico & fœmina: si errore aliquo pro sacerdotibus haberentur, quod est contra DD. & ipsius Ecclesiæ sensum communem.

82. Sed rationibus istis prævalent decisiones Juris utriusque, ejusmodi probabili errore existimati judicis actis ac sententiis valorem diserte adstruentis, *l. Barbarius 3 ff. de Offic. Prætor & §. Veruntamen* post *can. Infamis 3. q. 7.* relatô, & indubitati Canonis instar usu receptô: quibus textibus à servo, cùm putaretur liber & ordinarii vel delegati judicis munere fungeretur, lata sententia & cætera acta pro validis habentur. Idem desumitur ex decisione Innocentii III. *c. Ad probandũ 24. de Sent. & re judic.* cassari, sive cassam & irritam declarari, Glossa *ibi V. Cassata*, sententiam præcipientis; *Quòd unus ex delegatis judicibus, qui eandem protulerunt sententiam, excommunicationis vinculô esset publicè innodatus.* Unde à contrario ductô argumentô legitimè infertur, sententiam cassam sive irritam declarandam non fuisse, si ejus excommunicatio publicè nota non fuisset, Glossa *in c. cit. V. Innodatus*, ubi Panormit. *n. 14.* Alex. de Nævo *n. 25.* & Barbosa *n. 8.* Ratio est; quia tali casu Respublica vel Ecclesia, propter necessitatem publicam supplet defectum jurisdictionis necessariæ ad actorum & sententiamur ju-

rum judiciialium, atque ipsarum etiam Sacramentalium absolutionum valorem; si enim populus Romanus aut Princeps judici tantùm putativo, cujusmodi Barbarius, utpote servus, erat, ut ejus acta valeant, jurisdictionem tribuit, *Propter utilitatem publicam:* quia, *Hoc humanius est*, ut habet textus *l. cit.* cur non etiam, imò multò magis eam tribuet Ecclesia, quæ multò esse humanior in fideles, & publico animarum bono multò sollicitiùs prospicere censetur, quàm ullus Princeps
83. aut potestas Secularis.

Dixi, errore *Probabili*, non crasso & supino; cùm enim hujusmodi error sive ignorantia scientiæ æquiparetur, *c. Ut animarum 2. de Constitut. in 6.* à judice per crassum & supinum, uti etiam ex liquidi & manifesti Juris ignorantia provenientem errorem gesta non subsistent, *arg. l. Juris 7. &c. ff. de J. & F.* Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 22. num. 8.* & Lud. Schildere *de Princip. form. conscient. Tract. 2. cap. 3. n. 36.*

Errore autem probabili existimati judicis actorum & sententiarũ valori non officiunt contra hunc congestæ rationes.

Prima; quia illi jurisdictionem Ecclesia aut Respublica tribuit favore, non tam ipsius erroris, quàm publicæ Necessitatis aut Utilitatis: cui, communi ejusmodi errore interveniente, ita consuli Reipublicæ in subditos, & præsertim Ecclesiæ in fideles benignitas & sollicitudo persuadet.

84. Altera; quia *V. In suæ quoque cit.* textus varias & cum nostra sententia minimè pugnantes habet interpretationes: & Zoesius quidem *in l. Barbarius cit. num. 16.* cum Sanchez *disp. cit. n. 14* jurisdictionis defectum notorium asserit fuisse; ac proin communem populi errorem non interveniss̃e. Panormit. *in c. cit. num. 2.* ait, animas dici deceptas, quantùm erat ex parte Parochi, ipso Jure Parochiâ privati: non in effectu; cùm revera absolutiones fuerint validæ, *arg. l. & §. cit.* Demum Pontius *Lib. 5. de Matrim. cap. 19. num. 10.* & Gonzalez *in c. Dudum cit. num. 6.* negant *V. In suæ cit.* contineri Jus commune; cùm eô decepti & animarum dispendium passi fideles dicantur à parte solummodo litigante: non à summo Pontifice, super causa proposita pronuntiante; ut locus sit doctrinæ traditæ in *Proœmio n. 98.*

Tertia; quia, ut defectus jurisdictionis suppleatur, non sufficit error unius vel aliquot personarum particularium, sed debet esse communis illius loci, in quo judex duntaxat existimatus jus dicit; quia suppletur propter utilitatem publicam, ut valida sint acta ab eo, qui pro judice publicè habetur, ut ex communi DD. sensu *citt.* Sanchez *num. 9.* & Pontius *n. 4.* observant. 85.

Postrema; quia Respublica & Ecclesia tantùm supplent defectum ejus, quod suæ potestati est subjectum, ut colligitur ex *l. cit.* verbis, *Cùm Populus Romanus etiam Servo potuisset dare hanc potestatem:* cujusmodi est jurisdictio, quam dare potest & auferre: non etiam Ordo Sacerdotalis & sexus virilis, uti etiam usus rationis, ad sententiæ cujuscunque & absolvendi intentio, ad Sacramentalis absolutionis valorem requisita Jure Naturali vel Divino, *citt.* Sanchez *num. 27.* Pontius *n. 5.* & Zoesius *n. 18.* Ex his 86.

Aliud & magis ancipitis Resolutionis dubium exurgit, an, ut ab existimato judice in utroque foro gesta valeant, necessarius ei sit titulus coloratus, hoc est, à legitimo superiore, quamvis invalidè, collatus, aut postea extinctus; hunc enim ad illorum valorem omnino necessarium esse, cum Innocentio *in c. Nihil 44. de* 87.

Electione, Joan. Andr. *n.* 28. & plurimis præcipui nominis Interpp. ac DD. volunt Navarrus *Manual. cap. 9. num.* 11. Covarruvias *Pract. cap.* 18. *n.* 9. & *cit.* Sanchez *num.* 49. quibus apertè favent *l. Barbarius* & §. *Veruntamen citt.* textus: quorum posteriori servi sententia sustinetur; quòd data sit *Ex delegatione*, sive legitimi superioris commissione; priori Barbarii Philippi acta non reprobantur, quòd Præturam acceperit à Populo Romano, *Qui etiam servo potuit decernere hanc potestatem.* Ita, si verborum cortici inhæreamus, omnino verè laudati DD.

88. Neque tamen, si *l. cit.* mens & ratio attendatur, improbabilis, ut eam *cit.* Sanchez vocat: sed probabilior est, &, ut Fulgosus adversarius *in l. cit.* loquitur, in consulendo & judicando locum habet doctrina *cit.* Pontii *cap. 20. num. 3.* Schildere *cit. cap. n. 42.* Dianæ *p. 3. Tract. 4. resol.* 122. *& alibi*, Gobat *Experient. tract. 7. num. 108.* aliorúmque RR, qui cum Felino *in c. 1. de Fide instrument.* & Panormit. *in Clement. Dudum 2. de Sepult. num. 25.* valorem adstruunt actis judicis existimati, quantumvis is careat titulô coloratô; quòd ratio, cur à Barbario acta *l. cit.* reprobata non sint, ea fuerit; quòd ex una, de causa bonóq; publico & multorum, quæ gestorum revocatio secum traheret, malorum atque incommodorum evitatione ageretur: ex altera verò parte, Prætura Barbario (Manumisso) decerni potuisset, idque humanius sit. Quæ ratio æquè militat casu colorati tituli absentis.

Confirmatur partim ex *l. 1. C. de Testament. & Novell. 44. cap. 1. in fine:* quorum textuũ priori testamenti valori non officit; quòd in eo adhibitus sit testis servus: dummodo illius conditi tempore communi errore pro libero sit habitus: quantumvis non ab eo, cujus rogatione adhibitus est, sed à solo Principe ad id munus potuerit habilitari: posteriori acta plurium sibi substitutorũ à Tabellionibus sustinentur: etsi Tabelliones unum duntaxat sibi substituendi habuerint potestatem; ac proinde ultra unum substituti non habeant titulum coloratum: partim verò; quòd, jurisdictionem sine titulo colorato acquiri posse, negari nequeat, & satis pateat ex consuetudine & præscriptione, illam sine isto tribuentis, *c. Cùm contingat 13. de Foro compet. c. Auditis 15. c. Cùm olim 18. de Præscript. &c.*

Unde planè corruit adversæ partis fundamentum: & valdè probabiliter 89.

Infertur primò, valida esse acta Episcopi & alterius Prælati, cujus electio, propter quodcunque humani Juris impedientum fuit nulla, si ejus nullitas publicè ignoretur: uti etiam absolutiones Sacramentales, collatas à Sacerdote & coram eo celebrata matrimonia, si pro legitimo parocho communiter habitus fuit: licet revera per intrusionem parochiam sit consecutus, vel ad animarum curam ab Episcopo nunquam fuerit approbatus, Pontius & Gobat *l. citt.* Secundò, eadem acta, sententias & absolutiones subsistere, quantumvis Episcopus vel alius Prælatus excommunicatus, suspensus, vel jurisdictione, aut ipsâ Prælaturâ & beneficiô aut officiô privatus fuisset, argumentô à contrariô illatô *ex c. Ad probandũ cit.* Zoesius *in l. cit. n.* 14. Tertiò, eadem valitura, quantumvis impedimentum unus aut alter sciviſſet: modò ii, à quibus gesta sunt, pro veris judicibus communi errore habiti sint; quia leges non privatam, sed communem existimationem attendunt, ut cum Glossa *in l. cit.* notat Zoesius *num.* 12. Unde tamen non sequitur, à Sacerdote, jurisdictione carente, validè absolvi eum, qui impedimenti

pedimenti conscius ab eo extra articulum mortis petit absolutionem; cùm talis peccaminosâ suâ petitione, indéque ortâ indispositione, obicem ponat validæ administrationi Sacramenti, *citt.* Sanchez *n.44.* & Pontius *cap. 19. n. 18.*

ARTICULUS IV.

Quomodo Judicium finiatur aut reddatur Nullum.

SUMMARIUM.

90. *Judicij instantia inchoatur litis contestatione.*
91. *Finitur lata sententia definitiva,*
92. *Absolutione ab observatione judicij*
93. *Et, Jure Civili, plerumque lapsu biennij vel triennij,*
94. *Quoad acta Ordinatoria judicij:*
95. *Non etiam quoad Probatoria.*
96. *Coram judice incompetente acta non probant coram competente,*
97. *Indicium tamen faciunt & præsumptionem.*
98. *Acta Probatoria coram competente in alio quoque,*
99. *Etiam diversi ordinis judicio probant:*
100. *Nisi hoc agitetur inter alias personas*
101. *Vel ad diversum finem tendat.*
102. *Quam, ut fidem in Ordinario Summarij,*
103. *Et possessionis momentaneæ judicij acta faciant.*
104. *Quam coram arbitratore,*
105. *Et coram arbitro acta in judicio:*
106. *Quam Secularis judicij acta in Ecclesiastico judicio & vicissim faciant.*
107. *Instantia biennio & triennio non finitur de Jure Canonico,*
108. *Etiam post Concilium Tridentinum,*
109. *Et spectata praxi Tribunalium.*
110. *Nullum sit Judicium ex defectu competentiæ,*
111. *Personarum litigantium &c.*
112. *Ex defectu solemnitatis:*
113. *Et ex Judiciarij Ordinis perversione,*
114. *Nullitates pleraque in Rota Romana,*
115. *Et Camera Imperiali non attenduntur.*

JUdicium, vel potiùs Instantia Judicii inchoatur litis, inter partes litigantes, coram Judice competente factâ contestatione, *l.* 1. junctâ Glossâ *V. Judicio capto & l. Properandum 13. C. hâc Rubr.* & in causis, istam non poscentibus, cæptâ causæ istiúsque meritorum discussione: sive illo actu, qui in aliis causis primus post litem contestatam, sive immediatè post hanc fieri solet; cùm enim talis actus vim habeat litis contestationis, istius instar inchoabit instantiam, & judicium inter partes firmabit, Panormit. *in c. Venerabilis 2. à n. 22.* Bartol. *in l. Nulla 20. C. de Procurat. n. 3.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 5. n. 44.* 90.

Legitimè inchoata Judicii Instantia finitur sententiâ Definitivâ; hâc enim latâ judex officio suo est functus; ut quoad causam, super qua pronuntiavit, judex desinat esse, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* & sententia ipsa, si intra decendium non appelletur, transeat in rem judicatam, & mandanda sit executioni, *can. Sicut 2. q. 1. c. Quoad consultationem 15. de Sent. & re jud. & Auth. Hodie C. de Appellat.* Si verò appellatione ab ea interpositâ provocetur ad superiorem, coram isto super eadem causa nova, quæ Secunda dicitur, Instantia inchoetur, *c. Dilectis 55.* junctâ Glossâ *V. Principale, de Appellat.* 91.

92. Ante sententiam definitivam & sine ista judicii Instantia duobus modis finitur aut perit.

Unô per sententiam Interlocutoriam, quâ litigantium alter absolvitur ab observatione judicii: quod fieri solet, si vg. in progressu litis appareat, libellum ineptè formatum ab actore, sicut factum est *c. Examinata 15.* ubi ab actore rei vindicatio proposita fuit pro restitutione rei incorporalis, scilicet juris Patronatûs: & quam non à reo, sed ab ipso actore possessam, ex legitimis testium depositionibus constabat; cùm Rei Vindicatio non à, sed adversus possessorem: & pro rebus incorporalibus non ipsa, sed actio Confessoria vel Negatoria fuisset proponenda, §. *1. V. Neque & §. Æquè 2. Instit. de Actionibus*, Panormit. *in c. cit. n. 5. & 22.* Joan. Andr. *ibid. n. 4. In progressu*, inquam; quia, si inepti libelli, ab actore propositi, vitium apparuisset, vel oppositum in principio fuisset, ante litis contestationem à judice fuisset rejiciendus, ut *arg. c. 1. de Offic. Vicar. in 6.* in *c. Examinata cit.* notant Innocentius *n. 2.* & Panormit. *n. 21.* Simili modô, si post litem jam contestatam, reô ad præfixum terminum comparente, actor contumaciter absens causam non prosequatur, in potestate rei est, petere, ut absolvatur ab observatione judicii: vel, si, testibus aliisque probationibus receptis, de causa liqueat, ad sententiam definitivam, pro reo vel pro actore ferendam, procedatur, ut *Tit. 14 à n. 31.* pleniùs trademus. Si ante litis contestationem, actore in termino peremptorio non comparente, compareat reus, & illius absentis contumaciam accuset, ab observatione judicii latiùs accepti absolvitur: vi cujus absolutionis, non quidem Instantia, utpote nondum inchoata, sed citatio perimitur; ut actor perinde, ac si ipsa instantia propter ejusdem contumaciam post litis contestationem peremptа fuisset, non nisi refectis expensis audiatur, Maranta *cit. num. 49.*

93. Alterô modô judicii Instantia finitur & perit, si in causa Civili intra triennium: in Criminali, sive per Accusationis, sive per Inquisitionis viam procedatur, intra biennium, à litis contestatæ die computandum, non perveniatur ad sententiam definitivam, *l. Properandum cit. pr.* quâ tamen Fiscales & ad publicas exactiones ac tributa pertinentes causæ excipiuntur. Rationem Imp. reddit; *ne lites fiant penè immortales & vita hominum modum excedant.* Excipi tamen, præter Fiscales, solent causæ, agitatæ in Consistorio sive supremo tribunali ipsius Principis: & casus, quô ab isto instantiæ terminus prorogatur: uti etiam, quô rei conventi subterfugiis & cavillationibus impedimenta objiciuntur, quô minùs intra triennii terminum ferri queat sententia definitiva, & contra illa protestatio interponitur ab actore; his enim & nonnullis aliis casibus sententiam etiam post triennii lapsum ferri posse, aliis DD. laudatis tradit Maranta *cit. p. 5. à n. 15.*

94. Extra quos casus, Civili Jure spectatô, si judicium ad finem intra terminum illum non perducatur, instantia pro non facta habetur, quoad omnia acta judicii, sive pertinentia ad ejus Ordinationem, ut sunt oblatio libelli, citatio, litis contestatio, iuramentû calumniæ, satisdatio, terminus probatorius & similes actus, *l. Properandû cit. §. 2.* ac proinde actor, si litem instaurare velit, novam instantiam à nova libelli oblatione &c. debet inchoare, Felinus in *c. Causam 13. de Test. & attest. n. 22.* Panormit. *ibid. n. 8. cit.* Marant. *n. 54.* & Honorius *ad hanc Rubricam n. 40.*

95. Alia ratio est actorum ipsius causæ, sive tendentium ad indagandam veritatem, & inter litigantes controversæ quæstionis

ſtionis deciſionem definiendam: ut ſunt illorum confeſſiones, depoſitiones teſtium, inſtrumenta & cætera acta Probatoria; hæc enim, etſi in cauſis criminalibus etiam ipſa caſſentur, ut ex iis agi ampliùs non poſſit, Mynſinger *Centur. 3. obſervat. 50.* in Civilibus tamen cauſis non pereunt; ut novâ inſtantiâ inchoatâ in vim probationis confeſſiones & atteſtationes receptæ & publicatæ, ceteráque huiusmodi inſtantiæ peremptæ acta Probatoria fidem faciant, Gloſſa *in Clement. Saepe 2. V. Defenſiones, de V.S. citt.* Felinus *n. 27.* Maranta *n. 55.* & Honorius *l. cit.*

96. Dubium & perutilis in praxi quæſtio oritur, an acta cauſæ ſive Probatoria unius iudicii fidem faciant in alio.

Non quidem, ſi acta ſint coram iudice incompetente, cuius iurisdictio non potuit prorogari; talia enim coram competente iudice fidem non facere, explora.. tum eſt adeò; ut ex ſua etiam confeſſione, coram eiusmodi incompetente facta, reus condemnari ac puniri à competente iudice non poſſit, ex percelebri reſcripto Alexandri III. relatô *c. At ſi clerici 4.* cuius principium eſt, *At ſi clerici coram ſeculari iudice convicti fuerint vel confeſſi de crimine, non ſunt propterea à ſuo Epiſcopo condemnandi; ſicut enim ſententia à non ſuo judice lata non tenet: ita nec confeſſio coram ipſo facta.*

97. At, licet hoc omnino exploratum, & ex tali confeſſione rei condemnatio ac punitio ſequi non poſſit, non omni tamen effectu adverſus confeſſum caret; cùm enim ea, ſi non metu tormentorum, aut alia vi extorta, ſed ſponte facta ſit, legitimum faciat indicium ac præſumptionem criminis, ita confeſſus à competente iudice citatus, imò comprehenſus quæſtioni ſubiici, & ad criminis, quod coram iudice incompetente, ac proinde merè extraiudialiter confeſſus fuit, iudicialem confeſſionem coram competente faciendam compelli poteſt; cùm, ut *l. Generaliter 13. in fine, C. De non numer. pec.* Juſtinus Imp. ait, *Nimis indignum ſit, quod ſua quisque voce dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare teſtimonióque proprio reſiſtere,* Panormit. *in c. cit. n. 15. ubi* Beroius *à n. 124.* Baiard. ad Clarum *§. fin. q. 21. à n. 132.* Deinde, quòd eiusmodi confeſſione ſponte factâ multùm læſa ſit clerici exiſtimatio, ex eáque aſſerti criminis vehemens ſuſpicio, apud probos etiâ ac prudentes viros orta, proin confeſſo indici aliquando poſſit purgatio Canonica: &, ſi in iſta deficiat, perinde ut legitimè convictus, puniri, ut *in c. cit.* cum Gloſſa *V. Condemnandi,* notat Decius *n. 8.* & *Lib. 5. tit. 34. n. 10.* ſtatuetur.

98. Sed, ſi acta ſint coram iudice competente. Qua in re multùm intereſt, an coram eo agitatæ cauſæ acta Probatoria ad fidem inter perſonas easdem vel diverſas, in ordine ad eundem vel diverſum finem producantur: agendi etiam modus idem vel diverſus ſit.

Primò enim eiusmodi acta unius iudicii, inter easdem perſonas earúmque hæredes ad eundem finem & effectum in alio iudicio legitimè producta, plenam fidem facere, doctrina eſt Innocentii *in c. Cauſam 11. de Teſt. & atteſt. n. 3.* diſertè aſſerentis, atteſtationes & omnia alia acta probatoria inter easdem perſonas earúmque hæredes & ſucceſſores valere, quando ad idem agitur: & fidem facere etiam in alio iudicio, tametſi ſententia lata non fuerit; ut vg. ſi quis per teſtes probavit, ſe dominum eſſe fundi, quem poſtea vendidit, producta teſtimonia valeant etiam ac proſint emptori: ſicut ei prodeſſet ſententia, ſi pro venditore lata fuiſſet. Cum Innocentio ſentiunt ex Interpp. *in c. At ſi clerici cit.* Panormit. *n. 12.* Decius *n. 15.* Alex. de Nevo *n. 33.* Laiman *n. 3.* Barboſa *in c. Cau-*

in c. Causam cit. n. 3. & ex aliis DD. Speculat. *de Jud. deleg. §. Restat. n. 10.* Gaill. *Practic. Lib. 1. observat. 103. n. 1.* Maranta *de Ord. jud. p. 5. n. 55.* Menoch. *Resp. remed. 1. n. 228.* Mascard. *de Probat. concl. 33. àn. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 96.* id desumentes ex *c. Causam cit.* ubi ex attestationibus, ab aliis iudicibus receptis, causam inter easdem personas agitatam debito fine terminandam, laudatus Alexander III. rescripsit, luculentô argumentô, attestationes & alias probationes in iudicio receptas plenam fidem inter easdem personas &, in eadem causa facere; cùm ex iis solis, si plenam fidem non facerent, causa legitimè terminari non potuisset.

99. Quæ resolutio procedit non solùm, si iudices eiusdem, sed etiam si ordinis sint diversi, ut sunt Ecclesiasticus & secularis, per textus *can. Multi, 2. q. 1. & c. fin. de Except. in 6.* quorum priori, ab Ecclesiastico iudice laicum à fidelium communione separari non posse, dicitur, *Nisi aut sponte confessum aut in aliquo, sive seculari sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum:* posterioris à Joan. Andr. reddita summa est, *Exceptio rei judicatæ per Ecclesiasticum judicem admitti debet in foro seculari, & è converso:* quod fieri non deberet, nisi acta probatoria causæ in uno judicio, inter easdem personas & ad eundem finem producta in alio, fidem facerent. Ratio est partim; quia judicis sententiâ, quæ transiit in rem judicatam, jus acquisitum est parti, *c. Cùm inter 13 de Sent. & re jud. & l. Ad solutionem 5. C. de Re judic.* quod alius judex lædere non debet: partim verò; quia Ecclesiasticus & Secularis, licet diversi ordinis judices sint, se tamen mutuò adjuvare, juráque mutuò tueri debent, *can. Principes, 23. q. 1.* Glossa *in c. 1. V. Publicum, de Offic. Ordin.* Quare, si ab Ecclesiastico promulgata in aliquem sit excommunicationis sententia, quam is observare contumaciter recusat, Secularis judex ab Ecclesiastico requisitus ei brachii sui auxilium exhibere, & contumaciter inobedientem ad censuræ observantiam & parendum Ecclesiæ mandatis compellere tenetur: & vicissim, si judex Secularis in aliquem tulit sententiam, cui is renuit parere, ab Ecclesiastico per Secularem requisito ad parendum, propositâ excommunicationis censurâ, compellendus est, saltem si ipsi exhibitis actis de justitia processûs reíque contumacia fides fiat. Quod etiam Secularis judex ab Ecclesiastico petere potest: nisi ut merus executor requiratur: sicut contingit, quando ipsius brachii auxilium contra clericum non degradatum, aut etiam contra laicum in causa merè spirituali & Ecclesiastica imploratur, *arg c. Ut inquisitionis 18. §. Prohibemus & c. Si judex 12.* ibi, *Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excom. utrobique in 6.* Panormit. *in c. 1. de Offic. Ord. n. 11.* Laiman *in c. At si clerici cit. n. 3. & cit.* Pirrhing *n. 95.*

100. Secundò, acta Probatoria, sive depositiones testium aliæque probationes à competente judice receptæ, plenam fidem non faciunt inter personas extraneas, sive à prioribus omnino diversas, respectu quarum non sunt receptæ, Bartol. *in l. A sententia 5. ff. de Appellat. n. 2.* & Panormit. *in c. Causam cit. n. 4.* sicut enim res inter aliquos judicata aliis omnino diversis personis regulariter non nocet, nec prodest, *c. Quamvis 25. de Sent. & re jud. & l. Inter 2. C. Quibus res judic. non noc.* sic testimonia aliæque probationes plenam fidem non faciunt inter personas, à quibus & contra quas allegatæ & receptæ non sunt. *Plenam,* inquam; quia negari non potest, ejusmodi acta probatoria inter diversas etiam personas aliqualem fidem, vel præsumptionem facere: sicut senten-

ſententia perſonis ab iis, inter quos lata eſt, diverſis aliquale præjudicium affert, ex mente *citt.* Bartoli *n.* 2. & Panormit. *n.* 3. Quâ de re pleniùs agetur *Tit.* 27. *art.* 5. *ad finem.*

101. Tertiò eadem acta Probatoria judicii unius fidem in altero non faciunt, ſi hoc tendat ad finem à priori diverſum, vel agendi modus varietur, ut *in c. At ſi clerici cit.* notant Panormit. *n.* 12. Decius *n.* 15. Alex. de Nevo *n.* 33. Gaill. *cit. obſervat.* 103. *n.* 3. Laiman *in c. cit. n.* 4. & Pirrhing *cit. n.* 96. qui id variis exemplis firmant ac declarant; ſic enim

Primò, acta probatoria in judicio Civili plenam fidem regulariter non faciunt in judicio Criminali, Panormit. *in c. Cauſam cit. n.* 5. Ratio eſt; quia in hoc eò ipsò, quòd de crimine ad vindictam publicam agatur, propter magnitudinem præjudicii, pleniores & luce meridiana clariores probationes requiruntur, *l. fin. C. de Probat.* Ex qua tamen ratione in Criminali judicio receptæ & ad rei condemnationem ſufficientes probationes plenam fidem faciunt in judicio Civili, ex eodem crimine inter easdem perſonas agitato, *cit.* Panormit. *n.* 6. Excipiendæ etiam ſunt confeſſiones; hæ enim in judicio Civili legitimè factæ plenam fidem etiam faciunt in Criminali, Panormit. *cit. num.* 5. Quod de aliis quoque Civilis judicii probationibus, ſi eæ omnino liquidæ & indubitatæ ſint, ſentiendum videtur, *arg. l. fin. cit.* Quod ſi non ita liquidæ, ad condemnationem tamē in Civili judicio ſufficientes ſint, licet non plenam, aliqualem tamen probationem ac præſumptionem faciunt in Criminali, Panormit. *cit. n.* 6.

102. Secundò, teſtimonia aliáque acta probatoria, recepta in judicio Summario, plenam fidem etiam inter easdem perſonas non faciunt in judicio Ordinario, *arg. c. Veniens 38. de Teſt. & atteſt. & l. Si judex* 10. junctâ Gloſſâ *V. Alimentorum ff. de His, qui ſui vel alien. jur.* Felinus *in c. cit. n.* 19. *citt.* Panormit. *n.* 6. Gaill. *n.* 3. & Pirrhing *n.* 66. Ratio eſt; quia variatur modus agendi; cùm in ſummario probationes ſummariter & lite non conteſtatâ receptæ plenam fidem faciant, *Clement. Sæpe 2. V. Nos autem, de V. S.* quæ tamen in ordinario judicio non ſufficiunt, *arg. c. Veniens cit. & c. Unic. de Litis conteſt.* Quòd ſi in ſummario teſtes & probationes aliæ, prævia litis conteſtatione & Juris ſolennitatibus accuratè ſervatis, receptæ fuiſſent, eas in ordinario quoque judicio fidem facere, cum Paul. Caſtr. *Vol.* 2. *Conſil.* 3. *n.* 3. exiſtimat Gaill. *cit. n.* 3.

Tertiò, atteſtationes &c. receptæ in 103.
judicio poſſeſſionis momentaneæ plenam fidem non faciunt in poſſeſſorio ordinario. Ratio eſt; quòd ejusmodi litigioſæ poſſeſſionis proceſſus ſit ſummarius, in eóque atteſtationes ad diverſum effectum recipiantur & non publicentur, per tradita à *cit.* Gaill. *obſervat.* 6. *n.* 4. qui tamen *cit. obſervat.* 103. *n.* 4. ſuſtinet contrarium: quod eò ſaltem caſu procedit, quò teſtes ſuper momentanea poſſeſſione, parte adverſâ ad facienda interrogatoria citatâ, producti & Juris ſolennitatibus ſervatis, accuratè examinati fuiſſent, partim; quòd, cùm tali caſu eorum examen legitimum ſit, nulla ſit ratio, cur eorum depoſitionibus fides in Ordinario judicio non habeatur: partim verò; quòd teſtium publicationē de judicii Ordinarii ſubſtantia non eſſe, & ipſius omiſſione proceſſum non vitiari, cum Felino *in c. Cùm J. & A. 22. de Sent. & re judic. n.* 1. Panormit. *ibid. n.* 10. Bartolo *in l. Prolatam 4. C. de Sent. & interlocut. n.* 5. & aliis ſuſtineat Maranta *de Ord. judic. p.* 4. *diſt.* 9. *n.* 22.

Quartò, atteſtationes & probationes 104.
quomodocunque receptæ coram Arbitratore fidem non faciunt coram judice, Panormit,

normit. *in c. Præſentata 50. de Teſt. & atteſt. n. 6. ubi* Felin. *n.* 12. Gaill. *cit. obſ. 103. n. 6. in fine* & Bruneman. *in l. fin. C. de Teſtibus n. 4.* propter variationem modi agendi; cùm coram arbitratore non ſit judicium vel quaſi judicium: ſed ille ad ſui informationem de negotio extrajudicialiter procedat.

105. Alia ratio eſt Arbitrorum: coram quibus acta, reſpicientia factum & merita cauſæ, coram judice ordinario & delegato plenam fidem facere, ex *c. Præſentata & l. fin. cit.* deſumi & ratio reddi ſolet partim; quòd, licet etiam coram arbitris ſtrictè judicium non ſit; cùm partes in ipſos compromittentes tanquam perſonæ privatæ jurisdictionem dare non potuerint, *c. Significâſti 18. de Foro compet. & l. Privatorum 3. C. de Jurisd. omn. jud.* tamen coram eis ſit quaſi judicium; cùm arbitria redacta ſint ad normam judiciorum, *l. 1. ff. de Recept. arbitr.* & iſtorum ordinem ſervare arbitri teneantur, *l. Sed & 49. §. 1. ff. & l. Cùm antea, Rubr. cit.* ut dictum *Lib. 1. Tit. 43. n. 9.* partim verò; quòd Jura, coram arbitris actis probatoriis plenam fidem etiam in judicio ordinario tribuentia, reſpectum habuerint ad communem partium in ipſos compromittentium conſenſum: cujus intuitu atteſtationibus coram arbitris, ab ipſis electis, receptis & in judicio Ordinario vel delegato productis fidem haberi voluerunt, *c. Præſentata & l. fin. citt.* Panorm. *cit. n. 6.* Vivianus *in c. cit. pr. ad finem* & Pirrhing *ad Rubr. de Teſt. & atteſt. num. 209.*

Quantumvis autem hoc de depoſitionibus teſtium jam mortuorum certum ſit, quoad ſuperſtites tamen indiſcriminatim non procedit; cùm iſtorum coram judice repetitionem, ſi pars, contra quam producti ſunt, petat, & ab initio aliter conventum non ſit, illam audiri, teſtium examen denuò repeti & depoſitiones recipi, Imp. *l. fin.* & Papa *c. Præſentata citt.* voluerint: cujus rationem Bruneman *in l. cit. n. 2.* eam reddit; quòd ab arbitrio non eâ diligentiâ, quâ in judicio ordinario, ſoleant examinari & teſtes coram illo faciliùs, quàm coram judice, mentiantur; cùm ab illo plecti non poſſint, Menoch. *de Arbitr. caſu 109. à n. 8.*

Quintò eadem acta probatoria coram judice Seculari ſuper crimine ad infligendam reo pœnam legalem tendentia 106. plenam fidem Eccleſiaſtico judici non faciunt ad poenam Canonicam in eum decernendam, & vice verſa, *citt.* Alex. de Nevo *n. 33.* Laiman *n. 4.* & Pirrhing *n. 96* quòd ad diverſum finem tendant & agendi modus varietur. Rectè tamen *citt.* DD. monent, judicem poſteriorem petere à priori poſſe communicationem ejusmodi actorum: &, ſi probationes erroris careant ſuſpicione eíſque crimen ſufficienter probatum appareat, illis ſe conformare & ſecundùm eas ſententiam ferre poſſe. Unde planum eſt, quid ſentiendum ſit de caſu, quô laicus, ob inflictum clerico vulnus ſecutâ morte à defuncti hæredibus ad damni ex vulneratione & morte ſecuti reſarcitionem in Seculari foro conventus, clerici mortem non ex ſua vulneratione, ſed ex chirurgi negligentia vel imperitia ſecutam excepit: &, hâc exceptione ſuâ legitimè probatâ, ad ſolius damni vulneratione illati, juxta *l. Qui occidit 30. in fine. ff. ad L. Aquil.* ad ejus autem, quod ex morte ſecutum eſt, reparationem chirurgus condemnatus eſt; hôc enim caſu *citt.* Laiman *n. 3. §. Alterum* & Pirrhing. *n. 95. §. Aliud* actorum judicii Secularis rationem habendam in foro Eccleſiaſtico aiunt; ut, ſi idem laicus ab excommunicatione, clerici vulneratione contractâ, abſolutionem humiliter petat, ſoliúsque damni ex clerici vulneratione

neratione secuti resarcitionem offerat ac præstet, illam consequi debeat: neque à laico illius etiam damni, quod ex clerici morte secutum est, compensatio exigi possit; quòd testimonia & probationes aliæ, quæ pro laico vulnerante receptæ sunt contra chirurgum, ex iisque lata sententia in eadem & inter easdem personas agitata causa in judicio Seculari, in foro Ecclesiastico faciant fidem, *arg. can. Multi & c. fin. citt.* Cui DD. *citt.* resolutioni subscribo, si Ecclesiastico judici exhibita Secularis fori acta probatoria omni erroris careant suspicione, iisque clerici mortem chirurgi, vulnerati curationem negligentis, eúmve imperitè tractantis, culpâ potiùs, quàm ex malignitate vulneris secutam, sufficienter appareat probatum.

107. Dixi *n. 93.* Instantiam biennio vel triennio finiri Jure Civili; quia Canonico Jure, quod in foro Ecclesiastico observatur, judicii Instantiam, tam in Criminalibus quàm Civilibus causis, triennii aut biennii lapsu non perire: sed esse perpetuam, à DD. desumi solet ex *c. Venerabilis 20.* ubi Instantiæ, triennii lapsu peremptæ, exceptione rejectâ delegatus in causa procedere est jussus. Quô jussu à Civili Jure divortium insinuari, magno consensu receptum est ab Interpp. in eam rem allegantibus textus *c. Tum ex literis 5. de in Integ. restit. & c. Cùm olim 14. pr. V. Judices, de Privileg.* quorum priori lis ultra triennium: posteriori ad quadriennium est producta, minimè dubiô argumentô, triennii lapsu Judicii instantiam non peremptam. Divortii à Jure Civili introducti ratio fuit partim; quòd usu compertum sit, *l. Properandum cit.* proditâ instantiæ peremptione litibus finem citiùs non imponi: sed eas ipsâ novæ instantiæ & processûs inchoatione instaurari & magis perpetuari, Felin. *in c. Venerabilis cit. n. 1.* & Laiman *ibid. n. 4.* Partim verò; quòd, cùm Civili à sola sententia definitivâ, aut illius vim habente, *l. Ante 7. C. Quorum appell. non recip. ubi* Bruneman. *n. 3.* Canonico autem Jure etiam ab interlocutoria & quolibet gravamine appellatio permissa sit, *c. Super eo 12. de Appell. & c. 1. pr. ibid. in 6.* propter istarum, ab interlocutoriis sententiis interpositarum, frequentiam, iisque plurimùm retardatum progressum in causa principali, iste intra triennium ad finem sæpe non valeat perduci, Panormit. *in c. Venerabilis cit. n. 7.* & Laiman. *ibid. n. 4.*

Excipienda tamen est causa Appellationis: cui finiendæ annus & ex justa causa biennium, sicut Civili, *l. fin. §. 4. C. de Temp. Appell.* sic & Canonico etiam Jure est præfixum, *c. Cùm sit 5. pr. de Appellat.* ad quam *Rubr.* hâc de re pleniùs agetur.

In aliis etiam causis Instantiæ tem- 108.
pus à Concilio Tridentino restrictum, & triennium ad biennium reductum, videri potest *Sess. 24. cap. 20. pr. de Reformat.* decernente, *Ut causa omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram Ordinariis locorum, saltem intra biennium à die mota litis terminentur.* Sed si hoc S. Synodi decretum accuratiùs ponderetur, eô instantiæ triennium non est restrictum; cùm, biennio illô elapsô, acta etiam judicii Ordinatoria non pereant: & partes, licet superiorem adire valeant, litem tamen coram eodem Ordinario cæptam prosequi, & ad finem usque perducere, si malint, possint; ideóque *pr. cit.* inferiori judici biennii terminum solùm ad finiendam causam, non ad perimendam instantiam, ut judicii acta non subsistant, præfixum, cum Salgado *Tom. 1. de Protect. Reg. p. 4. cap. 2. n. 66.* & Scaccia *de Appellat. q. 15. n. 278.* advertit Barbosa *in c. Venerabilis cit. n. 3.*

In supremis etiam tribunalibus Prin- 109.
cipum, ut in Imperio est Camera Spiren-

sis, hodie Wezlariensis, ex consuetudine potiorem *Auth. Sed ut lis C. de Temp. appellat.* quàm *l. Properandum cit.* instantiæ tempus præscribentis, rationem haberi: & actionibus instantiæ lapsu morituris vitæ sæpe admodum longævæ spiritum insufflari, cum Gaill. *de Pace publ. cap. 9. n. 15.* & Mynsing. *Centur. 3. Observat. 44. n. 9.* notat Bruneman. *in l. cit. n.* 11. Quem illarum Curiarum morem, ut, lite intra triennium non finitâ, instantia peremptа non censeatur, inferiorum quoque tribunalium abusu hodie receptum queritur: &, ut lites ad exitum citiùs perducantur, *l. cit.* dispositionem saluberrimam in usum reduci ac revocari, meritò optat cum Hillig. in Donell. *Lib. 26. cap. 2. lit. Q.*

110. Non rarò judicium, licet ad sententiam definitivam usque deducatur, & ista etiam proferatur, ex variis causis seu defectibus omninò nullum evadit, & Primò quidem ex defectu capacitatis aut competentiæ in judice, *c. At si Clerici 4. pr. hâc Rubr. c. Ad probandum 24. de Sent. & re judic. l. Militaris 2. l. fin. C. Si à non compet. &c.* quòd jurisdictionis non sit capax, eâve careat: vel, quam habet, impedita sit: vel ad causam in judicium deductam, aut ad litigantium, aut saltem rei personam, vg. quòd judex Secularis, causa autem spiritualis: vel litigantes, & reus saltem conventus, clericus, aliáve persona aut locus Ecclesiasticus sit, ut ad sequentem Rubricam pleniùs tradetur.

111. Secundò, ex defectu personarum versantium in judicio, sive principalium, scilicet actoris & rei; quòd stare in judicio, sive in eo convenire aut conveniri non possint, *arg. l. Acta 45. l. Contra 54. pr. ff. de Re judic. & c. Mulieres 2. §. fin. hîc in 6.* de quibus *supra à n. 20.* sive alicujus ex accessoriis vg. procuratoris; quòd is falsus, *c. Innostra 4. de Procurat. & l. Licet 56. ff. hâc Rubr.* hoc est, nullô, vel ad negotium insufficienti aut impertinenti mandatô instructus: vel ejus mandatum revocatum, aut jam extinctum sit, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 38. n. 9. & 46.*

Ex defectu actûs sive solemnitatis 112.
substantialis; quòd vg. partis citatio, §. *fin. Instit. de Pœnis temerè litig. & c. Ecclesia 10.* junctâ Glossâ *V. Conventi, de Constitut.* quòd sententia, calumniæ juramentô ad exactionem partis non præstitô, *c. 1. de Juram calumn. in 6.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 84. n. 1.* vel sine causæ cognitione, prolata, *arg. l. Nec quicquam 9. §. 1. ff. de Offic. Proconsul.* Maranta *p. 6. de Sententia n. 51.* quòd eadem in judicio Plenario, nullô oblatô, *c. 1. & Auth. Offeratur C. de Oblat. libelli,* vel ex inepto libello, *c. Examinata 15.* hîc, Panormit. *in c. Cùm dilectus 2. de Ord. Cognit. n. 3.* vel lite non contestatâ &c. Sit lata, *c. Unico, de Litis contest. & l. Prolatam 4. C. de Sent. & interloc.* Barbosa in *c. Unicum cit. n. 5.* Laiman *ibid. n. 1.*

Ex judiciarii Ordinis perversione, 113.
arg. c. veritatis 8. de Dolo, ubi sententia & alia acta ab Innocentio III. pro validis habentur; quòd, Ordinem judiciarium fuisse servatum, compererit, *& l. Prolatam 4. cit.* Honorius *ad hanc Rubric. n. 17.* Qua in re tamen locus est distinctioni, traditæ à Panormit. *in c. Exhibita 19. n. 12.* dicti ordinis perversione judicium nullum reddi eô solùm casu asserentis, quô ea circa judicii substantialia: non etiam, quô circa solemnitates merè accidentales contigit: quod etiam tradit Vantius *de Nullitate ex defectu Ordinis à n. 15.* qui, & Maranta, *p. 4. de Ord. judic. dist. 6. tota* has & multas alias nullitatis causas plenâ manu & accuratè discussas dabunt.

Ex omnibus tamen judicii Nulli- 114.
tatibus, ex Juris subtilitate descendentibus, in curia Romana post Constitut. à Paulo

Paulo V. super Tribunalium reformatione editam, tres duntaxat, ex totidem substantialibus, scilicet Jurisdictionis sive competentiæ in judice, Mandati in procuratore & Citationis defectibus provenientes, attendi, notant *cit.* Honorius *n. 31.* & Card. de Luca *Theatri V. & J. de Judiciis disc. 38. num. 22.* quibus *cit. n. 31.* & à Ridolphino *Prax. Judic. p. 1. cap. 31. num. 284.* additur notorius defectus Justitiæ; quòd sententia lata sit contra apertum Jus Constitutionis, aut ea non justificetur ex actis, ob non probatam intentionem Actoris. Ratio est; quia notoria Injustitia idem, quod Nullitas, operatur & sententiam nullam reddit, *c. 1. & c. Inter cæteras 9. de Sent. & re judic.* ut in hunc textum notant Felinus *n. 10.* & aliis relatis Barbosa *num. 4.* etiamsi causa cum clausula, *Appellatione remotâ*, commissa fuisset; quia ista vim non habet, ubi sententia notoriè est iniqua, Felin. *in c. Causam 14. de Sent. & re judic. n. 3.* & Scaccia *de Appellat. q. 16. limit. 1. num. 84.*

In Camera quoque Imperiali, si causæ principalis merita discussa & ex allatis liquida sint, ex solius Processûs & Solemnitatis defectu provenientes Nullitates regulariter non attendi, asserunt Gaill. *Lib. 1. Observat. 42. à n. 1.* & Mynsinger *Centur 5. Observat. 93.* quòd in ea ex æquitate magis, quàm rigore Juris soleat procedi: &, cùm de causæ meritis constat, sine aliis ambagibus pronuntietur; ut, litibus citiùs perductis ad finem, consulatur tranquillitati publicæ: cujus favore, Positivo Jure proditarum solemnitatum defectus Imperiali authoritatę, in curia illa eminente, supplentur. 115.

TITVLVS II.

De Foro Competente.

ACtione Judiciali aliquem pulsaturo curandum ante omnia est; ut eum conveniat in Foro & coram Judice Competente; ne, si evocetur ad Incompetentem, excipiendô declinet: & non Actionem duntaxat, sed ipsum quoque Judicium excludat: aut, si hoc subeat, contra eum acta latáque sententia facilè arguatur Nullitatis.

SUMMARIUM.

1. *Fori significatio varia est.*
2. *Hic ejus nomine venit locus Judicij.*
3. *Vel hoc exercentis jurisdictio.*
4. *Dividitur in Ecclesiasticum & Seculare:*
5. *In Externum & Internum:*
6. *Et hoc rursum in Sacramentale & non Sacramentale.*
7. *Commissione causarum, pertinentium ad forum Ecclesiasticum, utriusq;*
8. *Et externi tantùm fori jurisdictionem commissam, asserentiũ Opiniones,*

ARTICULUS I.

De Fori Natura & Varietate.

9. *Distinctionis fœdere conciliantur.*
10. *Actio judicialis deducenda est in foro Rei.*
11. *Judex alius Incompetens, alius etiam Incapax est jurisdictionis.*
12. *A quorum priori:*
13. *Non etiam à posteriori ad forum citatio subsistit.*

1. FOri nomine hôc locô non venit locus, rerum venalium expositioni ac negotiationi destinatus: neque etiam districtus sive territorium, cujúsque judicis subjectum jurisdictioni, ut *l. Pupillus 239. §. 8. ff. de Verb. Signif.*
2. Sed, Vel locus exercendis sive discutiendis & judicis pronuntiatione terminandis litibus deputatus, ut *c. Forus 10. pr. Rubric. cit.* qui locus etiam Judicis Tribunal, *l. 1. ff. de Judiciis*, Auditorium, *c. Non putamus 2. de Consuetud. in 6. & l. Contra 54. §. 1. ff. de Re judicata*, imò & Consistorium, *c. Romanæ 3. pr. de Appellat. in 6.* præsertim summi Principis nuncupatur, *l. 1. C. de Comit. Consistorial. & Novell. 23. cap. 2.* Hostiens. *in Summa, hâc Rubric. num. 1. & 20.*
3. Vel judicium exercentis jurisdictio & potestas publica de causa in judicium deducta cognoscendi ac pronuntiandi, Panormit. *in hanc Rubric. ad finem, ubi* Ant. de Butrio *in fine*, & Barbatia *num. 6.* ut ratione domicilii vel delicti, ratione contractûs vel rei sitæ, alicujus judicis forum sortiri, idem sit, quod ratione domicilii &c ejus jurisdictioni ac potestati Judiciariæ esse subjectum; ut propositâ actione coram eo valeat conveniri, *c. fin. pr.* ut cum interpp. *citt.* Fori nomine, si subjecta materia patiatur, Jurisdictionalia venire asserentibus, notat Felician. Oliva *de Foro Eccles. p. & q. 1. n. 4.* Quô modô & in propositæ Rubricæ sensu sumptum
4. Forum celeberrimâ usúque tritissimâ partitione in Ecclesiasticum & Seculare dividitur, eôdem planè sensu, quô Judicium *Tit. præced. n. 2.* & jurisdictio divisa est *Lib. 1. tit. 32. num. 3.* &, quô potestatem publicam, quâ humanum genus regitur, in Spiritualem & Temporalem Nicolaus I. *can. Cum ad verum 6. dist. 96.* in Pontificialem & Regalem, Innocentius III. *c. Solitæ 6. de Majorit. & Obed.* & Imperator *Novell. 6. pr.* in Sacerdotium & Imperium sunt partiti.

Ecclesiasticum Forum ulteriùs à TT. pariter & JCT.is recepta divisione aliud Internum dicitur & aliud Externum quæ *Poli Fórique Jura* seu Fora nuncupantur *can. Quicunque 43. in fine, 17. q. 4.* Glossa *in c. Quæ in Ecclesiarum 7. V. Constituerunt, de Constitut.* eóque distant; quòd reus in isto sive externo secundùm allegationes ac probationes à litigantibus deductas: in illo autem sive interno Foro secundum conscientiam ipsius propriam absolvatur, vel condemnetur seu ligetur. Unde judicium, quod in externo foro exercetur, ab interno seu Poli atque, ut etiam vocatur, *Conscientiæ* & *Animæ* foro etiam differt in utroque concurrentium personarum numero & varietate; cùm in illo, præter Actorem Reúmque & medium inter ipsos Judicem, intervenire soleant Assessores seu Consiliarii, Procuratores, Advocati, Testes, Executores & similes Justitiæ ministri; atque insuper produci Instrumena aliáque, ad fidem de re dubia & controversa judici faciendam, idonea argumenta: in isto autem sive interno foro judicium duabus tantùm personis, Judice & Reo, peragatur, solóque istius Conscientiæ & Confessionis propriæ testimoniô nitatur. §.

Internum quoque seu Poli & Conscientiæ Forum ulteriùs dividitur in Pœnitentiale sive Sacramentale & non Sacramentale; neque enim jurisdictio, pro 6.

interno

interno foro concessa, necessariò semperque Pœnitentiæ Sacramenti administratione, sed aliquando extra hanc explicatur; cùm, si alicui committatur dispensatio in foro Conscientiæ sive interno &, ut S. Pœnitentiariæ litteris frequenter solet, eam prævia Confessione Sacramentali faciendam, non exprimatur, ea extra hanc expediri valeat: idémque sit de commissa absolutione à censuris, si, eam ad forum Pœnitentiale restrictam, non appareat ex tenore rescripti, ut cum Navarro *Manual. cap. 27. n. 41.* Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 61.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 34. num. 29.* sustinet *cit.* Oliva *num. 17.* ubi in irregularitatibus ac suspensionibus, ortis ex delicto occulto, &c. dispensandi facultatem, à S. Synodo Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* concessam Episcopis, ab his per se aut vicarium, specialiter ad id deputandum, extra Confessionis Sacramentum explicari posse & consueviſse, ait, non obstante *cit.* Synodalis decreti clausula, *Injuncta pœnitentia salutari*; quia hæc, sicut in, sic & extra Pœnitentiæ Sacramentum imponi potest etiam ab eo, qui Sacerdotiò initiatus non est, ut cum D. Thoma *in 4. dist. 18. Navarro cit. n. 4.* Covarruvia *in c. Alma p. 2. §. 11. num. 20.* & aliis idem notat *n. 17. in fine.* Ex dictis

7. Dubium nascitur, an generali commissione eorum, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, utriusque, tam interni, quàm externi fori, jurisdictio comprehendatur; id enim & Pœnitentialis quoque fori jurisdictionem, ad casus etiam reservatos porrectam, commissam censeri, vult Barbatia *cit. num. 6.* quòd commisso genere omnes species, isto comprehensæ, commissæ intelligantur perinde, acsi omnes species essent expressæ, *l. Si chorus 79. ff. de Legat. 3. & l. Si duo 51. ff. de Administr. tut.* & dispositionis cujuscunque verba comprehendant omnia, quæ veniunt ex verborum proprietate, per tradita à Tuscho *Practic. V. Verba, conclus. 122. à n. 1.* & Steph. Gratiano *Discept. Forens. cap. 545. n. 26.* & tradenda *Lib. 6. t. 40. n. 33.* jurisdictio autem Ecclesiastica sit genus respectu jurisdictionis & fori utriusque, ejúsque nomine propriè acceptô comprehendatur jurisdictio fori tam interni quàm externi. Contrà, ejusmodi commissionem 8. ad interni fori jurisdictionē non porrigi, volunt alii apud laudatum Olivam *n. 9.* quòd in generali commissione non veniant ea, quæ in specie quis verisimiliter non esset concessurus, Regula est *81. in 6.* ut adeò, sicut generali commissione vicariatûs potestas inquirendi, corrigendi & puniendi excessus, & libera collatio beneficiorum, *c. Licet 2. & c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* sic etiam generali commissione, spectantium ad forum Ecclesiasticum, interni fori jurisdictio concessa non intelligatur. Ita isti in partem utramque.

Ego hac in re non solùm præ oculis 9. habenda verba commissionum, sed committentium etiam praxin, aliásque circumstantias ponderandas, judico; ut, si iis de committentis mente verisimilis conjectura appareat, utriusque vel alterius sive externi duntaxat fori jurisdictio commissa intelligatur. Tali autem conjecturâ in neutram partem militante, adhibendam censeo distinctionem; vel enim ejusmodi commissionis ad Pœnitentiale forum extensione nemini aut soli committenti, vel alicui tertio præjudicatur?

Si prius, & nemini vel soli committenti præjudicatur, interni quoque & Pœnitentialis fori jurisdictionem commissam, existimo cum Panormit. *in c. Quia circa 22. de Privileg. n. 3.* Felino *in c. Causam 18. de Rescript. n. 12.* Surdo *Lib. 2. consil. 4. n. 73.* & *cit.* Oliva

n. 10.

n. 10. Ratio est; quia talis commissio rationem habet beneficii Principis, latam recipientis interpretationem, *c. Quia circa cit. c. Cùm dilecti 6. de Donat. & l. Beneficium 3. ff. de Constitut. Princip.*

Si posterius, & ejusmodi commissionis ad Pœnitentiale forum extensione alicujus tertii vg. ordinariæ jurisdictioni præjudicetur, illam ad externi fori jurisdictionem restringendam, puto cum Glossa *in Clement. fin. V. Nolumus, de Offic. deleg.* Zabarella *ibid. n.* 13. & *cit.* Oliva *n.* 15. Ratio est; quia delegatio seu commissio jurisdictionis in his, quæ ordinariæ & alterius tertii jurisdictioni detrahunt, odiosa & strictæ est interpretationis adeò; ut, si non exprimatur, illi ipsius summi Principis commissione derogatum non intelligatur per ea, quæ *arg. Reg. Odia 15 in 6.* tradunt Covarr. *p. 2. de Sponsal. cap. & §. 8. n. 9. cit.* Tuchus *V. Beneficium, concl. 50. à n.* 1. Menoch. *Lib. 2 præsumpt. 9. n. 10.* & Suarez *Lib. 8. de LL. cap. 27. n. 8.* De Foro Conscientiæ interno *Lib. 2. tit. 16. art. 9. Lib. 5. tit. 38.* toto & alibi passim.

10 Ad propositam verò *Rubricam* de solo externo & Contentioso foro agitur: in quo litigantium controversiæ, ut ritè dirimantur, deducendæ sunt ad forum & judicem competentem sive eum, cujus jurisdictioni sujectus est reus, cùm, ut *c. Cùm sit* 8. Lucius III. ait, *Generale sit, ut actor sequatur forum rei*; ac proinde omnino necessarium; ut actor subiturus judicium, quam habet, Actionem proponat in foro & coram judice proprio ejus, quem eâ est impeturus; ne, si iste ad forum & judicem non suum evocetur per citationem, de incompetentia excipiat, & contra eum formatus processus careat effectu, *l. Si militaris 2. C. Si à non competente, l. & §. 1. V. Hæc autem ff. Quod quisque jur. in alter. & l. Si quis 6. §. 10. ff. de Injusto rupto &c.* Gaill. *Practic. Lib. 1. observat. 40. n. 8. & 10.* Unde

Dubium oritur, de valore sententiæ, 11
latæ contra reum, ad forum sive judicem incompetentem citatum. Quam, licet primo intuitu indiscriminatim valore destituì, decisum videatur, *c. At si clerici. 4. pr. de Judiciis*, distinctione tamen opus est inter judices incompetentes; quidam enim tales sunt simpliciter; ut eorum jurisdictio nec partium consensu prorogari queat: sicut judex Secularis est respectu causarum merè Ecclesiasticarum: ut sunt, quæ inter clericos, & quæ inter laicos de rebus & juribus spiritualibus hisque annexis vertuntur; cùm laici de talibus, tam incidenter quàm principaliter, in judicium deductis cognoscere non possint, *c. Decernimus 2 c. Quantò 3. c. Tuam 3. c. Causam & c. Si judex citt.* Alii verò, licet incompetentes sint, competentes tamen fieri possunt, partium, eorũ jurisdictionem in se prorogantium, consensu, *c. Significâsti 18. hâc Rubric. l. 1. & l. Consensisse 2. pr. ff. de Judic.* sicut judex Ecclesiasticus, licet per se respectu causarum temporalium, controversarum inter laicos, incompetens sit, *can. Cùm ad verum 6. dist. 69. & c. Causam cit.* istorum tamen, ipsius jurisdictioni in tali causa se subijcientium, consensu ac prorogatione competens fieri potest, *l. Judices 9. C. de Episc. and.* Quô probè notatô satis expedita propositæ dubitationis resolutio est; vel enim sententia lata est contra citatum ad forum sive judicem priori, vel posteriori modô incompetentem?

Si prius, sententia contra eum, ad 12
forum simpliciter incompetens citatum; ac proinde, quæ à judice simpliciter incompetente lata est, valore ipso Jure destituitur, ex rescripto Alexandri III. *c. At si clerici cit.* ibi, *Sicut sententia à non suo ju-*

suo judice lata non tenet; ut adeò nullitatis vitiô insanabili laboret sententia, à Seculari judice lata contra personam Ecclesiasticam, tam Secularem, quàm Regularem, cujuscunque criminis, ex Feudali Jure non descendentis, ream delatam & ad forum Seculare citatam: uti & lata contra laicum in causa merè spirituali & Ecclesiastica ad idem forum citatum, *c. cit.* uti & *l.* 1. §. 1. *V. Hæc verba ff. Quod quisque jur. l. Si militaris* 2. *& l. fin. C. Si à non compet. jud.* ex quarum *ll.* decisione irrita est sententia à delegato lata super negotio ipsi non commisso, & in commissum non incidente sive accessorio, *c. P. & G. 40. de Offic. deleg.* uti & à judice jurisdictionem ad certam quantitatem restrictam habente lata super summâ, quantitatem illam excedente, adeò; ut ne quidem quoad summam, ejus jurisdictionem non excedentem, subsistat, Bruneman *in l. Si militaris cit. n.* 3. Ratio est; quia jurisdictio basis ac fundamentum est omnis judicii ac sententiæ, Baldus *in C. Rubric. cit. n.* 2. & Gaill. *Practic. Lib.* 1. *observat.* 42. *n.* 9. atque idcirco, ubi deficit jurisdictio, judicium non est, & nec sententia, nec judicatum dici potest, *V. Verba cit. & l. Rei* 2. §. *fin. ff. de Pœnis*. Hinc certè est; quòd, licet à pronuntiatione judicis ita incompetentis non appelletur, ea tamen nunquam transeat in rem judicatam: & exceptio nullitatis, ortæ ex defectu jurisdictionis; semper etiam post tres sententias conformes, opponi queat; dummodo de tali incompetentia & omnimodæ jurisdictionis defectu evidenter constet, Glossa *in Clement. Unic. V. Non obstante, de Sequestr. poss.* Alexand. *Vol.* 2. *consil.* 77. *à n.* 9. & *cit.* Gaill. *n.* 11.

13. Si posterius, & judicis per se incompetentis jurisdictio potuit prorogari, & per citationem in jus vocatus fori declinatoriam sive incompetentiæ exceptionem ante litis contestationem nôn opposuit, contra eum à judice lata sententia tenet; quòd pars litigans ab eo in jus vocata, cùm incompetentiam non ignoraret, comparendô &, fori declinatoriâ exceptione non oppositâ, litigandô in ipsius personam consensisse, ipsiúsque jurisdictionem in se prorogâsse; ac proinde eum, qui suus & competens non erat, competentem suúmque judicem fecisse intelligatur, *arg. c. Significâsti l.* 1. *& l. Consensisse pr. citt.* Baiardus *ad Clarum* §. *fin. q.* 55. *num.* 1. Si judex incompetens errore aditus fuisset, sententia hôc quoque casu nulla foret; quòd, cùm errantis nullus sit consensus, *l. Non idcirco* 9. *C. de J. & F. J.* is, qui judicem, quem adiit, suum esse ignoravit, ejus jurisdictionem in se prorogâsse non intelligatur, *l. Si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict.* Bruneman. *in l. Si militaris cit. n.* 4. Unde, qui incompetentiæ fuit ignarus, ejus postea cognitæ exceptionem post litem contestatam opponere potest, *c. Pastoralis 4. de Except. ubi* Glossa *V. Postmodum* & Panormit, *n.* 33.

ARTICULUS II.

De Foro Competente ratione Originis & Domicilij.

SUMMARIUM.

14. *Forum reus diversimodè sortitur.*
15. *Ratione Originis id sortitur in loco I. Nativitatis propriæ:*
16. *Non tamen fortuitæ,*
17. *Extra casum, quô ex patre domiciliô carente est natus.*
18. *Vagi sunt, qui carent domiciliô,*
19. *Etiam, dum ad hoc in loco constituendum tendunt,*

20. *II. In loco nativitatis paternæ:*
21. *Non etiam maternæ: niſi vulgò conceptus aut ſpurius ſit.*
22. *III. In loco nativitatis avitæ,*
23. *Si nepos avô vivente eſt conceptus.*
24. *Non etiam in loco aliorum aſcendentium per lineam paternam.*
25. *Ratione domicilij reus forum ſortitur in loco, in quo habitationem ſtabilem Animô & Factô,*
26. *Etiam ſine rerum ſuarum translatione,*
27. *Et ſine commoratione decennio continuata, conſtituit.*
28. *Id in pluribus locis habere poteſt.*
29. *Quaſi domicilium obtinetur in loco habitationis temporaneæ.*
30. *Reus in Domicilij potiùs, quàm Originis loco ſolet conveniri:*
31. *Ad quem citari,*
32. *Et, contumaciter abſens, excommunicari poteſt.*
33. *Etiam in loco quaſi domicilij reus convenitur.*
34. *Clerici in loco ſui beneficij.*
35. *Reſidentiam expoſcentis.*
36. *Religioſi coram Prælato ſuo Regulari:*
37. *Studioſi &c. in loco ſuorum ſtudiorum &c.*
38. *Etiam ſuper contractibus & delictis alibi geſtis vel commiſſis.*
39. *Præſertim, ſi verum domicilium alibi non habeant:*
40. *Vagi, ubi inveniuntur:*
41. *Et fideles quicunque in cauſis ſpiritualibus Romæ conveniuntur.*

14. VArii modi & cauſæ ſunt, ex quibus Reus Forum ſortitur & ſubijcitur alicujus, Eccleſiaſtici vel Secularis, judicis jurisdictioni; ut coram eo valeat conveniri.

Et primò quidem illud reus ſortitur 15.
ratione Originis Imprimis in civitate, oppido, vico &c. in quo eſt natus, *l. Qui ex vico 30. ff. ad Municipal. l. 1. C. de Municip. & origin. l. Cum neque 5. l. Cives 7. C. de Incolis &c. Cùm nullus 3. de Temp. Ordinat. in 6.* Quod ſicut ſatis exploratum, ſic

Dubium & ancipitis reſolutionis 16.
controverſia eſt, an etiam ratione Originis fortuitæ in loco, in quo ex matre tranſeunte & ad locum domicilii properante editus eſt in lucem. Id enim cum Bartolo in *l. Filios 3. C. de Municip. & orig. n. 4. in c. Rodulphus 35. de Reſcript.* negant Panormit. *n. 9.* Felinus *n. 13.* Barbatia *n. 97.* Socin. Sen. *Vol. 1. conſil. 35. num. 6.* Afflict. *Deciſ. 384. n. 4.* & alii, Regulæ inſtar ſtatuentes, ut quis ratione propriæ originis ſequatur locum, neceſſarium eſſe; ut natus ſit in loco, in quo parentes conſtitutum habent domicilium, in eóque non ſint tanquam tranſeuntes, *arg. l. 1. ff. de Captiv. & poſtlim.* ubi reverſus cum matre recuperat civitatem: licet mater fuerit & peperit apud hoſtes. Rationem reddunt; quòd ſecundùm Juris cenſuram non cenſeatur quis in loco, in quo conſiſtit ſolo corpore, ſed in quem defertur animi deſtinatione, *l. Nihil 26. ff. Rubr. cit.* & *l. Hujusmodi 84. §. 10. ff. de Legatis 1.* Diſſentiunt, & talem pro loci nativitatis Originario, cum Alexand. *in §. 10. cit. n. 4.* Jaſon *ibid. n. 14.* Paulo Caſtr. *in l. Prætor ait 4. pr. ff. de Edendo n. 5.* & Croto *in l. Si is qui 15. ff. de Uſurp. & Uſucap. n. 104.* habent Interpp. alii, relati à Maſcardo *de Probat. concl. 1147. n. 7.* & ducti *l. Cives cit.* quà civis quis origine in ſuæ nativitatis loco conſtituitur. Rationem reddunt; quòd in acquirenda origine veritas potiùs, quàm patris deſtinatio attendatur, *l. Aſſumptio 6. pr. ff. ad Municipal.*

Municipal. cùm, si destinationis paternæ major, quàm veritatis ratio habenda esset, ex matre cum patre Româ Viennam, domicilii constituendi animô, tendente in itinere natus Filius Originarius civis esset Viennæ, ubi pater domicilium non habuit, imò nunquam fuit; quod utique est absurdum.

Has DD. Opiniones distinctionis ope in concordiam reducit Petr. Barbosa *in l. Hæres absens 19. §. Proinde 2. ff. de Judiciis Art. de Foro orig. n. 18.* ubi in itinere natum, non suæ nativitatis, sed paterni domicilii civem ratione originis censeri, ait, si ita in lucem editus sit, dum pater ad domicilium, quod alibi fixum habuit, cum matre properaret, vel etiam ex eo negotii causâ, illô confectô rediturus, discederet; quòd hôc casu militet
17. ratio *l. Nihil cit. & §. 10. cit.* textus. Casu autem, quô pater cum matre à loco domicilii, non rediturus, sed id alibi constituturus, discedit, in itinere natum, Originarium asserit, ejus loci esse, in quo editus est in lucem *l. Cives cit. & l. 1. pr. ff. ad Municipal.* ne Originarius esse dicatur loci, in quo Pater domicilium nunquam habuit, aut fuit. Ut adeò de Jure prior Opinio regulariter: posterior autem secundô hôc casu in natis ex vagabundis procedat. Hinc quoque

18. Dubium nascitur, quinam propriè sint vagabundi. Qua in re satis convenit, tales esse, qui nullam certam habitationem & domicilium habent, sed navigant, aut iter faciunt per mundum, ut ex *l. Ejus qui 27. §. 2. in fine. ff. Rubr. cit.* cum Glossa *in c. Cum quis 2. V. Domicilia, de Sepult. in 6.* Joan. Andr. *in c. Omnis 12. de Pœnit. & remiss. n. 13.* Henric. de Bosch *ibid. n. 14.* desumit Navarrus *in can. Placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n. 75.*

19. De eo autem, qui relicto priori domicilio iter facit ad locum, in quo domicilium constituere destinavit, an vagis adnumerandus sit, dubitandi ratio est; quòd talis, licet careat domicilio habitationis, non tamen careat domicilio propriæ originis: quô etiam, & non solô habitationis domicilio ut vagus careat, apud Clarum §. *fin. q. 39. n. 8.* aliqui requirunt. Sed malè; quia aliàs vagus nemo esset præter eum, cujus originis seu nativitatis civitas, vel locus penitus esset eversus, vel chasmate, seu terræ hiatu aut mari absorptus. Quare vagabundis is quoque accensendus est, qui à pristino domicilio discedens iter facit, quærens, ubi domicilium collocet: imò id in certo animóque jam destinato fixurus; nam & de hoc, dum est in via, procedit illud Celsi JCT.[i] *Nam hunc puto sine domicilio esse, §. 2. cit.* quia, dum in via est, animô & factô discedendo prius domicilium amisit: posterius autem nondum acquisivit; cùm sola animi destinatione sine actualis habitationis facto domicilium non comparetur, *l. Domicilium 20.* junctâ Glossa *V. Eôdem, ff. ad Municip. ut n. 25.* dicetur Ita cum Interpp. *citt.* & Claro *cit. n. 8.* Barbosa §. *Proinde cit. Art. de Foro delicti, n. 17.* Henriquez *Lib. 11. cap. & n. 3.* & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 25. n. 1. & 3.*

Deinde Originis forum quis sortitur in loco originis paternæ, sive in civitate, oppido, vico, in quo natus est pater, *l. Assumptio cit. §. 1. l. Ejus qui 9. ff. ad Municipal. & l. Cives cit.* adeò; ut, si pater alicujus loci civis domicilium mutet ac transferat in locum alium, in isto natus filius non solùm ratione originis propriæ, sed etiam paternæ forum sortiatur in loco, in quo pater est natus, Bartolus *in l. Assumptio cit. n. 2.* Dominic. *in c. Nullus cit. n. 10. & cit.* Barbosa *n. 25.* qui tamen rectè monet, ex consuetudine in propriæ & paternæ 20.

quoque originis foro quem conveniri, hodie non conſueviſſe *n.* 35. & de Jure etiam non poſſe, niſi in eo reperiatur, *n.* 37.

21. Maternam originem & forum filius non ſortitur, *l. Filios 3. C. de Municip. & orig.* niſi vulgò conceptus, *l. Vulgò 27. ff. de Satu hom.* vel ſpurius ſit, *l. Ejus qui cit.* cùm enim talis patrem, quem demonſtret, non habeat, vel eum, quem habet, honeſtè nominare non poſſit, *l. Vulgò cit. ubi* Bruneman. *n.* 1. matris ſuæ originem, forúmque eum ſequi oportet, Boërius *Deciſ.* 13. *n.* 10. *cit.* Barboſa *n.* 8. & Oliva *de Foro Eccleſ. p.* 3. *q.* 21. *n.* 3.

22. Demum Originis forum quis etiam ſortitur ratione originis avitæ, *l. Liberţus* 17. §. 9. *ff. ad Municipal.* Qua in re tamen locus, jmò opus eſt diſtinctione; vel enim eô natô, aut ſaltem conceptô, avus vixit, aut jam fuit mortuus? Si prius, ut avi forum nepos ſortiatur, Bartolus *in l. Aſſumptio cit.* §. 1. *in fine* expoſcit, ut ſit in avi poteſtate. Sed contra §. 9. *cit.* textum; cùm ex iſto originem naturalis avi nepos ſequatur etiam, ſi natus ſit in familia adoptiva: quô caſu certum eſt, nepotem non naturalis, ſed adoptivi patris ſubijci poteſtati, §. *Illud 10. V. Quodſi, Inſtit. Quib. mod. patria poteſtas. toll.*

23. Quare meliùs nepotem, conceptum avo vivente, iſtius originem & hujus ratione forum quoque ſequi, cum Baldo *in l. Cui juriſdictio 2. ff. de Juriſdict. n.* 4. Salyceto *ibid n.* 6. Marian. Socin. *ad hanc Rubr. n.* 15. *ad finem* docet *cit.* Barboſa *n.* 27. & 31. Si poſteriùs & avô jam mortuô conceptus eſt, ejus originem nepos non ſequitur, ut cum Alex. *Lib. 5. conſil. 16. n. 9.* idem docet *n.* 28.

24. Sicut hujusmodi avi, ſic nec proavi aut ulteriorum, per lineam paternam aſcendentium originem quis ſequitur, Gloſſa *in l. Aſſumptio cit. V. Non Domicilium cit.* Barboſa *num.* 22. & Oliva *cit. q.* 21. *n.* 2. ne loci, in quo Adam conditus & natus eſt Noe, Originarii omnes homines judicentur, ut *in l. Filios cit.* cum Gloſſa *V. Patriâ*, notat Bartol. *num.* 2.

25. Secundò Forum Reus ſortitur ratione Domicilii habitationis, quod duplex ſtatui à DD. ſolet.

Unum Habitationis ſtabilis ac permanentis: ad quod in loco comparandum exiguntur duo, Animus & Factum, *l. Domicilium cit. ubi* Gloſſa *V. Domicilium*, ait, *Factô ſubintellige & animô; nam hæc duo ſunt neceſſaria.* Animô quidem in loco habitationem perpetuam ac ſtabilem, ſive ad nullum certum tempus definitam, conſtituendi, *l. Nec intereſt 26. ff. de Captivis & poſtlim.* cujus *pr.* Florentinus JCTus ait, *Ita tamen, ſi eâ mente venerit, ut non illò revertatur: nec enim ſatis eſt, corpore rediiſſe, ſi mente alienus eſt.* Factô autem habitationis in loco conſtitutæ: etiamſi quandoque ex cauſa, vg. peregrinationis, muneris vel negotii gerendi vel perficiendi, ſed rediturus, aliò avocetur, Gloſſa *fin. in l. Cives cit.* Panormit. *in c. fin. de Paroch. n.* 8. Felinus *in c. Dilectus 29. de Reſcript. n.* 12. Marian. Socin. *in cap. fin. hâc Rubr. n.* 25. Sylveſter *V. Domicilium n.* 2. Navarrus *ad Rubr. de Temp. ordinat. Conſil. 10. n.* 2. Menoch. *de Arbitr. caſu 86. n.* 2. & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. diſp. 23. n.* 1. & 2.

26. Neque ad domicilii comparationem neceſſarium eſt Primò, ut quis, ultra habitationem in loco conſtitutam, in eo habeat majorem partem rerum ſuarum ac fortunarum, ut vult laudatus Barboſa *in l. Exigere 65. ff. de Judiciis n.* 62. in eam rem allegans, *l. Cives cit.* ibi, *In loco habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerúmq; ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit* & *l. Senatores 2. C. Ubi Sena-*

Ubi Senatores, & Clariſſ. ex cujus Imperiali reſcripto Senatores conveniuntur & reſpondere tenentur, *Ubi larem foverint, aut ubi majorem bonorum partem poſſident & aſſiduò verſantur.* Sed malè; cùm enim poſteriori hôc textu ad domicilii comparationem, ultra habitationis aſſiduitatem, alternativè duntaxat exigatur; ut larem quis foveat in loco, vel majorem bonorum partem in eo poſſideat, perperam poſterius hoc ad illius comparationem determinatè neceſſarium aſſeritur: & ſtatuendum omnino eſt, ad domicilii comparationem in loco ſufficere habitationis in eo conſtitutionem, animô ſtabiliter in eo permanendi, ut cum *cit.* Panormit. *in fine*, Bartolo *in l. Non ſolùm 8. §. Morte 6. ff. de Novi oper. nunt. n. 17. cit.* Menoch. *n. 6. & 18.* & ipſomet Barboſa, ſibi contrario, *in l. Hæres abſens cit. §. fin. n. 78.* & aliis tradit *cit.* Oliva *n. 2.* nihil obſtante *l. Cives cit.* quia hæc exaudienda eſt de caſu dubio, quô de animo in loco perpetuò habitandi neque ex voluntatis declaratione expreſſa, neque ex alia conjectura ſatis conſtat; tali enim caſu ex rerum ac fortunarum ſummæ in locum translatione ſtabiliter in eo permanendi animus rectè præſumitur: licet, cùm iſte aliunde exploratus eſt, id neceſſarium non ſit, & domicilium in loco conſtitui queat, fortunarum majore parte, imò omnibus bonis alibi exiſtentibus, ut *in l. Cives cit.* notat Bruneman. *n. 5.* cum Platea *ibid. n. 5.* & Zanger *de Except. p. 2. cap. 1. à n. 34.*

27. Neque ſecundò; ut quis in loco domicilium conſtituiſſe præſumatur, decennalem in eo habitationem neceſſariam, rectè deſumitur ex *l. Nec ipſi 2. C. de Incolis*; cùm, in loco domicilium contractum, aliquando ex brevioris temporis habitatione intelligatur: ut, ſi in habitationis locum quis totam familiam rerúmque & fortunarum ſuarum ſummam tranſtulerit, *l. Cives & l. Senatores citt.* ſi beneficio Eccleſiaſtico, perſonalem reſidentiam expoſcenti, in eo obtento deſerviat, aliæve conjecturæ domicilii figendi animum declarantes accedant: & contrà idem aliquando ex longioris temporis habitatione non intelligatur, quòd ejus cauſa ſolùm temporanea ſit: ut, ſi quis decenniô & ultrà in loco habitet causâ ſtudiorum, negotii longiorem moram exigentis, famulatûs aut ſervitii ruralis, aut etiam alicujus temporanei officii vel præfecturæ, Panormit. *in c. fin. cit. in fine*, Felinus *cit. n. 12. V. Secundam, citt.* Barboſa *§. fin. cit. à n. 95.* Menoch. *n. 16.* Oliva *n. 6.* Bruneman *in l. Nec ipſi cit. n. 6.* & alii, qui *l. cit.* locum eſſe, & domicilii conſtituendi animum ex habitatione decenniô continuata rectè præſumi, aiunt in dubio, & deficientibus conjecturis in contrarium; ut adeò cum DD. *citt.* hac in re plurimùm tribuendum ſit prudentiæ & arbitrio judicis, de domicilii conſtituendi animo, ex accuratè conſideratis loci, perſonarum, diuturnioris commorationis cauſarum, aliiſque circumſtantiis, conjicientis ac pronuntiantis.

28. Neque tertiò, ut quis domicilium in loco comparâſſe intelligatur, neceſſarium eſt; ut id conſtitutum non habeat alibi, aut, quod habuit, deſeruerit; cùm enim ad domicilium comparandum requiſitus animus & factum reſpectu duorum locorum haberi queat, domicilium quis in duobus locis conſtitutum habere poteſt & cenſetur, ſi ad habitationem ſtabilem æquè bene inſtructas ædes rerúmque & fortunarum ſuarum partem magnam utrobique habeat, & non minùs in uno, quàm in altero loco per magnam anni partem moretur, *l. Labeo 5. l. Aſſumptio 6. §. 2. & l. Eius qui 27. §. 2. ff. ad Municipal.* Gaill. *Lib. 2. Practic. obſerv. 35. n. 8.*

35. n. 8. Zanger *cit. cap.* 1. *n.* 8. Bruneman *in l. Labeo cit. n.* 1. & Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. tract.* 3. *n.* 350. ex communi aliorum DD. sensu notantes, si quis, ut in Gallia Nobiles facere consueviſſe, testis est Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 37. *n.* 131. in pluribus vg. quatuor anni temporib⁹ in totidē diversis, & ad habitandū æquè instructis locis ejusmodi animô degeret, plura & omnino quatuor domicilia habiturum.

29. Alterum Habitationis solùm temporaneæ: quod etiam quasi domicilium vocatur, & habere quis censetur in loco, in quo animô, non perpetuò, sed per annum, aut majorem vel saltem notabilem anni partem, commorandi degit: sicut in Academiis studiosi, famuli & ancillæ in oppidis, negotiatores in civitatibus, in quibus tanto tempore ibi permanendi animô officinam vel tabernam constituerunt, vel conduxerunt, *arg. l. Hæres* §. 2. *cit.* Laiman *Lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *n.* 1. & Pirrhing *ad hanc Rub. n.* 18.

30. Dubium nunc & quæstio est, an reus in Originis vel Domicilii foro sit conveniendus. Ratio dubitandi est; quòd Originis forum Naturale; ac proinde quocunque alio firmius sit: & Originis jus retineatur, quantumvis domicilium & habitatio aliò, ibi perpetuò manendi animô, transferatur, aut ei renuntietur, *l. Assumptio cit. pr.* junctâ Glossâ *V. Mutare & l. Origine cit.* Sed, licet de rigore Juris hoc verum sit quoad munera & honores, quoad jurisdictionem tamen hodiernâ praxi domicilii sive habitationis major, quàm Originis fori ratio habetur, Glossa *in c. Statutum* 11. §. *Cùm verò V. Unam, de Rescript. in* 6. ut quantumvis in Originario non, nisi præsens sit, Bartol. *in l. Assumptio cit. n.* 2. & Panormit. *in c.* 1. *hâc Rubr. n.* 6. in illo tamen, sive Domicilii veri & permanentis foro etiam absens conveniri possit in Civilibus & Criminalibus, Glossa *in Clement. Unic. V. Subditos hâc Rubr.* etiam de contractibus, rebus, delictis alibi celebratis, sitis, vel commissis, *l.* 1. *C. Ubi de Crim. agi*, Panormit. *in c. fin. n.* 30. &, licet à Domicilii judice vel magistratu extra territorium absens capi, sine istius & alienæ jurisdictionis violatione, nequeat; cùm reum capere sit actus jurisdictionis Necessariæ, extra territorium proprium judici non permissus, *l. fin. ff. de Jurisdict. & c. fin. de Constitut. in* 6. ipsi tamen per nuntium vel literas insinuari potest ab eo mandata citatio: &, si contumaciter absens sit, excommunicari, *c. Tuæ* 3. *Ut lite non contest. c. Ex tuæ* 11. *de Cleric. non resid. &c.* cùm citationis insinuatio, per nuntium aut literas facta, actus iudicialis non sit: & excommunicatione in absentem latâ, quòd invisibiliter animam liget, alienum territorium non violetur, *cit.* Panormit. *n.* 42. dummodo tamen reus à iudice vel magistratu contractûs, rei alibi sitæ, vel delicti per citationem non fuerit præventus, Clarus §. *fin. q.* 39. *n.* 4. & Covarr. *Practic. cap.* 11. *n.* 6. §. 6. Rationem, cur in foro domicilii ita conveniri reus possit, *cit.* Panormit. *n.* 38. reddit; quòd forum hoc ordinarium & generale sit quoad omnia. Cuius ulterior ratio est partim; quòd domicilii iudex iurisdictionem habeat in personam, etiam absentem, sine respectu ad territorium; ac proinde in hanc, etiam non præsentem, procedere valeat, quando id fieri potest sine iurisdictionis & territorii alieni violatione: sicut fit per citationem & excommunicationis sententiam in hominem latam: partim verò; quòd, etsi delictô alibi commissô huiusmodi iudicis territorium & delinquentis domicilium læsum non videatur, publicè tamen interest; ut, qui ratione domicilii subditi sunt, ubicunque delinquant, ne impunitatis spe ad provincias

31.

32.

alienas

alienas se conferant, à proprii domicilii magistratu in eos procedi possit modis, quibus territorium & iurisdictio aliena non violatur.

Neque de excommunicatione dictis adversatur *c. fin. cit. V. Statuto, de Constit. in 6.* quia istius textus differtè loquitur de ea latâ per statutum, indistinctè afficiens territorium: non de ea, quæ in subditum citatum & contumaciter absentem fertur ab homine: &, quia alienum territorium non violat, in eum promulgari Jure non prohibetur; Panormit. *cit. n. 42.* & Francus *in §. cit. n. 14.*

Non magis urget ratio dubitandi; quia, licet Origo semper retineatur: & ut, qui illam ex loco ducit, inde ortus non sit, fieri non possit, effectus tamen & iura, ratione illius competentia, amitti & suspendi possunt; cùm, ut iam insinuatum est, origo, de Jure etiam, respectu honorum duntaxat & munerum, saltem tutelæ, consideretur, Glossa *in l. Assumptio cit. V. Non domicilium* & Hostiens. *in Summa hic n. 6. ad finem*, si Originarius domicilium sive habitationem aliò transferat & non revertatur: præterquam, quod in Originis suæ diœcesi sacros Ordines recipere possit, *c. Cùm nullus 3. de Temp. Ordinat. in 6.* Oliva *cit. q. 21. n. 15.* cùm *n. 14.* monuisset, ex consuetudine generali, præter hunc casum, forum Originis, si cum eo habitationis domicilium non concurrat, etiam quoad honores & privilegia non considerari.

33. Neque in Domicilii, sed etiam in quasi domicilii sive habitationis solùm temporaneæ loco forum quis sortitur, ut ibi possit conveniri, *l. Sciens 2. C. Ubi de Crim. agi*; quia judex domicilii veri, tam Ecclesiasticus quàm Secularis, absolutè: judex autem quasi domicilii, quamdiu reus ibi permanendi animum habet, illius personam sibi habet subjectam, Panormit. *in c. Quod Clericus 9. n. 5.* & aliis relatis, duo Barbosæ Petr. *in l. Hæres cit. §. fin. n. 111.* Augustinus *in c. cit. n. 3.* Ex hactenus dictis

Inferunt DD. primò, sicut laicos 34.
cives coram magistratu suæ civitatis Seculares, sic clericos in loco beneficii Ecclesiastici, residentiam postulantis, coram Prælato ejusdem loci Ecclesiastico conveniendos, Felinus *in c. Dilectus 29. de Rescript. n. 2.* Panormit. *in c. Postulasti 14. hâc Rubr. n. 4.* & Laiman *in c. Dilectus cit. n. 1.* quia ibi ratione hujusmodi beneficii obtenti habent, & tamdiu retinent domicilium habitationis permanentis, quamdiu beneficia non dimittunt. Si verò clericus duo vel plura ejusmodi beneficia, ex dispensatione simul obtineat, & iis personaliter deserviat, coram utriusque diœcesis Episcopo conveniri potest, etiam, cùm à loco est absens; quia necessitas sive obligatio residendi facit, ut ibi domicilium contrahatur: & quamdiu illa durat, retineatur, ut cum *citt.* Felino *n. 4.* Panormit. *n. 4.* Sylvestro *V. Civitas, q. 5.* & aliis docet Sanchez *Consil. Lib. 7. cap. 1. dub. 23. n. 3. & 4.* Dixi, 35.
Residentiam postulantis; quia, si hanc beneficium non exigat, coram ejus loci Episcopo conveniri non potest, nisi ratione ipsius beneficii sit conveniendus; quia ratione beneficii non semper domicilium acquiri, patet ex *c. Cùm nullus 3. de Temp. Ord. in 6.* ubi ordinari quis posse dicitur in loco beneficii & domicilii, manifestò argumentò, ratione beneficii domicilium non semper; ac proinde, saltem cùm illud residentiam non exigit, non acquiri.

Inferunt secundò, Monachos aliósque Religiosos, etsi originis commoda 36.
non amittant, *arg. l. Senatores 11. ff. de Senator.* domicilium tamen sortiri in loco sui Monasterii; ut, quamdiu ad aliud Monasterium non transferuntur, coram illius

illius Prælato conveniri possint, Panorm. *l. cit. n. 5.*

37. Inferunt tertiò, Studiosos, famulos & ancillas, mercatores & similes coram ejus loci, in quo degunt, Academico vel alio proprio aut communi Magistratu conveniendos, *arg. l. Sciens cit.* Glossa *ibi, V. Degit.* & Panormit. *cit. n. 5.* quia ejus loci quasi incolæ, & Academici vel alterius loci magistratûs subditi temporanei censentur, *arg. l. Hæres §. Proinde 2. cit.* propter quam causam in tali loco etiam jus Parochiæ acquirunt, ut ab ejus Parocho vel Episcopo omnia Sacramenta (Ordine excepto) recipere possint, Innocentius *in c. Omnis 12. de Pœnit. & Remiss. n. 6.* Sylvester *V. Parochia, in fine,* & aliis relatis laudatus Sanchez *Lib. 23. de Matrim. disp. 23. n. 12.* Unde

38. Dubium nascitur, an hujusmodi loci incolæ etiam super contractibus & delictis alibi celebratis vel commissis conveniri queant coram judice loci, in quo degunt. Ratio dubitandi est, quia Jura, extra contractûs vel delicti locum aliquem conveniri permittentia, de stabilis & perpetuæ habitationis & veri domicilii loco accipienda, suadet Regula, quâ legum & canonum verba simpliciter prolata in omni materia simpliciter & non secundùm quid accipienda sunt, *l. Non aliter 45. ff. de Legat. 3. & l. 1. §. 3. ff. de V. O.* & statutum loquens de cive ab eo, qui verè civis est, trahendum non est ad incolam, qui in loco versatur per accidens, & uno tantùm alteróve civium jure gaudet, Tuschus *Practic. V. Verba, concl. 92. n. 10.* Qua ratione ductus *Engel ad hanc Rubr. n. 10.* eos, qui studiorum causâ versantur in Academiis ratione contractuum & delictorum in loco studiorum, non etiam alibi celebratorum vel commissorum, coram Magistratu Academico conveniri posse, existimat cum Bartolo *in l. Hæres absens 19. §. Proinde 2. ff. de Judic. n. 7.* Hostiens. *in c. Quod clericis 9. hâc Rubr.* & Salyceto *in l. Sciens 2. C. Ubi de crim. agi oport. n. 2.*

Sed magis arridet Opinio Glossæ *fin. in l. cit.* Panormit. *in c. Quod clericis 9. n. 5.* Felini *in c. Dilectus 19. de Rescript. n. 12.* & Pirrhing, *ad hanc Rubr. n. 18.* qui scholares, mercatores & similes in locis, in quibus studiorum, negotiationis, aliâve simili causâ per notabilem aut majorem anni partem morantur, etiam ratione contractuum alibi celebratorum, vel commissorum delictorum, coram ejus loci proprio magistratu conveniri posse, docent & desumunt ex *l. Senatores 2. C. Ubi Senat. & clariss. conven.* & præsertim ex *l. Sciens cit.* quâ plagiarius conveniri posse dicitur in loco, *Ubi degit*, hoc est, *conversatur, ut scholaris in scholis, licet domicilium non habeat ante decennium l. Nec ipsi 2. C. de Incolis:* imò hôc etiam lapsò, si in eo versatur sine animo stabiliter permanendi, *l. Cives cit.* Ratio est partim; quia, licet in tali loco non contrahat domicilium, *l. Nec ipsi cit.* contrahit tamen quasi domicilium, ratione cujus in eo conveniri possit; cùm absurdum videatur; ut in loco quis diu moretur, & in eo nolit respondere: partim verò; quia ratione hujusmodi quasi domicilii, constituti in loco, subjicitur jurisdictioni fori interni, ut Pœnitentiæ aliáque Sacramenta à proprio loci Episcopo vel parocho recipere valeat, ut multis DD. congestis latè comprobat Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 23. n. 12.* & Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 12. n. 1.* Cur non etiam subjiciatur jurisdictioni fori externi? quia verè ac propriè in tali loco degit; cùm hoc solùm, ut quis ratione criminis in loco conveniri possit, exigatur *l. Sciens cit.*

Unde corruit ratio dubitandi; quia talis, licet loci civis propriè non sit, in eo 39

tamen

tamen, ut dictum, propriè degit. Quantumvis autem propterea in tali loco super contractu vel crimine alibi celebrato vel commisso valeat conveniri, casu tamen, quô hujusmodi accidentarius loci incola verum domicilium non procul remotum habet, eum coram istius potiùs, quàm alio magistratu conveniri, & actorem ad illũ remitti, æquum est; præsertim, si defensiones in veteri domicilii loco paratiores, & inde petendæ essent.

40. Inferunt quartò cum Glossa *in l. Hæres cit. V. Debebit*, Bartol. *in §. Proinde cit. n. 4.* & Panormit. *in c. fin. n. 13.* homines vagabundos, qui verum aut quasi domicilium nullibi habent, etiam super contractibus & delictis alibi celebratis vel commissis, conveniri & puniri posse, ubi existunt, juxta tritum illud, *Ubi te invenero, ibi te judicabo*; quia æquitas & publici boni ratio exigit; ut etiam ipsi habeant judicem competentem, coram quo super debitis & delictis respondere teneantur etiam, quando ex ejusmodi loco discesserunt, Sanchez *Lib. cit. disp. 15. n. 5.*

41. Inferunt quintò, sicut omnes subditi conveniri possunt in Curia Regis vel Imperatoris, sic clericos & peregrinos omnes, etiam laicos, in causis spiritualibus conveniri posse in Curia Romana, si ibi existant, *c. & V. fin.* Ratio est: quia Roma quodammodo communis omnium patria est: &, sicut omnes Ecclesiæ sitæ sunt in territorio Papæ, sic iste omnium Christi fidelium, in causis saltem spiritualibus, ordinarius est judex, *can. Cuncta 17. & can. fin. 9. q. 3.* Barbosa *in l. Consensisse 2. §. Legatis 3. ff. de Judic. n. 33.* Quô tamen non obstante, clericus vel alius peregrinus, Romæ conventus, litem ad locum domicilii sui specialem revocare potest ex justa causa, vg. quòd in hoc ad respondendum meliùs sit instructus: vel, quòd Romam venerit ex causa necessaria, vg. legationis, appellationis, testimonii &c. & non merè voluntariâ, ut *in §. fin. cit.* cum Glossa *fin.* advertit Panormit. *n. 46.*

ARTICULUS III.

De Foro competente ratione Contractûs.

SUMMARIUM.

42. *Reus ratione Contractûs in istius celebrati loco,*
43. *Quoad principalem & accessorias obligationes:*
44. *Uti & in loco Distractûs forum sortitur.*
45. *Ibidem conveniri etiam potest ad rescissionem contractûs:*
46. *Si iste non utrinque,*
47. *Sed ex altera tantùm parte sit perfectus.*
48. *Reus forum etiam sortitur in loco, in quo se soluturum expressè,*
49. *Vel tacitè promisit;*
50. *Ut in tali loco procedi in ejus personam, si in eo sit præsens:*
51. *Si absens sit, citari:*
52. *Et, si non compareat, immissio in ejus bona decerni valeat.*
53. *Si bona non habeat, in loco domicilij est conveniendus.*
54. *Ratione Solutionis promissæ in loco incerto, in ejus promissæ loco,*
55. *Vel, in quo reperitur:*
56. *Non tamen quovis remotissimo loco conveniri potest.*
57. *Per locum transeuntes ratione contractûs in eo non conveniuntur:*
58. *Nonnullis casibus exceptis.*
59. *Ratione administrationis publicæ,*
60. *Imò & privatæ reus etiam absens in ejus gesta loco conveniatur.*

42. TErtiò, reus Forum ratione Contractûs sortitur in loco, cujus civis & incola non est, si ibi contraxit, *l. Hæres absens 19. §. 2. ff. de Judic. & c. fin. hâc Rubr.* si ibi inveniatur, *c. 1. §. Contrahentes in 6.* Quâ in re contractûs nomen non strictè, pro ultro citróque obligatoria conventione, ut vg. emptio & venditio est: sed largissimè sumitur, ut etiam quasi contractus vg. tutelam, curatelam, negotiorum gestionem & quemcunque alium actum, quò obligatio per se vel per alium contrahitur, comprehendat, *l. Hæres cit. §. 1. & 2. & l. Omnem 20. ff. de Judiciis*, Glossa *in c. fin. cit. V. Seu contractûs*, Panormit. *in c. cit. n. 29.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 1. n. 354.*

43. In contractûs autem ita sumpti loco reus forum sortitur, & coram ejus ordinario judice conveniri potest non solùm quoad obligationem principalem, ex contractu ortam, & ad istius implementum: sed etiam quoad obligationem secundariam, puta ad damna & interesse propter moram debitoris, suo tempore non solventis, ut cum Panormit. *in c. Dilecti 17. n. 6.* Felino *in c. fin. cit. n. 19.* & Decio *in l. Si convenerit 18. ff. de Jurisdict. n. 31.* tradunt Petr. Barbosa *in l. Hæres cit. §. Proinde cit. n. 7.* & Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 22. n. 5.*

44. Neque solùm ratione contractûs, sed distractûs quoque ratione forum quis sortitur; ut, ubi is factus est, conveniri queat, *citt.* Barbosa *n. 12.* Oliva *n. 2.* & alii, *2. cit.* id desumentes ex *§. cit.* ibi, *Si conduxit, ibique distraxit, & l. Qui loco certo 27. ff. de Judiciis.* Ratio est; quia, ubi par ratio est, appellatione contractûs venit & distractus, *arg. l. Labeo 19. ff. de V. S.* iisdémque Regulis, quibus contractus, etiam distractus continetur, *l. Pomponius 13. §. 2. ff. de Adquir. possess.* Gaill. *Practic. Lib. 2. observat. 2. n. 5.* Ubi

45. Dubium & percelebris inter DD. controversia est, an in celebrati contractûs loco quis conveniri queat ad solam contractûs observationem sive ad ejus implementum, vel etiam ad rescissionem & annullationem. Cui ansam præbuêre pugnantes in speciem Juris definitiones *l. Quoniam 2. C. Ubi & apud quem cognit.* & *l. In contractibus 14. C. de Non numer. pec.* ex quarum illa restitutio minoris adversus contractum petenda est apud judicem domicilii rei conventi; ex istius *§. fin.* mutui receptionem confessus in loco contractûs opponere valet exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ ex se tendit ad contractûs mutui certò locò celebrati rescissionem. Quæ Juris definitiones Doctores in sensus omnino contrarios distraxerunt: & prior, ad contractûs resolutionem reum in solo domicilii loco conveniendum, Baldo *in l. Quoniam cit.* Decio *in Rubr. de Judiciis n. 2.* Cald. Pereyræ *in l. Si curatorem 3. C. de in Integr. restit. V. Implorandum, n. 30.* Tiraquello *Lib. 1. de Retract. §. 8. gloss. 5. n. 2.* & Guttierez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 34. n. 9.* posteriorverò, illum ad rescissionem etiam in contractûs celebrati loco, & in eo inveniatur, conveniri posse, Ant. de Butr. *in c. fin. hâc Rubr. n. 12.* Felino *ibid. n. 24. ad finem*, Curtio jun. *in Rubr. C. de Edendo n. 16.* & Covarruviæ *Lib. 1. Var. cap. 4. n. 1. ad finem* persuasêre.

Mediam inter utramque viam ingressus Petr. Barbosa *in §. Proinde cit. n. 24. ll. citt.* componit, & pugnantes DD. Opiniones in concordiam reducit adinventâ distinctione inter contractus; vel enim, inquit, iste ex utraque parte jam perfectus, vel ita perfectus non est?

Si prius, & ad jam perfecti ullóque vitiò non laborantis contractûs rescissionem agatur ex qualitate aliqua extrinseca, 46.

locus

locus decisioni *l. Quoniam cit.* & contractus rescissio petenda est à judice domicilii rei conventi: non à judice loci celebrati contractus, licet ibi reus inveniatur. Ratio est; quòd, cùm plenè perfectô & utrinque jam impletô contractu ex eo orta actio sublata jam sit, *princ. Instit. Quib. mod. oblig. toll.* in consequentiam etiam sublatum sit forum, ratione contractus ad ejus implementum Jure constitutum, *Reg. Cùm principalis 178. ff. & Reg. Accessorium 42. in 6.*

47. Si posterius, & contractus ex utraque parte perfectus non fuit, aut vitiô aliquô intrinsecô vg. iniquitate usurariâ laborat, ad ejus rescissionem vel nullitatis declarationem etiam in celebrati contractûs loco contra reum in eo inventum agi potest, *l. In contractibus §. fin. cit.* cùm, qui de non numerata pecunia excipit, apertè asserat, contractum ex una parte non esse impletum; ac proinde adhuc imperfectum: sicut & is, qui eum vitiô intrinsecô & iniquitate usurariâ laborare, ait; ut adeò ex pecuniæ non numeratæ defectu aut vitio contractûs intrinseco agenti nihil obstet, quò minùs reum conveniat in loco contractûs; cùm istius forum necdum sit sublatum, ex mente Alciati *in l. Vinum 22. ff. de Reb. credit. n. 32.* Quam *ll. citt.* & DD. conciliationem comprobant *cit.* Oliva *q. 22. à n. 9.* & August. Barbosa *in l. In contractibus cit. n. 32.* Non etiam Bruneman. *in l. cit.* etiam, cùm omnino perfectus est contractus, in istius celebrati loco ad rescissionem agi posse, asserens *n. 22.* sed contra semet ipsum *in l. Quoniam cit. n. 2.*

48. Quod si contractûs implemento sive solutioni contrahentium mutuo consensu certus locus destinatus est, ibi forum ratione Contractûs: non in istius celebrati loco, sortitur reus, qui alibi soluturum se promisit. Unde vel ibi, vel in domicilii loco, pro actoris arbitrio, valet conveniri, *l. Hæres cit. §. fin. quòd contraxisse unusquisque in eo loco intelligatur, in quo ut solveret, se obligavit,* textus est *l. 22. ff. de O. & A.* Quæ imperialis dispositio Jure Ecclesiastico ita confirmata est; ut clericus, qui alibi se soluturum promisit, ibi conveniri possit, non obstante privilegiô, ipsi specialiter concessô, ut non nisi certo loco valeat conveniri, *c. Dilecti 17.* quòd, alibi se soluturum promittens, hujusmodi suo privilegio tacitè renuntiare censeatur, Glossa *in c. cit. V. Certo loco, ubi* Panormit. *n. 4.* & Haunold. *cit. n. 354.*

Neque obstat; quòd clericus sine licentia proprii Episcopi, in se prorogare nequeat jurisdictionem alienam, etiam Ecclesiastici judicis, *c. Significâsti 18.* quia, licet hoc nequeat expressè, potest tamen tacitè, sive ipso facto, scilicet certo eóque alieno loco contrahendo, aut eò destinando promissam solutionem; tali enim contractu & promissione factâ alieni judicis jurisdictioni sine proprii consensu subjicitur, non merâ suâ voluntate: sed ex dispositione & assistentia Juris, vim, sicut adimentis expressæ, ita tribuentis hujusmodi tacitæ alienæ jurisdictionis in clericum prorogationi, Innocentius *in c. Dilecti cit. n. 2.* & Gonzalez *in c. Significâsti cit. n. 11.* Unde

Dubium oritur, an ergo peregrini 49.
omnes forum sortiantur in loco, ubi contraxerunt. In quo Negativa: & ratione Contractûs eos duntaxat, qui ibi se soluturos aut responsuros, expressè vel tacitè, promiserunt, forum sortiri, est receptum, Glossa *in §. & V. Contrahentes cit.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 33.* Laiman *ibid. n. 16.* Tacitè autem ad id se obligare præsumuntur, qui ibi ad tempus moram trahunt, vel negotium tractare incipiunt, vel officinam aut tabernam conduxerunt,

aut pergulam ad res vendendas constituerunt, sicut mercatores ad nundinas venientes solent: etiamsi in tali loco verum aut quasi domicilium non habeant, *l. Hæres cit.* §. 2. *V. Nunquid*; eò ipsò enim, quòd ibi officinam, tabernam vel pergulam constitutam quis habeat, non statim; vel potiùs non antè, quàm ratione contractuum ibi celebratorum debitam satisfactionem præstiterit, recessurus creditur, Oliva *cit. q.* 22. *n.* 59.

50. Dubium secundò est, an & quomodo judex ratione contractûs jurisdictionem suam exercere valeat in eum, qui in loco contraxit, vel in eo se soluturum, expresse vel tacitè promisit. Quâ in re frequentiori DD. calculo approbata est distinctio; vel enim, inquiunt, reus in tali loco reperitur, vel non?

Si prius, quamdiu in loco reperitur, jurisdictionem suam exercere potest in ipsam ejus personam, eam per citationem in jus vocandò, & vocatam ad comparendum opportunis remediis compellendò, *c. Dilecti* & §. *Contrahentes citt.* Ratio est; quia ratione contractûs forum sortitur & loci magistratui subditus est saltem, dum in eo existit, *l. Hæres absens cit. pr.* ut, quamdiu præsens est, personaliter citari valeat & compelli, Panormit. *in c. fin. cit. n.* 36. Francus *in* §. *cit. n.* 1. Covarr. *Lib.* 1. *Var. cap.* 4. *n.* 1. & Oliva *cit. q.* 22. *n.* 23. Eâ autem citatione Ordinarii contractûs vel solutionis promissæ loci judicis jurisdictio ita firmatur; ut ad comparendum ac respondendum reus præsens compelli, imò, si causæ qualitas exigat vel permittat, capi quoque & incarcerari queat: &, si contumaciter se absentet, aliis remediis in eum procedi &, si à judice Ecclesiastico citatus fuit, excommunicari: imò, si status causæ permittat & de actoris jure liqueat, etiam super principali negotio condemnari queat, *c.* & §. *fin. Ut lite non contest.* & *l. Properandum* 13. §. 3. *C. de Judiciis*, Panormit. *cit. num.* 36.

Si posterius, & reus in contractûs vel promissæ solutionis loco non reperitur &, dum in eo existeret, citatione prævenitus non fuit, in ipsius extra talem locum existentis personam procedere, eúmque citare loci judex nequit ad effectum; ut, si non compareat, excommunicari vel in principali negotio procedi possit; quia tam excomunicationis, quàm hujusmodi condemnationis sententia concernunt ac tendunt in personâ: quam extra locũ non existentem & jam non subditam ad suum forum trahere invitam judex non potest, ut *in c. fin. cit.* rectè observant Hostiens. *n.* 3. Ant. de Butrio *n.* 15. & Fagnanus *à n.* 15. Citari tamen tali casu etiam absens à con- 51. tractûs vel solutionis promissæ loci judice potest sub comminatione, actorem in possessionem bonorum, quæ in loco habet, immittendi in casum, quô nec comparuerit ad respondendum, neque actori satisfecerit, vel de satisfactione exhibenda idoneam præstiterit cautionem: &, si tali citatione insuper habitâ & contemptâ neque satisfecerit, vel de satisfaciendo præstiterit cautionem, vel etiam, si, ne citatio ad ipsum perveniret, se occultârit, ad petitionem actoris declarari contumax, & decerni actoris immissio in possessionem bonorum, quæ in celebrati contractûs vel solutionis promissæ loco absens habet, eaque immissio actu fieri potest; ut tædiô affectus compareat ad respondendum, §. *fin.* & §. *Contrahentes citt. ubi* Glossa *magna* Franc. *à n.* 1. Panormit. *cit. n.* 36. & Covarruv. *Practic. cap.* 10. *num.* 4.

Quodsi reus ita citatus & contuma- 52. citer absens bona in talis judicis loco seu territorio sita non habeat, ea tamen habeat alibi vg. in loco domicilii, judex loci contra-

contractûs vel ſolutionis immiſſionem in ea faciendam ad petitionem actoris ſolummodo decernere : pro actuali verò in ea immiſſione in illa facienda judicem domicilii vel alterius loci, in quo ea ſita ſunt, requirere debet, §. *Contrahentes cit. in fine, cit.* Panorm. *n. 36.* Covarr. *n. 4. in fine*, & Pirrhing. *ad hanc Rubr. n. 39.*

53. Demum, ſi poſt hujusmodi citationem contumaciter abſens bona etiam alibi ſita non habeat, à judice loci contractûs vel ſolutionis promiſſæ in ejus perſonam, utpote neque quoad perſonam ſuam neq; quoad res ſeu bona ſubjectam, decerni nihil poteſt: ſed ea ab actore ſuper impletione contractûs, & ex ſolutionis mora ſecutis damnis & factis propterea expenſis, coram judice domicilii conveniendo erit, *arg. l. Hæres cit.* §. *fin.* Pirrhing *cit. n. 39. in fine.*

54. Dubium tertiò eſt, coram quo judice ratione contractûs conveniendus ſit, qui ſe ſoluturum ac reſponſurum promiſit in loco incerto. Quæ promiſſio triplici modô fieri poteſt: ſcilicet primò, ubi promiſſor fuerit inventus: ſecundò, ubicunque creditor petierit: tertiò, Viennæ vel Auguſtæ appoſitâ clauſulâ generali &, *Ubicunque creditori placuerit*, Quorum caſuum

55. Primô conventionem nihil operari; ac proinde debitorem coram ſolo judice domicilii vel loci contractûs, ſi in ejus celebrati loco fuerit inventus, conveniri poſſe, exiſtimat Bartolus *in l. Si convenerit cit. n. 4.* eâ ductus ratione ; quòd, ſi conventio aliquid operaretur, à promiſſore ſolutio aliáve contractûs impletio in loco remotiſſimo peti poſſet: quod utique nimis durum eſt & abſurdum. Sed meliùs Decius *in l. cit. n. 3.* Panormit. *in c. 1. de Judiciis, n. 22.* Ant. de Butr. *ibid. n. 13.* & Barboſa *in l. Hæres cit. §. 1. n. 135* eum conveniri poſſe, docent, ubicunque fuerit repertus: dummodo locus idoneus ſit. Unde

Secundô etiam caſu in loco, in quo is à creditore inventus fuerit, conveniri poteſt : dummodo locus fuerit idoneus ac tutus; cùm utique in eo, ſi ob peſtem graſſantem tutus non eſſet, reſpondere non teneretur, *citt.* Decius *n. 23.* Barboſa *n. 144.* & Oliva *n. 43.*

Poſtremô caſu promiſſorem non ſolùm in expreſſis, Viennæ ſcilicet vel Auguſtæ, ſed in aliis quoque, non tamen multò remotioribus & ejusdem provinciæ locis, ſi in iis repertus fuerit, conveniri poſſe, cum Panormit. *cit. n. 22.* Ripa *in c. 1. cit. n. 71.* Jaſone *in l. Si convenerit cit. n. 44.* & aliis volunt *citt.* Barboſa *num. 153.* & Oliva *n. 44.* Ratio eſt ; quia caſibus in ſpecie expreſſis adjecta generalis clauſula interpretationem recipit à ſpecificatis, *arg. l. & §. fin. ff. de Tritico, vino &c. leg.* & expreſſis majores ac difficiliores caſus non comprehendit, *arg. c. Sedes 15. de Reſcript. & c. Qui ad agendum 4. de Procurat. in 6.* 56.

Dubium quartò eſt, an ratione contractûs in ejus celebrati loco conveniri etiam valeant viatores & peregrini contrahentes in loco, ad quem ſtatim receſſuri pervenerunt. Quorum licet primò occurſu eadem, quæ aliorum ratio eſſe videatur, eos tamen ratione ſolius contractûs ibi conveniri à ſcientibus, eos ſtatim diſceſſuros, non poſſe, ſed in domicilii ſui loco conveniendos, reſponſum eſt Ulpiani §. *Proinde 2. cit.* hujusmodi reddentis rationem ; *Quia duriſſimum eſt, quotquot locis quis navigans aut iter faciens delatus eſt, tot locis ſe defendere*, Gloſſa *in c. 1. cit. V. Reſpondere, hâc Rubr. in 6.* Felin. *in c. Ex parte 33. de Reſcript. n. 7.* Petr. Barboſa *in* §. *Proinde cit. n. 94.* & Gaill. *Lib. 1. Practic. obſervat. 39. n. 14.* 57.

58. Sunt tamen etiam casus, quibus per locum sine mora transiens viator ratione contractûs ibi potest conveniri: veluti Primò, si inter contrahentes convenit, aut consuetudo loci postulat; ut, qui in foro vel taberna pretium pro merce aut mercem pro pretio obtulit, ei merx aut pretium statim tradatur, Panormit. *in c. fin. n. 37.* & *ibi* Felinus *n. 19.* Secundò, si cum peregrino contrahens, eum peregrinum aut brevi discessurum, ignoret; hôc enim casu istum ratione contractûs convenire potest, argumentô à contrario ductô *ex cit.* §. 2. *citt.* Barbosa *n. 95.* & Oliva *n. 56.* Tertiò, si peregrinus de fuga, aut alia fraude sit suspectus; hunc enim in loco contractûs conveniri & ad solvendum vel satisdandũ cogi posse, monet Glossa *in* §. 2. *cit. V. Debebit.* Quartò, peregrinus transiens per locum, in quo institorem seu factorem habet, conveniri coram ejus loci magistratu potest ratione contractûs vel negotii, quod cum institore est gestum; quia perinde est, acsi cum ipso domino ibi esset contractum, ut ex *l. Hæres cit.* §. 5. colligit Laiman *in c. fin. n. 16. & §. 3. cit.* Bruneman *n. 34.*

59. Dubium quintò est, ubi quis forum sortiatur & conveniri valeat ratione administrationis. Et in loco quidem istius gestæ eum conveniri posse, si in eo reperiatur, ex dictis liquet. Quin etiam absentem ad comparendum in eo & coram judice, sub quo officium gessit, respondendum, atque administrationis rationes reddendas cogi posse, satis perspicuè proditum est, *l. 1. & l. fin. C. Ubi de ratiocin. agi op.* quarum tamen *ll.* definitionem *cit.* Barbosa *in l. Hæres* §. 1. *cit. àn. 68.* ad rationes administrationis publicæ, rerúmque pertinentium ad utilitatem publicam restringit: & pro privatæ administrationis rationibus reddendis in ejus gestæ loco, quem conveniri, si ibi non reperiatur, posse inficiatur, eâ ductus ratione; quòd, cùm quis ratione contractûs in ejus celebrati loco conveniri nequeat, si ibi non reperiatur, §. *Contrahentes cit.* à fortiori in loco, si non reperiatur, conveniri nequeat, ratione quasi contractûs.

Sed perperam; cùm restrictionẽ hanc 60.
non admittat & pro rationibus privatæ quoque administrationis reddendis in illius gestæ loco absentis conventionem apertè permittat Imprimis generalitas *Rubrica cit.* quæ est, *Ubi de ratiociniis tam publicis quàm privatis agi oportet.* Deinde *l. 1. cit.* Verba, *Qui aliena negotia sive ex tutelæ sive ex quocunque alio titulo administravit.* Et demum *l. fin. cit.* ratio; quia in administrationis gestæ loco *Instructio sufficiens & nota testimonia & verissima possunt documenta præstari:* quæ, sicut in publicarum, sic & in privatarum rerum administratione procedit. Quare, pro privatæ quoque administrationis, vg. tutelæ vel curæ rationibus reddendis reum etiam absentem in illius gestæ loco conveniri posse, ejúsque ad hunc remissioni, in civilibus aliàs non probatæ, locum esse, cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 37.* Joan. Monach. *ad hanc Rubr. n. 23.* & Interpp. aliis sustinent Covarruvias *Practic. cap. 10. n. 4. in fine,* Ant. Matth. *de Prorogat. Jurisdict. n. 70.* & Oliva *cit. q. 22. n. 32. in fine.* quòd ibi plenior & amplior instructio haberi queat, *l. fin. cit. in fine.*

ARTICULUS IV.

De Foro Competente ratione Rei sitæ.

SUMMARIUM.

61. *Reus Forum ratione Rei sortitur, ubi res immobilis sita,*

62. *Vel*

62. *Vel mobilis permansura est:*
63. *Et non merè transeunter existit:*
64. *Nisi ea abducta, vel possessor de fuga suspectus sit.*
65. *Conveniri in loco rei sita reus actione solùm Reali vel in rem scripta potest:*
66. *Non necessariò debet:*
67. *Sed in loco etiam domicilij conveniri potest:*
68. *Nisi res feudalis,*
69. *Vel momentanea possessionis judicium sit.*
70. *In loco Rei sita conveniri reus in ea præsens:*
71. *Imò etiam absens potest.*

61. QUartò, Forum reus sortitur ratione Rei, saltem immobilis; ut actione Reali conveniri possit coram judice territorii, in quo sita est res, de qua controversia movetur, *c. Sanè 3. c. fin. hâc Rubr. & l. fin. C. Ubi in rem act. exerc.* ut ad respondendum super tali re citari etiam absens possit: etiamsi aliàs ei subditus non sit: imò etiam, si habeat privilegium, saltem non clausum in corpore Juris, vi cujus coram certo tantùm judice teneatur respondere: nisi ejusmodi privilegii tenore huic foro derogatum esset, per expressum text. *c. 1. pr.* ibi. *Quantumcunque sic exempti gaudeant libertate, tamen ratione rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum Ordinariis conveniri, de Privileg in 6.* Consonat. *l. Hæres absens 19. pr. ff. de Judiciis.* Ratio est; quia rei Vindicatio, per quam actor rem petit, tanquam suam, rem ipsam principaliter respicit, §. 1. *Instit. de Actionibus*: quam proinde reus defendere tenetur in loco, ubi ea est sita: quantumvis aliàs istius Magistratui Originis, Domicilii, vel alia ratione non sit subjectus.

Dixi tamen primò. *Rei saltem immobilis:* imò etiam mobilis & se moventis, propter rationem allatam, & procedentem de re, sicut immobili, sic etiam mobili: de qua tamen magno DD. consensu approbata est distinctio Panormit. *in c. fin. cit. n. 43.* vel enim, illi cum isto inquiunt, res in loco, saltem ad aliquod tempus, permansura est, vel non? Si prius, coram loci Magistratu ejus possessorem conveniri posse, evincit allegata sanctio & generalitas textuum *c. fin. l. fin. citt. & l. Quod legatur 38. ff. de Judic.* cujus *V. Si autem legatum,* inter rem mobilem & immobilem non distinguendo, actione in rem peti posse dicitur, *Ubi res est.* 62.

63. Si posterius, & res in loco est solummodo transeunter, vg. si peregrinus cum equo transeat per civitatem, cujus incola illum ad se pertinere asserit, & possessor negat; hunc ratione Rei in loco sitæ, ibi forum sortiri meritò negant; quòd res non censeatur propriè sita in loco, per quem solummodo transit: uti etiam, in quo custodiæ vel depositi causâ detinetur, Oliva *de Foro Ecclesiæ p. 3. q. 22. n. 3.*

64. Excipiendus tamen est casus, quò res, vg. equus ex loco dicitur abductus; cum eo enim per locū transiens, in eo conveniri potest, ratione Delicti, *c. fin. cit.* Uti etiam casus, quò rei possessor suspectus est de fuga; talis enim, si bona immobilia non possideat ad præstandam cautionem de judicio sisti, vel de re, ubi opus fuerit, coram judice, aliàs competente, exhibenda, *arg. l. Sciendum 15. pr. ff. Qui satisd. cog.* &, si hujusmodi cautionem præstare nequeat aut nolit, res potest sequestrari, *l. Si fidejussor 7. §. fin. ff. eâdem Rubr.* Panormit. *l. cit. n. 44.* & Oliva *n. 4.* cautioni de ipsa re exhibenda locum esse, asserens etiamsi bona immobilia possideat.

65. Dixi secundò, *Actione Reali,* aut etiam

etiam *In rem scripta*, quâ non solam personam, sed etiam rem persequimur, *cit.* Panormit. *n.* 43. *Non merè Personali*; hâc enim, etiam cùm ad aliquid tradendum agitur, reus non coram loci, sed domicilii judice est conveniendus; quia actio merè personalis non cohæret rei: & non istam, sed personam sequitur, *l. 6. §. fin. ff. de Contrab. empt.* Idem & laudatus Oliva *n.* 5. & 6.

66. Dixi tertiò, *Possit.* An etiam debeat, & super re alibi sita reus in domicilii loco conveniri non possit,

Dubium & controversia est inter DD. Illum certè super re coram solo judice territorii seu loci, in quo ea sita est, conveniri posse, cum Glossa *in c. Sanè cit. V. Provincia*, volunt Vincent. de Franch. *Decis.* 177. Tetracincq. *Lib.* 2. *Practic. Tit. de Action. resol.* 4. *n.* 10. Donellus *Lib.* 17. *Comment. cap.* 17. & alii in eam rem allegantes Imprimis Concilium Africanum, cujus *cap.* 88. *c. Sanè cit.* relatum decretum est, *Si Episcopi, inter quos causa versatur, sint diversarum provinciarum ille Primas det judices, in cujus provincia est locus, de quo contenditur.* Deinde *l. fin. C. ubi in rem actio &c.* Verba, *Sed & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri*; his enim verbis Impp. actionem in rem in loco, ubi ea constituta est, moveri non simpliciter permittunt; sed jubent, ibíque agendi imponunt necessitatem, non minùs perspicuè etiam impositam *l. Quod legatur* 38. *ff. de Judiciis*, cujus *V. fin.* asseritur, *Si per in rem actionem petatur, ibi peti debere, ubi res est.* Demum rationem; cùm enim actio realis principaliter respiciat ipsam rem, *§.* 1. *Instit. de Actionibus*, proponi eam convenit coram judice, cujus jurisdictioni subjecta est res; quia hæc non rarò in ipso litis exordio exhibenda, ejúsque limites probandi sunt, eáque judiciò in actoris favorem per sententiam finitò & in istius executione tradenda est.

Verisimilior tamen est sententia 67.
communis, quæ, an reus coram judice domicilii vel territorii, in quo res contentiosa existit, conveniendus sit, arbitrio & electioni actoris relinquit cum Glossa *fin. in l. fin. cit.* Panormit. *in c. Sanè cit. n.* 3. Ant. de Butrio *ibid. n.* 10. Augustin. Barbosa *n.* 2. Gonzalez *n.* 9. quibuscum ex aliis DD. sentiunt Covarruvias *Lib.* 1. *Var. cap.* 18. *n.* 6. Petr. Barbosa *in l. Hæres absens* 19. §. *Proinde* 2. *de Foro rat. Rei n.* 15. *cit.* Oliva *q.* 23. *n.* 8. Pirrhing *ad hanc Rubric.* 49. Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. Tract.* 1. *n.* 366. & alii, eâ ducti ratione; quòd domicilii forum ordinarium sit & generale, & cum quovis alio concurrat; ut regulariter sicut contractûs & delicti, sic etiam rei alibi sitæ ratione, reus ab actore in domicilii vel rei sitæ loco conveniri queat.

Neque contrarium, & rei conventioni coram solo judice loci, in quo existit res, locum esse, evincit primò ab adversa parte allegatum *c. Sanè cit.* quia istô non excluditur judex domicilii; sed Episcopi ad Primatem, in cujus provincia res vg. parochia inter illos controversa sita erat, remissi à memorato Concilio sunt; quòd rei coram judice territorii, in quo res sita est, communiter & plerumque soleant conveniri, ut *in c. cit.* notat Panormit. *n.* 4. qui *n.* 5. Episcopos diversarum provinciarum ad Primatem, in cujus provincia res sita erat, *c. cit.* ideo remissos, ait; quòd inter ipsos contentio fuerit de re vg. parochia, cujus se possessorem uterque ferebat, itáque quis eorum actor aut reus verè esset, non apparebat; ut propter hanc possessionis incertitudinem controversia per Primatem, in cujus provincia res

vincia res vg. parochia sita erat, ab eóve delegandos judices vel dandos arbitros facilius decidenda videretur. Quem *c. cit.* intellectum tanquam versimilem comprobant Laiman *in c. cit. n. 3. §. Secundùm*, & *cit.* Pirrhing. *n. 50.*

Neque secundò ex Imperiali Jure deductæ *l. fin. & l. Quod legatur V. fin.* quia priori Impp. apertè agnoscunt duo diversa loca, in quibus in rem actio moveri potest & possessor forum sortitur: unum domicilii, quasi commune forum omnium actionum: alterum rei in loco sitæ & actionum in rem proprium: &, cùm dicunt, *Sed & in locis, in quibus res constitutæ sunt*, clarè indicant, ratione rei, sive in domicilii, sive in rei sitæ loco quem conveniri posse: &, quò locò reus conveniendus sit, actoris arbitrio relinquunt; ut *l. fin. cit.* communi sententiæ suffragetur potiùs, quàm adversetur, ut *ibi* notant Bruneman *n. 3. & 15.* & Gonzalez *cit. n. 9.* Posteriori etiam textu, cùm res legata *Etiam ibi peti debere* dicitur, *ubi res est*, forum domicilii non excluditur, & rem sive in domicilii, sive in eo, ubi sita est, loco petendam, insinuatur; quia dictio *Etiam* implicativa est, & exprimendò casum magis dubitabilem tacitè includit minùs dubitabilem præcedentem, *arg. l. Etiam 159. ff. de V. S.* Barbosa *Usufreq. dict. 112. n. 1. & 2.*

Neque tertiò ratio; quia in rei sitæ loco forum quidem ritè constitutum, & negotii pertractationi valdè accommodatum: non tamen actorem ad id coarctatum, & conventionem in loco domicilii
68. exclusam, persuadet.

Excipiendæ tamen hôc locò sunt res Feudales, quarum ratione quò locò & coram quo judice reus conveniendus sit,
69. *Art. 6.* statuetur. Uti & judicium momentaneæ possessionis, pro quo rei sitæ loci judicem adeundum, suadet specialis ratio; quòd judicium illud ob id instituatur; ne partes deveniant ad arma: quod contingere solet in loco, in quo res, de cujus possessione contenditur, existit. Gonzalez *cit. n. 9.* ubi secus esse ait, si processu ordinariò agatur de possessione; hôc enim casu in arbitrio actoris constituit, an reum in domicilii vel rei sitæ loco convenire velit: licet in rei sitæ loco ferè commodiùs agatur.

Dubium aliud est, an reali actione 70.
reus in loco rei sitæ conveniri queat etiam, si in eo non reperiatur; id enim cum Ant. Butrio *in c. Sanè cit. n. 10.* Paul. Castr. *in l. fin. cit. n. 2.* & Sichardo *ibid. n. 2.* negant *cit.* Petr. Barbosa *n. 15.* & Oliva *n. 8.* Moventur partim; quòd iniquum sit, reum ex suo domicilio ad rei sitæ locum extrahi cum dispendio rei familiaris: partim verò; quòd in foro contractûs conveniri reus nequeat, nisi in eo reperiatur, *c. 1. §. Contrahentes, in 6.* Unde ductô argumentô in rei quoque sitæ foro eum, non nisi in ejus loco inventum conveniri posse, legitimè inferri autumant; quòd contractus & rei sitæ fora æquiparentur, per tradita à Panormit. *in c. fin. hâc Rubr. n. 44. ad finem* & Mariano Socin. *in c. Sanè cit. n. 12.*

Sed magis arridet Opinio Vultei, *in l.* 71.
1. C. Ubi in rem agi op. n. 20. Zangeri *de Except. p. 2. cap. 1. n. 100. citt.* Haunoldi *n. 366.* & Pirrhing *n. 48.* rei etiam absentis conventionem in rei sitæ loco actori permittentium; ut, licet judex territorii, in quo res sita est, in reum absentem, tanquam suæ jurisdictioni non subjectũ, personaliter nequeat procedere: contra eum tamen procedere valeat realiter: &, si per citationem in jus vocatus non compareat, actorem immittere in possessionem rei, super qua est conventus, *arg. c. & §. fin. Ut lite non contest.* Ratio est; quia, si ratione rei in istius sitæ loco reus

in eo non repertus conveniri non posset, locus rei sitæ forum non per se, sed solummodo ex accidenti faceret: quod indefinitè conceptæ *l. fin. & l. Quod legatur citt. &c.* non admittunt; cùm ita major personæ ratio haberetur, quàm rei: quam tamen, cùm in rem agitur, potissimùm spectant *ll. citt.* & ita spectari poscit negotii pertractatio, multò facilior & expeditior in loco rei sitæ, quàm ab ista remoto; ut adeò hac in re fori contractûs & rei sitæ æquiparatio cesset.

ARTICULUS V.

De Foro Competente ratione Delicti.

SUMMARIUM.

72. *Reus, ubi delinquit, sortitur Forum.*
73. *De Jure tamen solùm externum:*
74. *Si ibi deprehensus,*
75. *Vel citatione præventus sit.*
76. *In absentem variè procedi:*
77. *Isque de Jure fere etiam repeti:*
78. *Non etiam propriâ authoritate capi potest:*
79. *Nisi sit turbator Pacis publicæ,*
80. *Aut Religiosus fugitivus.*
81. *Remissioni delinquentis locus non est, nisi re adhuc integrâ,*
82. *Ex delicto gravi criminaliter agatur.*
83. *Pro ea expediendæ sunt literæ Requisitoriæ,*
84. *Præviâ summariâ informatione de delicto,*
85. *Et speciali privilegio rei:*
86. *Quò cessante remissio de Jure facienda est.*
87. *Reum in quovis loco Deprehensionis forum sortiri, asserentium,*
88. *Et negantium verior Opinio:*
89. *Quibusdam casibus exceptis.*
90. *Occidens in confinibus ferè in lethalis vulneris inflicti:*
91. *Aliquando in utroque loco forum sortitur.*
92. *Uti & reus delicti in uno inchoati, in alio loco consumenti;*
93. *Ut inter utriusque loci judices locus sit præventioni.*
94. *Mandans delictum regulariter in executionis:*
95. *Aliquando etiam in mandati dati loco convenitur,*
96. *In eóque delicto impositis pœnis punitur:*
97. *Aliquando, non semper, etiam si factum solô loci statutô prohibitum sit.*

QUintò, ratione Delicti reus Forum, extra proprium domicilium, sortitur in loco sive territorio, in quo delictum commisit, *c. fin.* ut ab istius Magistratu vel judice citari & pro meritis puniri possit, *l. 1. & Auth. Qua in provincia C. Ubi de Crim. agi oportet.* ubi hoc jus perpetuum; id est, generale dicitur esse: *& c. Postulâsti 14.* ubi Episcopo stabilitur jus, clericum in sua diœcesi delinquentem, per sententiam privandi beneficiô, quod obtinet in alia diœcesi: licet ab ipso latæ sententiæ executio spectet ad Episcopum, in cujus diœcesi beneficium est situm. Ratio est partim; quòd in delicti loco facilior sit inquisitio in delicti perpetrati authorem & expeditiores probationes: partim verò; quòd ad aliorum exemplum & Reipublicæ eô læsæ satisfactionem maximè congruat; ut crimina eo in loco publicè plectantur, in quo sunt perpetrata, Covarruvias *Practic. cap 11. n. 3.* 72.

Neque obstat; quòd extra diœcesim vel parochiam delinquens ibi non sortiatur forum Pœnitentiale: sed à proprio suo 73.

prio suô pastore judicandus sit & absolvendus, *c. Omnis 12. de Pœnit. & Remiss.* quia fori externi alia ratio est, quàm interni; cùm in isto accusator & testis sit ipse reus: & ad id solùm agatur; ut isti Deus, peccatô offensus, reconcilietur: in foro autem externo accusator, à reo distinctus, intendit satisfactionem Reipublicæ, malô delinquentis exemplô offensæ: & sicut reo, sic etiam ipsi, istius crimen in judicium deferenti, non creditur: nisi illud per testes, aliáque legitima, & ex loco illius perpetrati præcipuè petenda, argumenta probetur: propter quam causam delinquentem in loco delicti perpetrati conveniri posse, publicè interest, Panormit *in c. fin. n. 7.* ubi

74. Dubium est primò, quomodo delicti judex procedere valeat in reum, in suo territorio delinquentem. Et quidem, si iste in ipsius territorio reperiatur, res satis est expedita; cùm tali casu nihil obstet, quò minùs executio pro delinquentis, & ab eo perpetrati criminis qualitate, fieri possit, *l. & c. fin. citt.* Casu autem, quô reus ex ejusmodi loco sive territorio est egressus, DD. passim distinguunt; vel enim reus ante egressum citatione ipsi insinuatâ præventus est, vel non?

75. Si prius, etiam absens & in alieno territorio existens denuò citari, contra eum non comparentem processus institui, annotari bona, in eáque fieri immissio, aut banni atque excommunicationis sententia fieri potest; quia per citationem, in territorio factam, ejus judici quoad eam causam jam est subjectus, *arg. c Proposuisti 19.*

Si posterius, & reus citatione præventus non est, citari per Edictum in territorio delicti promulgandum, aut curiæ & Ecclesiarum valvis, vel civitatis portis, affigendum potest: quomodo absentes studiosi, Programmate ad Academiæ valvas affixô, citari solent. Quô factô, si contumaciter absit, licet Judex in ejus personam procedere & sententiam alicujus pœnæ corporalis afflictivâ ferre nequeat, *Clement. de Sent. & re judic.* ejus tamen bona, si quæ in delicti loco habeat, annotari & in ea immissio decerni potest, *arg. c. 1. §. Contrahentes in 6.* cùm ratione delicti ad injuriæ & damni, privatis illati, resarcitionem & ipsi Reipublicæ, eô læsæ, satisfactionem exhibendam teneatur; ac proinde, si istam non exhibeat, ejus bona occupari possint, Panormit. *in c. fin. cit. n. 6.* Si autem bona in loco non habeat, ejusmodi immissio fieri non potest, nisi requisito judice territorii, in quo ea habet. Unde nascitur

Dubium secundum, an in territorio 76. aliquo delinquentem ejus judex persequi, ejúsve remissionem petere possit. Illius fugientis persecutionem permissam, desumi videtur ex *Constitutione Imperiali 1559.* edita Augustæ: vi cujus grassatores, latrones &c. quilibet Magistratus, in suo territorio offensus, persequi &, ubi apprehensi fuerint, juri sistere potest: & ex doctrina Baldi *in l. 1. C. Ubi quis de Curiali &c.* Regulæ instar tradentis, Religiosos fugitivos à Prælato Regulari, istiúsque mandato ubicunque capi & ad Monasterium reduci posse. Contra ejusmodi delinquentis nec persecutio, nec repetitio judici loci, in quo delinquit, permissa videri potest; quòd in Germania delinquens repeti nequeat à judice vicini territorii Gallicani.

Sed, licet posterius hoc de facto ita 77. se habeat; quòd territorium Germanicum & Gallicanum eorúmque judices non eidem, sed diverso, Principi supremo sint subjecti: aliud tamen obtinet, cùm utrumque territorium & judex eidem Principi subest; ab hujusmodi enim

judicibus criminum, saltem graviorum, reos fugitivos, si repetantur, remittendos, clarè habetur *l. Si cui 7. §. fin. ff. de Accusat. l. Capitalium 28. §. 15. ff. de Pœnis & Novell. 134. cap. 5.* idque etiam suadet ratio; quia hujusmodi judcium unus alterum juvare debet; ne crimina maneant impunita, majórque sit licentia delinquendi. Quæ ratio, licet graviorum criminum reos etiam à judicibus, non eidem Principi subjectis, remittendos, evincat: modernorum tamen, non optimorum, temporum praxi hujusmodi delinquentium remissio, sicut in aliis provinciis, teste Claro §. *fin. q. 38. n. 20.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 7. n. 28.* sic etiam in Imperio Romano, singulis istius Statibus suam jurisdictionem tueri & perferre nitentibus, infrequens est: & criminosi ferè, ubi reperiuntur, plecti: &, si quando privatô amicitiæ potiùs, quàm communi, saltem usu receptô, Jure ad domicilii vel delicti locum remittantur, literæ Reversales de præjudicio, jurisdictioni remittentis non secuturo, exigi solent, ut notat Gaill. *Lib. 1. de Pace publ. cap. 16. n. 30.*

78. Multò minùs, quàm hodiernis moribus debita remissio, Jure permissa est persecutio delinquentis per territorium alienum; cùm enim hujusmodi persecutio, reíque apprehensio sit actus jurisdictionis necessariæ & cùm strepitu exerceatur, in alieno territorio permissa non est, *l. fin. ff. de Jurisdict.* quod eâ hujusmodi territorii domino inferri injuria, ejúsque jurisdictio violari videatur, Gaill. *cap. cit. n. 27.*

79. Neque aliud evincit pro ea allegata Constitutio Imperialis; quia ex eo; quod istâ grassatorum, latronum, & similium Reipublicæ perturbatorum persecutio specialiter permissa sit, Juris Regula, in contrarium stans, confirmatur potiùs, quàm infringatur, *arg. l. Quæsitum 12. §. 43. ff. de Fundo instructo.*

Neque exemplum Prælatorum Regularium; quia suorum Apostatarum & fugitivorum persecutio, apprehensióque ipsis specialiter permissa est, ratione voti Obedientiæ: quô istorum personæ, quocunque deferantur, ipsis sunt obligatæ, ferè, sicut marito uxores, servi domino & cuilibet alteri furis vel debitoris fugientis persecutio, eorúmque aut rerum ablatarum apprehensio permissa est, *l. Ait Prætor 10. §. 16. ff. Quæ in fraud. credit.* ubi Bartol. *n. 21.* quòd hujusmodi apprehensio non per modum jurisdictionis: sed dominii seu vindicationis, & necessariæ defensionis fiat. 80.

Dubium tertiò est, quomodo delinquentis remissio petenda ac facienda sit, ubi ea inter eidem Principi subditos judices ac magistratus moribus non est sublata; varias enim conditiones, ut ejus petitio urgeat, passim exigunt DD. 81.

Et primò quidem; ut res adhuc sit integra, & à judice loci, in quo delinquens degit, contra eum processus necdum inchoatus; cùm enim delinquens ratione delicti, non in istius solùm commissi, sed in domicilii quoque loco, forum sortiatur, *c. fin. hâc Rubr. & c. 1. pr. de Privileg. in 6.* contra eum procedi etiam potest à judice domicilii; ac proinde ipsius, ab isto per citationem realem jam apprehensi, ad locum & forum delicti remissio ab istius judice peti amplius non potest; quòd iste à judice domicilii per delinquentis apprehensionem jam sit præventus, & in illum judicium, ubi inchoatum est, ibi & finem accipere debeat, *l. Ubi acceptum 30. ff. de Judiciis*; ut adeò tali casu judex loci delicti ejúsque pro delinquentis remissione requisitio excludatur, Panormit. *in c. fin. n. 16.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 7. n. 23.* Zanger *de Except. p. 2. cap.*

p. 2. cap. 3. n. 9. Bruneman. *in l. cit. n. 4.*

82. Secundò; ut delictum sit grave, & adversus delinquentem criminaliter procedatur; communiter enim receptum est, remissionem non fieri in delictis levibus, neque etiam in gravioribus, cùm delinquens ex iis solùm civiliter convenitur, *cit.* Panormit. *n. 15.* Covarruvias *Practic. cap. 11. n. 7. §. Octavò* & Clarus *cit. q. 38. àn.* 22. Ratio est; quia reorum ad delicti locum remissio fit eo fine; ut delinquens in eo, in quò peccavit, loco ad terrorem aliorum, tollendúmque scandalum & offensionem publicam suppliciis legitimis subjiciatur, Novell. *135. cap. 5.* quæ ratio in delictis levioribus & in gravioribus quoque, cùm ex iis solummodo civiliter, & non ipsius Reipublicæ, sed privatorum duntaxat, iis læsorum, satisfactionem agitur, cessat.

83. Tertiò; ut loci delicti judex ad judicem loci, in quo delinquens versatur, prò ejus apprehensione ac remissione facienda dirigat literas publicas, quas *Precatorias* & *Requisitorias* vocant, *Novell. cit.* cujus *cap. 5. cit.* Imp. pro remissione reorum disertè jubet, *Provinciæ illius judicem, in qua peccari aliquid contigerit, epistolâ uti ad provinciæ illius judicem, in qua delinquens persona degit: illum verò* judicem, *qui publicas susceperit literas, comprehendere hujusmodi* personam *& ad judicem provinciæ transmittere, in qua peccavit, suppliciis legitimis subjiciendam:* ex quibus verbis licet aliqui remissionem à solo domicilii, originis, vel stabilis habitationis judice petendam esse, cum Ant. de Butr. *in c. fin. cit. n. 10.* & Felino *ibid. n.* 11. velint: verius tamen, eam à cujusvis loci, in quo delinquens invenitur, judice petendam, *citt.* Panormit. *n. 16.* Covarr. *n. 6.* Olivæ *de Foro Eccles p. 3. q. 20. n. 17.* & aliorum communis est sententia: quam in praxi servari, testis est *cit.* Clarus *q. 36. n. 22.*

84. Quartò; ut judex loci delicti, priusquam delinquentis remissionem petat, summariam cognitionem & informationem de delicto per testes aliásque probationes recipiat, ut constet de delicto personæ, cujus petit remissionem; ne ea sine justa causa per capturam afficiatur injuriâ & contrahat infamiam facti, Glossa *in Clement. Pastoralis 2. V. De more, de Sent. & re judic. citt.* Covarr. *n. 8.* & Clarus *n. 19.* Quam informationem literis Requisitoriis accluſam transmittere debet ad judicem, pro remissione requirendum; cùm iste, hujusmodi informatione non acceptâ, delinquentem remittere, non teneatur, *citt.* Panormit. *n. 18.* Felin. *n. 10.* Barbosa *in l. Hæres absens 19. §. 2. de Foro delicti ff. de Judic. àn. 74.* & Oliva *q. cit. àn. 21.* qui tamen hoc non ubique observari, & alicubi sufficere, ait, si à persona, cujus petitur remissio, grave delictum vg. homicidium in requirentis territorio commissum, Requisitionis literis exprimatur.

85. Quintò; ut, si delinquens, cujus remissio à delicti judice petitur, coram judice loci, à quo ea petitur, alleget privilegium, vi cujus coram loci delicti judice respondere non teneatur, judex loci, in quo reus degit, eum non remittat, antequam de qualitate privilegii cognoscat, saltem si allegatô privilegiô ipse constitutus: vel, excluso loci delicti judice, ipse ordinarius judex sit delinquentis. Ratio est; quia judicis regulariter est cognoscere & æstimare, an sua sit jurisdictio, *l. Si quis 5. ff. de Judiciis & c. Cùm persona 7. de Privileg in 6.* Panormit. *in c. Ex parte 33. de Rescript. n. 3.* Martha *de Jurisdict. p. 2. cap. 4. num. 7.* & *cit.* Oliva *num. 22.*

86. Sextò, si delinquens ullô quoad forum delicti privilegiô munitus non sit, à

judice loci, in quo is degit, aut invenitur, legitimè requisito, injungendum ei est; ut copiam sui exhibeat judici loci delicti: quandoque etiam ad requisitionem personaliter apprehensus, vinculisque constrictus ad eum remittendus est adeò; ut judex domicilii legitimè requisitus, licet ad jus reddendum seipsum offerat, remissionem nequeat declinare, *l. Si cui 7. §. 4. l. fin. ff. de Accusat. l. Capitalium 28. §. 15. ff. de Pœnis & Novell. cit. cap. 4. & 5.* idque non solùm; ut reus, ubi deliquit, ibi & puniatur, sive ut S. Augustinus *can. Si peccaverit, 19. in fine, 2. q. 1.* relatus loquitur, *Ubi contigit malum, ibi moriatur malum*: sed etiam partim; quòd in delicti loco certiores probationes, judice quasi in illo præsente cognoscente, haberi possint, Novell. *69. cap. 1.* partim verò; quòd durum videatur, civitatis & Reipublicæ, delictô injuriam ac damnum passæ, judicem ad litigandum alibi non sine majoribus sumptibus adstringi, *Novell. cit. cap. 1.* Farinac. *cit. q. 7. à n. 19.* & Zanger *cit. p. 2. cap. 1. n. 247.*

87. Dubium & ancipitis resolutionis controversia quartò est, an delinquentem, extra domicilii & delicti locum egressum, punire valeat magistratus loci, in quo is reperitur. Id certè affirmat Bartol. *in l. Si dominum 48. ff. de Furtis n. 2.* cujus sententiam amplexus est Becius *Consil. 93.* eámque communi tribunalium usu receptam, complures testantur apud Clarum *§. fin. q. 38. n. 16.* adeò; ut, ex ea centum millia hominum suspendiô necata, asserere non dubitârit Marian. Socinus *in c. 1. de Raptor. n. 15. in fine.* Eadem, contrà quàm à nonnullis existimatur, non destituitur suffragiô Juris; quia ex Pauli JCT. i sententia, Præsidis est, *Malis hominibus provinciam purgare: nec distinguitur, unde sint, l. Præses 3. in fine, de Offic. Præsid.* & Severi atque Antonini AA. Imperiale rescriptum est, *l. 1. C. Ubi de Crim. agi op. Quæstiones criminum publicorum & privatorum*, quæ extra ordinem, id est, criminaliter coercentur, *non solùm, ubi commissa vel inchoata sunt, sed etiam, ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere:* cujus textûs perspicua definitione ducti Donell. *Lib. 17. Comment. cap. 16.* Hillig. ad hoc *cap. 16. lit. F.* & *in l. 1. cit.* Vulteius *n. 11.* Wesenbec. *n. 2.* Bruneman. *n. 20. & in l. Præses cit. à n. 2.* & apud hos RR. alii in Bartoli sententiam apertè concedunt: eique robur conferunt ratione; quia delictum quocunque loco committens non civitatem tantùm suam, nec solam provinciam suam, sed gentes planè omnes, totúmque humanum genus offendisse videtur; atque idcirco huic illatæ injuriæ satisfactio & offensæ vindicta publica non domicilii duntaxat, vel ejus loci, in quo delictum commissum est, sed aliarum quoque civitatum ac provinciarum magistratibus ac judicibus saltem competit, quando delinquentem necdum punitum in suo territorio offendunt; ne criminis impunitatem extranei territorii præsidiô consecutus in majora prolabatur scelera: néve aliorum civium bene institutos animos morum suorum pravitate corrumpat. Accedit; quòd, cùm ad alienum territoriũ cum re furtiva delatus fur, à fraudulosa alienæ rei contrectatione non desistendô, sed eam continuandô, eô etiamlocô, ad quem delat⁹ est, delinquat, nihilobstet, quò minùs ratione delicti adversus eum coram istius magistratu tam cirminaliter, quàm civiliter agatur, *c. fin. & c. 1. pr. citt.*

Sed, quidquid sit de praxi, à Bartolo 88.
unanimi fere consensu divertêre Synchroni ejúsque ævo propinquiores Interpp. cum iisque Clarus *cit. n. 16.* Decianus *Tract. Criminal. Lib. 4. cap. 13. n. 5.* Covarruv. *cit. cap. 11. n. 9.* Gomez *de Delictis cap.*

lictu cap. 1. *n.* 87. Fachineus *Controverſ. Lib.* 9. *cap.* 20. Farinac. *cit. q.* 7. *n.* 7. & alii, ſpectato Jure & ratione, reum extra proprii domicilii & delicti commiſſi loca forum ſortiri, inficiantur; quòd de Jure regulariter forum quis ſolummodo ſortiatur in loco Domicilii, Contractûs, vel ſolutionis promiſſæ, Rei ſitæ & Delicti: forum autem Deprehenſionis ſive inventionis rei Jus non agnoſcat, *c fin. & c.* 1. *pr. citt.* ut reus, ſicut ratione contractûs & rei in illius tantùm celebrati & iſtius ſitæ locis, ſic etiam ratione delicti in iſtius tantùm commiſſi loco extra domicilium ſuum valeat conveniri. Ratio eſt; quòd cuilibet Magiſtratui ſui duntaxat territorii commiſſa cura, ejúsque jurisdictio in ſubditos extràneos, non niſi ratione rerum, in ſuo territorio ſitarum & actuum in eo geſtorum, vel commiſſorum, porrigatur.

Neque, inquiunt Interpp. ac DD. *citt.* delinquentes extra proprii domicilii & delicti commiſſi loca Deprehenſionis judici ſubjicere, ullum Jus aut ratio cogit; cùm Deprehenſionis fori ulla mentio non fiat, ejúsque ne veſtigium quidem in ullo canone Eccleſiaſtico extet: reósque etiam Deprehenſionis judicis coërcitioni ſubjici, non evincant *l. Præſes & l.* 1. *citt.* Illa quidem; quia Præſidi extraneos ſolummodo ſubjicit, ſi quid manu committendô deliquerint in ejus provincia, & hanc illis purgari jubet ſine diſtinctione, *Unde ſint.* Iſtius autem relata verba, licet in ſpeciem magis urgere videantur, commodè tamen exaudiuntur vel de loco domicilii, ſi in eo delinquens reperiatur: vel de hominibus vagabundis, qui ratione delicti conveniri ac puniri poſſunt, ubicunque reperiuntur, juxta tritum illud, *Ubi te invenero, ibi te judicabo,* Gloſſa *in l.* 1. *cit. V. Reperiuntur, citt.* Barboſa *n.* 15. & Farinac. *n.* 13. Non majorem vim habet ratio; cùm enim cuivis magiſtratui ſui duntaxat territorii cura commiſſa ſit, eorum tantùm criminum vindicta ipſi ex officio incumbit, quæ à propriis ejus ſubditis, vel in ipſius territorio, committuntur, *arg. l. fin. ff. de Jurisdict. & c. fin. de Conſtitut. in* 6. quia delictô injuria propriè & proximè ei tantùm Reipublicæ infertur, à cujus ſubdito, vel in cuius territorio illud committitur. Minùs urget exemplum furti; quia iſtius actio ad pœnam ex prima tantùm alienæ rei contrectatione oritur: &, quamvis rei eô ablatæ retentione furtum continuetur, novum tamen furtum non committitur, *l. Inficiando* 67. §. 2. novàque furti actio non datur, *l. Ei qui* 9. *ff. de Furtis, cit.* Covarr. *n.* 9.

Ex duabus his Opinionibus prior 89.
Civili: Canonico verò Juri poſterior magis conſentanea videtur. Huius tamen etiam Aſſertores, extranei extra ſuum territorium delinquentis & in ſuo deprehenſi punitionem magiſtratui permittunt Primò, ſi alibi delinquens fixum domicilium nullibi habeat, ſed incertâ ſede vagetur, ut iam eſt inſinuatum. Secundò, ſi delinquens bannitus ſeu proſcriptus ſit ita; ut ex proſcriptionis ſententia, quocunque loco reperiatur, impunè offendi & occidi permittatur, Bartol. *in l. Omnes populi* 9. *ff. de J. & J. n.* 3. & Clarus §. *Homicidium n.* 52. Tertiò, ſi loci ſtatuto vel conſuetudine receptum ſit; ut in eum, qui in territorio deliquit, ac deprehenſus eſt, vg. in furem aut prædonem occaſione furti, ac prædationis in ſuo territorio commiſſi, ſuper furtis ac prædationibus, de quibus alibi commiſſis aut exercitis diffamatus aut indiciis gravatus eſt, inquiratur, de iiſque legitimè convictus aut confeſſus promeritâ animadverſione coërceatur, *citt.* Clarus §. *Furtum, n.* 10. & Farinac. *n.* 6. qui plures caſus dabit.

Dubium

90. Dubium quintò est, utro in loco reus forum sortiatur ratione delicti vg. homicidii, in duorum territoriorum se contingentium confinibus perpetrati. Qua in re mirè variant DD. quidam enim eum forum sortiri volunt in territorio, in quo iacet eius caput, tanquam pars corporis principalior, *l. Cùm in diversis 44. pr. ff. de Relig. & sumpt. fun.* alii, cui respondet eius cor, quod tanquam fons vitæ omnium humani corporis membrorum primum animatur ac vivit, omniumque ultimum exanimatur ac vivere desinit: & rursum alii, in quo homicida stetit: & demum alii, cuius solo incumbunt trucidati pedes. In hoc DD. dissidio exploratum illud est, casu, quô in uno territorio sauciatus, indéque abiens in utriusque territorii confinio decedit, eum, qui vulnus infixit, ratione homicidii forum sortiri eius territorii, in quo lethale vulnus est inflictum Ratio est; quia homicidiũ eô locô commissum censetur, in quô eius efficax & necessaria causa posita & in subiectum derivata est, *arg. l. Ait lex 21. ff. ad L. Aquil.* Bartol *in l. Reos 3. C. de Accusat. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 28. in fine.*

91. Casu autem, quô ab interfectore, consistente in uno, interfecto in altero territorio existenti, lethale vulnus illatum esset, locus est resolutioni dubitationis proximè sequentis. Eô demum casu, quô in utro ex duobus territorio vulnus inflictum acceptúmque facti circumstantiis omnibus probè examinatis & exactè perpensis, certò aut verisimiliter non constat, interfector utriusque territorii forum ratione delicti sortiri, & inter utriusque iudices præventioni locus esse videtur, cum *citt.* Panormit. *n. 26.* Claro *q. 38. n. 11.* & Farinac. *n. 51. arg. l. Arbor 19. ff. Communi divid.* quâ arbor in vicini utriusque fundi confinio nata ad utriusque dominum dicitur pertinere.

Dubium sextò est, ubi reus forum 92. sortiatur ratione delicti, in uno territorio inchoati & in altero consummati, vg. si Titius sclopô in Bavarico solo explosê, Caium in Suevico territorio consistentem occidat. Ratio dubitandi de utraque parte est. Et Titium quidem forum sortiri in Bavaria istiúsque magistratui ratione homicidii subiici, suadetur argumentô à Tempore ductô ad Locum; ut, sicut si quis lethaliter vulneratus postea decedat, initium inspicitur, *l. Hujusscripturæ 15. pr. & l. Ita vulneratus 51. ff. ad L. Aquil.* sic etiam inspici debeat locus, ex quo à Titio explosio facta est in Caium, eâ lethaliter sauciatum & occisum. Unde, Titium forum Bavaricum sortiri, vult Cynus *in l. 1. C. Ubi de crim. agi oport.* Contrà, eum in delicti consummati loco forum sortiri & Suevico magistratui subjici, evinci videtur partim ex eo; quòd in delictis qualitas patientis potiùs, quàm agentis attendatur: partim verò; quòd delictum ibi commissum intelligatur, ubi perficitur & accipit formam, per quam dicitur esse delictum, *arg. l. Julianus 9. §. 3. ff. ad Exhibend.* hoc autem in territorio Suevico, non in Bavarico, accidat; cùm homicidium sic dictum sit à *Cadendo, l. Ita vulneratus est §. 1.* Cajus autem cæsus sive sclopi explosione à Titio facta ictus sit in territorio Suevico. Unde, eum in delicti consummati loco & Suevicum forum sortiri, cum Bartolo *in l. Libellorum 3. ff. de Accusat. n. 7.* & Felino *in c. fin. cit. n. 14.* volunt Zanger *de Except. p. 2. cap. 1. n. 233.* & Fagnanus *in c. fin. cit. n. 3.*

Utrique Opinioni & rationi aliquid, 93. nec malè tribuunt & Titium in utroque territorio forum sortiri; atque idcirco inter utriusque territorii magistratus seu judices præventioni locum esse, cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 25.* & Ant. de Butr. *ibid. n.*

Ibid. n. 5. verisimiliùs sustinent Clarus *cit. q. 38. n. 9.* Farinac. *cit. q. 7. n. 46.* Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 20. n. 87. cit.* Pirrhing *n. 28.* & Bruneman. *in l. 1. cit. n. 16.* ducti istius textu, quò quæstiones criminum perfici, Impp. disertè asserunt, *Ubi commissa vel inchoata sunt.* Ratio est; quia tali delictô offensum & injuriam passum est territorium utrumque; ac proinde de eo cognitio & delinquentis coercitio ad injuriæ illatæ reparationem & vindictam publicam competit utriusque magistratui; ut inter eos locus sit prævention, *arg. l. Si quis 7. ff. de Judic. & c. Proposuisti 19. hâc Rubr.* Unde

93. Dubium septimum nascitur, an in delicti mandati, vel ejus à mandatario commissi loco forum sortiatur, cujus mandatô id vg. homicidium est perpetratum; nam & hôc casu mandans in utroque loco forum sortiri videtur; quòd homicidium in uno per mandatum inchoatum, in altero verò per mandati executionem consummatum sit. Verùm, quia mandatum & ejus executio non unus, sicut explosio sclopi & vulneratio, sed duo actus sunt: & ex solo mandato ad pœnam ordinariam obligatio regulariter non datur, mandantem non in mandati dati, sed in executionis vg. cædis ex eo secutæ loco forum sortiri, cum *cit.* Panormit. *n. 27.* Butr. *n. 5.* & Felino *n. 15.* rectè docent *citt.* Clarus *q. 38. n. 6.* Fachineus *cap. 25.* & Oliva *n. 8.* Ratio est; quia ratione contractûs suô mandatô celebrati, quis non in mandati, sed ipsius contractûs celebrati vel solutionis istô promissæ loco conveniendus est, *l. Hæres absens cit. §. 3. & l. Si, ut proponitur 61. ff. de Fidejuss. & mand.* Ergo etiam in loco delicti, non mandati, sed deducti in executionem; cùm eadem istius ratio, quæ contractûs, sit: &, sicut contractum, sic & delictum mandans, quod facit per alium, per seipsum facere videatur, *Reg. 72. in 6. & l. 1. §. 12. ff. de Vi armatâ.*

Excipienda tamen sunt delicta quæ- 94.
dam atrocissima, quorum affectus, mandatum, conatus pœnâ ordinariâ puniuntur, licet effectus secutus non sit: ut sunt crimen læsæ Majestatis, *l. Quisquis 5. C. ad L. Jul. Majest.* Assassinii, *c. 1. de Homicidio in 6.* &c. talia enim mandans & mandatarius, qui in dati loco mandatum acceptavit, tam in mandati dati acceptique, quàm in executionis loco forum sortiuntur ac puniri possunt; ut inter utriusque fori judices locus sit præventioni, *arg. l. Si quis & c. Proposuisti citt.* Farinac. *q. cit. n. 48.* & Pirrhing *cit. n. 28. §. Caterùm.*

Dubium octavô est, quâ pœnâ affi- 95.
ciendus sit delinquens, cùm delicto ab ipso commisso alia pœna in ipsius domicilii, alia in delicti loco foróque, statutô, vel tribunalium usu impositа est. Et quidem, si delinquentis factum communi vel etiam particulari utriusque loci Jure prohibitum sit, pœnam ei, quæ in delicti loco constituta, usúve recepta est, infligendam, cum Bartolo *in l. Nullus 2. C. de Summa Trinit. n. 20.* Baldóque *ibid. n. 22.* docent Clarus *§. fin. q. 85. n. 3. & cit.* Pirrhing *n. 34.* Ratio est; quòd, cùm reus in delicti loco sortiatur forum, istius cognitioni ac punitioni ratione criminis subjiciatur.

Si factum delinquentis in solo deli- 96.
cti loco ejúsque Jure particulari prohibitum est, id committens, aut actum in eo præceptum omittens, ratione commissionis vel omissionis, scandalô seclusô, punitioni obnoxius non est; quòd locorum statutis & consuetudinibus particularibus peregrini ac forenses non ligentur, per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 113.* atque idcirco eorum transgressione, eô ipsô; quòd, seclusô scandalô, non delinquant, pœnam non promereantur; cùm pœna noxæ sit vindicta, *l. Aliud 131. pr. ff. de V. S.* &, si justa sit, pœna sit peccati & culpæ; & consequenter, peccatô & culpâ cessante, pœ-

næ locus non sit; juxta Regulam *c. Cognoscentes 2. de Constitut.* & Glossam *ibi V. Culpâ caret.*

97. Quod si factum statutô prohibitum sit ad conservandam loci tranquillitatem, vg. ne quis gestet certum genus armorum vg. sclopetum, vel pugionem sub veste latentem, vel ne noctu per plateas armatus incedat; vel ad pacificam civium cum peregrinis communicationem & commercium, vg. ne quis sine licentia magistratûs frumentum vehat, vel in locum invehat certas merces peregrinas &c, statuti transgressores peregrini quoq; ac forenses pœnæ, ejus transgressioni impositæ, obnoxii sunt; quòd, ut *cit. Tit. 2. n. 114.* dictum, hujusmodi locorum statutis peregrini quoque ac forenses adstringantur; atque idcirco illorum transgressioni impositæ pœnæ subjecti etiam ipsi sint: nisi ipsos hujusmodi statuti probabilis ignorantia excuset, Clarus *cit. n. 3. Statuti*, inquam, non solius *Pœnæ*; quia statutum, cujus notitiam quis habet, voluntariè transgrediendô per quandam consequentiam etiam pœnæ reatum incurrit, *arg. l. Aliud & c. Cognoscentes citt.*

Neque ipsis patrocinatur; quòd delicto annexa censura non incurratur ab iis, qui eam delicto impositam, ignorant, *c. fin. de Constitut. in 6.* quia inter censuras & eas, de quibus sermo est, pœnas vindicativas latum est discrimen; cùm censuræ sint pœnæ Medicinales, *c. 1. de Sent. excom. in 6.* & secus, quàm pœnæ vindicativæ, contumaciam & Ecclesiasticæ potestatis, sub censura actum prohibentis, exigant contemptum: qui in ejus statutô impositæ probabili ignorantia laborantibus cessat, juxta dicta *cit. Tit. 2. n. 105.*

(o)

ARTICULUS VI.

De Foro competente ratione Causæ.

SUMMARIUM.

98. *Laici Ecclesiasticum forum sortiuntur in spiritualibus:*
99. *Nisi de merofacto vel possessione quæstio sit.*
100. *Non etiam in causis temporalibus:*
101. *Nisi de miserabilium personarum spoliatione,*
102. *Rerum Ecclesiasticarum invasione,*
103. *Vel peccato vitando agatur.*
104. *Ecclesiasticus aliquando supplet defectum judicis Secularis.*
105. *Non vicissim iste Ecclesiastici;*
106. *Nisi privilegiô munitus,*
107. *Vel causa Feudalis sit,*
108. *Lites super feudis ortas aliquando rei Ordinarius,*
109. *Aliquando dominus directus,*
110. *Aliquando Curia Pares dirimunt,*
111. *De Clerici, feudo privandi, ex causa merè Civili, etiam Secularis:*
112. *De Criminali de Jure solus Ecclesiasticus:*
113. *De consuetudine etiam alij judices cognoscunt.*
114. *Coram Seculari clericus super bonis Regalibus,*
115. *Super donatis cùm reservatione jurisdictionis*
116. *Et secundùm aliquos aliis actionibus Realibus convenitur.*
117. *Contrarium verius est de Jure:*
118. *Cui passim derogavit consuetudo.*

98. SExtò, ratione Causæ in judicium deducendæ reus Forum diversimodè sortitur. Inprimis enim forum Ecclesiasticum reus etiam laicus sortitur

sortitur, cùm quæstio & controversia est de re spirituali, hoc est, ad Fidem, Sacramenta, cultum Divinum, animarum salutem & finem supernaturalem ordinatâ, aut spirituali, sive ad ejusmodi finem ordinatæ annexa, ut sunt causæ Ordinationis clericalis, consecrationis Ecclesiæ & huic competentis Asyliæ, Religiosæ professionis, matrimoniorum & sponsalium, electionum, postulationum & quarumcunque aliarum provisionum beneficialium, sepulturæ ac funeralium, decimarum, primitiarum, oblationum, juris patronatûs, criminum Hæreseos, Apostasiæ & Simoniæ, censurarum, irregularitatum & similes: quas ad forum Ecclesiasticum pertinere, ex *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis c. Tuam 3. de Ord. cognit c. Lator 5. c. Causam 7. Qui filij legit. c Ut inquisitionis 18. V. Prohibemus, de Hæreticis in 6. c. Si judex 12. de Sent. Excommunicat. in 6.* indubitatum, & ratio clara est; quia rerum spiritualium essque annexarum Judicialis & Authoritativa cognitio & de iis dispositio à spirituali potestate, à Christo instituta & concessa est B. Petro istiúsque successoribus, Matth. *cap. 16. v. 18.* Joan. *cap. 21. v. 17.* ut ab iis in reliquos Ecclesiarum Prælatos diffundatur, *can. Ita Dominus 7. dist. 19. can. In novo 2. dist. 21. can. Rogamus 15. can. Loquitur 18 §. Episcopatus 24. q. 1. c. Solita 6. de Majorit. & Obed.* cujus potestatis laici de Iure incapaces sunt, *arg. can. 1. §. Cúmque lecta, V. Primum, dist. 96. c. Ecclesia 10. de Constitut. &c.* quia Secularis à Deo ad temporalia: Ecclesiastica verò & spiritualis potestas ad spiritualia hisque annexa ordinanda, à Christo Domino est instituta, ut ostendunt S. Thomas *de Regim. Princip. cap. 12. & 14.* Navarrus *in c. Novit. 13. de Judic. notab. 3. à n. 85.* & latè Bellarminus *Lib. 1. de Cleric. cap. 28.*

Excipiendæ tamen sunt causæ rerum spiritualium hisque annexarum, in quibus quæstio est de mero facto, vel possessione retinendâ aut recuperandâ: quas, si proprietatis sive Juris quæstionem admixtam non habeant, Mixti fori esse; ac proinde, cùm reus conventus est laicus, de iis cognoscere tam Secularem quàm Ecclesiasticum judicem, si non de expresso Jure, saltem de consuetudine, illius Interprete, posse: & præventioni inter eos locum esse, ex communi DD. præsertim RR. sensu docent Zœsius *ad hanc Rubr. n. 9.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract 1. n. 272.* & infrà *Tit. 10. & 12.* explicatiùs tradetur. Deinde excipienda est delegatio Apostolica; quantumvis enim laici de causis rerum spiritualium hisque annexarum cognoscere de Jure, & ex Prælatorum etiam inferiorum commissione, nequeant, Glossa *in c. Decernimus cit. V. Præsumat:* delegari tamen ipsis possunt à Papa de potestatis suæ plenitudine, ipsos hujusmodi cognitionis capaces reddere valente, secundùm *cit.* Glossam, Decium *in c. cit. n. 5.* & Barbosam *ibid. n. 8.* 99.

Secundò, in causis merè temporalibus & prophanis reus laicus sortitur forum Principis, vel alterius Magistratûs Secularis; ut, quando iste distinctus est ab Ecclesiastico, coram isto conveniri regulariter non possit, *c. Novit 13. de Judiciis, c. Licet 10. & c. Ex tenore 11. hâc Rubr.* Ratio est; quia Prælati Ecclesiastici, & ipse etiam summus Pontifex, in causis fidelium merè temporalibus jurisdictionem per se & directè non habent, nisi temporali eorum dominio sint subjecti, Innocent. *in c. Licet cit. pr.* & Zœsius *l. cit. n. 19.* 100.

Dico, *Regulariter & Directè*; quia variis casibus, in causis etiam temporalibus, reus laicus coram Ecclesiastico judice conveniri, ex DD. Orthodoxorum communi & certa sententia, potest Primò quidem 10

quidem in causis viduarum, pupillorum, orphanorum, aliarúmque miserabilium personarum, quando istæ injustâ vi rerum suarum possessione sunt spoliatæ, *c. Ex tenore cit. & c. Ex parte 15.* Ratio est; quia hujusmodi personarum violatio spoliatióque sapit crimen Sacrilegii: cujus cognitio, illarúmque vi oppressarum defensio, saltem cumulativè ad Ecclesiam spectat, *can. 1. can. Defensioni 2. dist. 87. can. Si quis de Potentibus, 24 q. 3. c. Super 26. in fine, de V. S.* ut propterea violentæ earum despoliationis causa ad Ecclesiam deferri immediatè, & ordinariis judicibus præteritis, possit, Imola *in c. Ex parte cit. n. 7.* Barbosa *n. 6.* & Laiman *n. 3.* rectè advertens, ejusmodi personarum causas in Petitorio de Jure ad forum Seculare pertinere: & de consuetudine ab illis vi spoliatis Possessorium recuperandæ, propter secularium oppositionem, hodie rarò coram judice Ecclesiastico in-
102. tentari. Secundò, in causis furti aut rapinæ rei sacræ, invasionis, turbationis, occupationis quarumvis aliarum rerum, ad Ecclesias, Monasteria, ceteráque Sacra & Religiosa loca pertinentium, *c. Cùm sit 8. & c. Conquestus 16.* quia non tantùm ablatio rerum sacrarum, sed aliarum etiam ad Divinum cultum à fidelibus oblatarum invasio occupatióque Sacrilegium reputatur, *can. Nulli, 12. q. 2. can. Sacrilegium 4. can. Sicut 12. can. Qui rapit 14. &c. 17. q. 4.* Sylvester *V. Sacrilegium n. 6.* quod Mixti fori est crimen, Clarus §. *fin. q. 37. n. 6.* & Farinacius *Prax. Criminal. q. 8. n. 132.* etsi ejus cognitionem punitionémque, cùm reus laicus est, hodie passim
103. sibi vendicent curiæ Seculares. Tertiò, si agatur de peccato; ab hoc enim, ut recedant, laici judici Ecclesiastico denuntiari, & ab isto compelli possunt; sic enim causa Pacis juratæ, à seculari Principe violatæ, deducta ad sedem Apostolicam, & ab ista inferioribus Prælatis delegata est *c. Novit. 13. de Judiciis.* Simili modo ex simplici sive, ut vocant, Nudo pacto, aut læsione infra dimidium alteri obligatus, etsi conveniri nequeat actione Civili, *l. Juris gentium 7. §. 4. l. Divisioni 45. ff. l. Legem 10. C. de Pactis & l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit.* denuntiari tamen uterque Prælato Ecclesiastico, & ab isto ad impletionem pacti, *c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactis*, & justi pretii solutionem compelli potest, *arg. c. Novit cit.* cùm id necessarium sit, ut ab Injustitiæ peccato recedant, Fachineus *Controvers. Lib. 2. cap. 25.* Quartò, si Secularis judex officio 104
suo desit, & litigantibus justitiam non administret, ab actore reum ad forum Ecclesiasticum trahi posse, ex *c. Licet 10.* generaliter inferri & ratio reddi solet; quòd justitiam administrari pertineat non tantùm ad privatum partis, alteram indebitè gravantis, & judicis ad certam ejus administrationem ex officio graviter obligati: sed commune bonum spirituale & pacem Reipublicæ Christianæ: bonum autem spirituale, cùm ab inferioribus negligitur, procurare ad Ecclesiam spectet.

Alii tamen ejus illationis generalitatem restringunt ad Magistratus & judices Seculares, superiorem in temporalibus non recognoscentes. Eorum verò, qui talem recognoscunt, in administranda justitia negligentiam ab isto corrigendam aut supplendam: ad Ecclesiam autem tum demum recurrendum volunt, cùm in Magistratu inferiore ad justitiam administrandam compellendo, ejúsve defectu supplendo negligens est Princeps, aut alius Magistratus supremus; quòd administrationi justitiæ in temporalibus Ecclesia se non intromittat, quando recursus est ad superiorem, inferioris defectum supplere valentem ac volentem, Pa-
normit. *in c. cit. n. 9.* Suarez *de Censur. disp. 20.*

diſp. 20. ſ. 1 à n. 15. & alii, quos refert & ſequitur laudatus Oliva *de Foro Eccleſ. Lib. 2. q. 44. n. 3.* Unde

105. Dubium oritur, an viciſſim judicis Eccleſiaſtici in cauſarum deciſionibus & clericorum punitione negligentiam ſupplere valeat Princeps aut alius Magiſtratus Secularis. Quod cum Gloſſa *in can. Filiùs 31. V. Regis, 16. q. 7.* Decianus *Tom. 1. Tract. Criminal. lib. 4. cap. 9. n. 83.* Menochius *Retinendæ remed. 3. n. 354.* & quidam alii deſumunt ex *can. cit.* quô Archiepiſcopi in rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione negligentia Regis auribus dicitur intimanda: cujus textûs diſpoſitionem firmat praxis Hiſpaniæ, in qua à judice Eccleſiaſtico in civilibus & criminalibus cauſis gravati ad tribunal Regium recurrunt. Neque, ut videri poteſt, id immeritò; cùm *arg. c. Licet cit.* tum verò; quòd Secularis curia Rempublicam & ipſam Eccleſiam defendentis potiùs, quàm agentis partes gerat.

Verùm, ſicut cæterorum DD. Eccleſiaſticis non infeſtorum, communi fruſtragiô recepta, ſic ſpectatô tam Jure, quàm ratione, certa eſt doctrina Suarez *Lib. 4. de Defenſ. Fidei cap. 14. & 34.* Marthæ *de Jurisdict. p. 4. caſu 456.* Fariñac. *cit. q. 8. n. 46.* Gonzalez *in c. Qualiter 17. de Judiciis n. 4.* & aliorum apud hos & laudatum Olivam *n. 4.* poteſtati Seculari Eccleſiaſticorum Prælatorum negligentiam ſupplendi authoritatem negantium, propter claram deciſionem *c. Qualiter cit. &c.* & iſtâ non minùs claram ac ſolidam rationem; quòd poteſtati Ordinis inferioris id nullo Jure indultum legatur reſpectu ſuperioris: cujusmodi ſpiritualis & Eccleſiaſtica eſt reſpectu Secularis, *c. Solitæ 6. de Major. & Obed.* Sed Superiori tantùm reſpectu inferioris, *can. Cùm ſimus 9. q. 31.* quia ad ſupplendam alicujus negligentiam, neceſſaria eſt cognitio & jurisdictio: quam reſpectu Eccleſiaſtici non habet Magiſtratus Secularis: ſicut contrà reſpectu ipſius, in juſtitiæ adminiſtratione negligentis, juxta dicta, Eccleſiaſticus habet.

Neque contrarium evincit textus *can. Filiùs cit.* quia Imprimis varias & valdè ancipites habet expoſitiones; ac proinde ad cauſarum & controverſarum quæſtionum deciſionem vix poteſt allegari, ſecundùm doctrinam Baldi *in l. In ambiguo 3. ff. de Reb. dub.* & Felin. *in c. 1. de Conſtit. n. 55.* præſertim adverſus claram deciſionem *c. Qualiter. cit.* quâ aliiſque ſanctionibus Eccleſiaſticis poſterioribus, *can. cit.* contentum Jus, quatenus Seculari poteſtati favere videtur, correctum & abrogatum, volunt TT. apud Barboſam *in can. cit. n. 6. in fine.* Deinde; quia ex comuni Interpp. ſenſu in cauſa Eccleſiaſtica recurſus ad Regem *can. cit.* permittitur, non tanquam ad judicem: ſed, vel tanquam ad ejus advocatum ac patronum; ut extrajudicialiter curet, ne per dilapidationem Eccleſiæ damnum patiantur: vel quando quoad aliquod genus cauſarum Eccleſiaſticarum privilegiô Apoſtolicô, vel iſtius aliquando obtenti famâ ſeu comuni exiſtimatione cum immemoriali tempore fulcitur, *cit.* Martha *caſu 143. n. 4.* & Barboſa *n. 6.* juxta dicta *Lib. 1. tit. 4. à n. 50.* Demum; quia Canon ille deſumptus eſt ex concilio Toletano IX. cujus celebrati tempore, propter interjectorum barbarorum dominatum, ad Sedem Apoſtolicam difficillimus fuit recurſus: eámque ob cauſam iſte injuſtè gravatis à Metropolitano ad Regem permiſſus fuit indulgentiâ & privilegiô ipſius Sedis Apoſtolicæ: quô, aut ejus aliquando indulti famâ, allegatam Hiſpaniæ praxin niti, aſſerunt Bannez *12. q. 67. art. 1. dub. 2.* Cenedo *Quæſt. 45. Canon. n. 18.* Martha *cit. n. 4. &c.* Accedit; 106.

quòd, vi praxis hodie in Hiſpania vigentis, Regii in Clericos ſibi non vindicent jurisdictionem : ſed tantùm reos injuſtè gravatos, præmiſſa ſimplici notione declarent & defendant adverſus gravamen, Gonzalez *in c. Qualiter cit. n. 6.*

107. Excipiendus tamen hôc locô eſt judex Eccleſiaſticus, in controverſiis ſuper feudo ortis, juſtitiam non adminiſtrans vaſallis; ejus enim negligentiam à Principe Seculari ſuppleri poſſe, ex *c. Ex transmiſſa 6. & c. Verum 7.* cum Felino *in c. Qualiter n. 1.* & Panormit. *in c. Verum cit. n. 16.* rectè advertit Oliva *cit. q. 44. n. 11.* quòd iſte reſpectu cauſæ Feudalis illius ſuperior ſit;

108. Tertiò enim, ratione Feudi reus clericus non rarò Seculare : & contrà laicus Eccleſiaſticum forum ſortitur, *c. Cæterùm 5. de Judiciis, c. Ex transmiſſa & c. Verum citt.* Quâ in re tamen uſu prodita & à DD. recepta eſt non una diſtinctio inter quæſtiones & perſonas litigantes.

Et primò quidem, ſi lis ſeu controverſia eſt inter vaſallum & extraneum; vel etiam inter hunc & dominum directum, vg. quòd extraneus rem non feudalem, aut in ea ſervitutem, vel aliud ſimile jus ſibi vendicet, cauſæ cognitio ad rei conventi judicem ordinarium pertinet, juxta *Lib. 2. Feud. Tit. 43.* ne aliàs Dominus directus judex ſit in propria cauſa, contra Regulam *Rubric. & l. Unic. C. Ne quis in ſua cauſa*, Gloſſa *in c. Cæterum cit.* Panormit & Felinus *ibid. n. 13.* & Clarus §. *Feudum, q. 90. n. 7.*

Secundò, eidem rei conventi Ordinario judici competit cognitio, cùm ſuper uno feudo inter duos, aliud feudum à domino directo non obtinentes, litigatur, cujus illud, ſive quis ratione ejus ſit vaſallus, Feud. *Lib. 2. Tit. 15. §. Illud tamen;* hôc ipsô enim, quòd hujusmodi litigantes aliud feudum à domino directo non habeant, & feudum litigioſum ad ſe pertinere uterque contendat, eorum unus tantùm eſt vaſallus, alter verò neceſſariò extraneus; & propterea coram judice Ordinario conveniendus. Ita cum Decio *in c. Ceterum cit. n. 11.* Imola *ibid. n. 6.* Curtio Jun. *Tract. Feudal. p. 7. n. 5.* Fachineus *Controverſ. lib. 7. cap. 101.* diſſentiente Schradero *Tract. Feudal. p. 10. ſ. 2. n. 8.* & cum Panormit. *in c. Ceterum cit. n. 13.* Socino *in c. Ex transmiſſa cit. n. 29.* controverſiæ deciſionem adſtruente ipſius feudi domino directo; quòd ea verè ſit cauſa Feudalis; ac proinde coram eo, vel ſi coram ipſo nequeat, coram curiæ Paribus pertractanda, ſecundùm Feud. *Lib. 2. cit. Tit. 55. §. 2. V. Præterea & c. Ex transmiſſa cit.*

Tertiò de controverſia, ſuper feudi proprietate vel poſſeſſione inter duos vaſallos orta, cognoſcere, eſt domini directi eorum immediati Feud. *Lib. eodem, Tit. 55. §. fin. V. Præterea*, ſive ille & iſte Seculares, ſive Eccleſiaſtici ſint, *c. Ceterum, c. Ex transmiſſa & c. Verùm citt.* Rationem autem, cur vaſallus clericus, privilegiô fori non obſtante, coram domino directo etiam laico ex Eccleſiæ, §. *fin. cit.* diſpoſitionem approbantis, permiſſione conveniri poſſit, reddit Panormit. *in c. Verùm cit. n. 13.* quòd, cùm penes vaſallum ſolummodo utile: directum autem dominium ſit penes dominum, rei feudalis utilitatem illi liberaliter quidem, ſed ita concedentis; ut certis caſibus valeat revocari : proprietas verò penes ipſum remaneat, dominus directus, controverſiam ſuper feudo inter vaſallos ortam definiendô, de re propria, ſuóque beneficio ac liberalitate penes alterum exiſtente, cognoſcere, & pronuntiare videatur. 109.

Quartò, ſi ſuper feudo orta lis ſit inter ipſum dominũ directum & vaſallum: & iſte 110.

& iſte rem, de qua agitur, feudalem eſſe, non inficietur: ſed quæſtio ſit ſuper ejus conceſſione, devolutione, retentione, ſervitiis, vel tributo ratione illius præſtandis, cognitio pertinet ad Pares Curiæ, ſive alios ejus domini directi & provinciæ vaſallos, communi utriusque partis litigantis conſenſu eligendos, §. *fin. cit. V. Si verò, cit. Lib. 2. Tit. 16.* ſive illi & hi laici, ſive clerici ſint; quia in feudalibus Eccleſia & clerici Feudorum Conſuetudinibus, Jure Eccleſiaſtico approbante, ſubijciuntur, *cit.* Oliva *p. 3. q. 29. n. 21.* Curiæ autem Paribus, quòd alios vaſallos in provincia dominus non habeat, deficientibus, cauſæ cognitionem ad Ordinarium Secularem, ſi reus conventus laicus: aut, ſi ipſe clericus vel Eccleſia ſit, ad Eccleſiaſticum judicem ſpectare, cum Gloſſa *in* §. *fin. cit. V. Pares Curiæ*, Baldo *ibid. n. 8.* Panormit *in c. Verum cit.* & aliis tradit Menoch. *cit. Remed. n. 444.*

Quintò, ab eodem Ordinario judice decidenda eſt controverſia, orta ſuper re, quam dominus directus feudalem: vaſallus contrà allodialem ac liberam eſſe contendit; ne dominus directus, ejus cauſæ cognitionem ſibi vendicans, jus dicat in propria cauſa, ut cum Baldo *in* §. *fin. cit. V. Præterea, n. 4.* Panormit. *in c. Caterum cit. n. 13.* docent Clarus §. *& cit. n. 7.* & Menochius *cit Remed. 3. n. 428.* Si verò coram Ordinario, rem litigioſam feudalem eſſe, conſtiterit, controverſias inter dominum & vaſallum, ſuper ea ortas, ad Curiæ Parium judicium remittendas, rectè notant *citt.* Clarus *n. 7.* & Oliva *n. 27.*

III. Dubium controverſúmque eſt, an domino directo Seculari competat cognitio de crimine clerici vaſalli, inducente feudi privationem. Poſſe volunt Baldus *in c. Quæ Eccleſiarum 7. de Conſtitut. n. 5.* & Jaſon *in Prælud Feud. à n. 5.* ſuadétque ratio; quòd clerici & Eccleſia quoad feuda non aliter conſiderentur, quàm ceteri vaſalli; cùm ea, ſicut laicis, ſic etiam ipſis conceſſa cenſeantur cum oneribus & obligationibus, inductis per Conſuetudines Feudales; ac proinde ob crimen iisdem caſibus, quibus laici, etiam ipſi feuda amittant: &, ſicut illi, ſic etiam ipſi ſubijciantur jurisdictioni domini directi. Confirmatur paritate clerici, à Principe Seculari aſſumpti ad officium Seculare: qui ab illo deponi poteſt, ſi in officio delinquat. Cur non pari ratione, ſi feloniam committat, privari feudo?

Sed veriùs *citt.* Martha *p. 4. caſu 89.* Oliva *n. 19.* Fagnanus *in c. Caterum cit. n. 29.* Haunold *Tom. 5. de J. & J. Tract. 1. n. 23.* & Prænobilis ac Magnificus D. Dominicus Baſſus *Semicent. Controverſ. 10. n. 11.* quantumvis, cùm ad amiſſionem feudi ex cauſa merè Civili, omiſſione petitionis inveſtituræ, feudi alienatione, omiſſione auxilii vel denuntiationis & ſimilibus contra clericum agitur, cognitionem adſtruant domino directo, etiam Seculari: huic tamen eam competere, cum Innocentio *in c. Verum cit. n. 2.* Panormit. & Alex. de Nevo *ibid. n. 15.* aliíſque Interpp. negant, quando ex crimine propriè dicto (ut ſunt Proditio, Parricidium, Stuprum, illatum domini uxori aut filiæ, & ſimilia delicta non ſolùm ex contractu vel Conſuetudine feudali, ſed Naturali Divinóque Gentiúmque & Communi Jure graviter prohibita) Feudi privationem inducente, vaſallus Eccleſiaſticus tam civiliter, quàm criminaliter convenitur; quòd generalis Regula ſit, de clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ cujuscunque crimine, neque directè neque indirectè, cognoſci poſſe à Curia ſive judice Seculari, *c. At ſi clerici 4. c. Cùm non ab homine 10. de Judic. c. Nullus 2. c. Si diligenti* 12. & 112.

12. *hâc Rubr. & c. Unico de Cleric. conjug. in. 6,* à qua Regula clerici aliíque vasalli Ecclesiastici nullo Jure excipiuntur. Quare de vasalli clerici crimine cognoscere solummodo poterit judex Ecclesiasticus: à quo, si condemnetur, tum demum feudum, ipsi ablatum, alteri poterit concedi. Si verò absolvatur, ad ejus amissionem, ex eodem crimine agi ampliùs non potest, *citt.* Innocent. *n.* 2. & Panormit. *n.* 17.

Neque aliud evincit ratio allata in contrarium; quia, licet ut ceteri vasalli, sic etiam clericus feudum obtinens consideretur, cùm contra eum merè civiliter & ex alia causa quàm ex crimine propriè dicto agitur: aliud tamen obtinet, quando ex isto convenitur; quia clerico competens Fori privilegium, quoad ejus conventionem ex crimine nuspiam relaxatum, aut approbatum est Jus feudale: sicut hoc approbatum, & illi quoad conventiones merè Civiles derogatum est *c. Caterũ, c. Ex transmissa, & c. Verum citt.*

Neque paritas est vasalli cum Officiali; quia iste à Principe assumitur omnino liberè, & cum tacita conditione; ut, cùm libuerit, officium ipsi possit auferri: quô modó cùm non concedantur feuda, & his vasalli, non ad libitum, sed ex causis duntaxat Jure expressis, privari possint, ad feudi privationem opus est cognitione judiciali & condemnatione de crimine, domino Seculari in clericum vasal-
113. lum Jure non competente. De *Jure*, inquam; quia plurium provinciarum usu aliud est receptum: & de vasallorum etiam Ecclesiasticorum criminibus, feudi privationem inducentibus, cognoscunt domini directi, etiam Seculares: quam consuetudinem aliter, quàm tacita Ecclesiæ approbatione defendi vix posse, censet *cit.* Haunold. *n.* 248.

114. Quartò, sicut super feudo, sic etiam super bonis Regalibus coram Principe & curia Seculari, perinde ut laicos, sic & clericos atque Ecclesias conveniri posse, cùm Guttierez *Practic. Lib.* 1. *q.* 10. *n.* 1. tradit Palao *Tract.* 11. *disp. Unic. p.* 7. *n.* 5. quòd hujusmodi bona clericis & Ecclesiis concessa præsumantur sub conditione; ut super iis ortæ controversiæ à Principe definiantur. Unde, si talia bona clericis & Ecclesiis concedantur, has & illos super iis in foro Seculari conveniendos, cum iisdem docet Haunold *cit. n.* 236. *in fine.*

Dubium nascitur, an Princeps vel 115.
alius dominus Secularis bona & res suas per donationis viam in Ecclesiam aliúmve locum vel personam Ecclesiasticam transferre valeat cum reservatione jurisdictionis & cognitionis controversiarum, super iis movendarum: sub eáque conditione facta donatio acceptari. Id certè negat Ranbeck *Panoplia Immunit. Disp.* 2. *cap.* 6. *controvers.* 6. *n.* 24. & negandum suadet ratio; quia donationis eô pactô & conditione factæ acceptatio continet renuntiationem privilegii Fori Ecclesiastici, sanctionibus Canonicis non permissam, imò apertè reprobatam *c. Si diligenti* 12. *hâc Rubr.* cùm privilegium illud non privatum personæ vel loci, sed totius ordinis seu statûs Ecclesiastici & publicum Jus sit: juri autem publico privatorum pactionibus renuntiari non posse, explorati Juris Regula sit, *c. cit. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis.*

Veriùs tamen, donationem locò vel personæ Ecclesiasticæ cum jurisdictionis reservatione factam & acceptatam subsistere, cum Felino *in c. Ecclesia* 10. *de Constitut. n.* 22. Anchorano *Consil.* 323. & aliis VV. sustinent Molina *Tract.* 5. *de J. & J. disp.* 6. *n.* 6. Suarez *Defens. Fidei Lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 13. Laiman *Lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 5. *n.* 4. & Libertatis Ecclesiasticæ accuratis-

accuratiſſimus aſſertor Del-Bene *de Immunit. cap. 7. dub. 4. n. 1.* quos ſecuti ſunt Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 1. n. 236.* Pirrhing *ad Rubr. de Immunit. n. 74. in fine* & laudatus D. Collega D. Baſſus *controverſ. 13. n. 9.* Ratio eſt; quia, cùm quilibet rerum ſuarum moderator & arbiter ſit, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, earum traditioni apponere poteſt conditiones, quas vult: dummodo honeſtæ & Jure reprobatæ non ſint, *l. In traditionibus & c. Verum 4. de Condit. appoſit. ubi* Gloſſa *V. Conditione* & Panormit. *à n. 1.* Conditio autem reſervans jurisdictionem, in bona per viam donationis translata in Eccleſiam aliúmve locum vel perſonam Eccleſiaſticam, honeſta ſit & Jure non reprobata: imò eô ipsô; quòd Principes aliíque Seculares domini bona ſua allodialia Eccleſiis concedere valeant in feudum, *c. Caterum 5. & c. Novit 13. de Judiciis*, apertè approbata; cùm conceſſione rei in feudum ex ipſa iſtius natura non ſolùm obligatio ad fidelitatem & honeſta ſervitia ſive obſequia perſonalia exhibenda obligatio vaſallo imponatur Feud. *Lib. 2. tit. 3. §. fin. Tit. 23. in fine, & Tit. 55. pr. &c.* ſed etiam forum ſive jurisdictio, in bona in feudum conceſſa, domino directo vel paribus Curiæ reſrvetur, *c. Ex transmiſſa 6. & c. Verum 7. hâc Rubr.*

Neque iſtius reſervationem in bona Eccleſiæ &c. donata convellit contra eam deducta ratio, cùm; quia iſta non convellit conceſſionem rerum in feudum Eccleſiis, quæ multò gravior eſt, quàm reſervatio ſolius jurisdictionis in bona donata: tum verò; quia, cum hujusmodi reſervatione factæ donationis acceptatio propriè non eſt renuntiatio privilegii fori Eccleſiaſtici; cum res ita donata Eccleſiaſtico foro nunquam fuerit ſubjecta; ac proinde cum fori reſervatione factæ donationis acceptatione jus Eccleſiæ quæſitũ non dimittatur: ſicut fit per veram & propriè dictam renuntiationem: quam ſui & jam quæſiti juris dimiſſionem eſſe, cum Flamin. *de Reſignat. Lib. 1. q. 1. n. 9.* dictum eſt *Lib. 1. Tit. 9. n. 1.*

Dubium ſecundò & maximi momenti ac præjudicii controverſia eſt, an Clerici aliæque perſonæ & loca Eccleſiaſtica ſicut ſuper Feudalibus, Regalibus & cum jurisdictionis reſervatione donatis, ſic etiam ſuper aliis bonis ac rebus ſuis in foro Seculari conveniri de Jure valeant actione Reali. Poſſe enim auctor eſt Godofredus *in l. De hũ 3 c. de Epiſc. & Cleric. n. 2.* cujus Opinionem Bartolus *in l. Incola 29. ff. ad Municip. n. 5. cit.* Guttierez *Lib. 2. q. 123. n. 7.* Gaill. *Practic. Lib. 1. obſervat. 37. n. 4.* &, poſtquam ea tribunalium uſu invaleſcere cæpit, cæteri Legiſtæ ita obfirmatô ſtudiô amplexi ſunt; ut hodie clavum Herculi extorqueas faciliùs, quàm ratione aliquâ hanc ſuam ipſis eximas Opinioem. Ratio, quâ præcipuè moventur, eſt; quòd ex una, *c. At ſi Clerici, c. Nullus cit. c. Quòd ſi clericus 5. c. Seculares 2. hâc Rubr. in 6. Auth. Sancimus, Auth. Sed hodie C. de Epiſcop. & Cleric.* aliæque conſtitutiones Eccleſiaſticæ & Imperiales, in quibus clericorum aliarúmque perſonarum & locorum Eccleſiaſticorum à Seculari foro exemptio fundatur, diſertè loquantur de non judicandis aut diſtringendis in iſto illorum perſonis: ex altera verò parte, actio realis clerici non perſonam, ſed rem duntaxat, vg. prædium ſpectet; in eáque clericus non tam reus ſit, quàm defenſor: qui privilegió Fori non juvatur, quò minùs ſequatur forum perſonæ, aut etiam rei, cujus ſuſcipit defenſionem, *l. Venditor 49. ff. de Judiciis.* Confirmatur; quia actione Reali in judicium vocatur non perſona clerici; cùm de iſtius obligatio- 116.

ne non agatur, §. *Omnium* 1. *Instit. de Action.* sed res, secundùm usitatam pharsin VV. JCT.orum, judicium vel sententiam rei controversæ dari vel dici, asserentium, *l. Liberto* 32. §. *fin. ff. de Negot. gest. & l. Sed & locum* 4. §. 5. *ff. Fin. regund.*

117. Sed veriùs, clericum, Ecclesiam &c. de Jure, etiam Reali actione conveniri in foro Seculari non posse, cum Panormit. *in c. Ecclesia* 10. *de Constit. n.* 22. Baldo *in Auth. Clericus C. de Episc. & Cleric. n.* 2. Tiraquell. *de Retract. lign.* §. 32. *Glos.* 1. *n.* 81. Boërio *decis.* 69. *n.* 35. Steph. Gratiano *Discept. cap.* 16. *à n.* 21. Roland. à Valle *Lib.* 2. *Consil.* 23. *n.* 13. defendunt Covarruvias *Practic. cap.* 31. *n.* 5. Maranta *Ord. Judic. p.* 4. *dist.* 11. *n.* 2. & Farinac. *Prax. Criminal. q.* 8. *n.* 21. Quorum doctrina omnium alicujus nominis ac notæ TT. & Canonistarum calculô approbata est, claróque Jure nititur & solidâ ratione.

Jure quidem §. *Nullus* post *can. Clericum* 2. *can. Nullus* 5. ibi, Episcopus neque pro Civili neque pro Criminali causa ad judicem Civilem producatur, *can. Inolita* 39. *can. Placuit* 40. *& c.* 11. *q.* 1. *c. Si diligenti* 12. ibi, *In Criminali seu in Civili negotio, hâc Rubr. Auth. Sed hodie*, ibi, *In qualibet causa Criminali vel Pecuniaria*, *Auth. Statuimus C. de Episc. & Cleric.* qui & similes textus alii, cùm utrumque genus causarum Criminalium & Civilium exprimant: earúmque nominibus clericorum causas omnes comprehendant, ad actiones Personales sine violentia nequeunt restringi. Imò personas Ecclesiasticas actione etiam Reali in foro tantùm Ecclesiastico conveniri oportere, perspicuè habetur, *c. fin. de Judiciis*, cujus textu laicus, qui ab Abbate & Conventu super quasi possessione juris eligendi Rectorem Politicum, sive officialem Secularem, ut rectè obtervat Canisius *in c. cit. n.* 9. & *ex c. cit.* plena lectione indubitatè constat & *Tit.* 12. *n.* 121. Ostendetur; adeóque super rei merè temporalis quasi possessione in foro Seculari conventus succubuit, istos in Petitorio, sive super ejus juris proprietate, mutatô forô, coram judice Ecclesiastico debuit convenire: quantumvis aliàs, ne causarum continentia dividatur, judex, qui de Possessione cognovit, cognoscere etiam debeat de proprietate, *c.* 1. *de Causa Poss. & Propr. & l. Nulli* 10. *C. de Judiciis*, luculentô argumentô, clericos & cæteras Ecclesiasticas personas locáque actione etiam Reali in foro Seculari conveniri de Jure non posse.

Ratione verò, partim; quia res & bona, tanquam accessoria personæ, illius forum sequuntur, ut mutatâ conditione & statu personæ etiam rerum forum mutetur; sic enim res & bona assumentis militiam Secularem &c. ad illius forum transeunt, *l. Magisteria* 6. *ff. de Jurisdict. omn. jud. & l. fin. C. de Agent. in reb.* Cur ergo forum Ecclesiasticum non sortiantur res & bona clericorum? cùm, quæ religiosis adhærent, religiosa fiant, *l. Quæ religiosis* 43. *ff. de R. V.* & ad clericatum assumptus transierit ad militiam Cœlestem, statum multò, quàm hujus Seculi militum est, nobiliorem ac digniorem, partim verò; quia de causa & actione Reali judicialiter cognoscens jurisdictionem etiam exercet in personam domini, sive possessoris in judicio conventi, eum citandô & comparere compellendô: jurisdictionē autem in personā clerici, utpote Fori Ecclesiastici privilegiô munitam, exercere nequit judex Secularis. Unde planè corruunt, quæ in contrarium allata sunt argumenta: quibus

Majorem vim non habet; quòd quisque forum sortiatur in loco, ubi sita est res, de qua controversia in judicium est deducenda

deducenda, *c. fin. hâc Rubr. & l. fin. C. Ubi in rem act. exerc.* quia forum quisque etiam fortitur in loco contractûs, per ejusdem *c. fin. & l. Hæres 19. ff. de Judic.* textus; & tamen etiam secundùm oppositæ Opinionis Assertores, clericus, ubi contraxit, actione Personali, qualis ex contractu oritur, §. *Omnium cit.* conveniri nequit in foro Seculari. Quare, sicut ratione contractûs Personali, sic Reali etiam actione ratione rei, clericus in foro tantùm Ecclesiastico conveniri potest in loco, ubi res est sita, ut probè advertit *cit.* Haunold. *n. 236.*

118. Dixi tamen, *de Jure*; quia isti in multis locis hodie prævaluit contraria consuetudo: quam tamen, cùm quid facti sit, probandam, rectè monet Magnific. D. Collega Dominic. Bassus *Semicent. controvers. 9. n. 3.* Probatam autem, Faber *in §. Si verò 3. Instit. de Satisdat. n. 7.* difficilem, & invalidam pronuntiat Baldus *c. Decernimus 2. de Judiciis in fine.* Inclementiùs eam habent duoSocini:dum, quô ea Jure nitatur, à se ignorari,ingenuè fatetur Senior, *Lib. 4. Consil. 13. n. 30.* Junior verò, eam Papæ tolerantiâ excusari non posse, monet *in c. 1. de Foro compet. n. 35.*

ARTICULUS VII.

De Foro Competente ratione Jactationis seu Diffamationis.

SUMMARIUM.

119. *Diffamans ad diffamationis probationem cogitur,*
120. *Coram non suo, sed diffamati judice:*
121. *Sive eum super statu vel crimine,*
122. *Sive super alia re vel jure traduxerit;*
123. *Etiam si ipse clericus, & laicus sit judex:*
124. *A quo, præfixô probationis terminô citatur.*
125. *Eâ citatione præventionem induci, aliqui asserunt:*
126. *Alii inficiantur.*
127. *Diffamato contumaciter absenti silentium injungitur.*
128. *Diffamans diffamationis factum:*
129. *Ejus veritatem diffamator probat.*
130. *Secus ad perpetuum silentium obligatur.*
131. *Remedium* l. 8. ff. de Fidejussoribus.

SEptimò forum quis fortitur ratione Jactationis seuDiffamationis:quod competit ex *l. Diffamari 5. C. de Ingenuis & manumiss.* cujus beneficiô, in ingenuitatis possessione constitutus, si à quopiam inquietetur ac diffametur,quasi ingenuus non sit, apud judicem conqueri & petere ab eo potest; ut diffamanti assignet certũ terminũ,intra quem suæ jactationis sive traductionis veritatem, sive diffamato objectæ servilis conditionis maculam probet: &, si in probatione defecerit, perpetuum ei silentium imponatur. Quod sanctione Imperiali providè introductum est, ad reprimendam temeritatem illorum, qui improvidâ & malitiosâ jactatione detrahunt proborum statui, eorúmque existimationem publicam lædunt,Socinus *in l. 1. §. Si hæres 16. ff. ad* S. C. *Trebell.* Ubi 119.

Dubium est primò, quis in hac Jactationis seu Diffamationis causa competens sit judex. Primâ enim fronte,competens & à diffamato adeundus esse,videri potest judex ipsius diffamantis,cùm; quòd iste tanquam reus in judicio conveniatur: actor autem rei forum sequatur, ex Regula *c. Si Clericus 5. c. Cùm sit 8. hâc Rubric. & l. Juris 2. C. de Jurisdict. omn. Jud.* 120

tum verò; quòd ex *l. Diffamari cit.* ut jactationis & traductionis suæ veritatem probet, diffamans sit cogendus: cogi autem nemo possit, nisi à judice suo; cùm alienus eum, qui subditus non est, cogendi nullam habeat potestatem, *arg. c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.*

Sed rationibus his potior est sanctio Imperialis, ejusmodi causæ cognitionem adstruens proprio judici personæ, super statu sive servilis conditionis maculâ diffamatæ. Idque Jure optimô, partim; quòd eâ agatur de personæ statu, seu qualitate, cujus cognitio proprio illius judici competit, *l. 1. & l. Si ex possessione 4. C. Ubi causa statûs agi deb.* partim verò; quòd ejus adversarius ipsâ jactatione seu traductione suâ diffamatum accusare, sive tacitè ad illius judicem provocare: & sic illum reum, se verò actorem constituere videatur; cùm Actor ille dicatur, qui priùs movit litem, *c. Forus 10. V. Accusator, de V. S.* ac proinde diffamati forum tanquam actor sequatur, per ipsos textus in contrarium adductos: & causam, ipsâ traductione suâ cœptam, prosequi cogatur coram proprio judice ejus, quem diffamavit, *arg. l. Ubi acceptum 30. ff. de Judiciis*, Baldus *in l. Diffamari cit. n. 8. & 10.* Gaill. *Practic. Lib. 1. Observat. 9. n. 3.* & Perez *in Rubr. C. de Ingenuis & manumiss. n. 9.*

121. Dubium secundò est, an *l. cit.* remedio in sola statûs diffamatione sit locus. Ratio dubitandi est; quòd, cùm ea super ipsius casu sit concepta: & exorbitet à Regulis Juris communis, quempiam invitum ad agendum compelli, & ad judicem non suum trahi, non permittentis, *l. Unica C. Ut nemo invitus agere, & l. fin. cit.* eam ad alios casus & causas extendere non sinat, *Reg. Quæ à Jure 20. in 6.* Sed ratio hæc speciosa magis, quàm solida est; cùm enim, sicut super statu, sic & super alia re quacunque alterum diffamans ipsâ suâ traductione tacitè ad judicium non suum ipse provocet, compelli ad agendum, & ad judicem non suum trahi, non censetur. Unde à Juris Regulis non divertit, aut exorbitat communis interpretatio DD. *l. cit.* locum esse asserentium in omni genere causarum; ut non solùm. qui alterum, tanquam servum vel spurium, aut aliàs illegitimè procreatum: sed is etiam, qui 122.
eum tanquam adulterii aut cujuscunque criminis reum, vel alienæ rei aut juris detentorem vel possessorem injustum, vel debitorem suũ jactavit & traduxit, compelli valeat; ut maculam, crimen, possessionis injustitiam vel debitum apud non suum, sed ipsius diffamati judicem, intra præfixum ab isto certum terminum, probet: vel, si hoc renuat, aut nequeat, perpetuum silentium ei injungatur. Ratio est; quòd æquissimũ sit, ut honestorum & proborum virorum, sicut status: sic etiam fama atque existimatio contra malignorum obtrectationes illæsa, juráque intacta & pacificæ rerũ possessiones conserventur, Ant. Gabriel *Lib. 2. Tit. de Action. conclus. 6. n. 2. citt.* Gaill. *n. 2.* Perez. *n. 10.*

Dubium tertiò est, an remedio illi 123.
etiam locus sit contra clericum laici diffamatorem. Coram Ecclesiastico judice ei locum esse, nemo ambigit. An etiam coram Seculari, dubium reddit, partim privilegium Clericale, vi cujus adversus illũ in jus vocantem exceptione fori declinatoriâ clericus defenditur, *arg. l. fin. ff. de Jurisdict. c. Nullus 2. & c. Si diligenti 12. hâc Rubr.* partim; quòd in hoc judicio diffamator sit actor; ac proinde laici à se diffamati sequatur forum, ad quod ipsâ suâ traductione tacitè provocavit, *c. Cùm sit & l. Juris citt.* Utrique huic rationi aliquid tribuendum; ut clericus quidem

quidem ad criminis aut maculæ objectæ aut jactati juris sui probationem coram diffamati tanquam rei judice laico adstringatur: quòd ratio posterior,& quod prior evincit,ad comparendum coram isto non compellatur, nisi ab Ecclesiastico & suo judice: qui propterea pro citationis executione à diffamati judice laico adeundus & requirendus est; ut clerico diffamatori comparitionem & alia ad *l. Diffamari cit.* processum pertinentia injungat. Quod ipsum in diffamatore laico observandum est, quoties à diffamato imploratur officium judicis,cujus jurisdictioni diffamans non est subjectus,ut ex Mundio *in l. cit. §. 3. n. 235.* hujus Requisitionis formam præscribente, monet Engel *ad hanc Rubric. n. 58.* Confirmatur; quia diffamatus, licet in judicio, ut vocant, Actionis, in quo de maculæ vel criminis objecti aut prætensi juris veritate cognoscitur & pronuntiatur, partes sustineat actoris: in judicio tamen Diffamationis, ut loquuntur, in quo ejusmodi terminô cum perpetui silentii comminatione præfixô citatur, reus judicatur; ut proinde, si clericus sit, Ecclesiastici & proprii judicis sui authoritate in jus debeat vocari,ut rectè observant Zœsius *in C. de Ingen. & manumiss. n. 23.* & Pignatellus *Tom. 1. Consult. 50. n. 31.*

124. Porrò *l. Diffamari cit.* praxin declarare juvat exemplô Caji, sibi à Titio centum deberi jactantis; tali enim casu Primò Titius proprium suum,tanquam diffamati, judicem adit, eique conqueritur & summariè probat,Cajum jactavisse,sibi à Titio deberi centum: quorum se debitorem cùm non sciat & inficietur, judicis officium implorandô petit, ut Cajo præfigat certum terminum, intra quem jus suum deducat & debitum sive prætensionem jactatam probet, sub pœna seu comminatione perpetui silentii, si defecerit, imponendi. Ea autem jactationis probatio per instrumentum, sive exhibitas diffamationis literas aut picturam,vel per testes facienda, & necessaria est; ut processus & diffamantis citatio decernatur, secundùm *Ordinat. Camera Imp. Lib. 2. cap. 25. pr.* cùm fundamentum sit hujus judicii; ac proinde, antequam hoc constituatur, judici de ea debeat saltem probabiliter constare, Boërius *Decis. 225. n. 7.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 18. n. 2. citt.* Gabriel *n. 24.* & Gaill. *Observat. 10. n. 7.*

Secundò, diffamatione ita probatâ, 125.
à judice citatur Cajus, eique præfigitur certus terminus,intra quem debitum,quô Titium sibi obligatum jactavit, probet sub perpetui silentii, si defecerit, imponendi con minatione: cujus citationis insinuatione Cajo factâ, Pillegrinus *de Offic. Vicar. p. 2. sect. 3. sub & interf. 3. n. 12.* Engel *l. cit. n. 6.* & alii apud Card. de Luca *Theatri V. & J. de Jurisdict. disc. 37. n. 7.* præventionem induci volunt;ut, etiamsi Titius haberet plures judices, coram quibus conveniri posset,Cajus tamen non quem ex iis ipse præfert,adire possit: sed coram eo, cuius officium Titius imploravit,comparere &intentionem suam, sive iactandô prætensum debitum probare teneatur. Rationem reddunt; quòd idem iudex debeat esse causæ præparantis & præparatæ, per tradita à Baldo *in l. Ordinarij 13. C. de R. V. à n. 2.* ne causarum continentia dividatur, contra Regulam *c. 1. de Causa poss. & propr. & l. Nulli 10. C. de Judiciis.* Alii tamen frequentiori calculô & non minori ratione cum Marian. 126.
Socino *in c. Proposuisti 19. hâc Rubr. n. 20.* Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 18. n. 6.* & Gaill. *cit. Observat. 9. n. 5.* citatione illa jurisdictionis præventionem induci negant, & Caii arbitrio permittunt, an coram illo vel alio Titii iudice, prætensi debiti probationem suscipiat; ut, si velit,

petere valeat, diffamationis causam ad Titii iudicem à se eligendum remitti; quod, ut dictum, in hoc iudicio diffamator sit actor vel accusator, diffamatus autem reus: ex cuius competentibus pluribus, quem mavult, adire in potestate actoris est, non rei ab eo in iudicio conveniendi.

127. Tertiò, si Cajus diffamator ter, vel unâ citatione peremptoriâ in jus vocatus contumaciter emanserit: &, neque coram eo, à quo citatus est, neque coram alio Titii judice compareat, & diffamationis sive jactati debiti probationem suscipiat, iterum citatur: &, si in contumacia perseveret, ad petitionem Titii perpetuum ipsi super diffamatione & debito jactanter asserto silentium injungitur, *citt.* Gaill. *Observat.* 12. *n.* 6. Perez *n.* 7. & Bruneman. *n.* 16.

128. Quartò, si Cajus in termino citationis compareat, & ut non rarò solet, diffamationem neget, ejus assertæ probatio incumbit Titio: qui, si in probatione deficiat, ab ejus petitione absolvitur Cajus, ipse verò in expensis condemnatur, Gaill. *Observat. cit. n.* 7.

129. Quintò, si verò Cajus comparens jactationem fateatur, & Titium debitorem suum esse asseveret, ipsi tanquam actori injungitur onus probationis: & in hac deficienti perpetuum silentium indicitur, sive, quod idem est, super prætenso
130 debito ullam imposterum molestiam Titio inferre prohibetur: &, si per obstinatam malitiam ei molestus esse non cessaverit, postmodum pro injuriæ gravitate coërcetur, *arg. l. Unic. ff. Si quis jus dicenti non obtemp.* Atque hanc *l. Diffamari cit.* Practicam, etsi fortè ex pravo ejus intellectu profecta aut ab Interpp. ficta sit, ut ostendit Wisenbach, & Bruneman. *n.* 18. agnoscit, hodie tamen in iudiciis receptissimam & Imperialis Cameræ Ordinatione *cit. Tit.* 25. approbatam, ait *n.* 19.

Ex *l. Diffamari cit.* competenti af- 131.
fine est remedium *l. Si contendat 28. ff. de de Fidejussoribus:* quod, etsi specialiter conceptum sit de fide iussore, cui competit beneficium Divisionis: ex eius tamen æquitate generali ab aliquo, vg. Titius à Caio, nullâ huius traductione vel diffamatione præcedente, super aliquo debito vexationem & molestiam timens, proprium suum iudicem, coram quo ab illo conveniendus esset, adire & petere ab eo potest, declarari, se eius debitorem non esse, vel sibi adversus eum competere legitimam exceptionem: & propterea Cajo super debito, super quo ab eo litem sibi movendam metuit, perpetuum silentium imponi, Panormit. *in c. Si quis contra 4. n. 2. citt.* Covarruvias *n.* 3. & Pillegrin. *n.* 20. in rem hanc etiâ allegantes *l. Aurelius 28. §. 8. ff. de Liberat. leg. & l. Si pater 3. C. Qui bonis ced. poss.* & inter *l. Diffamari & l. Si contendat citt.* varias, & præcipuè eam statuentes differentiam; quòd posterior solùm vexationis metum vel periculum supponat, non præviam diffamationem: cujus probatio, ut subeunda non sit, in praxi *ll. citt.* utrâque prodita remedia, ad faciliorem causæ expeditionem, cumulari & misceri consuevisse, cum DD. *citt.* notat de Luca *cit. disc. 73. n. 6.*

ARTICULUS VIII.

De Foro Competente ratione Connexionis Causarum.

SUMMARIUM.

132. *Ratione connexionis forum reus fortitur:*

133. *Sive causæ connexæ sint ratione Personarum,*

134. *Rei*

134. *Rei vel Quæstionis incidentis:*
135. *Sive ratione Reconventionis vel actionis Generalis.*
136. *Clericus & laicus rei debendi Ecclesiasticum forum sortiuntur.*
137. *Si causa individua sit.*
138. *Eadem ratio est aliarum ejusmodi Civilium causarum.*

132. OCtavò reus forum sortitur ratione Continentiæ, sive connexionis causarum, juxta tritum, quò istorum continentia non dividenda, hoc est, de causis connexis regulariter ab uno eodémque ordinario vel delegato judice cognoscendum dicitur, *l. Nulli* 10. *C. de Judic. c.* 1. *de Causa possess. & propr.* cùm; ut parcatur sumptibus partium litigantium: quibus ad diversos judices distractis illi multiplicantur: tum verò, quòd judex, qui cognovit de una, ad expeditiorem alterius pertractationem jam sit instructus, & periculum sit; ne contrariæ sententiæ sequantur, Bruneman. *in l. Nulli cit. n. 6.*

Continentes autem sive connexæ causæ dicuntur, quæ communem judicationis rationem habent; ut una sine altera non facilè possit: & propterea utraque ab eodem judice debeat & soleat definiri, Jason *in l. cit. & l. Quoties* 3. *C. de Judiciis.*

133 Connexæ autem causæ diversimodè esse possunt & sunt: aliquando quidem ratione Personarum, quæ in judicio conveniuntur, ut inprimis sunt, qua plures cohæredes actione Familiæ herciscundæ, sive de dividendis, distribuendisque rebus hæreditariis, & de eo, quod alteri ab altero præstari oportet, inter se agunt, *l. Non est 9. ff. Famil. hercis. & §. Quædam 20. Instit. de Actionibus.* Deinde, quâ inter plures agitur, ut res, ex Societatis vel quacunque alia honesta causa, ipsis communis dividatur: &, quod alterum alteri præstare oportet, utrinque præstetur, *l. Si probatum* 2. *l. Ad officium* 3. *&c. C. communi divid.* Præterea, quâ prædia rustica confinia habentes agunt ad confinium fundorum divisionem, sive, ut termini declarentur: &, vel constituantur novi, vel antiqui restituantur, *l. Sed & locis* 4. *§. 4. & l. Si irruptione 8. ff. Finiù regund.* Demum, quâ ex pluribus tutoribus unus, quasi cæteri solvendo non sint, à pupillo conventus, contutores omnes, vel in totum vel pro parte solvendo esse asserens, petit; ut omnes citentur, & ad eundem judicem remittantur, *l.* 1. *& l. fin. ff. de Quibus rebus ad eund. jud. eatur.*

Aliquando ratione Rei, de qua controversia est: ut quando circa eandem rem diversæ quæstiones principaliter aut incidenter in judicium deducuntur, vg. cùm lis est de ejusdem rei possessione & proprietate, *l. Nulli & c.* 1. *citt.* cùm de divortio, & dotis vel propter nuptias donationis amissione agitur, *c. De prudentia 3. de Donat. inter Vir. & Uxor.* cùm ad exhibendum Actio & Rei Vindicatio intentatur, *l. In hac actione* 3. *§.* 3. *ff. ad Exhibend.*

Aliquando ratione incidentis in judicium quæstionis Præjudicialis, ut, cùm in petitionem hæreditatis, principaliter in judicium deductam, incidit quæstio statûs, vg. an, qui illam petit, filius, an ex matrimonio vel concubinatu procreatus sit, *l. Quoties* 3. *C. de Judiciis*, de qua *Tit.* 10. *n.* 3. 134.

Aliquando ratione Reconventionis, de qua *Tit.* 4. *à n.* 2. explicatiùs agetur.

Aliquando demum ratione generalis Actionis, quò modò connectuntur causæ & res diversæ, quæ sub una eademque tutelæ, vel negotiorum gestorum actione, aut hæreditatis petitione continentur; ideóque super negotio in aliquo loco gesto conventus ibidem respondere tenetur 135.

super

super negotio, quod alibi gessit: & judex per hæreditatis petitionem aditus in loco, ubi major pars bonorum sita est, etiam de alibi existentibus & ad hæreditatem pertinentibus cognoscit, *l. Nulli cit.*

Dixi initiô, *Regulariter*; quia, licet, qui de hujusmodi causarum connexarum una cognovit, cognoscere etiam debeat de altera, quando utraque temporalis & reus conventus laicus est: nihilominus, quando earum altera, vg. in principalem incidens spiritualis & Ecclesiastica est, eandem ad judicem Ecclesiasticum remittendam, constat ex *c. Tuam 3. de Ord. cognit.* ubi hujus rei plenior explicatio *à n. 14.* tradetur.

136. Dubium hôc locô est, an clericus & laicus simul rei debendi coram eodem, & coram quo judice sint conveniendi. Et quidem, si causa dividua sit, utrumque coram suo, clericum coram Ecclesiastico, laicum coram Seculari judice conveniendum, res est omnino explorata juxta illud Capycii *Decis. 173. Quando causa dividua est, retinemus laicos & remittimus clericos aliósque privilegiatos.*

137. Quando autem causa individua est, satis concordibus DD. calculis receptum est, coram eodem & Ecclesiastico solùm judice utrumque conveniendum. Ratio est; quia causæ continentia non est dividenda *c. 1. & l. Nulli citt.* &, quia clericus ad Seculare forum trahi non potest cum laico, iste ad Ecclesiasticum forum trahendus est, in eóque simul uterque conveniendus; cùm conveniens sit, ut magis dignus ad se trahat minùs dignum, *c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles. & l. Quæ religiosis 43. ff. de Rei Vind.* ut adeò tali casu judex, qui per se competens non est, competens fiat ratione personæ adjunctæ: & propter communionem ac societatem individuam cum privilegiato istius jure non privilegiatus fruatur potiùs, quàm suô ille privetur, *arg. l. Si communem 10. ff. Quemad. servit. amitt. & l. Si is qui 29. ff. de Liberat. leg.* Riminald. Sen. *Vol. 2. Consil. 399. n. 9.* Surdus *de Aliment. Tit. 9. q. 14. n. 3.* & Martha *de Jurisdict. p. 4. casu 118. n. 1.*

Simili modo si in aliis causis individuis & separationem quoad cognitionem judicialem non admittentibus reorum unus clericus, alter laicus sit, de Jure adversus utrumque Ecclesiasticus iudex adeundus est: sicut vg. in iudiciis communibus Familiæ herciscundæ, Communi dividundo & Regundorum finium: uti & contra plures tutores vel curatores eiusdem tutelæ vel curæ, contra executores testamenti, negotiorum gestores &c. ne, vel causarum dividatur continentia: vel reorum alteri competens privilegium auferatur, Maranta *de Ord. judic. p. 3. dist. 11. n. 21.* Stephan. Gratian. *Discept. Forens. cap. 641. n. 19.* Sperell. *Decis. 19 àn. 22.* & Barbosa *Lib. 1. Jur. Eccles. cap. 39. §. 2. n. 95. ad finem.* 138.

ARTICULUS IX.

De Foro Competente ratione Prævention is.

SUMMARIUM.

139. *Hujus ratione forum quis sortitur in causis Fori Mixti:*
140. *Cujusmodi varia referuntur.*
141. *In iis ab Ecclesiastico punitus sæpe etiam punitur:*
142. *Absolutus rarò condemnatur à judice Seculari.*
143. *Ejusdem ratione forum sortitur ante fori mutationem præventus per citationem,*
144. *A judice legitimè factam,*

145. *Et*

145. *Et reo intimatam;*
146. *Idque non obstante mutatione status & privilegio:*
147. *Nisi isto præventioni expresse derogatum sit.*
148. *Citatione intimata actor nequit variare:*
149. *Nisi reus citationem contempserit.*
150. *Præventionis judex jurisdictionem suam defendere saltem in Criminalibus potest.*
151. *Citatio delinquentis præventionem inducit respectu socij criminis,*
152. *Nisi iste sit clericus:*
153. *A quo socium laicum ad forum Ecclesiasticum trahi, aliqui asserunt:*
154. *Melius alij negant.*
155. *Judicium, cœptum contra laicum, contra eum clericum factum continuatur:*
156. *Quin tamen pœna corporali puniatur à judice Seculari,*
157. *In hujus fraudem clericatum assumentis eadem ratio est.*
158. *Contra clericum, hæredem laici, non inchoatur:*
159. *Continuatur tamen judicium Seculare:*
160. *In quo emptorem suum laicum clericus defendere tenetur.*

139. NOnò reus Forum sortitur ratione Prævention is, quæ duabus ex causis inducitur. Et Aliquando quidem; quòd causa, super qua reus in iudicio conveni-tur, sit Mixti sive Ecclesiastici & Secularis Fori, aut aliàs respectu eius sint duo iudices competentes, vg. unus ratione Domicilii, alter ratione Contractûs, Rei sitæ, Delicti &c. Cuiusmodi causæ ratione quando reus citatus est ab uno, neque actor variare, & alterum iudicem adire: neque iste se ingerere potest, *arg. l. Si quis 7. ff. de Judic.* cùm ob favorem ipsius rei; ne super eadem causa apud plures iudices vexetur: tum verò; ut iudicium. ubi cæptũ est, ibi & finẽ accipiat, *l. Ubi 30. ff. ib.*

Mixti autem fori causæ sunt de Matrimonio, decimis, iure patronatûs & similibus spiritualibus, aut his annexis rebus vel iuribus motæ quæstiones meri Facti: &, quibus de eiusmodi rerum possessione retinenda vel recuperanda contra reum laicum agitur, & iuris sive proprietatis quæstio non admiscetur, ut ad *Tit. 10. & Tit. 12.* ostendemus. Causæ iuramenti, cùm agitur ad eius observantiam, vel periurii punitionem: usurarum, etiam cùm de contractu, an iniquitatem aliquam contineat, quæstio est, ut *Lib. 5. Tit. 19. à n. 113.* ostendetur. Causa adulterii, nisi de eo agatur ad dissolutionem vel divortium, sive separationem coniugum quoad thorum & cohabitationem; hôc enim casu de eo cognoscere solius Ecclesiastici iudicis esse, rectè notant Clarus §. *fin. q. 33. n. 3.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. n. 30.* Causæ criminum polygamiæ, sodomiæ, incestûs, concubinatûs, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 1. à n. 338. & tom 6. tract. 1. à n. 131.* blasphemiæ & sortilegii: quæ tamen crimina, si saperent hæresin, perinde ut ista, ad solius Ecclesiastici iudicis cognitionem pertinerent, juxta *c. Ut inquisitionis 18. V. Prohibemus de Hæreticis in 6.* Haunold. *Tract. citt. n. 336. & n. 128.* Causæ sacrilegii, falsationis literarum Apostolicarum, Assasinatûs, Haunold. *cit. Tom. 6. & Tract. 1. à n. 130.* Quorum criminum rei fideles laici (non etiam clerici) non à Seculari duntaxat, ut hodie plerumque solet, sed ab Ecclesiastico etiam Magistratu puniri possunt; quòd non solùm Politico bono Reipublicæ: sed supernaturali etiam fini, Fidei & Religioni, cuius Eccle- 140.

sia curam gerit, specialiter adversentur, & ferè cùm Ecclesiæ damno ac præiudicio sint coniuncta, Laiman *Lib. 4. tract. 9. cap. 2. àn. 4.* Unde

141. Dubium & controversia oritur, an ob Mixti fori delictum ab Ecclesiastico iudice punitus, puniri etiam valeat à iudice Seculari. Ratio dubitandi de Negativa est; quòd eiusmodi criminis reus utramque Secularem & Ecclesiasticam Rempublicam offendat; ac proinde, ut utriusque læsio reparetur, ab utraque, tam Seculari quàm Ecclesiastica, potestate coërcendus sit. De Affirmativa autẽ; quòd de eiusdem hominis delicto sæpius non sit quærendum, *l. Prator 7. §. 1. ff. de Injuriis.*

Propter has rationes in dubitationis resolutione non consentiunt DD. quorum tamen, seu verè seu in speciem tantùm, pugnantes Opiniones in concordiam reduci possunt beneficiò distinctionis; quantumvis enim, cùm reus laicus à iudice Ecclesiastico pœnâ, secundùm canones & leges Ordinariâ, aut hâc deficiente, extraordinariâ delicto proportionatâ, aut ex huiusmodi pluribus mitiori punitus fuit, eum ad pœnam denuo trahi in foro Seculari non posse, tribuendum sit rationi posteriori, & non permittat Æquitas: quæ non patitur, ut condignè punitus ampliùs puniatur: casu tamen, quô ei solummodo Medicinalis, aut alia sacris canonibus, & non etiam legibus Civilibus definita pœna inflicta fuit, ut in atrocioribus aut sanguinis pœnæ secundùm leges obnoxiis delictis solet, ordinariâ his definitâ in eum animadverti à curia Seculari posse, colligitur ex *c. Felicis 5. de Pœnis in 6.* cujus *V. Per hoc quoque,* Bonifacius VIII. per pœnas à se statutas in eos, qui offendunt Cardinales, non adimit judicibus Secularibus facultatem, eis imponendi pœnas Legales. Ita cum Panormit, *in c. De his 6. de Accusat. n. 1.* Gomez *Tom. 3. Var. cap. 1. n. 4.* & aliis relatis Oliva *de Foro Eccles. p. 2. q. 28. n. 12.*

Pari modô in laicum, Mixti fori criminis reum, à Seculari jam punitum, procedere, & spiritualem ac Medicinalem pœnam ei infligere, judex Ecclesiasticus non prohibetur. *Medicinalem,* inquam; cùm enim ferè graviores pœnæ in Seculari quàm Ecclesiastico foro soleant imponi, iteratæ punitioni & alteri pœnæ vindicativæ in hoc raro locus erit, ut probè advertit laudatus Oliva *n. 30. in fine.*

Sed quid, si criminis accusatus, in 142
foro Ecclesiastico fuisset absolutus? Eum in Seculari condemnari posse, cum Felino *in c. De his cit. n. 13.* asserit Clarus §. *fin. q. 57. n. 11. & cit.* Gomez *n. 40. in fine;* quòd, cùm Ecclesiastica & Secularis potestas sint diversæ, sententia absolutoria ab una lata apud alteram non pariat rei judicatæ exceptionem. Verùm; quia, licet potestates sint diversæ, se invicem tamen debent iuvare, etiam à iudice Ecclesiastico casu, quô, ut in Mixti fori crimine, competens est, validè lata sententia, etiam in Seculari foro observanda est, *c. fin. de Except. in 6.* etiam in Criminalibus, ut contra *cit.* Felinum ex communi DD. sensu advertit *cit.* Oliva *n. 14.* Unde in foro Ecclesiæ externo, à Mixti fori crimine legitimè absolutus accusari & condemnari regulariter non potest in Seculari, saltem quoties crimen sanguinis pœnæ obnoxium non fuit, & à iudice Ecclesiastico pro merito & condignè potuit puniri. *Regulariter,* inquam, propter varios casus, quibus iteratæ accusationi & condemnationi locum esse *Lib. 5. Tit. 1. àn. 49.* statuetur.

Aliquando verò Præventio induci- 143
tur; quòd reus à iudice competente, priusquam domicilium mutaret, aut aliam ob causam illius iurisdictioni desineret esse subiectus, per citationem iam fuerit præ-

occupatus;

occupatus; vi enim huiusmodi citationis coram eodem iudice litem prosequi & respondere tenetur etiam, postquam alterius iurisdictioni subiectus esse cæpit, per expressum textũ *c. Proposuisti 19.* qui desumptus est ex *l. Si quis 7 ff. de Judiciis.* Ratio est; quia, ut *l. Ubi acceptum 30. ff. eâdem Rubr.* dicitur, *Ubi acceptum*, sive inchoatum *est semel judicium, ibi & finem accipere debet.* Acceptum autem sive inchoatum & radicatum iudicium saltem latiùs acceptum censetur per citationem, quæ ipsius est principium ac fundamentum, §. *Omnium 2. Instit. de Pœna temerè litig.* Panormit. *in c. cit. n. 9.*

144. Porro; ut citatione præventio inducatur, necessarium Imprimis est; ut in causa Civili facta sit ad instantiam sive petitionem partis, *c. Proposuisti cit.* ibi, *Ad petitionem cujusdam adversarij sui*, Glossa *in c. cit. V. Citatur, ubi* Panormit. *n. 3.* Bartol. *in l. Dies 4. §. Hoc autem 8. ff. de Damno infect.* & Oliva *de Foro Eccles. p. 3 q. 33. n. 5.* Secus est in causis Criminalibus; in his enim iudex ad promotoris fiscalis instantiam vel ex officio suo procedit, Martha de Jurisdict. *p. 2. cap. 3. n. 6. & cit.* Oliva *n. 6.* Deinde; ut citatio facta sit à iudice ratione domicilii contractûs, rei, delicti &c. competente vel ex eius commissione, *c. cit.* ibi, *A te legitimè citatus*; quia ei, qui iudex aut competens non est, citanti impunè non paretur, *l. fin. ff. de Jurisdict. & c. fin. de Constitut. in 6.* Demum; ut ea valida sit, *c. cit.* ibi, *Legitimè citatus*, Panormit. *in c. cit. n. 6.* & Ant. de Butr. *n. 24.* cùm enim, quod nullum est, nullum producat effectum, *c. Illud 8. de Jure patronat. & l. Si se non obtulit 4. §. 8. ff. de Re judic.* citatio ex quocunque defectu invalida præventionem inducendi vi destituetur, *citt.* Martha *n. 7.* & Oliva *n. 10.* nisi ex illa rei citati comparitio & in iudicio perseverantia secuta esset, Bartol. *in l. 1. ff. de Feriis & cit.* Martha *n. 9.* Ubi

Dubium est primò, an præventionem inducat sola citationis commissio, vel necessaria sit eius executio sive; ut citatio intimata sit parti. Solam commissionem sufficere, suadetur paritate præventionis cum perpetuatione iurisdictionis, quam ipsâ citationis commissione induci, Glossa *in Clement. 2. Ut lite pend. V. Ad partem* Parnormit. *in c. Gratum 20. de Offic. deleg. n. 3.* Felinus *n. 5.* Barbosa *n. 5.* & alii frequentiori calculô tradunt; quòd citatione commissa res iam desierit esse integra, & iurisdictionis usus respectu causæ & rei conventi à iudice iam sit inchoatus. Quâ ratione & paritate ducti Panormit. *cit. n. 3.* Felin. *cit. n. 5.* & aliis relatis Gabriel *Tit. de Citatione concl. 2.* solâ citationis commissione iurisdictionis præventionem induci, volunt. 145.

Sed meliùs id negant alii, ad hanc exigentes; ut citatio mandata executioni & parti intimata sit, ut cum Baldo *in c. Gratum cit.* Ant. de Butr. *in c. Proposuisti cit. n. 6.* Marian. Socino *ibid. n. 16.* Paulo de Castro *in l. Si quis cit. n. 2.* docent Decian. *Tract. Criminal. Lib. 4. cap. 21. n. 7.* Petr. Barbosa *in l. Si quis cit. n. 42.* & *cit.* Martha *n. 14.* Ratio est; quia citatus quis propriè non dicitur, ante citationis à iudice commissæ per nuntium ipsi factam intimationem: &, licet iudex uti cæperit iurisdictione, ista tamen personam non afficit, antequam intimetur reo & huic, se ad comparendum in iure & respondendum vocari, innotescat. Quare præventionis paritas non est cum iurisdictionis perpetuatione; cùm ista solùm exigat iurisdictionis per delegationem commissæ usum, *c. Licet 30. de Offic. deleg.* uti autem iurisdictione delegatus iam incipiat, citationem mandandô; tale enim mandatum sententia quædem interlocu-

ria esse censetur, Glossa communiter recepta *in l. Cùm clericis 25. V. Sententiam, C. de Episc. & cleric.* quæ sine usu iurisdictionis fieri nequit: præventio contrà respectu partis exposcit actum, qui exercetur & afficit personam eius, qui tanquam subditus ad comparendum in ius vocatur: quod fit per citationis intimationem, *citt.* Barbosa *à n.* 37. & Martha *n.* 14.

146. Dubium secundò est, an præventionis effectum sive; ut quis respondere teneatur coram iudice, à quo per citationem præventus est, non impediat superveniens mutatio statûs vel privilegium, vi cuius is, qui citatur, non nisi coram certo iudice respondere teneatur. Effectum enim illum statûs mutatione & privilegiô, non solùm ad instantiam partis, sed motu etiam proprio concessô, non impediri, cum Panormit. *in c. Causam 19. de Test. & attest. n.* 3. Ant. de Butr. *ibid. n.* 5. Felino *n.* 5. Fulgoso *in l. Si quis cit. n.* 6. veriùs defendunt Gabriel *Tit. de Clausul. concl.* 7. *n.* 10. *citt.* Barbosa *n.* 117. *& à n.* 142. & Oliva *n.* 34. in eam rem allegantes *l. Cùm quadam 19. ff. de Jurisdict. & l. Si quis cit.* definitiones, quibus post citationem, priori quidem puella nubens, posteriori vir militiæ adscriptus; ac proinde illa postquam maritale, iste postquam militare & privilegiatum forum sortiri ceperunt, coram judice, à quo per citationem præventi fuerunt, litigare usque ad sententiam definitivam, statûs forique, mutatione & militari privilegiô non obstantibus, tenentur. Ratio est; quod privilegium à parte impetratum, imò & motu proprio concessum, lite pendente & parte per citationem jam præventâ, litis pendentiæ ac præventioni non noceat: nisi ejus expressam faciat mentionem; cùm Princeps privilegium etiam proprio motu concedens, si non exprimat, tertio in jure suo præjudicare voluisse, non præsumatur, *arg. l. Supplicatione 2. C. Ut lite pend. c. Super eo 15.* junctâ Glossâ, *V. Intentionis, de Offic. deleg. & l. Prator ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ. cit.* Gabriel *Lib. 2. Tit. de Judic. concl. 4. n. 20.*

Resolutionem hanc difficilem reddit *l. Qui autem 12. ff. Si quis cautioni*, cujus *pr.* Paulus ait, *Qui autem novô privilegiô utitur, non videtur in eadem causa fisti:* ex quibus JCT.i verbis constat, præventioni imò & litis pendentiæ superveniens privilegium prodesse reo; ut judicium declinare queat. Sed hoc JCT.i responsum cum *citt.* Fulgoso *n.* 1. Barbosa *n.* 132. & Gonzalez *in c. Proposuisti cit. n.* 9. exaudiendum est de privilegio specialiter concesso, etiam quoad causam jam cæptam ac pendentem, expressâ clausulâ *Non obstante*; tunc enim id reo citatione prævento, imò & lite jam contestatâ, prodest: non etiam, si id etiam motu proprio simpliciter concessum sit; nam sic concessum ad causas solùm futuras pertineret, Glossa *fin. in l. Qui autem cit.* Aretin. *in c. Causam cit. n.* 9. & Ant. Matth. *de Prorog. jurisdict. n.* 17

147. Quare à propositæ dubitationis resolutione excipiendus est casus, quô, privilegiô à Principe concessô, litis pendentiæ ac præventioni expressè est derogatum; cùm enim Princeps causam ab inferiore judice avocare queat, *l. Judicium 58. ff. de Judiciis*, præventioni ac litis pendentiæ præjudicare utique valebit, Bruneman. *in l. Qui autem cit. n.* 2. Alia, quibus resolutio hæc impetitur, diluta dabunt *citt.* Barbosa *à n.* 124. & Gonzalez *à n.* 5.

148. Dubium tertiò est, an post citationem reo intimatam actor variare, & illum coram alio judice competente convenire valeat. Quâ in re multùm interest, an

est, an reus citatus comparuerit, vel contumaciter se absentârit; cùm, si comparuit, locus sit Regulæ *l. Ubi acceptum 30. ff. de Judiciis*; atque idcirco ad judicium vocatus ab alio huic opponere exceptionem præventionis: &, si iste, eâ exceptione insuper habitâ, in causa procedat, appellare valeat & ante litis contestationem debeat; ne acquiescendô consentire videatur; cùm præventionis exceptio, tanquam dilatoria, ante litis ingressum opponenda sit, ut cum Felino *in c. Cùm M. 9. de Constitut. n. 25.* & Jasone *in l. Nulli cit. n. 6.* monent *citt.* Gabriel *Tit. de Judic. concl. 1. n. 34.* & Barbosa *n. 279.* Quodsi ab alio judice citatus, præventionis exceptione non oppositâ, in jure compareat & coram illo respondeat, processum contra eum fabricatum tenere, sustinent Panormit. *in c. Cum M. cit. n. 35.* Ant. de Butr. *ibid. n. 95.* Baldus *in*
149 *l. Nulli cit. n. 3.* Gabriel *cit. Concl. n. 18.* & Oliva *n. 49.* Si verò reus à primo judice citatus contumaciter se absentavit, coram alio judice competente conveniri & ad respondendum compelli ab actore, neque ad judicem, cujus citationem contempsit, remissionem petere potest, Panormit. *in c. Proposuisti cit. n. 12. ubi* Mar. Socin. *n. 31.* Gabriel *cit. concl. 1. n. 21.* & Barbosa *à n. 182.* nisi purgare voluerit contumaciam, damnáque & expensas solvere, atque insuper cautionem de in jure sisti præstare, *citt.* Barbosa *n. 139.* & Oliva *à n. 47.*

150. Dubium quartò est, an casu, quô post citationem reo intimatam ab actore secundus judex aditur, primus jurisdictionem suam defendere possit. Posse, ne in causa procedat, secundo judici inhibendô, cum Felino *in c. Ex tenore 16. de Rescript. n. 18. fall. 4.* Bartol. *in l. Sepulchri 6. ff. de Sepulch. viol. n. 3.* & aliis volunt *citt.* Martha *p. 2. cap. 2. n. 16.* & Oliva *n. 53.* Regulæ instar statuentes, ab unoquoque judice jurisdictionem suam adversus inferiorem, imò & æqualem, defendi posse, *l. Unic. pr. ff. Si quis jus dic. non obtemp.* Quod si partes litem coram eo persequi nolint, an cogi ad id valeant, *cit.* Oliva interesse ait, an civiliter vel criminaliter agatur; cùm, si agatur civiliter & ad privatum interesse, partes cogi non posse videantur ex eo; quòd, cùm ita agitur, officium suum imperti judex regulariter non debeat, nisi imploretur, *l. Dies 4. §. 8. ff. de Damno infect. ubi* Bruneman. *n. 14.* Si verò agatur criminaliter & ex officio suo nobili judex procedat, partibus invitis à secundo judice peti remissio: &, si ista denegetur, propositô retinendæ interdictô adversus eum, ut à jurisdictionis perturbatione desistat, agi potest, ex mente DD. *citt.*

Dubium quintò est, an, quando e- 151.
jusdem delicti plures sunt correi, citatio unius præventionem inducat etiam respectu aliorum: in quo, licet Negativam in Romanis tribunalibus receptam testetur Farinacius *Prax. Criminal. q. 7. n. 62.* Affirmativam tamen, quando judex respectu omnium, ut Secularis respectu pluriũ delinquentium laicorum, simpliciter competens est, cum Deciano *Tract. Criminal. Lib. 4. cap. 22. n. 4.* Haunoldus *Tom. 6. Tract. 1. n. 117.* censet consentaneam Juri, continentiam causarum, de quibus idem judex cognoscere potest, dividi non permittenti, *l. Nulli cit. & c. 1. de Causa poss. & propr.*

Ob eandem rationèm: &, quòd ac- 152.
cessorium sequatur principale, *Reg. 42. in 6.* citatione delinquentis laici etiam respectu clerici criminis socii, præventionem induci, aliqui voluerunt. Sed malè; quia textus, clericum à foro Seculari eximentes loquuntur generaliter, inter

causas, quibus clericus solus, vel cum socio, cum clerico vel laico delinquit, non distinguunt; ut proinde locus sit, *arg. l. Impretio 8. ff. de Publ. in rem act. can. 1. dist. 19. & can Consuluisti 2. q. 5.* ubi Stephanus V. *Quod*, inquit, *Sanctorum Patrum documentô sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum.* Quare, sicut aliàs non rarò, sic etiam in proposito casu Regula *cit.* officiô suô non fungitur, cùm; quia persona accessoria principalem non sequitur, quando eæ sunt ordinis diversi: &, quæ accedit, specialiter est privilegiata: ut *ad Reg. cit. n. 10.* statuetur: tum verò; quia si allegata Regula etiam in hujusmodi personis procederet, clericus cum laico delinquens, ferè semper subijceretur foro Seculari, hôc ipsô; quòd, criminis causa principalis laicus potiùs, quàm clericus esse, præsumatur. Unde

153. Sextum & difficilius dubium nascitur, an laicus criminis vg. homicidii à clerico perpetrati socius curiæ Ecclesiasticæ subijciatur. Eum huic subijci, cum Felino *in c. 1. de Præscript. n. 6.* Menoch. *Lib. 1. de Arbitr. casu 371. n. 13.* Deciano *Tract. Criminal. Lib. 4. cap. 9. n. 44.* Maranta *de Ord. judic. p. 4. dist. 11. n. 22. & cit.* Martha *p. 4. casu 119. n. 1. & 5.* volunt Diana *p. 4. tract. 1. resol. 7.* Sperellus *Decis. 19. n. 10.* & Ranbeck *Panoplia Immunit. Disp. 2. cap. 6. n. 2.* Rationem hi DD. reddunt; quòd clerici & laici, ejusdem criminis Sociorum, causæ sint connexæ, imò una eadémque causa, utriusque crimen unum & individuum sit: causarum autem connexarum continentia non sit dividenda, *c. 1. de Causa poss. & propriet. & l. Nulli 10. C. de Judiciis:* & hôc ipsô; quòd causa omnino individua sit, reus privilegiatus & magis dignus non privilegiatum & minùs dignum ad se trahat, *c. Per tuas 9. de Arbitr. & c. Quod in dubiis 3. de Consecrat. Eccles.* Confirmatur; quia judex laicus exactam criminis, istiúsque circumstantiarum, pœnam aggravantium, cognitionem habere nequit, nisi etiam in factum clerici inquirat; atque idcirco consentaneum rationi & ad rectam causæ dijudicationem necessarium est; ut causæ totius cognitio judici Ecclesiastico relinquatur, cùm; quòd ita causæ legitima pertractatio expeditior sit: tum verò; ut magis consulatur honori ac reverentiæ ordinis clericalis: cujus existimatio occultorum criminum evulgatione à judicibus Secularibus non rarò adducitur in discrimen.

Sed veriùs, ejusmodi laicum homi- 154
cidii aut alterius criminis, quod Ecclesiastici aut Mixti fori non est, socium à judice tantùm Seculari plectendum, cum Cravetta *Lib. 2. Consil. 232.* Vincent. de Franch. *Decis. 426. n. 4.* & Claro *§. fin. q. 36. n. 46.* defendunt Covarruvias *Practic. cap. 34. n. 1.* Gomez *Lib. 3. Var. cap. 10. n. 6.* Guttierez *Lib. 1. Practic. q. 6.* Fachineus *Controvers. Lib. 9. cap. 31.* Farinac. *Prax Criminal. q. 8. n. 151.* id praxi magis receptum, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 1. n. 29.* id in Bavaria nostra observatum, asserentes & alii apud Barbosam *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 94.* Ratio est partim; quòd delinquentis socii privilegiô socius regulariter non gaudeat, *arg. l. Si quis uxori 52. §. 2. pr. ff. de Furtis*, ubi, qui cum uxore istius mariti res surripit, furti; non, ut uxor, rerum amotarum actione convenitur: partim verò; quòd ejusmodi homicidium, licet physicè & spectatâ præcisè personâ occisi unicum sit, moraliter tamen sit multiplex pro numero personarum delinquentium & ad id concurrentium, *l. Item Mela 11. §. 2. ff. ad L. Aquil.* cùm, quot isti, tot commissa sint delicta.

Quare corruit ratio præcipua partis adversæ;

adversæ: cui etiam non admodum favet connexio delictorum; quia ista non impedit, quò minùs delinquentes, quando sunt Ordinis diversi, eorúmque unus quoad forum speciali Juris privilegiò munitus est, à diversis & quisque à suo judice judicentur & pro delicti qualitate puniantur.

Neque urget confirmatio, cùm; quia, si quando delicti laicalis sufficiens probatio sine cognitione delicti clericalis haberi non potest, laicus ad forum Ecclesiasticum remitti potest à judice Seculari, vel ab illo peti communicatio actorum, probationes contra laicum receptas corroborantium: tum verò; quia clericum laici socium plerumque notitia delicti publica in clericalis ordinis opprobrium infamat: &, si id publicè notum non sit, judex ad id non evulgandum in conscientia graviter obligatur.

Majorem vim habet declaratio S. Congreg. Card. 10. *Decemb.* 1591. Tusculanæ civitatis Commissario rescribentis; ut tam clericos, quàm laicos inquisitos de violentia illata cuidam mulieri remittat ad judicem Ecclesiasticum; quia, an illa ob speciales facti circumstantias in casu proposito: vel, cùm delicti sufficiens probatio aliter haberi non potest: vel per modum generalis declarationis ac mandati in omnibus casibus observandi rescripserit, non exprimunt, qui declarationem illam allegant.

155. Dubium septimò est, an judicium contra laicum, in foro Seculari per citationem aut litis contestationem cæptum, contra eundem clericum factum aut Religionem ingressum, possit continuari. Posse in causis Civilibus, communis sensus est DD. id desumentium à paritate clerici, qui laici defuncti est hæres: &, ut mox ostendemus, contra hunc ceptam litem, coram quo illi mota est, judice prosequi tenetur. In causis autem Criminalibus placet distinctio Bartoli *in l. 1. ff. de Pœnis n. 3.* quam Petr. Barbosa *in l. Si quis 7. ff. de Judiciis n. 203.* Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 33. n. 27. & 28.* amplectuntur; etsi enim reum coram laico, à quo ante Clericatum vel Religionis ingressum per citationem præventus est, respondere teneri: & confiscationis bonorum vel pecuniariâ pœnâ plecti posse, concedant permoti textibus *c. Proposuisti & l. Si quis citt.* ubi reus, à judice præventus, coram isto respondere debet, domicilii aut etiam statûs postea factâ mutatione non obstante; quòd judicium, ubi semel cæptum est, ibi etiam debeat finiri, *l. Ubi acceptum 30. ff. de Judiciis:* etsi, in 156. quam, istud concedant, ad pœnam tamen afflictivam corporis, ut sunt exilium, carcer, fustigatio, mors, eum condemnari posse, meritò negant; quòd, cùm hujusmodi pœna à laico infligenda clerico est, Iste priùs degradatus tradi debeat curiæ Seculari: quod consentaneum Juri, *can. Si quis laicus 22i q. 5. c. Cùm non ab homine 18. de Judic. & Novimus 27. de V. S.* receptum praxi, & multoties à se visum, testis est Decianus apud *cit.* Haunold. *n. 57.*

Atque hæc inter pœnas distinctio, 157. secundùm *citt. Clarum n. 43. & 44.* Covarruviam *cap. 32. n. 4.* & Olivam *n. 36.* in laico delinquente locum etiam habet casu, quò citatione nondum præventus Clericatum assumpsit in fraudem, sive præcisè animò declinandi jurisdictionem Secularem. In fraudem autem id fecisse præsumitur, si primam Tonsuram vel Ordines etiam minores assumat, postquam se de delicto diffamatum, vel in curia Seculari accusatum, aut ab hac contra suam personam inquiri, aut Justitiæ ministros expeditos, intellexit, *arg. l. fin. pr. ff. de Bonis eorum, qui ante sent. mort.*

Panormit.

Panormit. *in c. 1. de Obligat. ad Ratiocin. n. 5.* Socinus *in. c. Proposuisti cit. n. 53.* & Farinac. *cit. q. 8. n. 111.* non etiam, si recipiat Ordines majores; cùm enim istorum receptione Ecclesiastico statui perpetuò mancipetur, illos aliò, quàm præcisè Seculare forum declinandi animò recepisse præsumitur, *arg. c. fin. de Præsumption. & l. Merito 51. ff. Pro socio.*

Neque obstat *Constitutio* Sixti V. quæ incipit *ad Romanum* edita 6. Calend. Decemb. 1580. quâ Secularibus Magistratibus conceditur plena potestas procedendi contra eos, qui post accusationem vel inquisitionem jam institutam professi sunt Religionem: & ipsa eorum professio irritatur; quia ejus *Constitutio* per aliam à Clemente VIII. editam, quæ incipit *In Suprema*, ad Juris communis terminos est revocata, ut notat Pasqualigus *ad Lauret. de Franch. p. 2. q. 46. n. 8.*

158. Dubium & controversia octavò est, an judicium à Seculari judice cæptum contra defunctum laicum, continuari possit contra clericum ejus hæredem. Non posse contra hunc de Jure inchoari, cum Panormit. *in c. Quia 11. de Judiciis n. 11.* & aliis docent Zoesius *ad hanc Rubr. n. 27.* & Oliva *p. 3. q. 24. n. 14.* quia clericus de Jure non solùm quoad personam, sed quoad res quoque, specialiter non exceptas, privilegiò fori Ecclesiastici gaudet.

159. Idem de casu, quò judicium cum defuncto jam cæptum est; ac proinde post litem jam contestatam judicium contra clericum de novo inchoandum coram Ecclesiastico, cum *cit.* Panormit. *n. 12.* Maranta *de Ord. judic. p. 5. n. 13.* & Martha *de Jurisdict. p. 4. casu 33. n. 9.* desumunt ex *l. Hæres 19. ff. de Judiciis*, cujus *pr. Hæres ibi, ubi defunctus, conveniendus* dicitur, *si ibi inveniatur, nullóque suò propriò privilegiò excusetur.* Unde à contrariò ductò argumentò inferunt, clericum, utpote propriò privilegiò munitum & excusatum, ibi non conveniendum. Sed, judicium post litem cum defuncto contestatam contra talem etiam hæredem continuari, probabilius cum Felino *in c. Quia cit. n. 3.* defendunt Covarruvias *Practic. cap. 8. n. 3.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 37. n. 9.* Barbosa *in l. Hæres cit. n. 137.* Zoesius *l. cit. n. 26.* & Haunold. *Tom. 5. & Tract. 1. n. 237.* Rationem non eandem omnes reddunt. Cæteris efficacior est; quòd cum defuncto litem ingressi causa deterior fieri non debeat propter privilegium Clerici hæredis, *l. Si is, qui Romæ 34. ff. de Judiciis.* Accedit; quòd, si hæres, ubi defunctus cæpit, actori respondeat, lites evadant breviores: quod rectæ rationi, Juris Regulis, *c. Finem 5. de Dolo & l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis*, & per has intento bono regimini & tranquillitati publicæ est conforme: propter quam causam, ab hac sententia, in judicando & consulendo, non recedendum monet, laudatus Oliva *n. 24.*

Ex textu in contrarium allegato plus non infertur, quàm clericum Exemptionis privilegiò omnino excusari, quoad causas nondum cæptas cum defuncto, quando ut hæres non consideratur, Haunold *l. cit. in fine.*

Dubium controversúmque nonò est, 160.
an clericus aut Ecclesia in causa evictionis rei, laico venditæ, hunc defendere teneatur coram judice Seculari. Negat id Glossa *in can. Clericus nullũ. 11. q. 1.* quam sequuntur Baldus *in Auth. Nunc, si hæres C. de Litigios. n. 3.* Sperell. *Decis. 24. n. 4.* & nonnulli alii existimantes, tali casu actorem Laicum à Clerico trahi ad forum Ecclesiasticum; idque propter privilegium Fori specialis, quò Clericus & Ecclesia

Ecclesia non minùs gaudent, quàm Fiscus: qui, si ad emptorem suum defendendum compareat, causam trahit ad proprium suum judicem, hoc est, Procuratorem Fisci, *l. Si minori 3. C. de Jure Fisci.*

Sed veriùs, clericum & Ecclesiam laudatam laicum emptorem suum defendere, si velint, coram istius, sive Seculari judice debere, cum Panormit. *in c. fin. de Empt. & Vendit. n. 8.* Boërio *decis. 69. n. 27.* & Covarruvia *cit. n. 3.* defendunt Gomez *Tom. 2. Var. cap. 2. n. 39.* Fachineus *Controvers. Lib. 2. cap. 38.* & Petr. Barbosa *in l. Si venditor 49. ff. de Judic. à n. 136.* Quam suam sententiam desumunt ex *l. cit.* ubi venditorem, ab emptore denuntiatum, istius forum sequi, privilegiò non obstante, disertè habetur. Ratio est; quia in judicio evictionis sententia non fertur in venditorem, qui laudatur, sed in emptorem, *l. 1. C. Ubi in rem act. exerc. debet:* quô modô, cùm persona clericalis non inhonoretur, æquum omnino est propter eam, ad defensionem rei emptoris accedentem, conditionem actoris non reddi deteriorem. Aliud esset, si Clericus principaliter conveniretur, tali enim casu utique causam ad forum Ecclesiasticum traheret, *can. Nullus cit. c. Si diligenti 12. hîc &c.*

Neque obstat instantia allata ex Fisco; quia huic id Juris competere, Baldus *in l. Si minori cit.* Covarruvias *cit. n. 3.* & alii negant, quòd *l. cit.* plus non asseratur, quàm quòd fisci procurator res per fraudem minori pretiô venditas suo domino restitui jubeat, ut notat *cit.* Haunold, *n. 243.*

ARTICULUS X.

De Foro Competente Personarum Ecclesiasticarum.

SUMMARIUM.

161. *Ecclesiasticum forum Clerici sortiuntur.*
162. *Uti & Religiosi, Eremitæ &c.*
163. *Nonnullis casibus Seculari Majores,*
164. *Et præsertim Minores Clerici subjiciuntur.*
165. *Seculari foro non subijciuntur delinquentes in Clericatu.*
166. *Vel Religionis Novitiatu:*
167. *Neque etiam clerici, rei criminum læsæ Majestatis,*
168. *Assassinij ante sententiam istius declaratoriam,*
169. *Aut falsi depositi in judicio Seculari:*
170. *Neq; etiam si delinquant in officio Seculari,*
171. *Vel eorum animalia damnum aliis inferant.*
172. *In spiritualibus clerici forũ Ecclesiasticum sortiuntur Jure Divino.*
173. *De temporalibus causis idem asserentium,*
174. *Et negantium DD. Opiniones*
175. *Conciliantur.*
176. *Ejus Fori privilegium Consuetudine minui,*
177. *Tolli authoritate Humana,*
178. *Eique à Clericis renuntiari nequit.*
179. *Contra reum, donec laicum esse constet, non procedit Curia Secularis.*
180. *De Clericatu,*
181. *Etiam cùm Facti quæstio movetur,*

182. *Judicialiter solus Ecclesiasticus:*
183. *Summariè etiam Secularis judex cognoscit,*
184. *Et clericum aliquando detinet, donec constet de Clericatu.*
185. *Eundem, etiam Ecclesiæ sistendum, capere nequit,*
186. *Tribus casibus exceptis.*

161. DEcimò, ratione Privilegii Clerici & cæteræ personæ Ecclesiasticæ à Seculari eximuntur, & Ecclesiasticum duntaxat forum sortiuntur.

Neque id in Criminalibus duntaxat, *c. At si clerici 4. c. Clerici 8. c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis, c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. hâc Rubr. & c. Unico de de Cleric. conjug.* Sed in Civilibus etiam causis, per luculentos textus §. *Nullus* post *can. 2. can Nullus 5. can. Inolitæ 39. can. Placuit 40. &* 11, *q.* 1. eisque consonantes Constitutiones Imperiales *Auth. Hodie, Auth. Statuimus &c. de Episc. & Cleric.* adeò; ut à Seculari judice contra eos lata sententia cæteráque acta, & ipsa etiam confessio judicialis ipso Jure sint irrita & nulla, *c. At si clerici cit. pr.*

162. Neque solùm Clerici: sed Monachi quoque, & omnes utriusque sexûs Regulares, etiam laici Conversi *can. De persona 38. q. cit. & c. Clericis 3. de Immunit.* imò etiam Novitii cujuscunque ab Ecclesia approbatæ Religionis, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 12. n. 38.* & multò magis Religiosi Ordinum Militarium: Oblati, qui se suáque in totum Religioni tradiderunt: Fratres Tertiarii Ordinis S. Francisci in commune viventes: Eremitæ, qui in ejusmodi approbata Religione tria vota ejus substantialia emiserunt, aut in congregatione aliqua in commune & juxta modum ab Episcopo approbatum vivunt, aut saltem Episcopali authoritate ad Ecclesiæ vel Oratorii servitium deputati sunt, & habitum Eremiticum gestant: Rectores Hospitalium Episcopali authoritate erectorum, intra istorum domos degentes Fori Ecclesiastici privilegiô gaudent, *cit.* Barbosa *à n. 37.* Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 2. n. 10.* Fagnanus *in c. Nullus cit. à n. 48.* & alii.

Excipiuntur tamen primò, & Fori 163
privilegiô non gaudent clerici, etiam in Majoribus constituti Imprimis, qui habitum & tonsuram clericalem nunquam deferunt, & ab Episcopo ter, vel in Synodo generali sub expressa pœna amissionis privilegii Clericalis semel tantùm, moniti eum deferre nolunt, seque incorrigibiles ostendunt, *c. In audientia 25. & c. Contingit 45. de Sent. Excom.* Deinde iidem, quando propter delictum vel incorrigibilitatem gradu suo dejecti & actu traditi sunt curiæ Seculari, *c. Cùm non ab homine cit.* Felinus *in c. cit. à n. 9.* & Suarez *de Censur. disp. 22. s. 1 n. 9.* Tertiò iidem clerici, etiam in sacris constituti, se immiscentes enormitatibus, sive enormia delicta committentes, si post trinam monitionem Episcopi non resipiscant, Clarus §. *fin. q. 36. à n. 19.* Laiman *Theolog. Moral. Lib. 4. tract. 9. cap. 7. n. 2. & 3.* Frainac. *Prax. Criminal. q. 8. à n. 74.* Et demum casibus, *Clement. 1. & c. Unic. de Vita & honest. in 6. c. 1. de Homicid. in 6. & c. Degradatio 2. de Pœnis in 6.* de quibus ad has Rubricas.

Excipiuntur secundò, & ex Decreto 164
S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat. Fori privilegiô non gaudent clerici primâ tonsurâ initiati aut etiam in minoribus Ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum* (vel saltem pensionem) *habeant: aut* (si beneficium vel pensionem non habeant) *clericalem habitum & tonsuram* (simul: non alterum solùm)

solùm) *deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in Seminario clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versentur:* eôdem decretô Fori privilegium restringi insinuatur in clericis conjugatis: de quibus & cæteris clericis minoribus, quando fori privilegium hodie amittant & recuperent *Lib. 3. Tit. 1. & 3.* discutiemus. Hôc locô

165. Dubium est primò, an clericus minor post delictum vg. homicidium, furtum vel adulterium commissum, habitu & tonsurâ clericali dimissis, ducens uxorem & statum Secularem amplexus ratione delicti, in clericali statu commissi, sortiatur forum Seculare. Ratio dubitandi est, quòd, si laicus fiat clericus, privilegiô fori Ecclesiastici etiam ratione delictorum ante commissorum gaudeat: dummodo clericatum non assumpserit in fraudem curiæ Secularis, per tradenda *cit. Tit. 1. n. 56.* & paganus, post delictum commissum Seculari militiæ adscriptus, apud militarem magistratum sit accusandus, *l. Qui cum uno 4. §. 5. ff. de Re militari.* Nihilominus, talem clericum, etiam post desertum clericatum, quoad delicta in isto commissa Ecclesiasticum forum sortiri, & à solo hujusmodi judice puniendum, communis est DD. sententia: quam tenent Clarus *§. fin. q. 36. n. 11.* Steph. Gratianus *Discept. forens. cap. 226. n. 2.* Martha *de Jurisdict. p. 4. casu 121.* Sanchez *Opusc. Moral. Lib. 6. cap. 1. dub. 3. n. 1.* Farinac. *Prax. Criminal. q 8. n. 66.* & aliis congestis Barbosa *Jur. Eccles. Lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 98.* & in praxi secuta est Curia Neapolitana, teste Vincent. de Franch. *Decis. 417.* Ratio est; quia in puniendis delictis status & tempus, quo delinquens delicti perpetrati; non id, quô sententiam est passus, inspicitur *l. 1. ff. de Pœnis.* Alia ratio est, laici post delictum commissum bona fide assumentis clericatum; cùm Ordinibus Ecclesiasticis & primâ etiam tonsurâ initiatus jam sit persona Ecclesiastica: &, si clericalem habitum ac tonsuram deferat & de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deserviat &c. juxta Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat* omnia habeat, quæ requiruntur, ut, locus sit §. 5. *cit. & l. Hos accusare 12. ff. de Accusat.* juxta *cit. Tit. 1. n. 51.*

166. Simili modô Novitius, si gravi, etiam capitali crimine commisso ad seculum revertatur, ratione illius in Religione commissi Ecclesiasticum, non Seculare forum sortitur & ab Ecclesiastico judice secundùm Canonicas, non Legales sanctiones est puniendus; quòd in delictis non accusationis & condemnationis, sed illorum perpetratorum tempus inspiciatur, *l. 1. cit.* Laiman *Lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 5.* Contrarium tamen sustinet Molina *tract. 3. de J. & J. disp. 44. n. 25.* & contra hujusmodi Novitium è Religione egressum vel ejectum a Seculari judice eô saltem casu procedi posse, ait, quô iste ab Ecclesiastico judice non est præventus, & novitius ad seculum reversus initiatus non est sacris Ordinibus & in minoribus constitutus beneficiatus non est, vel non defert habitum & tonsuram &c. juxta decretum Synodale *Sess. 23. cap. 6. cit.*

167. Dubium secundò est, an fori Ecclesiastici privilegio defendatur clericus reus criminis læsæ Majestatis, vg. conspirationi ac rebellioni subditorum in suum Principem, temere se immiscendô; quantumvis enim hujus criminis reus propriè non sit ex eo; quòd in patriæ & domicilii sui principem ipse conspirârit; quòd crimen hoc in Principem offensum à solis

subditis committatur, *Clement. Pastoralis 2. §. Rursus, de Sent. & re jud.* clericus autem, tanquam persona à Seculari jurisdictione exempta, Principis Secularis subditus non sit, per DD. congestos à *cit.* Barbosa *n. 96.* & Oliva *de Foro Eccles. p. 2. q. 17. n. 26.* nihilominus ejus criminis reus ipse quoque evadit, subditis in Principem suum conspirantibus, eique rebellantibus se immiscendô, multóque magis eos ad conspirationem ac rebellionem concitandô, ut cum Igneo *in l. Necessarios 5. §. 2. ff. ad S. C. Sylan. n. 417.* Fabro *in §. Alia 5. Instit. de publ. Judic.* & Gomez *de Delict. cap. 2. n. 10. in fine*, sustinet *cit.* Oliva *q. 17. àn. 29.* quòd ita eâ criminis specie involvatur, cujus caput aut particeps fuit; cùm unusquisque tale delictum committat, quale est id, ad quod committendum alteri est cooperatus, eúmve induxit, ex sententia D. Thomæ *2. 2. q. 43. art. 3.* Navarri *in can. Consideret 1. dist. 5. de Pœnit. n. 117.* Bannez *cit. q. 43. dub. & concl. 1.* Suarez *de Censur. Disp. 44. s. 4.* Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 6. n. 3. & 6.* & aliorum Theologorum.

Verùm esto, talis clericus læsæ Majestatis criminis reus sit, inde tamen perperam infertur, in eum non degradatum animadverti posse à Principe, in quem factæ conspirationis ac rebellionis concitatæ ratione crimen illud contraxit, Vincent. de Franch. *Decis. 691.* Boërius *de Seditiosis §. 6. n. 3. citt.* Martha *casu 133. n. 27.* Farinac. *q. 8. à n. 28.* Oliva *q. 17. n. 35.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 19. cit.* Barbosa *n. 96.* & alii, in hanc rem allegantes authoritatem Clement. VIII. processum contra clericos, reos criminis rebellionis, duobus judicibus, quorum alter Ecclesiasticus, alter Secularis quidem, sed clericali Ordine insignitus erat, delegantis, & Imp. Caroli V. in Hispania personas Ecclesiasticas similis criminis reas ad Ecclesiasticos judices remittentis. Ratio prompta est; quia aperti Juris Regula est, clericum pro quocunque etiam atrocissimo crimine judicari ac puniri à Seculari Curia non posse, *c. At si Clerici 4. c. Cùm non ab homine de Judiciis, c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. hâc Rubr. &c.* nisi actualiter sit degradatus, *c. Cùm non ab homine cit. & c. Novimus 27. de Verb. Signif.* nihil obstante *l. Quisquis 5 C. ad L. Jul. Majest.* cùm ista, tanquam lex merè Civilis ad clericos non porrigatur, Glossa *in can. Satis perversum 7. V. eôdem, dist. 56.* Panormit. *in c. Cùm laici 10. de Jure patronat. n. 4.* Archidiacon. *in can. Satis 9. q. 1.* Ant. Nigr. *in Extravag. Unic. de Vita & honest. n. 464. citt.* Martha *n. 18.* & Oliva *n. 36.*

Dubium tertiò est, an fori Ecclesiastici privilegium patrocinetur clerico, reo criminis Assassinii. Contra talem certè sine prævia degradatione ac traditione à Seculari curia procedi ad punitionem posse, cum Dominico *in c. 1. de Homicid. in 6. n. 10. in fine* & Franco *ibid. n. 5.* tenent Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 20. n. 10. §. Sextò* & Diaz *Pract. Criminal. cap. 96. n. 4.* Quin Decianus *Vol. 2. consil. 82.* & nonnulli alii, nullâ etiam criminis declaratione opus esse, volunt, ducti *c. 1. cit.* relatâ Constitutione Bonifacii VIII. disertè statuentis, *Quicunque tam clericus, quàm laicus, qui hujusmodi inhumanitate per assassinum aliquem interfici fecerit, sit à toto Christiano populo perpetuò diffidatus*: quibus verbis eum à Seculari judice & aliis occidi permitti, aliqui volunt. Sed meliùs cum Dominico & Franco *l. citt.* Clarus *§. fin. q. 36. n. 31.* Martha *cit. casu 129. n. 17.* Diana *p. 1. tract. 2. resol. 51.* Oliva *cit. p. 2. q. 14. n. 5.* Barbosa *§. 2. cit. n. 83.* & apud hunc alii, ad clerici Assassini punitionem à Seculari curia, antequam ab Ecclesiastico ju- 168

siastico judice sententia criminis declaratoria lata sit, procedi posse, inficiantur propter *Constitutionem* Clementis VIII. editam 18. Decemb. 1595. præviam Ecclesiæ declarationem disertè exposcentis. Ad hanc etiam declarationem criminis probationem non qualemcunque, sed minimè dubiam & concludentem exigunt & contrariam praxin cum Felino *in c. In nomine 2. de Test. & atteſt. n.* 11. meritò damnant Mascard. *de Probat. concl.* 137. *n.* 5. *citt.* Martha *n.* 16. & Oliva *n.* 5.

169. Dubium quartò est, an clericus, in judicio Seculari falsum testimonium dicendo delinquens à judice, coram quo ita deliquit, judicari valeat ac puniri. Ratio dubitandi est; quòd laicus in judicio Ecclesiastico falsum deponens ab eodem judice valeat puniri, Covarr. *Practic. cap.* 18. *n.* 8. & Guazzinus *Defens. Reor.* 1. *cap.* 11. *n.* 34. quòd testis in sua depositione delinquens ibi forum sortiatur, ubi deposuit, & ratione temeritatis coërceri valeat à judice, coram quo deliquit, fori privilegiò non obstante, *l. Nullum* 14. *C. l. Qui falso* 16. *ff. de Testib. & l. Eos qui* 27. *C. ad L. Cornel. de falſ.* Accedit; quod, concessò & commissò aliquò, concessa & commissa intelligantur omnia, quæ sunt necessaria ad illud expediendum, *c. Præterea* 5. *de Offic. deleg.* necessarium autem ad causæ principalis definitionem sit, cognoscere, an clericus, qui in causa deposuit, falsò fuerit testificatus; cùm absque hoc, an ejus testimonio fides habenda sit, non sciatur.

Nihilominus, clericum ob tale etiam falsi crimen puniri à Seculari judice non posse, cum Panormit. *in c. Verùm* 7. *de Foro compet. n.* 20. Felino *ibid. n.* 5. & Interpp. aliis docent Clarus §. *cit. q.* 38. *n.* 14. Guttierez *Practic. Lib.* 1. *q.* 24. *n.* 1. Menoch. *de Arbitr. Lib.* 1. *q.* 91. *n.* 18. Fachineus *Controverſ. Lib.* 9. *cap.* 27. Farin. *Prax. Criminal. q.* 67. *n.* 56. & alii, longa serie congesti à Barbosa §. *cit. n.* 90. Ratio est; quia Secularis judex respectu personæ clericalis quomodocunque delinquentis, non solùm incompetens, sed omnino incapax est jurisdictionis, *c. At si clerici, c. Cum non ab homine &c. citt.* ubi autem judex respectu personæ non solùm incompetens, sed incapax quoque jurisdictionis est, contra illam judicialiter procedi ab eo non posse, explorati Juris Regula est. Quin clericus, falsi coram Seculari judice convictus, puniri etiam nequit per judicem Ecclesiasticum: nisi falsum à se depositum coram ipso fuerit confessus, vel de eo legitimè convictus, ut cum Riccio *p.* 4. *decis.* 81. & aliis rectè observat Barbosa *l. cit.* quòd criminis falsi probatio à Seculari judice contra clericum recepta & ipsa istius coram eo facta confessio invalida sit, *c. At si clerici cit.* & indicium duntaxat ac præsumptionem faciat judici Ecclesiastico; ut in talem clericum per inquisitionem procedere, eúmque ad confessionem in judicio Ecclesiastico faciendam compellere possit, juxta dicta *Tit.* 1. *num.* 97.

Neque hac in re paritas est cum laico, falsum deponente coram judice Ecclesiastico; cùm enim iste incapax non sit jurisdictionis in laicum, eum in suo judicio delinquentem punire potest; quòd ex incompetente factus competens sit, *arg. l. Nullum & l. Falso citt.* Bruneman. *in l. Nullum cit. n.* 1.

Neque refert; quòd falsitatis depositionis clericalis cognitio necessaria sit judici Seculari; quia, licet iste de eo cognoscere valeat ad effectum; ut sciat, an ejus depositioni fides habenda sit ad principalis causæ definitionem, aut secus, *arg. c. Præterea cit.* de ea tamen cognoscere nequit ad effectum dijudicandi ac puniendi criminis falsi; cùm ad hunc finem re-

cipiendæ probationis falsi judici Seculari obstet defectus capacitatis jurisdictionis, *c. At si clerici cit. &c.* Clarus *cit. n. 14. in fine*, Covarruvias *cit. n. 8. in fine* & Farinac. *n. 57.*

170. Dubium quintò est, an judex Secularis punire valeat clericum, delinquentem in officio Seculari. Dubitandi ratio est; quòd clericus, licet fori Ecclesiastici privilegio renuntiare nequeat expressè, id tamen valeat tacitè, sive ipsô factô, vg. si clericus minor habitum ac tonsuram deponat; ut locus sit decreto Concilii Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* itáque alieni judicis in se prorogare valeat jurisdictionem, vg. alibi contrahendô vel se soluturum promittendô, *c. Dilecti 17. hâc Rubr. & c. 1. §. Contrahentes, in 6.* Cùm ergo clericus, seculare officium admittendô, fori privilegio tacitè renuntiare & ipsô factô, quô seculare officium à Principe alióve ejusmodi Magistratu admisit, id conferentis jurisdictioni se subjicere videatur, in ejusmodi officio delinquens à Seculari judice poterit puniri.

Verùm, quia ex una hæc alienæ jurisdictionis in se prorogatio & privilegii fori renuntiatio tacita, non ex mera voluntate clerici, sed ex dispositione Juris, illum ob factum aliquod alieno judici subjicientis, vim habet, juxta *dicta n. 48.* ex altera vero parte Jus, licet officii secularis receptionem clericis prohibeat, *c. Sacerdotes 2. c. Sed nec 4. c. Clericis 5. §. Jubemus &c. Ne clerici vel monachi*, id tamen recipientem fori privilegiô non privat, nec subjicit jurisdictioni Principis vel Magistratûs Secularis, ab isto ipsum in commisso sibi officio delinquentem puniri posse, meritò negant Cochier *Tom. 2. de Jurisdict. in Exempt. p. 3. q. 41. à n. 1.* de Grassis *de Effect. Clericat. eff. 1. n. 82.* Squillante *de Privileg. Cleric. cap. 7. dub. 3. n. 87.* Ambrosin. *de Immunit. cap. 20. n. 54. cit.* Sanchez *Lib. 3. cap. Unic. dub. 21. n. 11.* Diana, aliis DD. relatis *p. 1. tract. 2. resol. 19. & p. 4. tract. 1. resol. 39.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract 1 n. 247.* Ratio est; quia fori Ecclesiastici privilegium clericis, præsertim in Criminalibus, concessum est indistinctè; ut pro ullo delicto in eos procedi & personaliter vel pecuniariter condemnari à Seculari curia non possint, *c. At si clerici, c. Cùm non ab homine &c. citt.*

Quare, licet talem clericum ab officio, in cujus administratione deliquit, Princeps aliúsve Magistratus Secularis liberè removere: &, si debitor appareat, de debitorum & damnorum quantitate se informare queat: ut tamen ad solutionem & damnorum reparationem condemnetur & opportunis remediis compellatur, Ecclesiasticum judicem adeundum, cum Ant. de Marinis *Resol. quotid. cap. 53. n. 15.* & aliis rectè monet Diana *cit. resol. 39. in fine.*

Dubium sextò est, an personæ & loca Ecclesiastica ratione pauperiei, sive damni à suis animalibus illati, coram Seculari judice conveniri, & ab isto ad damni dati resarcitionem & pœnam valeant condemnari. Posse, eâ ratione suadetur; quòd tali casu directè non contra personam, sed contra animalia ad damnorum reparationem ac pœnam agatur, & condemnatio atque executio in istis fiat sine ullo respectu ad personam. 171.

Verùm hoc, quàm primô intuitu speciosum, tam vanum est, si res accuratiùs ponderetur; cùm enim judicialis conventionis & condemnationis animalia capacia non sint, *can. Mulier 4.* ibi, *Quomodo sit reum pecus; cùm sit irrationale, nec ullô modô legis capax, 15. q. 1. & l. 1. §. 2. ff. Si quadrupes paup. fec.* omnino oportet dari aliquam personam, contra quam agatur, probatióque, condemnatio & exe-

cutio

cutio fiat, *l. cit. pr.* ibi, *Dari oportet animal, aut æstimationem noxiæ offerri:* quæ persona, si Ecclesiastica sit, ad damni dati reparationem à suo & Ecclesiastico duntaxat judice condemnanda erit, *c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. hâc Rubr. & c. Seculares 2. in 6. citt.* Squillante *cap. 7. n. 94.* Sanchez *dub. 31. n. 2.* Diana *cit. Tract. 2. resol. 80. & Tract. 1. resol. 72.* Barbosa *n. 122.* & Haunold. *n. 244.* Ratio est; quia, esto hæc causa merè temporalis ex sua natura sit, ratione personæ, quæ ex ea convenienda & condemnanda est, Ecclesiastica est, & Ecclesiasticô judiciô definienda, per *cc. citt.* textus & declarationem S. Congreg. Cardd. *Causas damnorum datorum per Ecclesiasticos seu per eorum animalia &c. spectare ad Curiam Episcopalem privativè,* declarantis *in una Terracinensi* relata à *cit.* Barbosa *n. 123.*

172 Dubium septimò & DD. in utramq; partem militantiũ magnis studiis agitata controversia est de Jure, quô clerici à foro & jurisdictione Seculari eximuntur. Non quidem in causis Spiritualibus, hoc est, Fidem, Sacramenta, Divinum cultum, animarúmque salutem & finem supernaturalem spectantibus; quoad has enim ipsos Divino Jure exemptos, apud Orthodoxos est indubitatum; quia, ut suprà est dictum, ejusmodi causarum judicialis cognitio spiritualem potestatem, à Christo institutam, & D. Petro istiúsque successoribus concessam, requirit.

173. De causis autem Temporalibus non idem omnium, etiam Catholicorum DD. est sensus; clericorum enim quoad istas etiam exemptionem Humanô altioris, ac proinde Naturalis aut saltem Divini, Juris esse, cum Glossa in *can. Si Imperator 11. V. Et discuti, dist. 96.* Panormit. *in c. Ecclesia 10. de Constitut. n. 6.* Felino *ibid. n. 6.* Baldo *in Auth. Statuimus cit. pr.* volunt Clarus *cit q. 36. n. 2.* Decianus *Tract. Crimin. Lib. & cap. 9. n. 1.* Azor *p. 1. Instit. lib. 5. cap. 12. q. 1.* Valentia *Tom. 4. disp. 9. q. 5. p. 4. assert. 3.* Fagnanus *in c. Ecclesia cit. n. 10.* & non pauci alii, præsertim TT. & Canonistæ, suam hanc Opinionem ferè desumentes ex *can. Futuram, 12. q. 1.* ubi pientissimus Imp. Constantinus, *Vos* inquit, *à nemine judicari potestis: sed solius Dei judicio reservamini:* ex *c. Quanquam 4. de Censib. in 6.* ubi Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ & res ipsarum, non solùm Humanô, sed Divinô etiam, Jure dicuntur immunes: quibus consonant Concilia, Lateranense sub Leone X. cujus *Sess 9* Jure tam Divinô quàm humanô laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas dicitur attributa, & Trident. *Sess. 25. cap. 20. de Reformat.* quod Ecclesiasticarum personarum immunitatem *Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus* asserit introductam. Rationem reddunt partim; quòd clerici ex ipsius clericatûs à Deo facta institutione sint Patres & Magistri Secularium, *can. Quis dubitet 9. dist. 96.* hisque superiores, *can. Duo sunt 10. dist. cit. c. Solitæ 6. de Majorit.* superiores autem ab inferioribus judicari, patres filiorum, & discipulorum jurisdictioni magistros subjici, absonum, *c. Cùm inferior 6. de Majorit.* & à recta ratione adeò alienum sit; ut *can. Quis dubitet cit.* miserabilis insaniæ esse dicatur: partim verò; quòd clerici à laicis segregati, in sortem Domini vocati & ad Divina servitia deputati sint, *can. 1. dist. 21. can. Clericus 5. &c. 12. q. 1. & c. Cùm secundùm 16. de Præbend.* ac proinde à Secularis potestatis dispositione & jurisdictione non minùs, quàm templa, altaria & vasa divino cultui consecrata à prophanis usibus & potestate exempti. Confirmatur; quia, si clericorum aliarúmque personarum Ecclesiasticarum à jurisdictione Seculari exemptio

emptio esset Juris merè humani, tolli aive derogari posset consuetudine: quod plerique DD. negant.

174. Eorum contrà in causis Temporalibus exemptionem in novo Testamento Jure humanô introductam, cum Innocentio in *c. Si quis 2. de Majorit.* defendunt Alciatus *in c. Cùm non ab homine cit.* Covarruvias *Practic. cap. 31. n. 2.* Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 10. à n. 9.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. n. 2.* Medina *de Restit. q. 15.* Sotus in *4. dist. 25. q. & art. 2.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 31. n. 2. & 6.* & alii tam TT. quàm JCT. quorum fundamenta sunt Primò; quòd in sacris paginis novi Testamenti non extet ullus textus, quô ea immediatè sit constituta: imò contrarium, & clericos, spectatô præcisè Naturali ac Divinô Jure, in temporalibus à Seculari potestate non exemptos, non obscurè suadere videantur Verba, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, Roman. *cap. 13. V. 1. Subditi estote Regi, quasi præcellenti*, 1. Petri 2. *v. 13.* & exemplum Apostoli, Actor. *cap. 25. v. 10.* ad Cæsarem appellantis: atque ipsius Christi Domini Servatoris nostri, cùm Pilato, *Non haberes*, inquit, *potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joan. *cap. 19. V. 11.* Secundò; quòd privilegium Fori clericis à Justiniano Imp. concessum tantùm sit in causis Civilibus, & cùm super crimine Ecclesiastico conveniuntur: in criminibus autem Civilibus fortiti sint forum Seculare, *Novell. 83. pr. & cap. 1.* & hodie quoque in Feudalibus, super bonis Regalibus ortis & Reconventionis: imò aliquando etiam in Criminalibus causis subjiciantur curiæ Seculari, *c. Cùm non ab homine cit. c. Novimus 27. de V. S.* Tertiò, quòd clericorum à foro Seculari exemptio non semper fuerit æqualis: sed variationem quoad causas & ipsas etiam personas admittat, & novissimè à S. Synodi Tridentinæ PP. non parùm restricta sit *cit. Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* contrà, quàm solent, quæ à Naturali aut Divino Jure immediatè descendunt.

Mihi utriusque sententiæ rationibus 175. aliquid tribuendum, & privilegium hoc, sive personarum Ecclesiasticarum Immunitas, *Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus*, ut *cit. cap. 20.* PP. Tridentini loquuntur, constituta videtur. Illâ, quia non tantùm ad legis Divinæ veteris, Sacerdotes ac Levitas Aaroni ejúsque successoribus subjicientis, Suarez *Lib. 4. de Immunit. cap. 9. n. 21.* sed etiam potestate à Christo immediatè accepta & collata ad Ecclesiæ suæ gubernationem, exigentem; ut clerici tanquam Patres, Magistri & superiores laicorum ab istorum potestate & jurisdictione eximerentur: & ex speciali instinctu & quodammodo Dei, rectam Ecclesiæ suæ gubernationem S. Petro illiúsque successoribus committentis, præcepto est profecta. Istis verò, sive *Canonicis sanctionibus*; quia immediatè à summis Pontificibus, eorúmque concessione, vel istius ab Impp. factæ confirmatione extensionéque clericalis Ordinis dignitatem honorantibus ornantibúsque; itaque Dei committentis ordinationem exequentibus est introducta, Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 33. n. 30.* & Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 1. n. 4.* Ex qua utriusque sententiæ conciliatione

Infertur primò, Consuetudinis, licet 176. hoc clericorum privilegium, sive, ut propriè vocatur, Libertatem Ecclesiasticam in casibus dubiis valeat interpretari, *arg. c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* eam tamen vim non esse; ut id tollere, vel etiam diminuere sola, sive absque summi Pontificis consensu possit, cùm; quia non apparet, quomodo consuetudo, privilegio Dei ordinatione specialique instinctu & quodammodo præcepto introducto contraria, esse que-

esse queat rationabilis, *arg. c. fin. de Consuet.* eam enim ob causam, tanquam Corruptela reprobatur *c. Quamquam cit.* Tum verò; quia ad consuetudinem legitimè præscriptam necessarius est consensus, saltem tacitus legislatoris: qui præsumi non potest de Papa, quot aliis in festo Cœnæ Domini, ejus Bullæ *can. 15.* & Urbani VIII. *Constitutione*, quæ incipit *Romanus Pontifex*, editâ 5. Junii 1641. expresse & palam contradicente; expressi enim utique major vis est, quàm taciti, ut habet tritum ex *l. Nonnunquam 52. ff. de Condit. & demonstr. cit.* Palao *p.* 12. *n.* 3. & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract.* 1. *à n.* 310.

177. Infertur secundò, idem privilegium, licet pro temporum, aliarúmque circumstantiarum varietate extendi possit & restringi, omninò tamen tolli ab ipso etiam summo Pontifice non posse; quia, etsi immediatè ab ipso, Divina tamen ordinatione & ad ædificationem, non ad destructionem, ipsi concessa authoritate est constituta, *cit.* Covarruvias *n.* 4. & 6. & Palao *p.* 1. *num.* 7.

178. Dubium octavò est, an Fori privilegio clerici valeant renuntiare. Ratio dubitandi est; quòd privilegium hoc non tam publicus quàm privatus favor esse videatur singulorum clericorum, in quorum utilitatem immediatè redundat: Neque referat; quòd his competat ratione Clericatûs; quia istius & Sacerdotii quoque ratione competenti privilegio renuntiari posse, liquet ex *ll. Si quis in conscribendo* 51. *C. de Episc. & Cleric.* & 29. *C. de Pactis.* Accedit; quòd in Concilio Milevitano *c. Inolita*, 11. *q.* 1. relato & *can. Clericum* 2. & *c.* 14. *q. cit.* Clerici ad forum Seculare prohibeantur solummodo *pertrahi*, verbô, invitos, non volentes denotante.

Sed, quæ Ecclesiasticæ prohibitionis vis sit, planiùs explicârunt Concilia, Carthaginense *can. Placuit* 43. & Matisconense *can. Nullus* 6. *q. cit.* relata: quorum illud clericorum, Secularí foro se submittentium, temeritatem sententiæ pro ipsis latæ irritatione, & ejus, quod evicerint, amissione: istud plagis, vel si honoratiores sint, carcere voluit puniri: & postea Innocentius III. ejus, de quo nobis sermo est, privilegii etiam voluntariè ac sponte factam renuntiationem, cum adjecto ipsi juramento, irritam declarans, *c. Si diligenti* 12. *hic*, cùm; quòd à SS. Canonibus prohibita sit: tum verò; quòd non personale, sed toti collegio Ecclesiastico publicè indultum, hoc est, toti statui sive Ordini clericali concessum; ac proinde favor & jus publicum sit: cui privatorum pactionibus & renuntiationibus nequeat derogari, *l. Jus publicum* 38. *ff. Pactis.* Unde corruit ratio dubitandi.

Minus urget *l. Si quis cit.* textus; quia Civili istius dispositioni, cùm de Ecclesiis & Clericis agitur, prævalent sanctiones Ecclesiæ, *c. Ecclesia* 10. *de Constitut. & c. Noverit* 47. *de Sent. Excommunicat.* ut dictum Procem. *n.* 125. quæ alieni, etiam Ecclesiastici, sine proprii Episcopi consensu, *c. Significâsti* 18. Secularis autem judicis in se prorogationem, etiam proprio & Ordinario suo Prælato consentiente, clericis non permittunt, ut *in c. cit.* Glossa *V. Clerici*, Farinac. *cit. q.* 8. *n.* 13. & Barbosa *in c. cit. n.* 6. observant.

179. Dubium nonò & frequentis usûs controversia est de dubio, an in causa Civili citatus, vel propter delictum à Seculari Curia apprehensus clericus, aut religiosus, vel laicus sit. De cujusmodi causa & delicto judicialiter cognosci à Seculari judice non posse, priusquam de personæ Clericatu, aut Religioso statu cognoscatur, patet ex *c. Si judex* 12. *in fine, de Sent. Excom. in* 6. ibi, *Contra eum tamen interim,*

terim, dum de Clericatu vel Monachatu cognoscatur, & pronuntietur, *quivis processus judicis penitus conquiescat.* De
180. Clericatu autem, vel statu Religioso personæ apprehensæ, etsi, quando de ejus Ordinationis aut Professionis valore &c. quæstio est, cognitionem Ecclesiastico judici competere, indubitatum sit ex decisione *c. Si judex cit.* ibi, *Dubitationis, an sit, qui repetitur, clericus, ad judicem Ecclesiasticum cognitio pertinebit, quia*, ut *ibidem* dicitur, *de re Ecclesiastica & spirituali est:* de qua in judicium deductæ controversiæ cognitio ad forum Ecclesiasticum spectat, *c. cit. c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judic. c. Tuam 3. de Ord. cognit.* &c. de ea tamen cognoscere Se-
181. cularis posse videtur, cùm dubium & quæstio est de Facto, an, quos, majores vel minores Ordines acceperit, an habeat beneficium, emiserit Professionem, detulerit habitum & tonsuram clericalem vel Monachalem: cùm, ut *n. 99.* insinuatum, & *Tit. 10 & 12.* plenè tradetur, de quæstionibus facti rerum spiritualium, hisque annexarum, & super iis intentato Retinendæ ac Recuparandæ Possessorio cognoscere valeat judex Secularis.

182. Nihilominus, et iam hujusmodi quæstionis judicialem cognitionem Curiæ seu judici tantùm Ecclesiastico competere, cum Covarruvia *Pract. cap. 33. n. 1.* Steph. Gratiano *Discept. cap. 190. à n. 11.* Mascardo *de Probat. conclus. 689. n. 7.* & aliis rectè defendunt duo Barbosæ, Petrus *in l. Titia 29. ff. Soluto matrim. à n. 26.* Augustinus *in c. Si judex cit. n. 2.* & Oliva *p. 1. cit. q. 26. n. 24.* Ratio est; quia, cùm de personæ Clericatu vel statu Religioso quæritur ad effectum; ut de ejus, Civili vg. Personali actione conventi, causa, vel delicto cognoscere possit judex Secularis, non sufficit, constare aut probari Clericatûs vel Monachatûs quasi possessionem, aut factum Ordinationis, vel editæ ab eo professionis: sed probanda est veritas Tituli Clericalis & Ordinationis vel Religiosæ Professionis valor, & id, quod habet, verè Beneficium Ecclesiasticum: & quas gerit vestes, verè clericales aut Religiosas esse, secundùm Rotæ *Decis. 12. de Probat. in Antiquis:* in qua probatione & cognitione non solius facti, sed Juris etiam quæstio necessariò involvitur. De tituli autem & Ordinationis vel Religiosæ Professionis valore cognoscere cùm nequeat judex Secularis, de ea cognoscere Ecclesiasticus debebit, partim; ne causarum connexarum continentia dividatur, contra Reg. *c. 1. de Causa poss. & propr. & l. Nulli 10. C. de Judic.* partim verò; quòd, cùm decisio quæstionis facti ad eum, de quo agitur, effectum non sufficiat, de ea frustra cognoscat & pronuntiet judex Secularis, *arg. c. Dilecti 8. de Except. & l. Ad Probationem 21. C. de Probat.*

Neque huic resolutioni adversatur; quod tali casu agatur de præjudicio iudicis utriusque, Ecclesiastici & Secularis; cùm, sicut ille, ita etiam iste reum conventum vel apprehensum suæ iurisdictioni subiectum prætendat: quando autem de duorum præiudicio agitur, valde conveniens & Juri etiam consonum sit, ut de eo cognoscat uterque simul, arg. Regulæ, *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, quæ est *29. in 6. & l. In concedendo 7. ff. de Aqua pluvia arcenda.* Non, inquam, hoc adversatur; quia hujusmodi cognitio de re Ecclesiastica & spirituali est, *c. Si judex cit.* & propterea soli Ecclesiastico competit, *c. Decernimus c. Quanto & c. Tuam citt.* Secularis autem judex, etsi etiam ipse debeat vocari, causæ tamen cognitioni non interest, ut judex: sed, ut de jure suo tanquam pars dicat, ut colligitur ex *c. cit.* Unde Regulæ allegatæ in præsenti dubio non est locus; quia

cus; quia in materia ſpirituali & Eccleſiaſtica intentionem ſuam in Jure fundatam ſolus judex Eccleſiaſticus habet.

183. Ne tamen objectio hæc viribus omninò vacua & ludicra videretur, dixi, *Cognitionem judicialem*, ſive quâ de perſonæ Clericatu vel Monachatu, plenis probationibus receptis, definitivè pronuntiatur; quia ſummariam aliquam & perfunctoriam cognitionem, ut judex ſciat, an reus ſit in Clericatûs vel Monachatûs quaſi poſſeſſione, ac proinde ſtatim & absque ulla retentione ad Curiam Eccleſiaſticam remittendus, Seculari permiſſam, cum Menochio *Conſil. 912. n. 14.* Petr. Barboſa *in l. cit. n. 29.* & Oliva *q. cit. n. 26.* haud ægrè conceditur, & deſumitur ex *c. Si judex cit.* §. *Et ſi notorium*; ubi Papa, dum Curiæ Eccleſiaſticæ ſtatim remittendum, dicit, *Si fuerit notorium, quòd idem malefactor ſit clericus*, Seculari judici non obſcurè concedit aliquam ſaltem ſummariam cognitionem, & informationem ſuper notorietate, fama & communi reputatione; quia, an reus ſtatim debeat remitti, vel Eccleſiaſtici judicis ſuper Clericatu pronuntiantis deciſio exſpectari poſſit, ſciri non poteſt ſine ejusmodi cognitione & informatione.

184. Hâc autem informatione acceptâ, ſicut, quando reum clericum eſſe notorium eſt, aut in quaſi poſſeſſione Clericatûs vel Monachatûs eſſe conſtat, eum ſtatim remittere debet: ita ipſum, quando, eum clericum aut in ejusmodi quaſi poſſeſſione eſſe, non conſtat, retinere Secularis judex poteſt: donec Clericum aut Religioſum eſſe per literas authenticas à Prælato ſuo acceptas &c. per teſtes, famam, aliáve argumenta in foro Eccleſiaſtico legitimè probetur & definitivè pronuntietur, ut aliis DD. relatis tradunt *citt.* Farinac. *q. 8. n. 33. & 44.* Palao *p. 4. n. 5.* aſſerentes id à Rota ſæpius deciſum.

Dubium decimò eſt, an Secularis judex clericum delinquentem capere & incarcerare nequeat; ut eum Prælato Eccleſiaſtico ſiſtat. Ratio dubitandi eſt; quia delinquentis apprehenſio & incarceratio ſunt actus jurisdictionis, laicis in clericos non permiſſæ. 182.

Quæ ratio licet omnino perſuadeat, ejusmodi clericum à Magiſtratu Seculari capi per ſe & propriâ authoritate non poſſe: non deſunt tamen caſus, quibus hoc ei per accidens & quaſi ex commiſſione Eccleſiæ, *c. Ut famæ 35. §. fin. de Sent. Excom.* iſtiúsque permiſſione, ſaltem rationabiliter præſumpta, licet: Et

Primò quidem, cùm clerici delictum notoriũ, & ipſe de fuga eſt ſuſpectus. Quô tamen caſu ad Prælatum Eccleſiaſticum, ſi poteſt, priùs recurrendum, & delinquentem captum à Magiſtratu Seculari ultra viginti horas non detinendum: imò, quàm primùm poteſt, Eccleſiaſticæ Curiæ remittendum, cum Felino *in c. Cùm non ab homine 10. de Judic. n. 4.* monent *cit.* Farinac. *q. 8. n. 118.* & Palao *p. 6. n. 14.* Imo in cauſa etiam Civili clericum debitorem de fuga ſuſpectum, ſi ab eo obtinendæ ſolutionis vel idoneæ cautionis alia ratio, & ad judicem Eccleſiaſticum recurſus in tempore non ſit, à Magiſtratu Seculari aut ipſo creditore apprehendi &, judici Eccleſiaſtico, quàm citò poteſt, ſiſtendum, detineri poſſe, in *c. cit.* notant idem Felinus *n. 1.* Panormit. *n. 12.* Baldus *n. 14.* & præter alios docent Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 1. n. 9.* & *cit.* Farinac. *n. 119.* Ratio eſt; quòd hujusmodi apprehenſio detentióque rationem habeat, non tam exercitii jurisdictionis, quàm propriæ defenſionis, in quam Eccleſiaſtica poteſtas conſentire præſumitur; ut ita Reipublicæ læſæ & creditoris indemnitati conſulatur. 186.

Secundò, quando delictum non tantùm in

ùm in ipsam Rempublicam, sed privatam etiam personam, committendum, aliô modô nequit impediri; quia Reipublicæ & privati etiam innocentis defensio cuilibet est permissa, *citt.* Panormit. *n.* 19. & Farinac. *n.* 120.

Tertiò, quoties clericus impunè & sine sacrilegio verberari & lædi potest, ut in casibus *c. Si verò 3. V. Si verò clericus, de Sent. Excom. &c.* quòd ejus, ut curiæ Ecclesiasticæ tradatur, apprehensione minùs, quàm percussione lædi videatur Ordo clericalis, *cit.* Panormit. *n.* 11. & Farinac. *n.* 123.

ARTICULUS XI.

De Foro Competente Scholarium.

SUMMARIUM.

187. *Speciale Forum fortiuntur Illustres, Milites, Uxor.*
188. *Et Literarum Studiosi:*
189. *Qui coram Magistratu Academico conveniuntur:*
190. *Si sint in Matriculam relati:*
191. *Etsi studiis non invigilent,*
192. *Aut in patria sua operam dent.*
193. *Forô Academicô gaudent in Civilibus,*
194. *Et Criminalibus, etiam gravioribus causis,*
195. *Sive Jus sive ratio spectetur:*
196. *Quas spectans jurisdictio firmatur Praxi:*
197. *Etsi in quibusdam Academiis sit restricta.*
198. *Præventionis effectum superveniente Scholarium privilegiô impediri asserentium,*
199. *Et negantium verior Opinio.*
200. *Idem Forum etiam fortiuntur Scholares Clerici:*
201. *Non tamen communi, Episcopis favente:*
202. *Sed speciali Jure,*

UNdecimò, quædam alia personarum genera speciale forum fortiuntur ratione Privilegii; sic enim Miles armatus conveniendus est coram Magistro militiæ, *l. Unica C. In quibus causis milit.* & Illustres in Criminalibus, Procuratorem non admittentibus, coram Principe, ab eóve delegato, *l. fin. C. Ubi Senator. vel Clariss. conven.* Sic uxor coram judice mariti convenitur, *l. Cùm quadam 19. ff. de Jurisdict.* cujus forum etiam post istius obitum fortitur, donec alteri nubat, *l. Filij 22. ff. ad Municipal.* 187.

Simili modô Literarum Studiosis insigne Fori Privilegium ab Imp. Friderico I. Barbarosa sive Ænobarbo, à ruffa barba dictô, indultum est *Auth. Habita C. Ne filius pro patre,* apud Roncalias mense Novembri 1158. publicata: cujus fragmentum est, *Si litem eù* Scholaribus *quùpiam super aliquo negotio movere voluerit, eos coram Domino vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat.* Circa quam Constitutionem, sicut, an utroque Domini & Magistri nomine una eadémque Academiæ Rectoris, vel diversæ, ejus scilicet & Magistri seu Professoris personæ intelligantur, ambiguum: ita ferè receptum est, neutro extraneam, sed Academicam personam utróque denotari. Quæ autem illa, vel interpretatur, vel introduxit Magister Usus seu consuetudo; hodie enim in plerisque Studiorum Universitatibus eligi solet Rector: qui Imperiali sanctione & moribus datam jurisdictionem exerceat; & inter ipsos Studiosos aliósve 188. 189.

aliósve subditos Academicos, atque eos etiam, à quibus illi super aliquo negotio conveniuntur, de Senatûs ex Professoribus constantis consilio jus dicat, Gilchen *in Auth. Habita cit. n. 60.* Ubi

190. Dubium est, quinam veniant nomine & numero Scholarium, ut forum Academicum sortiantur. Certum, est, hoc neminem sortiri, nisi in album sive Universitatis matriculam sit relatus, ut *arg. l. Ex eo 42. ff. de Testam. milit. & l. 1. C. de Advocat. diversj.* traduntFrancus *in Proëm. 6. Decretal. n. 12.* Dominic. *ibid. n. 23.* & Donell. *in Auth. cit. n. 6.* Nisi immatriculationem non exigat alicujus Universitatis Consuetudo.

191. An ultra immatriculationem exigatur, ut studiis operâ navet, & lectiones aliásve exercitationes literarias frequentet, DD. in controversiam vocant. Sunt enim non pauci, qui id absolutè negent, aut affirment. Illi; quòd *Auth. cit.* sermò expresè sit de iis, *Qui causâ studiorum peregrinantur, & quorum scientiâ totus illuminatur mundus:* quæ verba, cùm cessatoribus, ut vocamus, sive otiô tempus terentibus, vel à bonarum artium ac scientiæ comparandæ studio aliena sectantibus non congruant, specialis Fori & cæteræ Scholarium prærogativæ ad eos non pertinebunt, arg. Regulæ *c. Cùm cessante 60. de Appellat.* Isti verò, cùm; quòd, Fori Academici privilegium à cessatoribus & otiosis scholaribus ipso Jure amitti, nuspiam disertè cautum: & publicæ utilitatis intuitu conditæ legis ratio ejus dispositionem non restringat, per tradita ab Everhardo *Legal. arg. loco 78. n. 7.* cum verò; quòd, personam in matricula descriptam de foro Academico esse, præsumatur, donec contrarium doceatur, Gaill. *Lib. 1. Observat. 21. n. 11.* Et si id non præsumeretur, sub prætextu cessationis jurisdictio & authoritas Academica ab extranea, & desidibus studiosis ipsismet, non rarò ludibrium & injuriam pateretur.

Posterior hæc ratio, sicut præponderat, sic vim non omnem admit in contrarium militanti: quæ tamen ipsa, licet diligentiæ & Divinarum humanarúmque rerum Scientiæ comparatæ testimonia præmiáque, literatorum gradus & munera publica ad desides & otiosos non pertinere, persuadeat, ab iis tamen, antequam nomina è matricula aboleantur, Fori & cætera privilegia, toti Scholarium Ordini concessa, ipsô Jure & studiorum neglectu amitti non evincit; cùm, quòd id non tam in probrum, ipsorũ quàm Academici Magistratûs contumeliam & cum extraneo collisionem redundaret: tum verò; quòd, cùm Clerici & milites toti suo Ordini concessis prærogativis extra casus Jure expressos, non excidant, antequam gradu suo dejecti aut soluti sacramentô mittantur, *c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis & l. fin. ff. de Re militari*, idem statuendum sit de Scholari; ut extraneæ non subdatur, donec ob ignaviam excludatur: &, quod moderna atque ad multa incommoda præcavenda providè introducta praxis habet, Ordinario loci judici denuntietur, ut cum Bartolo *in l. Ex eo cit. n. 8.* Franco *cit. n. 12.* Tiraquello *de Cessante causa p. 1. n. 214.* & aliis docet Gilken *n. 13.*

Dubium secundò est, an Fori & cæteris *Auth. cit.* privilegiis gaudeant studiosi, in patria sua studiis operam navantes. His certè litem movent & favorem aliquem ab Imp. indultum in *Auth. cit.* negant Baldus *n. 3.* Salicet *n. 2.* & Sichardus *n 9.* propter verba, *Qui studiorum causâ peregrinantur*, & *qui amore scientiæ exulant*, quæ ipsos non afficiunt suæ significationis vi, cùm loci Originarii & cives peregrinis atque exulibus maximè 192.

opponantur : &, quod continent, privilegium extensionem non admittat, *c. Porrò 7. de Privileg. & l. 1. §. 1. & 2. ff. de Jure immunit.*

Verùm, quia verbis illis subjecta de Scholaribus dispositio ad exteros non restricta sed generalis est : & ratio principalis ; quòd eorum *scientiâ totus illuminetur mundus & ad obediendũ Deo & Nobis* Imperatori, vita subjectorum informetur : quæ ratio, cùm studiorum causâ peregrinantes & quasi patriâ exules non magis, quàm indigenas & Originarios complectatur, ad hos quoque ejus intuitu indultæ specialis fori & cæteræ Scholarium prærogativæ *Auth. cit.* concessæ pertinebunt, ut arg. *Proëmij 6. Decretal. in cit. Auth.* cum Angelo *n. 6.* & Rebuffo *V. Peregrinatur*, defendit Gilcken *n. 21.* Procuius æquiore hac de re sensu facit Juris optima interpres consuetudo, & ratio ipsa ; quia ad Fori & reliqua privilegia concedenda Imp. moverunt per se sufficientes rationes duæ. Una ; quòd studiorum causâ patria à Scholaribus deseratur : altera & principalis ; quòd eorum scientiâ illuminetur mundus & vita subditorum informetur. Quando autem aliquid statuitur ex duabus causis, quarum singulæ per se sufficiunt, ejus statuti dispositio locum habet, dummodo earum altera & principalis subsistat, arg. *l. Regula 9. §. 1. V. Et licet. ff. de J. & F. J.* Panorm. *in c. Ex parte 14. de Conversi. conjug. n. 8.* & Tiraquell. *l. cit. limit. 22. n. 22.*

193. Dubium tertiò est, an *Auth. cit.* data jurisdictio se extendat ad causas studiosorum Criminales. Civiles eam complecti liquet ex verbis, *Si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit.*

194. Ex iisdem, & quibus ea subijciuntur verbis, *ut nullus ob delictum sive debitum aliquod damnum eis inferat*, eam ad causas Criminales quascunque extendi, viriliter propugnat Scipio Gentil. *Lib. 3. de Jurisdict. cap. 17.* Pacius *de Studios. Privileg. cap. 9. n. 13.* Limnæus *Tract. 8. Jur. Publ. Roman. cap. 9. n. 33.* Mendo *de Jure Academico Lib. 1. q. 20. à n. 454.* & alii ; quòd litis nomine generali non Civiles duntaxat, sed Criminales etiam causæ veniant, *l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis l. fin. C. Ut intra cert. temp. Criminal. & l. Qui crimen 36. C. de His, qui accus.* & has quoque negotii vocabulum complectatur, *l. 1. pr. & §. 1. ff. de Calumniat. & l. In Criminali 5. C. de Jurisd. Omn. jud.* præsertim si vocabula ista accipiantur generaliter : &, ut *Auth. cit.* referantur ad paulò ante præmissa verba *Ob delictum sive debitum.* Id ipsum desu- 195
munt ex verbis, *Quibus hanc jurisdictionem dedimus* ; nam etiam hæc Academico Magistratui generaliter & cum exemptione à jurisdictione ejus, qui de utroque causarum genere cognoscendi potestatem aliàs haberet, ab Imp. per Constitutionem seu legem data, & quoad neutrum causarum genus sibi alteríve reservata Civiles & Criminales causas comprehendit, *arg. l. Si in aliam 7. §. fin. & l. Ideò 8. ff. de Offic. Proconsul.* quia quoties Princeps jurisdictionem saltem Ordinariam (qualis, cùm à Lege descendat, Academica est, *l. Et quia 6. ff. de Jurisd. omn. jud.*) indistinctè concedit, merum quoque Imperium, ac proinde Criminales causas spectantem jurisdictionem conferre censentur. Cùm beneficium Imperatoris plenissimè interpretandum sit, *l. Beneficium 3. de Constit. Princip.* maximè illud, quô is alicui hominum Reipublicæ utilium, ut *Auth. cit.* Fridericus I. Scholarium Ordini amplissimè prospicere & cavere voluit ; ne extraneorum judicum injuria à scientiæ comparandæ studio facilè avertatur.

Non pa-

Non parùm huic *Auth. cit.* explicationi roboris addit; quòd, cùm eâ Imp. judicis loci Ordinarii jurisdictioni Literarum studiosos subtraxerit in causis Pecuniariis & Civilibus, multò magis id fecisse censendes sit in Criminalib⁹, partim; quia scholares criminum rei injuriæ ab extraneo judice inferendæ magis obnoxii esse videntur: partim verò; quia cui jurisdictio denegatur in minoribus Civilibus negotiis, multò magis in majoris præjudicii & Criminalibus causis censetur denegata, *l. Relegatorum 7. §. fin. ff. de Interdict. & releg. Utique enim absurdum est, ut in ejus salutem & existimationem quispiam valeat proferre sententiam, cujus de nulla re possit pecuniaria judicare*, Rescriptum Imperiale est, *l. fin. C. de Agent. in rebus:* quod etiam evincit argumentum à contrario ductum, ex Reg. *Cui licet. 53. in 6.*

196. Eandem explicationem firmant Inprimis exempla & Praxis Universitatum, numerô, nomine & authoritate cæteris potiorum: quarum proprii Magistratus jurisdictionem suam ad Scholarium causas Criminales generatim extendunt vi *Auth. cit.* eámque declarantium ac stabilientium Privilegiorum, à Principibus, quorum authoritate fundatæ & liberalitate dotatæ sunt, indultorum, apud *citt.* Limnæum *n. 37.* & Mendo *n. 466.* In hac quoque florentissima Universitate Ingolstadiana Magistratus Academicus in quantumcunque graviter delinquentes procedere consuevit; memini enim, non ita pridem studiosum furti Sacrilegi, & ante hunc alios homicidiorum perpetratorum reos ab illo extra totum Bavariæ Ducatum, Sereniſſimis Electoribus non ignorantibus, & non improbantibus, relegatos, refert Prænob. & Clarisſ. Antecessor & Universitatis nostræ insigne decus D. Manzius *Palatin. decis. q. 100. n. 19.* Deinde studiosorum delinquentium ab extraneo comprehensorum ad Academicum Magistratum remissiones & de Fori competentia quandoque inter eos natæ concertationes. Et demum authoritas DD. calculo tam frequenti in eam concedentium, ut aliter pronuntiantes, quasi compertæ veritati repugnarent, Horat. Lucius, Hæreticos vocare, non dubitârit *Privileg. Scholar. 96. in fine.*

Neque eam infringit aliorum DD. 197
& Academiarum sensus aut usus; quia illorum fundamenta eruditè subruit, & pleraque, in Clericis & Militibus specialis Fori Privilegiô munitis solvenda, in authores suos retorquet *cit.* Mendo *à n. 439.* Istis verò Jure competens jurisdictio authoritate & Ordinationibus Principum, in quorum territoriis sunt sitæ, in fundationis limine vel postea est restricta: eámque restrictioni obnoxiam esse, extra omne dubium est; quia juxta dicta *Lib. 1. Tit. 2. à n. 32.* statutis suis Juri communi derogandi non carent potestate; cùm in Principe omnis jurisdictio resideat, ab eóque perinde, ut à mari fontes, fluat ac refluat: concedi & revocari, ampliari & restringi possit, per tradita ab Imola *in l. 1. ff. de Jurisd. omn. jud.* & Panormit. *p. 2. Consil. 6. n. 2.*

Dubium quartò est, an ergo à judi- 198.
dice loci delicti commissi vel celebrati contractûs vel solutionis promissæ per citationem præventus, si Scholaris fiat, causæ remissionem ad judicem suum Academicum petere queat. Id certè cum Bologneto *in Auth. cit. n. 220.* sustinent Rebuffus *de Privileg. Scholar. privileg. 153.* Horat. Lucius *Tract. cit. privil. 66.* & Petr. Barbosa *in l. Si quis posteaquam 7. ff. de Judiciis n. 113.* eâ ducti ratione; quòd specialis fori privilegium *Auth. cit.* Scholaribus indultum, sit ob bonum publicum, ad cujus conservationem ac promotionem

motionem bonarum artium ac disciplinarum studium ex fine suo tendit.

199. Verùm, quia, specialis & Ecclesiastici fori privilegiò non obstante, is, qui ante assumptionem Clericatûs, vel Religionis ingressum à Seculari judice per citationem præventus est, coram isto respondere usque ad causæ definitionem tenetur, juxta dicta *à n. 155.* judicium contra eum, qui antequam Scholaris fieret, sive à proprii domicilii, sive à loci delicti, contractûs vel solutionis promissæ judice per citationem præventus est, inchoatum continuari poterit etiam, postquam in Scholarium numerum & matriculam est relatus. Ratio est; quia ut *n. 174.* dictum est, præventionis effectum non impedit superveniens privilegium impetratum ad instantiam, imò & motu proprio à Principe concessum, *arg. l. Si quis cit. & l. Cum quadam 19. ff. de Jurisdict.* cùm; quia judicium, ubi inchoatum est, ibi & finem accipere debet, *l. Ubi acceptum 30. ff. de Judiciis*: tum verò; quia Princeps privilegium etiam motu proprio concedens, si non exprimat, tertio in jure suo præjudicare voluisse, non præsumitur, *arg. l. Supplicatione 2. Ut lite pend. & l. Prætor ait 2. §. 6. ff. Ne quid in loco publ.* Gabriel *Lib. 2. de Judiciis concl. 4. n. 20.*

Neque hac in re Scholaribus, causæ remissionem petentibus, patrocinatur; quòd Academici fori privilegium ipsis indultum sit favore boni publici; quia etiam intuitu & favore clericis indultum est privilegium fori Ecclesiastici, *arg. l. 1. ff. de J. & J.* cujus *§. 2. Publicum jus in Sacris, in Sacerdotibus &c. consistere* dicitur, & *c. Si diligenti 12. hâc Rubr.* Ubi Innocentius III. fori Ecclesiastici privilegium clericorum renuntiationi obnoxium non esse, ait; quòd sit *Beneficium toti collegio Ecclesiastico publicè indultum: cui privatorum pactio derogare non potest*; & tamen eò præventionis effectus non impeditur; quòd huic in ejus concessione derogatum non sit. Cùm ergo præventioni derogatum etiam non sit *Auth. cit.* ejus effectus, superveniente Academici fori privilegiò, nullatenus impedietur, ut rectè arguit Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 33. n. 45.*

200. Dubium quintò est, an Academico Magistratui jurisdictio competat in Clericos literarum studiosos. Quod affirmant, eámque in rem *Auth. cit.* allegant *citt.* Mendo *q. 21. n. 468.* & Gilcken *n. 22.* Sed hoc perperam: nisi eam Constitutionem ostendant canonizatam; cùm enim ea sit imperialis, Clerici Scholares, licet istorum Ordini indultis gaudeant favoribus, ab Imp. tamen datæ, aut alteri jurisdictioni ipsâ, si canonizata non sit, subjici non potuerunt, per ea, quæ *in c. Ecclesia 10. de Constitut.* à Panormit. *n. 37.* aliisque Interpp. & suprà tradita sunt in Proëmio *Art. 6. n. 115.*

Quare in primis juxta dicta *n. 108.* Clerici, studiorum causâ in Academiis versantes perinde, ut à cujuscunque alterius, ab Academici quoque Magistratûs Scûlaris jurisdictione in utroque, tam Civilium quàm Criminalium, causarum genere sunt exempti. Deinde, Jurisdictio 201.
in eos, si Episcopo loci Ordinario competat, fundatur in Jure Communi, sicut Ecclesias, Monasteria aliáque Sacra & Religiosa loca, *can. Omnes Basilicæ, 16. q. 7. can Monasteria, 18. q. 2. c. Constitutus 6. c. Cùm dilectus 8. &c. de Domib. Relig.* ita Clericos cæterásque personas Ecclesiasticas, speciali Jure non exemptas, ei submittente, *can. Nullus 2. & 14. can. De persona 35. &c. 11. q. 1. c. Quantò 7. c. Licet 17. c. Irrefragabili 13. de Offic. Ordin. &c. Cùm Episcopus ibid. in 6.*

Demum, si jurisdictionem in eos ob- 202.
tineat

tineat Universitas Ecclesiastica : vel, si ista Secularis sit, aliquod ejus Collegium ex Professoribus clericis, majorem saltem partem, constet, ea neque *in Auth. cit.* neque in communi scripto, sed speciali tantùm Jure fundatur; ac proinde necessarium est; ut vel Privilegiô Apostolicô, vel concessione Episcopi in limine fundationis, aut post hanc, Capituli consensu accedente, vel Consuetudine, seu potiùs Præscriptione Canonica, vel alicujus Transactionis seu amicabilis compositionis viâ, vel sententiâ judicis, quæ in rem judicatam transiit, aut arbitrorum pronuntiatione sit obtenta; quia his tantùm modis, sicut Ecclesia, sic etiam Clerici & cæteræ personæ Ecclesiasticæ Episcopi loci Ordinarii jurisdictioni subtrahuntur, & alteri jurisdictoni subijciuntur, ut *Lib. 5. Tit. 33. à n. 68.* ostendetur.

ARTICULUS XII.

De Foro Competente ratione Prorogationis.

SUMMARIUM.

203. *Reus forum sortitur ratione Prorogationis:*
204. *Quæ varis modis fit,*
205. *Et varias exigit conditiones.*
206. *Locum etiam habet hodie:*
207. *Non tamen in Feudalibus,*
208. *Principi reservatis, ab eôque avocatis,*
209. *Vel Appellationis causis.*
210. *Neque in Criminalibus in præjudicium judicis Ordinarii:*
211. *Aut in spiritualibus,*
212. *Etiam non Sacramentalibus causis.*
213. *Clericus cum consensu Episcopi non prorogat Jurisdictionem Secularem*
214. *Differentia inter Prorogationem & delegationem:*
215 *Idem sine consensu proprij expresso se non subijcit Episcopo alieno;*
216. *Etsi id queat tacitè.*
217. *Exempti, etsi nequeant contentiosè:*
218. *Voluntariè tamen Ordinarij jurisdictioni de subijcere possunt.*

DUodecimò, Forum reus sortitur ratione Prorogationis: quâ voluntariè consentit in judicem non suum, sive se subijcit jurisdictioni ejus, cui aliàs vel omninò, vel in causa, in qua ejus jurisdictionem in se extendit, non est subjectus, *l. 1. & l. Consensisse 2. pr. ff de Judiciis*: quod quatuor ferè modis contingit; aliquando enim Jurisdictio prorogatur à persona ad personam: sicut fit, cùm alieni subditi mutuô consensu se subijciunt alicujus, non sui judicis, jurisdictioni; ut de causa inter ipsos controversa cognoscat, *ll. citt. & l. Si convenit, 18. ff. de Jurisdict.* Aliquando à causa vel re ad causam cum ea, ad quam judicis jurisdictio se extendit, non connexam: vel connexam quidem, sed majorem, prout contingit, cùm judicis de causis, centũ aureos non excedentibus, cognoscere valentis jurisdictioni se submittunt, super majore summa litigantes, Maranta *de Ord. judic. p. 4. dist. 12. n. 3.* Aliquando à tempore ad tempus, si certum tempus, intra quod causa terminanda fuit, partium & judicis consensu protrahatur; ut hic de ea etiam post illius lapsum cognoscere & pronuntiare possit, *c. De causis 4. de Offic. deleg. & l. Consensisse cit. §. 2.* Aliquando à loco ad locum, ut, si causa inter partes controversa de uno ejusdem territorii seu jurisdictionis loco, partium consensu ad alium ejusdem, aut accedente judicis illius loci consensu, ad locum jurisdictionis sive territorii alterius transferatur, Maranta

203.

204.

cit. n. 3. Petr. Barbosa *in l. 1. cit. art. 2. n. 2.* & Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 14. n. 1.* & alii passim.

205. Porrò ad jurisdictionis Prorogationem à DD. requiritur Primò; ut judex, in quem partes litigantes consentiunt, aliquam habeat jurisdictionem, *c. Significâsti 18. & l. 1. cit.* quia jurisdictio, quæ non est, extendi, eámque non habenti conferri, à privatis non potest, *c. cit. & l. Privatorum 3. C. de Jurisdict. omn. jud.* Panormit. *in c. cit. n. 5.* & Barbosa *in l. cit. art. 1. n. 20.* Secundò; ut, si prorogatio ab una persona ad aliam, vel ab una causa ad aliam non connexam fiat, judex non sit ad certam aliquam causam delegatus, sed Ordinarius, Glossa *in c. G. & P. 40. de Offic. deleg. V. Prorogatio, de Offic. deleg.* vel saltem delegatus ad causarum universitatem, Glossa *in l. 1. cit. V. Qui tribunali*; quia talis ad naturam Ordinarii accedit, eique solet æquiparari, Glossa *in c. Cùm causam 62. V. Delegatum, de Appellat.* A tempore tamen vel loco uno ad alium, & à minore quantitate ad majorem prorogari jurisdictionem, etiam ad certam causam delegatam, saltem, quando ad certum tempus &c. restrictio principaliter in favorem partium facta est, posse, *in c. Cùm olim 32. de Offic. deleg.* notat Panormit. *n. 9.* & de prorogatione à tempore ad tempus. ex *c. De causis 4. pr. de Offic. deleg. & l. Consensisse cit. §. 2.* de ea quæ ab uno ad alium locum, & ex *c. Statutum 11. §. In nullo, de Rescript. in 6.* de prorogatione sive extensione jurisdictionis à quantitate minore ad majorem *ex l. De qua re 74. §. 1. ff. de Judic.* constat. Tertiò; ut jurisdictio, quæ per prorogationem extenditur, sit similis, sive ejusdem speciei & ad causæ decisionem sufficiens, vg. ut, si causa spiritualis vel criminalis sit, judex habeat spirituale, & ad causas criminales se extendentem jurisdictionem, Panormit. *in c. Si diligenti 12. num. 14.* Clarus § *fin. q. 42. n. 4.* & *cit.* Oliva *n. 70.* Quartò; ut partes in eum consentiant scienter & liberè: non per errorem, quò vg. se ejus jurisdictioni subjectos existiment: vel gravi metu aut potentiâ judicis coactæ, *l. Consensisse cit. pr.* Decian. *Tract. Criminal. lib. 4. cap. 23. n. 14.* & Barbosa *cit. art. 2. n. 43.* Quintò demum, ut judex, cujus jurisdictio extenditur, sub eodem Principe sit, *cit.* Barbosa *art. 3. n. 162.* Oliva *p. 3. q. 14. n. 67.*

Etsi verò hactenus declarata jurisdictionis prorogatio Jure generali approbata sit, ei tamen non in omnibus causis est locus. Imò non desunt, qui ejus jus usu cum tempore sublatum, & propterea jurisdictionem hodie, postquam mulctæ ipsius fructus esse cæperunt, prorogari neutiquam posse, censerent apud Bruneman *in l. Si convenerit cit. n. 3.* quòd causæ ad sua tribunalia à judicibus Ordinariis hodie possint & soleant avocari. Verùm, quia Ordinarii, sicut hoc, ita etiam, si velint, causarum avocationem omittere, & alienum judicem adire volentibus consentire possunt, *arg. c. Significâsti cit.* prorogationi etiam hodie, non solùm quoad locum & tempus: sed quoad causas etiam & personas locus erit, ut idem & aliis DD. relatis tradit Magnificus antecessor D. Manzius, *Decis. Palat. q. 93. n. 20.* 206

De Jure autem etiam, locus ipsi non est. Primò in causis Feudalibus, controversis inter duos vasallos: in quibus, quoties Dominus directus judex competens est, istô non consentiente factâ jurisdictionis prorogationem non valere, cum Panormit. *in c. cit. n. 12.* & Baldo *in c. Caterùm 5. de Judic.* & aliis negant. *citt.* Maranta *n. 25.* & Barbosa *art. 3. n. 156.* cùm ob reverentiam, Domino debitam à vasallis: tum ob præjudicium, si causa ipsi spe- 207

ipsi specialiter competens, ab alio judice pertractaretur.

208. Secundò, ei locus non est in causis ipsi Principi reservatis, in signum supremæ jurisdictionis & potestatis Regalis; has enim, uti etiam quacunque ex causa ab ipso ad se advocatas & suæ cognitioni reservatas causas per viam prorogationis in alium transferre non permittit irreverentia, quæ earum prorogatione ipsi irrogari videtur. Covarruvias *in Reg. Possessor p. 6 §. 2. n. 7. V. Tertia, cit.* Maranta *n.* 20. & Barbosa *à n.* 34.

209. Tertiò, in causa Appellationis; cùm enim istius natura sit, ut gradatim *l. Imperatores* 21. *pr. ff. & c. Dilecti* 66. *de Appellat.* & ab inferiore ad istius superiorem fiat, Panormit. *in eandem Rubr. n.* 2. judex, qui judicis, à quo appellatur, superior non est, adiri & cognoscere non poterit, an bene appellatum & malè judicatum sit ab inferiore, sibi non subjecto, Felinus *in c. P. & G. cit. n.* 7. *citt.* Maranta *n.* 22. & Oliva *n.* 99.

210. Quartò, Baldus *in l. Si quis* 7. *C. de Episc. aud. n.* 6. & alii Prorogationi locum esse negant in causis Criminalibus; cùm propter *l. Si quis cit.* ibi, *In Civili duntaxat negotio* & *l. In Criminali* 5. *C. de Jurisdict. omn. jud.* quâ causa Criminalis ad rei forum dicitur deducenda: & meritò; quia, prorogatione in ejusmodi causis permissâ, via aperiretur fraudibus; cùm delinquens, sibi faventis judicis jurisdictionem prorogandò, facilè evaderet pœnam magnò præjudicio Reipublicæ, cujus interest, crimina non manere impunita, *l. Ita vulneratus* 51. *ff. ad L. Aquil. & c. Ut famæ* 35. *de Sent. Excom.* Quæ ratio apud me tantùm potest; ut quantumvis propter Juris, jurisdictionis prorogationem generaliter permittentis, Regulam ei etiam, cùm de crimine agitur, quantum ea partibus actori & reo, præjudicat, locum esse, Bartolo *in l.* 1. *ff. de Judic. n.* 9. Panormit. *in c. P. & G. cit. n.* 15. hósque secutis Claro §. *fin.* 42. *n.* 1. & Barbosæ *in l.* 1. *cit. art.* 4. *n.* 2. & 6. affirmativam tuentibus haud ægrè concedam: in præjudicium tamen Reipublicæ & ipsius judicis eam non valere; ac proinde judicem, cui criminis punitio aliàs competit, de eo ad suum tribunal per accusationis aut inquisitionis viam delato denuo cognoscere & legitimè probato condignam pœnam infligere posse, existimem cum Baldo *l. cit.* & hunc secutis Maranta *p.* 4. *dist.* 6. *n.* 60. & Oliva *cit. q.* 4. *n.* 62. *in fine.*

Quintò, Hostiens. *in Summa hujus Rubr.* 211. & Ant. de Butrio *in c. Significâsti cit. n.* 10. prorogationi locum in Spiritualibus esse negant; ut alieni judicis Ecclesiastici jurisdictioni, sine proprii consensu, se subjicere etiam laici non possint: quod tamen, sicut in Sacramentalibus, vg. susceptione Ordinum, absolutione à peccatis mortalibus & in assistentia matrimonii certum est, per text. §. *Placuit* post *can.* 1. *can. Nullus Primas, 9. q.* 2. *c. Nullus* 3. *de Procurat. c. Omnis* 12. *de Pœnit. & c. fin. de Temp. Ord. in* 6. & Trident. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* ita

Dubium controversúmq; est de non 212. Sacramentalibus vg. decimalibus, Juris patronatûs, aliisque spiritualibus causis; in his enim alieni judicis Ecclesiastici jurisdictionem in se extendi à laico posse, cum Panorm. *in c. Significâsti cit. n.* 15. defendunt duo Barbosæ, Petr. *in l.* 1. *cit. art.* 3. *à n.* 206. Augustin. *in c. cit. n.* 5. & 10. propter *c. cit.* textum, à Regula, alieni judicis prorogationem in se generaliter permittente, *l.* 1. & *l. Consensisse citt.* clericos duntaxat excipientem. Unde argumentò à contrariò ducto infertur, eam laicis concessam, etiam respectu judicis Ecclesiastici, *l. Si qui cit.*

Verùm, licet Opinio hæc de Jure omnino probabilis sit, consuetudine tamen, quæ ambigui Juris optima interpres est, in spiritualibus, & quibuscunque causis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, prorogationem à laicis neque fieri, neque admitti, testis est *cit.* Oliva *n. 84.* De Jure etiam proprii judicis consensum exigi, non obscurè desumitur ex *can. Scriptum 6. q. 3. & can. Nullus citt.* quibus textibus Episcopus alienum Parochianum seu Diœcesanum, sine proprii Prælati consensu, sicut ordinare, sic & judicare, nullô inter Sacramentales & non Sacramentales causas factô discrimine, prohibetur: & meritò; cùm alicujus quoad prorogationem inter eas differentiæ congrua ratio non habeatur. Imò in causis spiritualibus alienum judicem sine proprii consensu adiri generaliter non posse, ratio congrua est; quòd, ut *n. 98.* dictum, jurisdictio spectans causas spirituales immediatè collata sit à solo Deo: quæ autem à solo Deo accepta est, prorogabilis non sit, ut cum Baldo *in c. Si qui cit. in fine* & Maranta *p. 4. dist. 12. n. 23.* arguit Oliva *l. cit.* Neque obstat *c. Significâsti cit.* quia inde à contrario deductum argumentum contra *citt.* & huic adversantes textus vim non habet.

213. Dubium secundò est, an Clerici in se prorogandô extendere valeant jurisdictionem judicis Secularis. Posse id saltem cum consensu Episcopi, desumi videtur ex *can. Clericum 2. & can. Clericum nullus, 11. q. 1.* ubi clerici ad talem judicem trahi & apud eum pulsari prohibentur, Episcopo non permittente. Unde hoc permittente id fieri posse, à contrario infertur. Accedit; quòd Laico committi & delegari ab Episcopo possint causæ merè Civiles & pecuniariæ, quæ inter, vel contra clericos & Ecclesias moventur, secundùm Glossam *in c. Decernimus 2. de Judic.* Cur non etiam de ejus consensu jurisdictio ab his in se prorogari?

Sed hac in re passim à DD. recepta est Glossa *fin. in c. Significâsti*, quam cum Panormit. *in c. cit. n. 29.* & Baldo *in l. 1. C. de Indicta Vid.* & aliis sequuntur Clarus §. *fin. q. 36. n. 10.* Covarruvias *Practic. cap. 32. n. 2.* Barbosa *cit. art. 3. n. 173.* & Oliva *cit. q. 14. n. 84.* negantes, id fieri posse, etiam Episcopo consentiente; ac proinde opus esse consensu Papæ.

Rationem *cit.* Glossa reddit, quia sicut clericus non potest renuntiare privilegio Fori, concesso in favorem totius Ordinis seu statûs Clericalis, *c. Si diligenti cit.* ita id diminuere, aut clerico renuntianti efficaciter consentire nequit Episcopus perinde, ut consentire nequit in Privilegii Canonis renuntiationem: cujus ratio ulterior est; quia Jure communi statuta relaxare Episcopus regulariter non valet, *arg. Clement. Ne Romani 2. de Elect. & c. Cùm inferior 16. de Majorit.*

Neque contrarium evincunt pro eo allegati textus; quia, ut omittam; quod in iis vocem *Maximè* subintelligi velit Glossa *fin. in c. Significâsti cit.* ut, inquam, hoc prætermittam, *c. Si diligenti cit.* satis declaratur, id spectatô Jure Decretalium, non licere, ut notat Glossa *fin. in c. Qualiter 17. de Judic.* neque esse locum argumento à contrario, quando illati contrarium Jure expressum est, probè advertit *cit.* Panormit. *n. 24.*

Neque paritas est inter Delegationem 214
& Prorogationem; quia Imprimis Episcopus delegans retinet sibi jurisdictionem: non item consentiens in alienæ jurisdictionis prorogationem; cùm per hanc jurisdictio à consentiente in alterũ transferatur: jurisdictionem autem clericos respicientem in laicos transferre, sicut clericis inferioribus, ita etiam Episcopis non sit permissum, *c. Si diligenti cit &c.* Deinde; quia

quia delegatus, cùm nihil habeat proprium, judicat nomine & authoritate Episcopi delegantis: ad quem etiam à delegato appellatur, *l.* 1. *& l. fin. ff. Quis & à quo appell.* judex autem partium consensu prorogatus judicat nomine proprio, ab eóque ad ipsius superiorem laicum: non ad Prælatum Ecclesiasticum appellatur, Panormit. in *c. Decernimus 2. de Judic. n. 5.* Demum; quia prorogatio seu extensio jurisdictionis fieri non potest, nisi ad similem, sive ejusdem Ordinis jurisdictionem: jurisdictio autem Secularis dissimilis & diversi ordinis est ab Ecclesiastica; ac proinde ad hanc extendi, partium & Episcopi etiam consensu non potest, Panormit. *in c. Significâsti cit. num. 25.*

215. Dubium tertiò est, an clericus in se prorogare saltem valeat jurisdictionem alieni judicis Ecclesiastici. Dubitandi ratio desumitur partim à paritate laicorum, in judicem non suum consentire valentium, consensu sui judicis Secularis non requisito, *l.* 1. *& l. Consensisse citt.* partim; quòd clerici id possint tacitè, non solùm casu, quô in ejus diœcesi delinquunt, *c. Postulâsti* 14. sed etiam, quô in certo loco se soluturos promittunt; tum enim coram istius loci Ordinario conveniri possunt, *c. Dilecti* 17.

Sed his rationibus prævalet decisio *c. Significâsti cit.* alienæ jurisdictionis Ecclesiasticæ in se extensionem clericis, sine Ordinarii sui judicis licentia non permittentis: etsi judex, cujus jurisdictionem in se extenderent, esset Metropolitanus, *c.* 1. *in 6.* cuius *pr.* diserte habetur, Archiepiscopum de causis subditorum suffraganei sui absque istius licentia cognoscere non posse: licet illi in eum consentirent. Id autem statuendi ratio fuit; ut vitetur regiminis Ecclesiastici confusio: propter quam clerici ratione Ordinis, beneficii & officii Ecclesiastici Prælato suo multò magis subiecti sunt, quàm laici magistratui suo Seculari, ut in *c. Significâsti cit.* notant Laiman *n.* 2. & Gonzalez *n.* 8.

Quare enervis est ratio desumpta à paritate laicorum, præsertim postquam his alieno judici Ecclesiastico in causis spiritualibus se subjiciendi facultas dignoscitur esse adempta.

Neque urget; quòd id clerici valeant 216.
tacitè, sive ipsô factô, quando in aliena diœcesi delinquunt, aut ibi se soluturos promittunt, *c. Postulâsti & c. Dilecti citt.* quia his casibus non tam ex sua voluntate & consensu, quàm ex dispositione Juris alterius diœcesis Ordinario subjiciuntur: quantumvis aliàs regulariter minor vis sit taciti, quàm expressi, Innocent. *in c. Dilecti cit. n.* 2. & Panormit. *n.* 4.

Dubium demum & non infrequen- 217.
tis usûs controversia est; an clerici & præsertim Religiosi exempti & Papæ immediatè subjecti, per viam prorogationis subjicere se possint Ordinariorum jurisdictioni. Satis convenit inter DD. hoc sine consensu Papæ, à quo exempti sunt, eos non posse in pertinentibus ad jurisdictionem contentiosam, Panormit. *in c. Significâsti cit. n.* 12. *citt.* Barbosa *art.* 4. *n.* 43. & Oliva *n.* 90. In pertinentibus etiam ad voluntariam, cujusmodi sunt absolutio à peccatis & censuris, dispensatio in votis, juramentis, irregularitatibus, legibus Jejuniorum, recitatione Breviarii &c. id eos non posse, cum *cit.* Panormit. *n.* 11. idem defendunt Rodriquez *Tom.* 1. *Regul. q.* 36. *art.* 5. & Suarez *de Votô cap.* 11. *n.* 7. Moventur duplici ratione. Una est; quòd per privilegium Exemptionis jus acquiratur ipsi sedi Apostolicæ, *c. Cùm venissent 2. de In integ. restit.* ubi Exemptionis privilegium non tam ipsorum Exemptorum, quàm dictæ sedis jus dicitur esse: juri autem istius-

renuntiare, eíve derogare exempti non possint, per non minùs clarum textum *c. Cùm tempore 5. de Arbitris* ibi, *Cùm, etsi sponte volueris, de jure nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegiis & indulgentiis libertatis.* Altera; quòd in exemptos jurisdictionem Episcopus non habeat, nisi in casibus Jure expressis: per viam autem prorogationis id fieri posse, Jure nuspiam sit expressum.

218. Sed, licet hæc sententia de rigore Juris verior, æquitate tamen spectata, Sylvester *V. Absolutio 5. n. 2.* Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 39. n. 32.* & Laiman *in c. Significâsti cit. n. 3.* Regularibus exemptis facultatem adstruunt pro absolutionibus & dispensationibus obtinendis, saltem cùm has concedere nequit proprius Prælatus, cum istius licentia diœcesis Ordinario se subjiciendi: nisi ad Papam aut istius Legatum, jurisdictionem in exemptos habentem, facilis esset recursus. Rationem reddunt; quòd, cùm Exemptionis privilegium per se & directè etiam in favorem Religiosorum Ordinum concessum sit, æquitati & Papæ intentioni conformis non sit ademptio facultatis, in ejusmodi casibus pro absolutione vel dispensatione ad Episcopum recurrendi; cùm, ne, quod concessum est in favorem, in eorum dispendium retorqueatur, contra *Reg. Quod ob gratiam 61. in 6.* tum verò; ne Exemptionis privilegiò deteriores reddantur Regularibus non exemptis, ejusmodi gratias multò faciliùs obtinentibus, quàm ipsi, si eas neque à proprio Prælato Regulari, neque ab Episcopo consequi valentes, ad sedem Apostolicam semper recurrere deberent.

Neque, ut vim magnam habeat, hujus doctrinæ æquitati objecta ratio adversatur; quia exemptis ad prædicta, casu, quò aliunde obtineri facilè non possunt, petenda ab Ordinariis: & his ad ea concedenda non deest consensus Papæ, saltem tacitus, & meritò præsumptus ex ratione allata, & privilegiis etiam Apostolicis: quibus à Papa, quod tacitè velle meritò præsumi potest, variis Ordinibus Religiosis expressè est concessum, teste Sanchez *l. cit.* Accedit; quòd Episcopus, privilegiò seclusò, omnium suæ diœcesis Regularium Ordinarius sit: & res ad primordialem suam naturam facilè revertatur.

TITVLVS III.

De Libelli Oblatione.

Judicium latè sumptum inchoatur à Rei ad Forum competens Citatione: quæ in causis præsertim Civilibus committitur ad instantiam seu petitionem Actoris, porrectô Judici libellô, intentionem suam declarantis.

ARTICU-

ARTICULUS I.

De Libelli Conceptione, Emendatione & Mutatione.

SUMMARIUM.

1. *Libelli necessitas,*
2. *Natura & varietas,*
3. *Libellus esse brevis & clarus:*
4. *Ecclesiæ, vg. cujus causa agitur,*
5. *Non necessariò etiam Actionis, nomen continere debet,*
6. *Etiam in Foro Seculari.*
7. *Eô petenda est res certa & determinata.*
8. *Aliquando tamen alternativa,*
9. *Et generalis petitio sustinetur.*
10. *Libellus virtute continet syllogismum:*
11. *Factum exponendum est cum circumstantiis.*
12. *Actio alia Realis, alia Personalis:*
13. *Et petendi causa alia Proxima, alia Remota est.*
14. *In actione Reali proximam exprimi, regulariter sufficit:*
15. *Expedit tamen, exprimi etiam remotam:*
16. *Quæ omnino exprimenda est in actione Personali.*
17. *Petitio necessaria est in Conventionali*
18. *Non etiam in Querimoniali libello.*
19. *Sententia ferri nequit ex libello inepto:*
20. *Qui tamen interpretationem admittit.*
21. *Imò emendationem etiam & mutationem,*
22. *Emendari usque ad sententiam definitivam:*
23. *Mutari usque ad litis contestationem potest:*
24. *Post hanc, mutationem permissam, negantium,*
25. *Et affirmantium DD. Opiniones,*
26. *Libello oblato conformanda est sententia,*
27. *Actor ad causæ prosecutionem obligatur,*
28. *Actiones annales perpetuantur,*
29. *Interrumpitur præscriptio,*
30. *Résque fit litigiosa.*

IN Summario sive extraordinario judicio, in quo de plano proceditur, petitionem suam Actor non rarò vivâ voce, *Clement. Sape 2. V. Nos autem, V. Verùm de V. S.* in Plenario autem sive Ordinario in scriptis proponit, *c. 1. hâc Rubr. & l. 1. ff. de Edendo* & Judici offert libellum, istiusque copia traditur reo, §. *Offeratur*, post *can. Inducia 3. q. 3.* Glossa in *Clem. Quamvis 2. V. Oblato, de Appellat.* Judici quidem; ut sciat, super qua re cognoscat & ferat sententiam; cùm ista libello debeat esse conformis, *l. Ut fundus 18. ff. Communi divid.* Reo verò; ut deliberet, an liti cedat vel contendat, *Auth. Offeratur C. de Litis contest.* &, si contendendum putet, cognitâ, quâ convenitur, actione, instructus veniat ad defendendum *l. 1. cit.* 1.

Libellus est Scriptura brevis, clara & ordinata, continens & judici atque reo demonstrans intentionem actoris vel accusatoris, Cynus *in Auth. cit.* & Panormit. *ad hanc Rubric. n. 1.* Libellus enim alius Conventionalis est sive Postulationis, qui in Civilibus & proprium interesse spectantibus negotiis offertur: quando scilicet rem aliquam ratione dominii vel quasi esse nostram, in eâve jus aliquod nobis competens, aut ex obligatione personali nobis debitum petimus, *c. fin.* alius Queri- 2.

Querimonialis sive accusationis, qui offertur in causis Criminalibus, cùm scilicet quis alicujus criminis reus judici defertur, *l. Libellorum 3. ff. de Accusat.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.*

3. Erit autem Libellus primò Brevis, si, rejectis superfluis, necessaria & utilia, sive ea tantùm contineat, quæ, si legitimè probentur, faciunt ad intentionem actoris contra adversarium, *l. Ampliorem 39. §. 1. C. de Appellat.*

Secundò Clarus & perspicuus, si litis substantialia & ejus circumstantias, scilicet, *Quis, quid, coram quo, quô jure petatur & à quo,* sive Actorem, Reum, Judicem, Rem coram isto ab illo petitam, & Actionem sive causam agendi distinctè exprimat. Unde

4. Dubium oritur, an Prælatus, Ecclesiæ, vel Monasterii sui causam acturus, exprimere in libello debeat suum, vel istius nomen. Istius sive Ecclesiæ vel Monasterii nomen exprimendum: &, si suum in libello Prælatus ponat, etiam ejus, cujus nomine causam agit, vg. se Ecclesiæ S. Mariæ nomine agere, exprimendum, clarè desumitur ex *c. Litera 3.* ibi, *Presbyter contra Nobiles viros Ecclesiæ suæ nomine libellum obtulit, de Dilation.* & *c. Inter dilectos 6.* ibi, *Petebat Abbas nomine Monasterij sui huic restitui portum, de Fide Instrument.* Ratio est; quia Prælatus aliàs agere censeretur proprio nomine: cùm tamen Ecclesiæ vel Monasterii solius nomine habeat actionem. Idem ferè observandum est syndico, tutori & similibus civitatis, pupilli &c. causas agentibus; cùm enim non propriô suô, sed civitatis, pupilli &c. tantùm nomine actionem habeant, illorum nomine à se agi, exprimere etiam ipsi debent.

5. Dubium secundò est; an exprimi in libello debeat nomen Actionis. Rationem dubitandi suggerunt, *l. 1. cit.* verba, *Qua quisque actione agere volet, eam edere debet,* & *l. Non videtur 33. ff. de Judiciis,* juxta quam reus petere potest, edi sibi genus actionis: idque jure optimô; cùm secundùm vulgatum, Sine actione in judicium trahi nemo possit, *l. Si pupillus 6. §. 12. ff. de Negot. gest.* Nihilominus de Jure & in foro Ecclesiastico Actionis nomen non necessariò exprimendum ex *c. Dilecti 6. de Judiciis,* satis certum, & ratio prompta est; quòd sacri Canones, licet Judiciarium ordinem observari etiam ipsi velint, *c. Cùm dilecti 6. V. Volentes, de Dolo, & c. Ad petitionem 22. de Accusat.* scrupulosas tamen Juris subtilitates non ament, nec magnopere curent, *c. Dilecti cit. & c. fin. de Transact.* & propterea, cum simplici & clara facti expositione rei veritas declarari & cognosci satis possit, æquitate suadente, ultra eam & petendi causam ipsámque petitionem etiam actionis nomen exprimi, non exigant. Idem 6. de foro Seculari Zœsius *in ff. de Edendo n. 8.* & apud Bruneman *in l. Edita 3. C. de Edendo n. 8.* alii tradunt: dummodo ex tenore libelli appareat, qualis actio intentetur; quidque, & ob quam causam actor petat; cùm non multùm interfit, propriô nomine quid exprimatur, vel demonstratione alia, quæ vice nominis fungatur, *l. Certum 6. ff. de Reb. credit.* Gaill. *Practic. Lib. 1. Observat 61. n. 9.*

Deinde libellus clarus erit, si careat 7. æquivocatione & absque generalitate vel alternatione eô petatur res certa & determinata, *arg. l. Ubi 75. §. 4. & 8. ff. de V. O. & l. Prator 7. §. 4. ff. de Injuriis;* quia generalitas obscuritatem, *l. Cùm Stichus 29. ff. de Solut.* & alternatio incertudinem parit petitionis: neque facilè admittit certam sententiam; cùm hæc, ut dictum, conformis esse debeat libello; ac proinde, quando istô exposita petitio incerta est, certa

certa esse ipsa non possit, *cit.* Gaill. Observat. *62. n. 1.*

3. Ab hac tamen generali doctrina & quasi Regula excipiuntur varii casus, quibus libellus alternativus sustinetur: & Primò quidem id fit, cùm reo convento competit electio, vg. cùm is, cui disjunctivè aliquid legatum est, hoc vel illud sibi præstari ab hærede postulat: cùm ultra dimidium læsus ab emptore justi pretii supplementum, vel rescissô contractu rei emptæ restitutionem, *l. Rem majorù 2. C. de Rescind. vendit.* aut creditor traditionem pignoris, vel debiti solutionem petit, *l. Si fundus 16. §. 3. ff. de Pign. & hypoth.* Secundò, si quis probabiliter dubitet de actione sibi competente, præsertim si dubium illud proveniat ex facto alieno, vg. cùm actor rem petit jure dominii vel quasi, *c. Abbas 3. pr. de Sent. & re jud. in 6.* aut dubitans, an res vg. equus commodatus adhuc extet, sibi eum restitui: vel, si perierit, æstimationem præstari petit, *arg. l. 1. §. 4. ff. de Solutionibus.* Tertiò, quando incertitudo provenit ex actûs alicujus vg. contractûs, testamenti, sententiæ dubio, valore: ut cùm Minor vel Ecclesia, contractum declarari nullum, revocari sententiam, aut si de Jure valeant, adversus illum, aut hanc restitui postulat, *c. Constitutus 7. de In integ. restit.* Gaill. *l. cit. à n. 4.*

9. Eôdem modô licet, quando res petita particularis est, an ea mobilis vel immobilis sit, an tota vel aliqua duntaxat, & quæ ejus pars petatur, distinctè exprimendum sit, *l. Si in rem 6. pr. ff. de R. V.* nihilominus, quando ad rem universalem, vg. hæreditatis petitione, tutelæ vel negotiorum gestorum actione reus convenitur: vel, cùm fructus, expensæ, damnum & interesse petuntur, rem generaliter exprimi, sufficit, *l. 1. §. fin. ff. Si pars haredit.* cùm; quòd hæc, donec super iis cognoscatur, determinata & explorata ordinariè non sint: tum verò; quòd judici, quomodo sententiam ferat, satis constet, *cit.* Gaill. *Observat. 68. à n. 1.*

10. Tertiò, idem libellus Ordinatus erit, si contineat primò narrationem facti: deinde justam causam petendi sive medium concludendi: & demum ipsam petitionem sive conclusionem; libellus enim, saltem conventionalis, virtute continet syllogismum: in quem si redigatur, causa petendi sive medium concludendi ex Jure desumptum majorem: facti autem narratio minorem propositionem: petitio demum continet ex utraque deductam conclusionem, Wesenbec. *in ff. de Edendo num. 3.*

11. Factum, ut ejus narratio apta sit, juxta dicta exponi debet cum necessariis circumstantiis; ut quid & quâ actione petatur, intelligatur: petendi causa ex Jure facilè eruatur, & conclusio ipsa sive petitio aptè inferatur, Jason in *§. Omnium 1. Instit. de Actionibus n. 115.* & *ibi* Schneidewin. *n. 108.*

12. Causa petendi sive medium concludendi quodnam in libello exprimendum sit, ut plenius constet, præ oculis habenda est Imprimis generalis & in divisione Juris in id, quod in Re & ad Rem, & *Proœm. n. 6.* explicatum est, fundata partitio Actionis in Realem & Personalem: quarum illa competit adversus eum, qui rem nostram possidet vel detinet: etiamsi ex ullo contractu vel quasi, delicto vel quasi nobis non sit obligatus; ut adeò hæc actio inhærere rei, eámque insequi, dicatur; cùm eâ directè petatur ipsa res, & persona ex eo præcisè conveniatur; quòd vg. rem, super qua convenitur, possideat vel detineat, dolôve malô desierit possidere vel detinere, secundùm *Reg. Pro possessore 36. in 6.* nam dolus pro possessione habetur *l. Qui dolo 131. ff. de R. J. l. Sin autem 27.*

autem 27. ff. de R. V. cujus §. 1. Paulus ait, *Si sine dolo malo amisit possessionem, absolvendus* est: ex quibus JCTi. verbis à contrario arguitur, non absolvendum, si dolò malò amisit possessionem. Quare, si Titio iter facienti & currente rota non advertenti de vehiculo decidit gladius, quem inventum Cajus sustulit &, quòd dominum ignoraret, vendidit aut donavit Sempronio, à Titio pro recuperatione gladii, sicut, antequam venderetur aut donaretur, Cajus, sic post venditionem donationémve Sempronius actione Reali conveniendus est; quòd actio ista rem sequatur, & adversus ejus possessorem detur, *l. Actionum 25. pr. ff. de V. O. & l. Si debitor rem 12. ff. de Distract. pignor.* Quodsi Cajus, gladii dominum sciens, eum dolosè in Sempronium transtulisset, Reali actione etiam post translationem conveniri ipse posset; quòd pro possessore habeatur, *l. Qui dolo & §. 1. citt.* & possidere, dolóque possidere desiisse, paria sint, *l. Parem 151. ff. Rubr. cit.* Personalis verò competit adversus illum, qui ad aliquid dandum, faciendúmve aut omittendum ex contractu vel quasi, ex delicto vel quasi nobis est obligatus: sive rem, super qua convenitur, possideat, sive non: &, sive eam dolò malò possidere desierit, sive non; ut adeo hæc actio inhæreat & insequatur personam, quæ aliquo ex dictis modis nobis est obligata: & non detur adversus personam tertiam, rem, quam à reo petimus, possidentem vel detinentem; atque idcirco, si vg. Cajus possideat vel detineat equum, quem actori Titius vendidit & non tradidit, illi contra solum Titium competat actio Personalis: non etiam contra Cajum; quòd cum isto nullum negotium gestum sit ab actore, ut rem hanc ad §. 1. *Instit. de Actionibus* Interpp. latè declarant.

13. Deinde celebris partitio Causæ petendi in Proximam & Remotam. Proxima in actione Reali est dominium vel quasi. Remota autem Titulus, ex quo dominium vel quasi dominium est ortum, vg. quòd res legata, donata, vendita simul & tradita sit. In actione verò Personali causa Proxima est jus competens actori & obligatio ex parte rei, juri illi correspondens: Remota autem contractus vel quasi, delictum vel quasi, ex quo actoris jus & rei obligatio est orta, Gaill. *cit. Observat. 61. n. 3. & 4.* His præmissis.

In Libello actionis Realis causam proximam, puta, in rei vindicatione dominium, quasi dominium in Publiciana, & jus in re in Confessoria actione exprimi, regulariter sufficit: neque opus est, etiam explicari remotam sive titulum, ex quo dominium vel quasi, aut jus illud est ortum. Ratio, cur causam remotam exprimere in hac actione necesse non sit, est; quòd proximâ, sive dominio vel quasi, ex quo res petitur, expressâ sufficienter instruatur reus, an liti cedere, vel judicio contendere sibi expediat, Glossa in *c. & V. Significantibus 2.* cùm neque ejusdem rei dominium in solidum duo simul habere, *l. Si ut certò 5. §. 12. ff. Commodati:* neque ejus dominium ex pluribus causis habere, itáque ejus dominus sæpius idem esse possit, *l. Possideri 3. §. 4. ff. de Adipisc. possess. & l. Non uti 59. ff. de R. J.* Accedit; quòd actio in rem vg. rei vindicatio semper sit uniformis, hoc est, eandem naturam & effectus habeat, quæcunque ejus sit causa remota; cùm dominium, ex quacunque causa ortum, unum idémque sit, & pro illius varietate non varietur, Gaill. *cit. Observat. 61. n. 7. & 8.* Vallens. *ad hanc Rubr. n. 6.* & Arnold. Rath. *Tract. de Actionib. n. 48.*

14 Dixi tamen primò *Regulariter* Imprimis; quia, cùm liber homo vindicatur, causam

causam etiam remotam, vg. quòd filius, uxor, monachus sit, exprimendam, ex *l.* 1. §. 1. *ff. de R.V.* desumunt Innocent. in *c. Conquerente 16. de Offic. Ord.* & Panormit. *in c. Significantibus cit. n.* 13. Deinde; quia eadem exprimenda est, quando actione Hypothecaria in rem agitur; cùm enim eadem res, vg. fundus Sempronianus, alicui ex pluribus causis hypothecæ nomine obligata esse possit: & harum aliquæ jure prælationis gaudeant, judicis & rei scire interest, ex qua causa ita obligetur; ac proinde exprimi causam remotam. Ita Pirrhing. *ad hanc Rubric. num.* 13.

15. Dixi secundò, causæ remotæ expressionem regulariter *Non esse necessariam*; utilem enim eam actori, & reo nocivam esse, negari non potest; cùm actor, si rem vg. fundum, proximâ causâ, sive ejus dominio tantùm expressò, vindicans in ejus probatione deficiat & succumbat, postmodùm novis dominii probationibus allatis agere volens, rei judicatæ exceptione valeat repelli, *l. Et an eadem* 14. §. 2. *ff. de Except. rei judicat.* Contrà, si causam etiam remotam, sive certum titulum, ex quo fundi dominium acquisiverit, vg. quòd sibi donatus vel legatus sit, allegans ex defectu probationis succumbat, postea ex alia causa sive titulo, vg. quòd ex empto à Titio sibi traditus sit, eum vindicare non prohibetur, *l. Si mater* 11. §. 1. & 2. *ff. Rubr. cit.* Ratio differentiæ est; quòd, qui ab initio fundum, causâ suæ actionis proximâ, sive dominiô tantùm allegatô, vindicavit, totum jus suum in judicium deduxisse censeatur. Qui verò actionis suæ causam etiam remotam, puta, legati, vel donationis titulum, allegavit, totum jus suum deduxisse, dici non possit; ac proinde ex alia causa vg. emptione, & hanc secuta traditione, eam vendicans rei judicatæ exceptione nequeat repelli per *ll. citt. & c. Abbate* 3. *de Sent. & re jud. in* 6.

In Libello autem actionis Personalis causam proximam, scilicet petendi jus, & huic respondentem rei obligationem disertè exprimi, etsi possit ac soleat, necessarium non est; cùm illa ex remota Jure præsumatur; hôc ipsô enim, quòd actor mutuum Titio datum, aut rem vg. equum ipsi venditum & traditum exprimat, Titium ad mutuum reddendum, vel pretium solvendum ipsi obligatum fuisse: &, si solvisse non probetur, adhuc esse intelligatur, *arg. l. fin. C. de Solution. cit.* Rath. *n.* 48. Necessariò tamen in hujusmodi actione exprimenda est causa remota, vg. emptio, mutuum, ex qua ius petendi vg. centum, & hos præstandi obligatio provenit, per textum *c. fin.* Ubi admittenda dicitur exceptio non expressæ causæ, ex qua petita pecunia debita sit: & iudicis eam non admittentis acta omnia in irritum revocantur. Ratio est; quia in Personali actione causam remotam, vg. an & ex quo, bonæ fidei, vel stricti Juris, contractu centum debeantur, nosse, plurimùm interest tam rei; ut sciat, an liti cedere, vel iudiciô contendere expediat: quàm ipsius iudicis; ut intelligat, ex qua causa reus actori sit obligatus & actio detur; cùm enim una eadémque res ex pluribus causis debita esse possit, *l. Et an eadem & §. 2. cit.* debitô præcisè, sive eam petendi obligatione & non etiam istius causâ vg. emptionis, vel mutui contractu explicatô, an petita centum debita sint, satis intelligi non potest, partim propter generalitatem & nimiam incertitudinem petitionis: partim; quòd actio personalis pro varietate causarum remotarum sive titulorum, ex quibus descendit, varios habeat effectus, à iudice in proferenda sententia attendendos, Panormit. in *c. Significantibus cit. n.* 13. 16.

Gaill. *cit. observat. 61. n. 5. & cit.* Rath. *n. 51.*

17. Conclusio sive petitio in libello Conventionali apta erit, si iuxta iam dicta, rem, quam à iudice sibi adiudicari postulat, actor sine æquivocatione: &, quando ea singularis ac determinata est, sine generalitate vel alternatione petat. *In Con-*

18. *ventionali*, inquam; quia in Querimoniali sive Criminali libello sufficit narratio facti, sive expositio qualitatis delicti, vg. homicidii aut Simoniæ cum circumstantiis personæ, loci, temporis &c. neque opus est conclusione sive petitione: partim; quia eô libellô accusator nihil sibi dari vel applicari petit: partim verò; quia iudex, cognitô & probatô crimine, ex Officio infligere tenetur pœnam privationis beneficii, officii &c. vel corporalem aut pecuniariam fisco applicandam, quæ legibus, statutô vel consuetudine est definita: aut, si definita non est, arbitrariam, etsi nemo petat, Felinus *in c. Unic. de Litis contest. n. 10.* & Gaill. *cit. Observat. 61. n. 18.* qui tamen *n. 19.* utiliter monet, casu, quô eiusmodi libellum iudici offerens non tantùm ad vindictam publicam, sed ad privatum etiam interesse, vg. ad pœnam pecuniariam, partim fisco, partim sibi applicandam agit, in libello concludendum, eámque petendam.

19. Porrò, libellum aptè concinnari, adeò necessarium est; ut, si factum, sicut eô expositum est, vel petendi causa, aut ex eis illata conclusio, sive petitio inepta sit, sententia ferri ex eo non possit, & lata sit ipso Jure nulla, ex decisione *c. Dilecti 3. de Empt. Vendit.* ubi irrita ab Alexandro III. pronuntiatur sententia, lata pro canonicis, libellô oblatô petentibus; ut venditio ex causa læsionis ultra dimidium determinatè irrita declaretur; cùm disiunctivè, vel pretii supplementũ, vel contractûs rescissio reique restitutio petenda fuisset, *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend.*

Quod licet verum sit, quando libellus ita ineptè conceptus est; ut nullâ interpretatione adiuvari & salvari possit, c. *Examinata 15. de Judiciis:* ac proinde tali casu, eô à iudice reiectô, reum ab observatione iudicii absolvendum, eique actorem in expensas condemnandum, moneant Ant. de Butrio *in c. cit. n. 25.* & Panormit. *in c. Sicut 16. de Sent. & re judit. n. 12.* Licet, inquam, hoc ita se habeat, in 20. favorem tamen libellantis, sive actoris libellum offerentis, eum ita, ut non corruat, sed subsistat, verbis etiam latè & impropriè acceptis, interpretandum, cum *cit.* Panormit. rectè notant Menochius *Lib. 2. Præsumpt. 40. n. 3.* & Mynsinger *Centur. 4. observat. 5.* Addunt alii, ob ejusdem favorem libellum, in quo plures actiones cumulantur, sustinendum in parte, quâ aptus est: etiamsi quoad aliam partem esset ineptus; ne utile per inutile vitietur, contra *Reg. Utile 37. in 6.*

Ejusdem actoris favore malè concep- 21.
tus libellus, ut sustineatur, permittitur emendari, imò etiam mutari. Inter quos actus ea differentia est; quòd mutatione ab actione, priùs eô propositâ, vel à causa petendi, aut ipsa re petita, quæ libelli Conventionalis substantialia sunt, recedatur, eique alia substituatur: Emendatione verò ejus malè concepti vitiũ aliquod tollatur, eive aliquid addatur, salvâ tamen substantiâ, sive ita; ut nec factum, nec res petita, nec petendi causa varietur. Quô pro terminorum notitia præmissô

Emendare libellum, non solùm, quæ 22.
in eo obscura sunt, declarandô, eúmque curiæ sive Consistorii Stylo conformandô: sed etiam, quæ superflua sunt, resecandô, aut errorem in nomine rei petitæ, in loco & tempore obligationis contractæ &c. corrigendô: vel aliquid, salvâ tamen substantiâ, addendô, vel detrahendô: vel minorem summam, ex eâdem tamen cau-

men causâ debitam, petendô etiam post litis contestationem usque ad sententiam definitivam actor potest, per text. §. *Si minus 34. Instit. de Action* & arg. *l. Haredes 21. §. 1. ff. Qui testam. fac. poss.* Ratio est; quia sic neque prima petitio describitur, neque actio, neque ejus petendi causa mutatur, Mynsinger *in* §. *Si minus cit. n. 22. & 24.* Vallens. *ad hanc Rubr. n. 12.* & Zoesius *l. cit. n. 10.* ubi tamen actorem reo in expensas, ex temerarii sive non satis apti libelli correctione ortas, condemnandum monet.

23. Mutationem etiam libelli, tam in Criminalibus, quàm Civilibus causis ante litis contestationem permissam, inter DD. satis convenit, & liquet *ex l. Edita 3. C. de Edendo*, suadétque ratio; quia ante litem contestatam judicium propriè nondum est inchoatum; cùm ante eam non dicatur quis agere vel petere: sed agere vel petere velle, *l. Amplius 15. ff. Rem ratam haberi, citt.* Gaill. *Observat. 74. n. 4.* & Zoesius *n. 10.*

24. An etiam post litem jam contestatam, dubium reddunt in utramque partem pugnantes textus. Negativa, communiter à Canonistis præsertim recepta, desumi solet ex *l. Non potest 13. ff. de Judiciis*, Quâ in judicium deductum disertè negatur, quidquid, post illud acceptum, sive litem jam contestatam, accide-

25. rit. Affirmativa autem ex *l. In delictis 4. § fin. ff. de Noxal. act. l. Hujusmodi 84. §. 5. ff. de Legat. 1. & §. Si quis aliud 35. Instit. de Action.* quibus locis, qui per errorem alium pro alio, vg. Stichum pro Pamphilo, vel aliâ, quàm competebat, actione, vg. ex testamento pro actione ex stipulatu petiit, cognitâ veritate, libellum mutare, & Pamphilum petere atque ex stipulatu agere permittitur, *In eodem judicio*, hoc est, quin nova citatione, vel litis contestatione sit opus, ut verba illa explicat Harprecht *in* §. *Si quis cit. n. 2.* Ne verò huic suæ expositioni *l. Non potest cit.* adversetur, hanc intelligit de iis, quæ post litem jam contestatam primùm accidunt, hoc est, in obligationem veniunt: non de iis, quæ in obligatione, sive debita jam antè fuerunt; & post eam de illa re jam contestatam, primùm petuntur, atque ad id, de quo lis instituta est, vel re, vel saltem actoris intentione pertinent. Quem istius legis intellectum ingeniosi RR. amplectuntur, & non incongruum censet Haunoldus *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 156.* quantumvis ipse libelli mutationē, lite jam contestata permissam, negantium Opinionem præferat, & *cit. §.* verba, *In eodem judicio* cum Zoesio intelligat, de judicio latiùs accepto, quod inchoatur per citationem; ac proinde, hâc factâ libellum usque ad litis contestationem mutari posse, velit. Non etiam post eam jam factam: nisi actor novô libellô uti, & novam instantiam inchoare velit; quòd post litis contestationem quis jam obligetur instantiæ, & ab ea recedere vel pœnitere non valeat, *l. Is, qui se obtulit cit. l. Sed etsi 42. pr. ff. de Judic. & l Nemo 4. C. de Jurisdict. omn. jud.* cùm litis contestatione celebretur quidam quasi contractus, per quem litem contestans obligatur ad id, quod in judicio petitur, si sententia contra ipsum feratur, *cit.* Gaill. *n. 5.* & Vallens. *n. 12.*

Reo tamen expensas, quas ex causâ mutationis libelli, quandocunque factæ, frustra fecit, ab actore refundendas, eique novam actionem edendam, de eâque deliberandi spatium juxta *Novell. 53. cap. 3. §. 1.* concedendum, ex communi aliorum sensu monet Corvinus *Enarrat. C. de Edendo §. Actor tamen.*

Libelli oblati effectus varii sunt. 26.
Primò enim secundùm ejus petitionem

ac formam ferenda est sententia, *c. Cùm dilectus 2. de Ord. cognit. c. Qualiter 24. §. fin. de Accusat. c. Licet 3. V. Nam juxta, de Simonia & l. Ut fundus 18. ff. Communi divid.*

27. Secundò, offerentem sive actorem ad causam usque ad finem prosequendam obligat, postquam reo per judicem est porrectus, *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando jud.* Saltem, si istius, quòd expensas in litem jam fecerit, interfit. *Si* verò, quòd nullas expensas fecerit, neque aliud incommodum reus senserit, res adhuc esset integra, libellum recuperare & à lite recedere, reô etiam invitô, actor posset; ne justæ pœnitudinis humanitas amputetur, *l. Si quis 28. C. de Appell. & can. Ei, qui Appellat. 38. §. Si quis, 2. q. 6.*

28. Tertiò, Principi oblatus actiones annales, ut vg. injuriarū est, perpetuat, *& l. 1. Temporales 2. C. Quando libell Princip.* adeò; ut, si Titius annalem vg. injuriarum actionē adversus Cajum intentare volens, porrectô libellô Principi supplicet, ut concedat judicem delegatum: atque impetret rescriptum, interimq; labatur annus, vel Cajus moriatur, hunc ejúsq; hæredem convenire Titius valeat actione injuriarum, ut cum Balbo *de Præscript. pr. p. 6. p. 3. q. 4. n. 6.* tradit Bruneman. *in l. cit. n. 3. & 5.* ubi libelli oblationi pro rescripto impetrando factæ Principi duos contestatæ litis adstruit effectus: scilicet; quòd actionem ex annali faciat perpetuam & ad quadraginta annos extendat: eámque activè & passivè transire faciat ad hæredem.

29. Quartò, libelli oblatio, secutâ rei citatione, interrumpit præscriptionem, *l. Sicut in rem 3. C. de Præscript. 30. v. e. l. 40. annor.* adeò; ut, si quis denorum ex testamento & totidem ex mutuo, & diversarum etiam quantitatum ex pluribus causis debitor sit, & oblatô libello dena generaliter, non additô, an ex testamento, vel ex mutuo, vel generaliter debitum, quantitate & causa non expressis, petantur, citatione secutâ omnium obligationum præscriptio interrumpatur, *l. fin. C. Rubr. cit.* ex cujus Imperiali rescripto Speculat. *Tit. de Libelli concept. §. 8. n. 3.* Petr. Ravenn. *Sing. 24.* & Bruneman. *in l. cit. n. 6.* inferunt, libellô factam petitionem generalem sufficere ad interrumpendam præscriptionem in omnibus, quæ sub illa generalitate comprehenduntur; ut, licet talis libellus, parte præsertim opponente, procedere non debeat, antequam declaretur, sufficiat tamen ad interrumpendam præscriptionem.

Quintò, eadem, secutâ citatione, ab 30. istius reo insinuatæ die facit rem litigiosam, *Auth. Litigiosa & Clement. fin. Ut lite pendent.* ut ea vendi, donari aliove contractu alienari, neque in extraneam, neque in conjunctam personam ampliùs possit, *L. Lite pendente 2. l. Quicunque 3 C. & cc. Ecclesia 3. & 4. Rubr. cit.* ut *ad hanc à n. 15.* pleniùs tradetur.

Libellorum formas sive exempla cum salutaribus eorundem clausulis pro Actionum varietate varias utriusque Fori Practici dabunt.

ARTICULUS II.

De Rei Citatione.

SUMMARIUM.

31. *Citationis definitio,*
32. *Et necessitas,*
33. *Extra casum, quô reus in judicio præsens,*
34. *Ejúsque crimen aut non-jus notorium est.*
35. *Citatio alia Juris, alia Hominis:*

36. *Et hæc vel Publica est, vel Privata.*
37. *Publica locus est, cum privata impeditur,*
38. *Vel reus Vagabundus,*
39. *Aut contradictor incertus est,*
40. *Vel Clericus ab Ecclesia fraudulenter abest.*
41. *Privata citatio alia Realis, alia Verbalis est.*
42. *Reali graviorum criminum rei in jus trahuntur.*
43. *In Civilibus ei locus non est.*
44. *Extra casus quosdam speciales.*
45. *Verbalis citatio continet expressionem Judicis, Actoris & Rei.*
46. *Causæ Loci & Temporis judicij.*
47. *Et, præter judicis Mandatum, exigit istius Executionem,*
48. *Et hujus factæ Relationem:*
49. *Quæ à publico ministro facta plenam fidem facit.*
50. *Citatio rursum alia Simplex, alia Peremptoria,*
51. *Istiúsque varii sunt effectus:*
52. *Quos citatio invalida non parit:*
53. *Nisi eâ citatus in judicio sponte compareat.*
54. *Judex Secularis, an sua sit jurisdictio, cognoscit,*
55. *Cùm res litigiosa prophana:*
56. *Non etiam, cùm ea spiritualis est:*
57. *Nisi summariè duntaxat.*

31. CItatio est Actus legitimus, quô quis juris experiundi causâ in jus sive judicium vocatur, *l. 1. ff. de In jus voc. ubi* Paulus JCT.[9] ait, *In jus vocare est, juris experiundi causâ vocare.*

32. Hujusmodi in jus vocatio Mundo condito coæva, & abipso ejus conditore Domino Deo contra præcepti sui prævaricatorem Protoparentem nostrum adhibita fuit; cùm istum in jus vocans, *Adam*, inquit, *ubi es?* Genes. *cap. 2. V. 9.* atque adeò necessaria est; ut sine ea & contra reum absentem & non citatum lata sententia cum processu toto ipso Jure irrita sit, *can. Caveant 2. & can. Omnia 3. q. 2.* quorum locorum priori Eleutherius Papa Galliæ Episcopis rescribit, *Caveant judices Ecclesiæ, ne absente & non citato eô, cujus causa ventilatur, sententiam proferant; quia irrita est:* posteriori Cornelius Papa, *Omnia, quæ adversus absentes* & in jus non vocatos, *in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, omnino evacuari* præcepit. Consonat *c. Ecclesia 10.* juncta Glossa *V. Non conventi,* & *Clement. Pastoralis 2. de Sent. & re judic. & l. De unoquoque 47. pr. ff. Rubr. cit.* Ratio est; quia citatio pertinet ad defensionem; cùm, qui de actu, quô sibi præjudicari, suóque juri derogari potest, non præmonetur, se júsque suum defendere non possit: se autem & jus suum defendendi facultatem & occasionem alicui adimi, Jus & æquitatis Naturalis ratio non permittit, ut cum Baldo *in l. Executorem 8. C. de Execut. rei judic.* observant Zoesius *in ff. de In jus voc. n. 16.* Gaill. *Practic. Lib. 1. observat. 48. n. 4.* & Haunold. *Tom. 5. de J & J. tract. 3.* 33. *n. 7.* qui tamen rectè excipiunt casum, quô reus in judicio est præsens, aut actionem contra se intentari intelligens, suâ sponte in illo comparet; cùm enim tali casu jus suum tueri possit, cur processus & contra ipsum lata sententia Jure Naturali irrita sit, non apparet.

Neque, ut primô intuitu videri po- 34.
test, cum asserta citationis rei absentis necessitate pugnant *can. fin. 2. q. 1. c. Cùm olim 12. de Sent. & re judic.* quorum textuum illô duo Episcopi Regii sceleris tutores ac fautores absentes depositi: istô clerico ab Episcopo facta Archidiaconatûs collatio Apostolicâ authoritate cassata fuit,

fata fuit, licet is fuerit absens. Non, inquam, hæc pugnant & tollunt necessitatem citationis; quia, esto, absentes & contrà, quàm aliqui divinandô existimant, etiam non fuerint citati, utroque tamen casu in crimine & causa notoria ita fuit processum; cùm *can. cit.* Regis scelus *Omnibus manifestum*, & Episcopos ei favorem ac tuitionem præstitisse, *Pene totus orbis undique ad Sedem Apostolicam retulisse*, asseratur: *c. cit.* quoque clerico factam collationem subreptitiam fuisse, *Ex Actis liquidò constitisse*, asseritur: casu autem, quô crimen aut partis non-jus est notorium, reisque ullam defensionem non competere, omnino liquidum certúmque est, rei absentis citationem non esse necessariam, non minùs exploratum, quàm certum est, eam necessariam, cùm rei crimen aut non-jus, eique defensionem non competere, notorium non est Glossa *fin. in c. Cùm sit 5. de Appellat.* Panormit. *in c. 1. de Causa poss. & propr. n. 4.* & alii, eam in rem allegantes *can. De manifesta 2. q. 1. & c. Cùm sit cit.* cujus §. *fin.* Alexand. III. reum quemvis audiendum, ac proinde citandum, ait. *Nisi fortè manifestus raptor vel fornicator existat: sicut & ille, quem absentem & irrequisitum*, sive non citatum, *Apostolus excommunicavit, 1.* Corinth. *cap. 5. n. 3.* Ratio est; quia citatio rei decernitur & committitur; ut venire possit ad se defendendum: quando autem ejus crimen aut non jus, eique defensionem ullam non competere, notorium est, ad se in jure defendendum frustrà citaretur.

35. Citationis partitio generalis est in eâm, quæ à Jure & quæ ab Homine fit, secundùm *Clement. Multorum 2. de Pœnis*, quâ excommunicationis aliæque graves pœnæ proponuntur in eos, qui procurant; *Ne viri Ecclesiastici, citati ad Apostolicam sedem ab homine vel à Jure, venire ad ipsam valeant.* A Jure facta citatio dicitur, quando ipsum Jus, sive lex aut canon statuit certum terminum, intra quem iudicio se sistere quis teneatur; sicut electionem aliámve provisionem beneficialem confirmandam impugnantibus & contra eam, interpositâ appellatione, ad sedem Apostolicam provocantibus ab illius interpositæ die: & electi ad Ecclesiam sedi Apostolicæ immediatè subiectam ad petendam confirmationem, à die præstiti consensûs in electionem vel istius de se celebratæ notitiâ computandus mensis, præfixus *c. 1. & c. Cupientes 16. de Elect. in 6.* idémque temporis spatium indictâ cessatione à Divinis canonicis, à quibus, & iis, contra quos indicta est, constitutum est, *c. Quamvis 8. V. Si autem, de Offic. Ordin. in 6.* Ab Homine verò facta dicitur citatio, quando reo vg. triginta dierum terminus præfixus est speciali judicis mandatô: sicut factum *c. Cùm dilecti 6. de Dolo & contum. c. Ventens 15. de Accusat. &c.* Glossa *in Clement. cit. V. Ab Homine & V. A Jure*, Tholosan. *Partit. Jur. Canon. Lib. 5. tit. 6. n. 2.*

36. Ea, quæ ab Homine fit, ulteriùs vel Publica est, vel Privata: quarum illa in loco publico & coram tota communitate insinuatur, vel per *Proclama*, ut loquuntur, sive præconis vocem & aliquando per sonitum tubæ vel campanæ: vel per *Programma* sive Edictum in loco publico, vg. curiarum aut templorum valvis aut civitatum portis alióve simili loco affixum. Ista, sive citatio Privata sit in personam ipsius citandi, *Clement. 1. pr. de Judiciis.*

37. Publica citatio non indiscriminatim omnibus, sed solis necessitatis casibus permissa est: cùm scilicet reus aliô modô citari, & citatio ad ejus notitiam pervenire aliter non posse, judicatur, *Clem. cit.*

V. Nos

V. Nos rigorem, Gaill. *cit. Lib. Observat. 57. pr.* Maranta *de Ord. judic. p. 6. de Citatione n° 82.* & Pirrhing *ad Rubr. de Foro compet. n. 213.* veluti

Primò, cum persona in jus vocanda per se vel per alios quomodocunque procurat; ne citatio ad ipsam valeat pervenire, *V. cit. c. Causam 3. & Extravag. Unic. inter com. de Dolo, c. Ex tuæ 11. pr. de Cleric. non resid. & l. Dies 4. §. 5. ff. de Damno infect.* sic enim, si illa ad impediendam citationem personalē intra ædes clausas se contineat, seque videri non patiatur, Edictum citatorium ædium januæ, præsentibus testibus, affigitur & perinde reputatur, acsi citatio ei personaliter intimata, & in manus tradita fuisset, Speculat. *Tit. de Citatione §. Sequitur. n. 16. cit.* Maranta *n. 86.* & Bruneman. *in l. Plerique 18. ff. de In jus voc. n. 1.*

Secundò, si ad locum propter hostilitatem, inimicitas, reive citandi potentiam ac proterviam tutus, ad eúmque liber aditus non sit; tali enim casu citationis Edictum affigi potest in loco publico vicino; ut citatio ad rei notitiam verisimiliter valeat pervenire, *Clement. Causam 3. V. Verùm, de Elect. & Clement. Unic. V. Nos tamen, de Foro compet.* Felin. *in c. fin. Ut lite non contest. n. 14.* Speculat. *§. cit. n. 3. cit.* Gaill. *Observat. 57. n. 2.*

38. Tertiò, simili modò, si reus vagabundus sit, &, ubi personaliter citari valeat, ignoretur, Edictum citatorium in civitate, oppido, alióve loco, ad quem is frequenter venire, in eóque versari solet, in curia, templo, foro est affigendum, *arg. Clem. cit. & l. Ejus qui 27. §. 2. ff. ad Municipal. citt.* Maranta *n. 83.* & Gaill. *num. 4.*

39. Quartò, si contradictor est incertus, generaliter citari possunt omnes, quorum interest, vg. omnes creditores defuncti, vel à loco discessuri aut, qui vg. in prædio, aut ædibus aliquid juris sibi competere putant, *l. Si eo tempore 6. C. de Remiss. pignor. citt.* Felin. *num. 4.* Gaill. *n. 6.* & Maranta *n. 89.* Sic etiam, cùm confirmandus est Prælatus & non apparet, qui ejus electionem impugnet, generali Edictò citantur omnes, qui pro suo vel Ecclesiæ interesse aliquid duxerint opponendum, *c. fin. de Elect. in 6.* ut ad hanc Rubr. dictum *n. 319.*

Quintò, si clericus ab Ecclesia, vel 40.
loco beneficii fraudulenter abest; talis enim trinô vel unô peremptoriô Edictô ad Ecclesiæ valvas affixô citandus &, si intra sex menses non comparuerit, beneficiô privandus est, *c. Ex tuæ 11. de Cleric. non resid. ubi* Vivianus & *ad Rubr. cit.* Pirrhing *n. 57. in fine.* Sextò, in materia diffamationis per hujusmodi Edictum citari possunt ac solent omnes, qui suâ interesse existimârint, Gaill. *observat. cit. n. 9. in fine.*

Privata citatio ulteriùs alia Realis 41.
est, & alia Verbalis: quarum illâ persona rei in jus vocatur per apparitores seu publicos Justitiæ ministros, illam manu apprehensam, captámque ducentes in judicium: cujusmodi realis citationis mentio fit, *c. Si Clericos 15. de Sent. excom. in 6.* Istâ seu verbali persona in jus vocatur per publicum ministrum vel nuncium, citationem intimantem verbis vel, etiam in scriptis sive per literas: sicut Nobiles & in dignitate constitutæ personæ solent, *c. Cum dilecti 6. de Dolo & l. Quoties 17. C. de Dignit.*

Reali citationi regulariter solâ au- 42.
thoritate publicâ & pro solis criminibus &, cùm de his certò constat, vel persona de aliquo commisso graviter diffamata est, locum esse, Clari *§. fin. q. 28. n. 2.* Farinacii *Prax. Criminal. q. 27. à n. 112.* aliorúmque DD. frequentiori calculô approbata & æquitati consentanea doctrina est;

na est; ne proborum hominum innocentia & integra existimatio facilè indebitè lædatur, *arg. l. 1. C. de Custod. reor.* Neque pro quibusvis sed pro gravibus & ferè iis tantùm criminibus, pro quibus corporalis pœna imponenda venit, reos capi & incarcerari, cum Panormit *in c. Lator 2. de Pignorib. n. 2.* tradit Clarus *q. cit. n. 1.* contra *cit.* Farinac. *q. 27. n. 39.* rei capturam etiam pro crimine, pecuniariæ tantùm pœnæ obnoxio, decerni posse, asserentem, *arg. l. 1. ff. de Custod. & exhib. reor. & c. Si Clericos cit.* ex quo clericos pro delicto pecuniariæ pœnæ obnoxio incarcerari posse, desumit: licet, fidejussoribus de parendo juri datis, dimittendi sint: nisi aliud exigat enormitas excessûs & meritò timeatur; ne relictis fidejussoribus fugâ se subducant, Franc. *in c. cit. n. 2.* Barbosa *ibid. n. 1.* & Pirrhing *ad Rubr. de Sent. excom. n. 194.* Iis autem casibus, quibus criminosi incarcerationi locus de Jure est, is non solùm inventus extra, sed è domo quoque sua ad carcerem abstrahi invitus potest: quantumvis aliàs domus sua tutissimum cuique refugium ac receptaculum sit, *l. Plerique 18. ff. de In jus voc.* atque idcirco in ædibus suis investigandus nemo sit, *l. Nemo 103. ff. de R. J.* Gaill. *cit. Lib. 1. observat. 48. n. 14.* Mynsinger *Centur. 4. observat. 69. n. 3.* & Bruneman. *in l. Plerique cit. n. 2.* asserens, hanc & *l. Nemo cit.* ad Criminalia non extendendam.

Dixi, *Regulariter* Imprimis; quia in flagranti crimine deprehensus etiam à privato capi ac detineri, non tamen ultra viginti horas potest; ut judici sistatur, *l. Interdum 56. §. 1. ff. de Furtis & l. Capite 25. pr. ff. ad L. Jul. de Adult.* Panormit. *in c. Lator cit. n. 3. citt.* Gaill. *observat. 54. n. 3.* & Farinac. *q. 27. à n.* 43 22. Deinde; quia, licet in causis Civilibus reali citationi locus ferè non sit, *l. Ob as alienum 12. C. de O. & A. & l. Nemo 2. C. de Exact. tribut.* quâ pro debitis etiam publicis incarceratio prohibetur, cùm; quia, ut *l. cit.* Imp. ait, *Carcer pœnalium, carcer noxiorum hominum est*: tum verò; quia personæ apprehensio & incarceratio speciem quandam habet & sapit naturam executionis, à qua Civile judicium inchoare Jura vetant, *l. 1. C. de Execut. rei jud.* non desiderantur tamen casus, quibus ipsa etiam in hujusmodi 44 causis admittitur: veluti Primò, cùm debitor fugitivus, aut de fuga suspectus est; ut, si adeundi judicis non sit copia & debitor in loco non habeat bona, ex quibus creditori satisfieri valeat, arrestâ detineri ab isto possit, *l. Ait Prætor 10. §. 10. ff. Quæ in fraud. credit.* donec de judicio sisti & judicato solvendo præstiterit cautionem, Peck. *de Jure sistendi cap. 31. n. 3.* & Bruneman. *in l. cit. à n.* 22. Et hoc non solùm in laico, sed in clerico quoque debitore procedit; nam & hunc, ubi periculum & verisimilis suspicio est; ne cum re nostra, aut debiti solutione non præstitâ, fugâ se subducat, suo & Ecclesiastico judici sistendum, debito moderamine observato, detineri à creditore etiam laico posse, *arg. c. Olim causam 12. de Restit. spoliat.* notat Panormit. *in c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis n. 17.* Felin. *ibid. num. 14.* & *cit.* Gaill. *Observat. 41. n. 2.* Secundò, si reus contumax sit in comparendo, peti aliquando à judice potest; ut capiatur & invitus in judicium perducatur, *l. Consentaneum 8. C. Quomodo & quando jud.* secundùm communem Intellectum apud *citt.* Marantam *n. 58.* & Bruneman. *in l. cit. n. 6.* Tertiò, si reus sit condemnatus, & sententiæ executio sive debiti solutio obtineri aliter non possit, *cit.* Maranta *n. 58.* præsertim, si id curiarum privilegiò & praxi, ut in multis Imperii

Civitati-

Civitatibus, sit receptum, *cit.* Pirrhing *n.* 214.

45. Verbalis citatio, si, ut in alicujus mómenti causis plerumque solet, in scriptis fiat, ut legitima sit, continere debet

Primò, nomen & cognomen ipsius Judicis, à quo reus in jus vocatur; ut constet non solùm, an incompetentiæ vel justæ suspicionis exceptio ei opponi possit: sed etiam, an sit ordinarius vel solummodo delegatus; cùm huic parendum non sit, nisi delegationis copiâ, citationi insertâ, doceat de commissione, *c. Præterea 2. de Dilationibus & c. Cùm in jure 31. de Offic. delegat.* ut ad hanc *Rubricam* dictum *n. 44.*

Secundò, nomen Actoris, ad cujus instantiam in jus vocatur; ut reus intelligat, an in jus vocetur parte aliqua petente, vel ex officio; quòd judex hoc, si causa utilitatem publicam non concernat, impertire regulariter non debeat, *l. Ad peremptorium 68. ff. de Judiciis:* ut etiam, an á judicio Jure non removeatur actor, ad cujus instantiam citatur, Zoesius *inff. de In Jus Voc. n. 12.*

Tertiò, nomen ipsius Rei, *c. Significavit 36. de Rescript. & c. Cùm in multa 2. ibid. in 6.* qui si non unus, sed plures sint, regulariter omnium nomina exprimenda, vult Mynsinger *Centur. 2. observat. 62.* Si Universitas aliqua, puta, Ecclesia, Monasterium, civitas &c. sit, generalem citationem, vg. ad instantiam Titii citamus Decanum & Capitulum, Abbatem vel Priorem & conventum, Consulem & Senatores talis Ecclesiæ, Monasterii, civitatis &c. sufficere, monent Speculat. *Tit. de Syndico n. 16. & cit.* Gaill. *Observat. 49. n. 6.*

46. Quartò causam; ut in jus vocatus sciat, super qua re ab actore conveniatur, *Clement. 2. Ut lite non contest.* &, an liti cedere, vel judiciò contendere velit, deliberare valeat. Ipsum Actoris libellum Rei citationi inseri, sicut non necessarium, ita utile est ipsi etiam actori; quòd ita inducatur litis pendentia, circa rem petitam aliquid immutari non permittens: atque insuper deliberatoriæ dilationis petendæ facultas citato præcidatur, *Clement. cit. & c. Præterea 2. de Dilat.* juncta Glossa, *Utrobique V. Plenè.*

Tertiò, Locum, in quo & Terminum sive diem, quò citatus coram judice compareat: illum quidem; ut, an in, vel extra judiciis territorium situs & tutus sit: hunc autem; ut, an feriatus sive Juridicus & opportunus sit, constet, *citt.* Maranta *n. 64. & 65.* & Zoesius *n.* 12.

47. Ad eandem citationem privatam, ut Judicialis & perfecta sit requiruntur tria: & Imprimis quidem Mandatum, sive commissio judicis, aliquem in jus vocari præcipientis, *l. Sed si hac* 10. §. 12. ibi, *In Jus sine permissu meo ne quis vocet, ff. eâdem Rubr. l. fin. C. de Exhibend. reis & c. Ex parte* 12. *ibi, Cùmque authoritate prædictorum judicum in jus esset vocatus, de Rescript.* Deinde, Executio nuntii sive cursoris, reo citando, diligenter perquisito, citationem coram & in faciem insinuantis: aut, si repertus non sit, & ita citari nequeat, ejus procuratori, si quem reliquit: vel ad domum habitationis, in qua majorem anni partem degere consuevit, domesticis: vel, si nemo adsit, vicinis judicis mandatum exponentis, relictò ibi mandati sive commissionis exemplò; ut ad reum citatio pervenire possit, *c. Causam 3. de Dolo & l. Aut qui 5. §. 2. ff. Quod vi aut clam.* Et 48. demum, executionis mandati sive citationis, reo quomodocunque à nuntio insinuatæ, Relatio facienda judici, aut etiam Notario: & ab hoc in acta Judicialia referenda, ut de citatione legitimè factâ constet, *citt.* Maranta *à n. 41.* Quæ re-

relatio de citationis substantia, ac proin adeò necessaria est; ut sine ea, nec citatio, neque sententia & processus in contumacem factus subsistat, *l. Hac autem, 5. §. 1. ff. Ex quibus causis in poss. ubi* Bartol. *n. 1. & 2. cit.* Marant. *n. 5.* & Gaill. *Observat. 54. n. 7.* Unde

49. Dubium oritur, an nuntii, citationem insinuatam asserentis, nudæ relationi plena fides adhibeatur. Ratio dubitandi est; quia dictum unius perinde habetur, ut dictum nullius, *can. Admonere, 33. q. 2.* ut judicis etiam solius verbo fides non habeatur, *c. Cùm à nobis, 28. de Test. & attest.* imò ipsi etiam nuntio, citationis executionem à judice sibi mandatam asserenti, non credatur: nisi eam sibi factam probet, ut ex communi aliorum sensu tradit Felinus *in c. 1. de Judic. n. 13.* Sed, ut Interpres iste probè observat, inter assertionem nuntii de mandato sive commissione, & de istius executione relatione lata disparitas intercedit; cùm ex una, illa de facto alieno ipsius judicis, ad nuntii officium non pertinente: ista verò sit de facto proprio pertinente ad publicum officium, quod gerit, & ritè, sive ut asserit, obire Juramenti Religione tenetur: ex altera vero parte, licet de facto alieno deponenti testi unico regulariter non credatur, plena tamen fides habeatur, testificanti de actu gesto à se & ex officio: ad quod ritè, itaque, ut asserit, obeundum judici sive Curiæ juramentò est adstrictus; quòd perjurus esse non præsumatur: ejúsque fides electa & publicâ authoritate sit approbata, Glossa *in c. Cùm parati 19. V. Suus nuntius, de Appellat. cit.* Menochius *de Arbitr. casu 99. n. 4.* & Farinacius *q. 63. n. 4.* Unde

50. Excipiendus est casus, quô citatio non per publicum & juratum nuntium, sed per alium quempiam fieret; cùm enim talem neque proprium officium, neque juramenti Religio adstringat, pro eo non stat præsumptio, ut citationem insinuatam asserens plenam fidem mereatur, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 14.* deinde, quô nuntius etiam publicus citatam assereret personâ, in dignitate constitutam; huic enim, citationem ad se perveniisse, cum juramento neganti fidem potiùs, quàm nuntio, qui plerumque persona vilis est, habendam, aliis relatis docet *cit.* Maranta *n. 35.* cùm antè *n. 25.* monuisset, in multis locis consuetudine receptum; ut nuntio publico & jurato, sicut citationem à se executioni mandatam, sic etiam à judice sibi factam ejus commissionem affirmanti, plena fides à personis citatis habeatur.

Porrò citatio alia Simplex, sive, ut etiam vocatur, Dilatoria, alia Peremptoria est. Simplex est, quæ citatum non comparentem contumacem non reddit; nisi tribus vicibus sit repetita, & inter singulas justum temporis, olim quidem decem, hodie verò trigina dierum, intervallum intercedat, *l. Ad peremptorium, 68. &c. ff. de Judic. l. Tres 9. & Auth. Qui semel C. Quomodo & quando jud.* etsi tempus hoc, si necessitas suadeat, extendi à judice, aut diminui possit, *l. Nonnunquam 72. ff. de Judiciis.* Peremptoria est, quæ, etiamsi non repetatur, tamen in jus vocatum, si præfinitâ die non compareat, contumacem reddit: & propterea, si unica sit, tantùm temporis spatium, quantum tres citationes simplices & verbum *Peremptoriè* expressum continere debet, *l. Consentaneum & l. Nonnunquam cit.* Gaill. *Observat. 53. n. 21.*

Legitimæ citationis varii sunt Effectus: & Primò quidem inducit præventionem; ut citatus, qui coram pluribus judicibus potuit conveniri, coram judice, per citationem alios præveniente, respondere teneatur: licet, domicilio aut sta-

aut ſtatu mutatô, alienæ jurisdictionis eſſe cæperit, *c. Propoſuiſti 19. de Foro compet. & l. Si quis ff. de Judiciis.* Secundò, perpetuat ſive firmat jurisdictionẽ judicis delegati; ut ea citatione mandatâ, etiamſi reo intimata necdũ ſit, delegantis morte non expiret, *c. Gratum 20. de Offic. deleg.* Tertiò, facit rem, de qua controverſia eſt, litigioſam; ut nec alienari, nec circa eam, lite pendente, aliquid poſſit innovari, *Clement. 2. Ut lite pend. & Auth. litigioſa C. de Litigioſis.* Quartò, interrumpit præſcriptionem longiſſimi temporis triginta vel quadraginta annorum, *l. fin. C. de Annali præſcript.* Quintò, perſonam citatam ad comparendum adſtringit; ut, niſi juſtâ exceptione vel abſentiæ causâ defendatur, ad inſtantiam ſeu petitionem partis in eam tanquam contumacem valeat procedi, *l. Ex quocunque 2. ff. Si quis in jus vocatus non jerit, & c. Ex literis 2. de Dolo & Contum.* Dixi autem, *Ad inſtantiã*; quia in cauſis Civilibus judex officium ſuum impertiri, ac proinde reum ſicut citare, ſic etiam contra eum citatum & non comparentem tanquam contumacem procedere non debet, niſi ipſius officium ab actore imploretur, *l. Dies 4. §. 8. ff. de Damno infecto & l. Properandum 13. §. 2. C. de Judiciis, ubi* Jaſon *n. 3.* Bartol. *in Auth. Qui ſemel C. Quomodo & quando jud. n. 1.* & *in Auth. Ei qui C. de Temp. appell. num. 5.* Maranta *cit. p. 6. de Contumacia, n. 15.* & *cit.* Gaill. *obſervat. 55. n. 7.* De quorum legitimæ citationis effectuum primo *Tit. præced. à n. 143.* de ſecundo *Lib. 1. t. 29. à n. 87.* eſt actum. Reliqui magis declarabuntur hôc Librô. Tertius *Tit. 16. à num. 15.* Quartus *Tit. 26. n. 153.* Poſtremus *Tit. 13. àn. 22.* & *Tit. 14 à n. 1.* Hîc

52. Dubium movetur primò, an hos effectus etiam pariat citatio invalida. Qua in re Negativa apertè prodita videtur *Clement. Cauſam 3. de Elect.* verbis, *Intimatio verò aliter facta omni careat Juris effectu.* Ratio eſt; quòd aliquid non fieri, & non fieri legitimè, ſive contra leges vel canones, formam actui præſcribentes, paria ſint, *l. Quoties 6. ff. Qui ſatisd. cog. & c. fin. de Reſtit. Spoliat.* Tuſchus *Practic. V. Paria, concl. 87. n. 1.* At, licet hoc verum, perpetuum tamen non eſt; cùm, ſi reus, ad actoris petitionem à judice competente, citatione ex defectu aliquo invalidâ in jus vocatus, ultro compareat, cogatur reſpondere libello actoris, *l. 1. §. 1. ff. de Feriis*, vel petere terminum ad deliberandum, ut cum Baldo *in l. Nam ita 39. ff. de Adoption. à n. 3.* advertit *cit.* Gaill. *obſervat. 58. n. 2.* Ratio obvia eſt; quòd, cùm in judicio præſentem citari neceſſe non ſit, juxta dicta *n. 33.* is, qui ad citationem ex defectu quocunque invalidam in judicio comparet, perinde ut legitimè citatus habeatur & ad exhibitum ſibi libellum reſpondere, vel ſaltem deliberandi terminum petere teneatur, Felinus *in c. Illud 8. de Præſcription. n. 8.* ubi voluntariâ ac ſpontaneâ comparitione citationem validari & præſcriptionem interrumpi ait, Vantius *de Nullit. ex defectu citat. n. 17. citt.* Maranta *p. 6. de Citatione, n. 73.* & *cit.* Gaill. *à n. 1. ubi*, in Camera Imperiali non ritè citati in termino præfixo comparentis & contra citationis executionem; quòd ea non ritè facta ac proinde invalida ſit, opponentis exceptionem non admitti, teſtatur. Unde conſectaneum eſt, caſu, quô reus comparet, ejus citationem vel potiùs comparitionem validæ citationis effectus ſortiri. 53.

Dubium ſecundò eſt, an citatus comparere teneatur, etiamſi judex, à quo ad judicium citatur, incompetens ſit. Quod, etſi generaliter negandum videatur, ex *l. fin. ff. de Jurisdict.* ſecundùm quam impunè non paretur ei, qui ſupra jurisdictionem ſuam 54.

nem suam jus vult dicere: eique consonum *c. fin. de Constit. in 6.* Communi tamen DD. calculo approbata & usu etiam recepta est distinctio inter casum, quô judicis & fori incompetentia indubitata & evidens, & eum, quô eadem dubia aut saltem non evidens est: & priori quidem, vg. cùm Clericus, aut etiam laicus in causa merè Ecclesiastica in jus vocatur à judice Seculari, citatum comparendi necessitate non arctari, liquet ex *text. citt.* Posteriori verò casu ne judicis contemptor & contumax reputetur, comparere, *l. Exquacunque cit.* & proponere debet exceptionem declinatoriam Fori: quæ, an legitima sit, ipse, à quo quis citatus est, judex judicabit, *l. cit. & l. Si quis 5. ff. de Judic.* cujus textus est, *Si quis ex aliena jurisdictione ad Prætorem vocetur, debet venire.* Ratio subjicitur; *quia Prætoris est, æstimare, an sua sit jurisdictio: vocati autem, non contemnere authoritatem Prætorianam.* Unde

55. Dubium tertiò, & difficilioris resolutionis controversia est de dubio, an causa ad Ecclesiasticum vel Seculare forum pertineat: de quo à judice Seculari cognosci posse, volunt Castro *de Manu Regia p. 1. cap. 10. n. 1. &* & Oliban. *de Jure fisci cap. 11. n. 12.* propter generalitatem *ll. citt.* Contrà, ejus cognitionem soli Ecclesiastico competere, cum Felino *in c. Pastoralis 14. de Rescript. n. 4.* Francus *in c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6. n. 5.* Jason *in l. Exquacunque cit. n. 19.* aliique docent; quòd Seculari major & dignior sit. Demum, ad utrumque judicem simul ejus dubii cognitionem pertinere, voluerunt Guido Pap. *decis. 138.* & Remig. de Gonni *Tract. de Immunit. q. 2.* eâ persuasi ratione; quòd in hujusmodi dubio agatur de præjudicio judicis utriusque, Ecclesiastici & Secularis, quoad jurisdictionem; cùm uterque prætendere possit causam ad suum forum pertinere; & propterea valde conveniens & Juri consentaneum sit, ut de eo uterque simul cognoscat, *arg. Reg. Quod omnes 29. in 6.* sed hæc Opinio, quamcunque æquitatis speciem præseferat, cum utroque Jure pugnat; cùm, an sua sit jurisdictio, æstimatio ad eum, qui aliquem in jus vocavit, pertinere, disertè asseratur *l. Exquacunque & l. si quis citt.* & cognitio, an, qui in jus vocatur, clericus, & propterea à Seculari jurisdictione exemptus sit, Ecclesiastico judici soli adstruatur, *c. Si judex cit.* Unde postremâ hâc sententiâ rejectâ

56. Priores duæ & extremè oppositæ conciliandæ sunt beneficiô distinctionis inter res, circa quas, an Ecclesiasticæ, aut Seculari jurisdictioni obnoxiæ sint, dubitatur; etsi enim, cùm ea prophana & merè temporalis, reúsque conventus laicus est, an sua jurisdictio sit, æstimare valeat judex Secularis; cùm tali casu in ea & in persona etiam rei fundatam habeat jurisdictionem: de ejusmodi tamen dubio judicialiter cognoscere nequit, cùm res est spiritualis aut huic annexa, vg. cùm, an ad rem vel personam jurisdictio sua se extendat, quæstio oritur ex dubio de ejus consecratione, benedictione, ordinatione, professione, aut aliis qualitatibus spiritualibus, eas eximentibus à jurisdictione Seculari, per expressum textum *c. Si judex cit.* ubi de ejusmodi dubio judicialis cognitio Curiæ Ecclesiasticæ vindicatur ex ratione; *Quòd sit de re Ecclesiastica & spirituali:* de qua, uti etiam de re spirituali annexa cognoscere proprium judicis Ecclesiastici est, *c. Decernimus 2. c. Quantò 3. de Judic. c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Lator 5. c. Causam 7. Qui filij legit. &c.* Ita cum *citt.* Felino, Franco & aliis Covarruvias *Pract. cap. 33. n. 1.* Gutierez *Pract. Lib. 1. q. 6. n. 2.* Martha *de Jurisdict.*

Jurisdict. p. 4. casu 145. à n. 1. Felician. Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 26. n. 11. & 31.* Unde *l. Ex quacunque & l. Si quis citt.* textus de casibus, quibus de re prophana & temporali agitur, sunt exaudiendi.

57. Dixi tamen, *Judicialiter*, hoc est, ut plenæ probationes recipiantur & per sententiam pronuntietur; quia aliqualem &, ut ita loquar, perfunctoriam duntaxat cognitionem pro sua informatione sive instructione, an causa ad curiam Ecclesiasticam statim remittenda sit, etiam Seculari judici permissam, *citt.* DD. cum Menochio *Consil. 912. n. 14.* facilè concedunt, & desumitur ex *c. Si judex cit. §. Et si notorium*, ut *Tit. 2. n. 183.* est ostensum, & suadet ratio; quia, qui vult consequens, velle etiam censetur necessarium antecedens, *arg. l. Ad legatum 62. ff. de Procurat.* & propterea, datâ alicui jurisdictione, concessa etiam censentur ea, sine quibus illa nequit exerceri, *c. Præterea 5. de Offic. deleg. & l. Cùm jurisdictio 2. ff. de Jurisdict.* Judex autem Secularis absque ejusmodi cognitione & informatione scire non potest, an causa statim remittenda sit vel non, *cit.* Oliva *n. 26.*

TITVLVS IV.

De Mutuis Petitionibus.

SUMMARIUM.

1. *Ratio Ordinis,*
2. *Et Reconventionis introducta:*
3. *Permissaque coram eodem judice Ordinario,*
4. *Et Delegato, impetrato ab actore:*
5. *Non etiam coram arbitris compromissariis,*
6. *Vel judice prorogato,*
7. *Clericus coram laico non reconvenitur, si causa spiritualis,*
8. *Vel Criminalis,*
9. *Aut reconventio dolô procurata sit.*
10. *In causa Civili à laico clericus per modum Exceptionis,*
11. *Et per modum Actionis coram Seculari;*
12. *Spectatò Jure & ratione*
13. *Sicut coram Ecclesiastico laicus, reconvenitur,*
14. *Saltem extra Bavariam,*
15. *In qua reconventio multùm est restricta:*
16. *Clericus in laicum judicem expresè consentire,*
17. *Et ab hoc in illum executio à laico fieri nequit.*
18. *Reconventio non semper tollitur cessatione à conventione:*
19. *Et fieri potest etiam in causis non connexis:*
20. *Non tamen coram judice Appellationis.*
21. *De crimine Civiliter:*
22. *Non etiam Criminaliter agens, regulariter reconvenitur,*
23. *De causis Spoliationis,*
24. *Et Feudalibus,*

25. De

25. *De causis Executivis,*
26. *Summariis,*
27. *Et spiritualibus coram Ecclesiastico judice agitatis.*
28. *Etiam Officium judicis implorans reconvenitur,*
29. *Non tamen in causis Reservatis,*
30. *Et coram judice, habente limitatam jurisdictionem.*
31. *Proponenda Reconventio est initiô litis;*
32. *Ut pari passu procedat cum Conventione*
33. *In illius progressu facta vim habet prorogationis.*

1. NOn rarò Reus, cognitâ ex Libello petitione Actoris, vicissim aliquid, quod suum, aut sibi ab isto debitum existimat, oblatô, ut vocant Reconventionis libellô, petere solet: sicut vg. contingit, cùm Titius ex causa mutui coram judice competente à Cajo conventus, vicissim istum reconvenit ex causa emptarum à se ædium; ut de utraque, tam Emptionis quàm Mutui, causa ab eodem judice cognoscatur: &, si de utraque liqueat, per sententiam simul terminentur.

2. Quare Actoris petitioni sive Conventioni, præcedente declaratæ, hôc Titulô subjungitur Reconventio, sive mutua petitio ipsius rei: quam huic coram eodem sive Conventionis judice, etiamsi aliàs respectu actoris competens non esset, in eodem iudicio permittendi ratio iustissima fuit; quòd ex una, reus etiam invitus litigare coram iudice compellatur ad instantiam actoris: ex altera verò parte, æquum sit, ut actor, qui sponte adiit iudicem contra adversarium, vicissim etiam patiatur, ut ille eundem contra se judicem habere possit, *l. Cùm Papinianus 14. in fine, Auth Et consequenter C. de Sent. & interloqut. & can. 1. V. Cuius, 3. q. 8.* cùm actori non debeat licere, quod reo non permittitur, *l. Non debet 41. ff. de R. J.* Accedit; quòd reus actorem, dum ab isto intentata lis pendet, coram alio aliàs competente eius iudice convenire nō permittatur in causis, in quibus coram eodem iudice reconventio fieri potest, *Auth. cit.* ac proinde æquum fuerit, corā eodem iudice hanc ei permitti; ut, dum unus iudex ei adimitur, alius adiri valeat, Bartol. *in Auth. cit n. 7.* *In causis*, inquam, *in quibus coram eodem reconventio fieri potest*; quia, si idem sive causæ conventionis iudex, quòd eius iurisdictio limitata & ad certam causarum speciem restricta sit, de causa reconventionis cognoscere non valeret, in ea actorem coram alio iudice reconvenire reus posset; ne aliàs, coram quo actorem sibi obnoxium conveniat, omnis iudex ipsi adimatur, ut cum *cit*, Bartol. & Panormit. *in c. 1. hâc Rubr. n. 24.* advertit Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 32. n. 59.*

Permissa autem reo Reconventio est 3. coram iudice quocunque ordinario: non solùm, quando iste ordinarius iudex etiam est actoris, ipsi ratione domicilii, rei sitæ &c. subiecti: sed etiam, quando eiusmodi iudex est solius rei, per *l. & Auth. citt.* Imò etiam coram delegato, *c. 1. cit. 4. & c. Dispendia 2. de Rescript. in 6.* quem tamen actor non ex necessitate, sed sponte elegit aut impetravit; quia de hoc solo procedit ratio, *l. Cùm Papinianus cit.* ut cum Bartol. *in Auth. cit. in fine* probè advertunt Maranta *de Ord. jud. p. 4. dist. 6. n. 13.* & Petr. Barbosa *in l. Qui prior 29. ff. de Judiciis n. 45.*

Quare Reconventio locum non habet Primò coram eo, quem Princeps ad causam aliquam delegavit motu proprio; quia etiam hunc actor, non suâ voluntate, sed necessitate coactus adit, *citt.* Maranta *n. 13.* &

n. 13. & Barbosa *n.* 50. Secundò, coram iudice non, ut plerumque solet, solius actoris, sed utriusque partis consensu delegato; quia, cùm hunc reus adeat sponte & non ad eum trahatur invitus, *l. Cùm Papinianus cit.* naturalis æquitatis ratio cessat, *citt.* Bartol. *n.* 21. Maranta *n.* 13.

5. & Barbosa *n.* 46. Tertiò, coram arbitris compromissariis, per expressum text. *c. Cùm dilectus 6. de Arbitr.* cùm; quia hi iurisdictionem propriè non habent: & propterea, ut *c. cit.* dicitur, iudicare non valent, nisi de his tantùm, super quibus in eos est compromissum: tum verò; quia etiam in ipsis allegata ratio non procedit,

6. *citt.* Bartol. *n.* 20. & Barbos. *n.* 42. Quartò, coram iudice, cuius iurisdictio utriusque partis voluntate & consensu est prorogata: ut propter paritatem istius cum arbitris compromissariis & iudice ita delegato rectè arguit laudatus Maranta *n.* 23. Aliud esset, si prorogata esset à solo actore, sicut fieret, si prorogaretur iurisdictio iudicis respectu actoris aliàs incompetentis, vg. quia æqualis aut inferior esset; tali enim casu coram illo posset actor reconveniri, *l. Receptum* 14. iunctâ Glossâ *V. Major, ff. de Jurisdict. cit.* Barbosa *n.* 48. & Pirrhing *ad hanc Rubric. num.* 5.

7. Dubium & magni nominis controversia est, an actor clericus reconveniri à laico possit coram iudice Seculari. Qua in re inter melioris notæ DD. satis convenit Primò, illum reconveniri coram isto non posse Imprimis in causa rei spiritualis aut huic annexæ; quia, secluså delegatione Apostolicâ, de istâ, tam incidenter, quàm principaliter in iudicium deductâ, cognoscere Secularis iudex non valet, *c. Decernimus* 2. *c. Quantò* 3. *de Judiciis*, *c. Lator* 5. *Qui filij legit. & c. Si judex* 12. ibi, *Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excom. in 6.* Bartol. *in Auth. cit. n.* 6. Panormit. *in c. cit. n.* 28. Barbosa *in l. cit. n.* 81. & alii. Deinde, 8.
in causa Criminali, sive de crimine civiliter, sive criminaliter agatur, ut colligitur ex *c. Unico, de Cleric. conjug. in 6.* Ratio est; quia crimen est personale, sive adhæret personæ delinquenti: iudicium autem de persona clericali, utpote Deo consecratâ, perinde ut, quod de sacris vasis aliisque rebus consecratione vel benedictione affectis agitatur, spiritualem & Ecclesiasticam iurisdictionem exigit, Panormit. *in c. At si clerici 4. de Judic. à n.* 20. Felinus *ibid. n.* 10. Clarus §. *fin. q.* 36. *n.* 6. Farinac. *Prax. Criminal. q.* 8. *n.* 100. & aliis relatis August. Barbosa *Jur. Eccles. Lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *n.* 148. Demum in causis etiam Civilibus, quando 9.
laicus, ut à clerico conveniatur, dolosè sive eâ intentione procurat; ut postmodum eundem coram Seculari iudice, sibi magis favente, reconvenire possit; quia fraus sua & dolus nemini patrocinari debet, *arg. c. Ex tenore 16. de Rescript. c. Ex litteris 2. de Dolo, c. Audivimus 3. de Colluf. deteg.* &c. Felinus *in c. At si clerici cit. n.* 10. Eôdem modô admittenda in Seculari foro non esset, clerici reconventio, si, in eo dolosè, eóve animô laicum à clerico conventum esse, constaret; ut ab isto in eodem ipse reconveniretur. 10.

Convenit inter eosdem secundò, adversus clericum, in causa merè Civili conventum, locum esse reconventioni, quando ista à laico proponitur per modum Exceptionis, vg. compensationis; sic enim Titius laicus, à Caio clerico super mille ex causa mutui debitis conventus, ab illo totidem ex causa venditarum ædium debitos, ac proinde compensationem, excipiendô opponere potest; quia ita excipiendô actoris intentionem omnino elidit, *cit.* Pirrhing *n.* 11. Eôdem modô clerico possessoriô retinendæ contra laicum agenti

proprietatis exceptionem à laico opponi posse, docet Vincent. de Franch. *Decis. Neapol. 193. n. 3.* quia jurisdictio ad connexa & dependentia se extendit *c. Præterea 5. de Offic. deleg. l. Si idem 11. §. 1. ff. de Jurisdict.* Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. p. 2. q. 29. n. 9.*

11. In aliis quoque merè Civilibus causis, actorem clericum, Ecclesiam vel Monasterium à reo laico reconveniri in foro Seculari generaliter non posse, cum Panormit. *in c. At si clerici cit. n. 23.* & ab hoc relatis Interpp. aliis defendunt Martha *de Jurisdict. p. 4. casu 107. n. 2.* Pirrhing *l. cit. à n. 9.* & Ranbeck *Panoplia Immunit. disp. 2. cap. 4. n. 6.* quos novissimè secutus est Prænob. & Magnificus Collega D. Dominicus Bassus *Semicent. Canonico-Legal. Controvers. 12. n. 8.* Moventur primò; quia, ubi prohibetur genus, prohibita est omnis species sub eo genere contenta; quia genus verè & propriè repræsentatur in qualibet specie, *arg. l. Si quid earum 47. ff. §. 1. de Legat. 3.* & propterea, genere per prohibitionem remotò, omnes species remotæ censentur, per tradita ab Everardo *Legal. arg. locô 6. n. 1.* Cùm ergo prohibita & à foro Seculari in causa etiam Civili remota sit clerici conventio, *can. Clericum, 11. q. 1. c. Nullus 2. & c. Si diligenti 12. de Foro compet.* prohibita & à foro illo remota etiam erit reconventio; quia hæc est secunda conventio & species quædam Conventionis genericè acceptæ. Secundò; quia generaliter Jure dispositum est, clericum etiam in causa Civili, extra casus Jure permissos, non esse judicandum à potestate Seculari, *cc. citt.* à quorum generali Regula Jure exceptus non est casus Reconventionis. Tertiò; quia, quòd actor reconveniri coram eodem judice à reo possit, fit ex Jure prorogationis, sive; quòd actor consentire censeatur, ut contra se pro adversario judex sit is, quem contra hunc ipse elegit, *l. Cùm Papinianus & V. Cujus citt.* Cum ergo clericus per viam prorogationis in laicum consentire nequeat, juxta dicta *Tit. 2. n. 213.* etiam non poterit coram eo reconveniri.

12. Rationibus his, licet minimè contemnendis, ea tamen vis non inest, ut intentum evincant; cùm Clericos & Ecclesias in causis merè Civilibus & foro Seculari reconveniri posse, persuadeat ratio non minùs potens & præcipui nominis DD. authoritas tanta; ut omnem contra in oppositum frustraneum non immeritò pronuntiet Haunoldus *Tom. 5. de J. & J. tract. 1. n. 253.* clericos enim in hujusmodi causis reconventioni obnoxios esse, cum Glossa *in c. 1. V. Super his* & Felino *in c. At si clerici cit. à n. 8.* cum Bartol. *in Auth. cit. n. 19.* Baldo *ibid. n. 18.* & aliis sacri prophanique Juris Interpp. cum Speculat *de Reconvent. §. 2. n. 8.* Maranta *dist. cit. n. 53.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 33. n. 5.* Cochier *cit. q. 29. n. 1.* & utroque Barbola, Petro quidem *in l. cit. n. 82.* Augustino verò, alios DD. plena manu referente *cit. cap. 39. §. 2. n. 137.* defendunt Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 32. n. 9.* Fagnanus *in c. Nullus 2. de Foro compet. n. 3.* & novissimè Pignatellus *Tom. 3. Consult. 27. n. 4.* Rationis locô reddunt Regulam generalem; quòd actor incompetentis fori exceptione se tueri non possit, quò minùs coram eodem judice in causa reconventionis debeat respondere, *l. Cùm Papinianus & V. Cujus citt.* quæ Regula à sacris Canonibus nusquam rejecta: imò non obscurè & indistinctè recepta est *c. 1. & c. fin. hâc Rubr. & c. Cùm dilectus 6. de Arbitr.* ab eâque clerici nusquam excepti.

Confirmatur hæc Opinio partim; quia naturalis ratio & æquitas dictat, seque defendendi omnibus concessum jus exigit;

exigit; ut, qui à me aliquid tanquam suum, aut sibi debitum coram judice petit, patiatur, ut vicissim ego coram eodem petam, quòd meum, aut ab eo mihi debitum est, *l. Cùm Papinianus & V. Cujus citt.* partim
13. verò; quia iniquum videtur; quòd actor laicus coram Ecclesiastico à clerico, ut plerique concedunt, & non vicissim actor clericus coram Seculari judice in causa merè Civili valeat reconveniri: & denique partim etiam; quòd saltem extra patriam hanc generalis stylus & consuetudo, quæ ambigui Juris optima Interpres est, *c. Cùm dilectus 8. de Consuetud.* clericos reconveniendi passim & sine ulla querimonia ab Ecclesia toleretur, ut notant *citt.* Oliva *n. 9.* & Haunold *n. 253. Extra Patriam,*
14. inquam, quia in Bavariæ Electoratu clericorum coram laico, & vicissim istorum coram Ecclesiastico judice raræ & vix ullæ sunt reconventiones, teste
15. laudato D. Basso *n. 9.* Imò Jure ejus Provinciali etiam laicus à laico, cùm uterque, tam actor, quàm reus subditus est, coram judice ordinario in causis duntaxat à prima conventione ortis & dependentibus reconveniri permittitur, Gerichts-Ordnung *Tit. 6. art. 1.* licet actores extranei etiam in aliis, cum illa non connexis causis reconveniri possint, per ejusdem *Tituli art. 2.*

Ex his in contrarium deducta argumenta facili negotiò diluntur. Primùm quidem negandò, Reconventionem esse speciem Conventionis, prout hæc à Jure generaliter prohibetur; quia hoc prohibet conventionem, quæ aliam conventionem non supponit, hôc ipsò; quòd reconventionis ius à sacris Canonibus indistinctè sit receptum. Unde etiam corruit adversariorum argumentum alterum; quia à generali dispositione satis excepta est reconventio; quòd generali-
16. ter sit approbata. Tertium; quia prorogatio jurisdictionis Secularis, quæ fit per reconventionem, à Jure potiùs quàm ab homine est introducta: sicut generali ejus dispositione introductum censetur; quòd actor clericus coram alterius diœcesis Episcopo reconveniri possit: quantumvis aliàs istius jurisdictionem in se prorogare expressè non possit, *c. Significâsti 18. de Foro compet.* & sicut alii vg. Studiosi habentes privilegium, ut non nisi coram certo judice conveniantur, reconveniri coram alio, ad causæ cognitionem sufficientem jurisdictionem habente, possunt, privilegiô suô non obstante, ut ex *l. Cùm Papinianus cit.* ibi. *Nulla ei opponenda exceptione, quod non competens judex agentis esse cognoscatur,* & *ex l. Convenisse 2. §. 5. V. Sed & si agant, ff. de Judiciis* delumunt *citt.* Bartol. *n. 3.* Baldus *n. 9.* & Barbosa *n. 81.*

Rectè tamen hôc locô DD. notant, 17.
licet clericus ita reconventus à Seculari judice possit condemnari, fieri tamen ab isto non posse executionem in persona & rebus etiam; quòd in executionis imperio reperiatur major indecentia, quàm in condemnatione; ideóque dignitas clericalis illi magis resistat, quàm actui intellectuali, quô de causæ meritis pronuntiatur, August. Barbosa *cit. §. 2. n. 146.* & Haunoldus *l. cit. n. 261.* Sed hinc

Alterum dubium oritur, an cleri- 18.
cus, Ecclesia vel Monasterium, si à conventione velit desistere, nihilominus respondere coram laico teneatur in causa reconventionis. Id certè aliqui indistinctè affirmant; quòd reus conventus iam habeat ius, actorem in eodem iudicio reconveniendi: cui actoris renuntiatio sive cessatio à causæ conventionis prosecutione præiudicare non potest. Cui doctrinæ etsi locus sit, quando res non ampliùs est integra, hoc est, quando reus reconventione, oblatô & actori per iudicem

porrectô eiûs libellô, uti iam cæpit, ut *arg. Clement. 2. Ut lite pend.* cum Mariano Socino *in c. 1. n. 22.* docet Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 44. n. 5.* & praxi receptum, testis est Oliva *q. cit. n. 30.* casu tamen, quô nondum facta reconventio, & propterea res ad huc integra foret, desistere à conventione posset, saltem si in ea lis contestata non fuisset, ut cum iisdem docent *citt.* Maranta *n.* 117. & Martha *num.* 14.

19. Dubium tertiò est de causis admittentibus Reconventionem, sunt enim & à Pignatell. *cit. Consult. 27. n. 16.* non dissentiente, referuntur DD. qui, reconventioni in causis duntaxat, Conventionem concernentibus & cum ista connexis, locum esse velint propter *l. Cùm Papinianus cit. V. In eodem negotio*, hoc est, ut aiunt, in negotio connexo. Sed perperam; quia vocabulis illis non, ut frequentiùs solet, ipsam causam, sive rem, de qua quæstio est: sed instantiam sive processum denotari; ac proinde *l. cit.* actoris reconventionem in eadem iudicii exercitatione, sive eôdem processu iudiciario permitti, docent Bruneman. *in l. cit. n. 5.* & *cit.* Haunoldus *Tract. 3. n. 358.* qui propterea rectè reconventioni etiam in diversis, & generaliter in omnibus causis, specialiter non exceptis, locum esse Regulæ instar statuit: dummodo iudex capax sit iurisdictionis, quàm exigit causa reconventionis. Rationem reddit; quòd Jura, quibus reconventio est introducta, generaliter & sine restrictione ad eiusdem generis causas loquantur.

20. Excipiuntur autem primò causa Appellationis iudicialis partim; quòd appellationis iudex propter gravamen ab inferiori iudice illatum, ac proinde necessitate quadam adeatur: partim verò; quòd vi appellationis istius iudex non de aliâ, quàm per illam ad se devolutâ causâ cognoscere valeat, *Clement. 5. de Appellat.* Bartol. *in Auth. cit. n. 15.* Baldus *ibid. n. 15. & cit.* Oliva *n. 57.* Dixi, *Judicialis*; quia extraiudicialiter appellantem coram eodem iudice reconveniri, quòd id allatæ rationes non prohibeant, permittunt, *cit.* Speculat. §. 2. *n. 6.* & Maranta *n. 28.*

Excipiuntur secundò causæ Criminales: in quibus tamen opus est distinctione; vel enim de crimine agitur civiliter, vel criminaliter? Si prius, à reo in causa merè civili, vel etiam super aliquo crimine civiliter convento, actorem coram iudice suo competente reconveniri posse, satis communis sensus est DD. 21 Si posterius, accusatorem suum reus super pari vel minori crimine reconvenire regulariter nequit, per textus *l. Neganda 19. C. de His, qui accus. non poss.* ex eâque desumpti *can. 1. & can. Neganda 2. &c. 3. q. 11.* Ratio redditur *l. 5. pr. ff. de Publ. judicii*, cujus relatu dignus textus est, *Si quis reus factus est, purgare se debet: nec antè potest accusare, quàm fuit excusatus; Constitutionibus enim observatur, ut non criminum relatione, sed innocentiâ suâ,* (probatâ) *reus purgetur.* 22

Dixi tamen, *Super pari vel minori* & *Regulariter*. Prius; quia de crimine graviori reaccusari accusator vg. Titius, qui Cajum de vi privata accusavit, ab hoc de homicidio reaccusari potest, *l. 2. C. de His, qui accus. non poss.* si ante reaccusationem lis de illo, sive crimine minori contestata nondum fuit, Farinac. *Prax. Criminal. q. 100. à n. 64.* præsertim, si gravioris criminis causa esset præjudicialis; ut ex ejus decisione prioris decisio dependeret, ut idem *n. 60.* observat. Posterius; quia super pari & minori etiam crimine accusatoris reaccusatio reo permittitur, si suam & suorum injuriam prosequatur, *l. & can. Neganda citt.* Haunold. *Tract. 3. cit. n 369.*

Sicut

Sicut Criminaliter ſuper pari vel minori crimine, ſic etiam & multò magis Civiliter actorem ſuum reconvenire ab eo Criminaliter conventus non poteſt, *l. Conſenſiſſe* 2. §. 4. *V. Sed & Si agant.*, *ff. de Judiciis*, cùm enim Civilis actio de Jure Criminali ſive accuſationi poſtponatur, *l. Adulterij* 33. *C. de L. Jul. de Adult.* iſtâ pendente illi locus eſſe non poteſt, *l. Fin. C. de Ord. judic.* Clarus §. *fin. q.* 2. *n.* 5. & Haunold. *l. cit. n.* 370. Contrà reus Civiliter conventus, pendente judicio, actorem ſuum Criminaliter tam ex omnino ſeparata, quàm ex connexa cauſa reconvenire poteſt; ut ſuper cauſa civili ſaltem ſententia ferri nequeat antè, quàm de criminali fuerit pronuntiatum, Clarus *ibid. n.* 4.

23. Excipiuntur tertiò cauſæ Spoliationis, quando ſpoliatus agit interdictô poſſeſſionis recuperandæ; iſte enim à reo convento ſive ſpoliatore reconveniri non, niſi ſuper alia ſpoliatione ab ipſo facta, poteſt, *c. fin. de Ord. cognit.* Ubi hac de re ſermo redibit *à n.* 22.

24. Excipiuntur quartò cauſæ Feudales: quarum aliquâ conventus actorem ſuum coram Paribus curiæ vel domino directo reconvenire ſuper rebus Allodialibus non poteſt; cùm enim judices illi jurisdictionem, ex Feudorum tantùm Uſibus competentem, & cauſas feudales duntaxat concernentem habeant, in his quidem: non etiam in aliis, ſive non feudalibus & in Jure Feudali non fundatis cauſis reconventioni locus coram ipſis erit, Gaill. *Lib.* 1. *Obſervat. 1. n.* 57. & Mynſinger *Centuria* 4. *Obſervat.* 90. Rationem reddit Roſenthal *de Feudis Tract.* 2. *cap.* 12. *n.* 34. quòd jurisdictio Parium curiæ & domini directi limitata & reſtricta ſit ad certum genus cauſarum: limitata autem jurisdictio per reconventionem; quòd hæc tacita quædam porrogatio ſit, ultra illud cauſarum genus nequeat extendi, ut etiam obſervat Oliva *n.* 48.

Excipiuntur quintò cauſæ Executivæ; ſic enim, exhibitô inſtrumentô confeſſionatô, eô expreſſi debiti ſolutionem petens, hanc judicis præceptô conſequi debet, quin debitori ejus reconventio permittatur; quia inſtrumentum paratam habet executionem: & in debitorem ita confeſſum partes judicis aliæ non ſunt, quàm præcipere, ut debitum ſolvat, *l. Unic. C. de Confeſſis*, Bald. *in Auth. cit. n.* 20. & *cit.* Maranta *Diſt.* 6. *n.* 39. 25.

Eadem eſt ratio cauſæ Depoſiti; hoc enim ei, qui dedit, in judicio repoſcenti, ſicut ſine ulla compenſatione partis vel totius, *c. Bona* 2. *de Depoſito & l. fin. C. de Compenſ.* ſic etiam ſine reconventionis, quæ ſimul procedat, admiſſione reſtitui debet, *l. Si quis* 11. *pr. C. Depoſiti*; cùm propter exuberantiam bonæ fidei in eo contractu *l. Si quis* 5. *C. Depoſiti*: tum verò; quòd executionem etiam ipſum habeat paratam, Bartol. *in Auth. cit. n.* 9. Dixi, *Quæ ſimul. procedat*; etſi enim, ne liquidum propter illiquidum differatur, reconventio, quæ pari paſſu ambulet, vel ſimul pertractetur, non admittatur: locus tamen eſſe videtur reconventioni ad effectum prorogationis jurisdictionis; ut iſtius cauſa ab eodem judice diſcutiatur ac definiatur, Maranta *l. cit.*

Excipiuntur à quibusdam DD. ſextò cauſæ Summariæ: alii tamen & meliùs reconventionem in iis admittunt, cum diſtinctione tamen; vel enim, inquiunt iſti, cauſâ ſummariam cognitionem exigente conventus actorem reconvenit ſuper alia re etiam ſummariô, vel plenariô judiciô definienda? Si priùs, ac proinde ſummariam cognitionem exigit cauſa utraque, reconventioni omnino locus eſt, *Clement.* 2. §. *Verùm*, ibi, *Juxta petitionis formam pronuntiatio ſequi debet pro parte agentis* & 26.

tùm & etiam rei, Si quid petere voluerit, de V. S. ita; ut de utraque causa simul cognoscatur ac pronuntietur. Si posteriùs & reconventionis causa plenarium judicium requirit, reconventio quidem admittitur ad effectum prorogationis, sive; ut de utraque idem judex cognoscat, non tamen; ut utraque simul pertractetur ac definiatur, *cit.* Maranta *n. 38.*

27. Septimò à nonnullis excipiuntur causæ rerum Spiritualium aut his connexarum ita; ut clericus super beneficio aut laicus diœcesanus super jure Patronatûs ab extraneis coram proprio suo Episcopo conventi actores, vg. super decimis coram eodem nequeant reconvenire. Sed meliùs in hujusmodi causis reconventioni tam extraneæ quàm ejusdem diœcesis personæ coram Ecclesiastico judice locum esse, probat *cit.* Oliva *n. 37.* quòd iste cognoscere possit de hujusmodi causis inter subditos suos agitatis: reconventio autem etiam extranei, locum habeat, quoties judex, coram quo reus convenitur, de causa cognoscere inter subditos potest.

28. Octavò, aliqui excipiunt, & casu, quô imploratur Officium judicis, reconventioni locum esse, simpliciter negant aut affirmant. Sed hac etiam in re meliùs alii distinguunt: &, licet eam reijciant non solùm, quando judex motu proprio & nemine petente procedit, sed etiam, cùm officium illud extrajudicialiter imploratur, vg. ut aperiat testamentû, donationem suô decretô confirmet &c. eam tamen admittunt, cùm officium illud judicialiter & principaliter vg. pro impetranda in integrû restitutione imploratur; quia hôc casu succedit locô actionis, reconventionem admittentis, *c. fin. de Offic. judic. citt.* Maranta *n. 37.* & Oliva *n. 61.*

29 Excipiuntur nonò causæ Reservatæ Principi, vel majoribus judicibus; in talibus enim, sicut prorogatio juxta dicta *Tit. 2. n. 208.* sic etiam reconventio, quæ tacita quædam jurisdictionis prorogatio est, locû non habet ad effectum; ut judex, coram quo super iis conveniri nequeunt proprii subditi, de iis cognoscat, aditus per vim reconventionis, *cit.* Oliva *n. 47.*

Decimò respectu Judicum, limitatam 30
& ad certæ speciei causas restrictam jurisdictionem habentium, excipiuntur causæ, à specie illa omnino diversæ, cum aliqua tamen distinctione: & quidem, si causa reconventionis sit de specie causarû ejus jurisdictioni obnoxiarum, & ab his solummodo differat in quantitate, sive secundùm plus vel minus, de Jure admittitur; sic enim coram judice, qui aliàs de causis, summam vg. centum non excedentibus, cognoscere potest, actor pro majore vg. ducentorum aureorum summa reconveniri potest: licet ipse reum coram eo super centum duntaxat potuerit convenire, per textum *l. Si idem* 11. §. 1. *ff. de Jurisdict.* Si verò reconventionis causa non sit de specie causarum, ejus jurisdictioni subjectarum: sed de alia omnino diversa, vg. si causa reconventionis spiritualis, jurisdictio autem judicis solummodo temporalis: si illa Criminalis, ista autem data tantùm sit ad causas Civiles, aut viciſſim: si reconventionis causa sit statûs vg. libertatis, ingenuitatis, judex autem infimus sit, actor super illis coram tali judice reconveniri non potest, Bartol. *in Auth. cit. n. 5.* & Maranta *dist. cit. n. 33. & 34.* Ratio utriusque est; quia, licet ad majoris quantitatis, non tamen ad diversæ speciei causas fieri potest prorogatio jurisdictionis, *cit.* Oliva *n. 50.* Unde hic Doctor *n. 51.* infert, coram Prælatis aliisque judicibus Ecclesiasticis inferioribus reconventionem in causa Matrimoniali de Jure non admitti; quòd de hujusmodi causa, inter subditos suos agitata, cognoscere non possint, ex Decreto

S. Synodi

S. Synodi Tridentinæ *Seß. 24. cap. 20. de Reform.*

Neque obſtat; quòd ex una, reconventionis cauſa incidens & acceſſoria ſit conventioni principaliter in judicium deductæ, ſecundùm Panormit. *in c. 1. cit. n. 14.* ex altera verò parte, *judex*, qui de cauſa ſpecie diverſa vg. de ſtatûs quæſtione, principaliter in judicium deductâ, cognoſcere non poteſt, de ea cognoſcere valeat, cùm incidenter & acceſſoriè in judicium venit, *l. Quoties 3. C. de Judiciis.* Non, inquam, hoc obſtat; quia, eſto, hoc ita ſit, cùm acceſſoria incidit per modum exceptionis; aliter tamen res ſe habet, cùm ea in judicium venit per viam reconventionis. Diſparitatis rationem *cit.* Maranta *n. 35.* reddit; quòd exceptio vg. ſtatûs ſit incidens neceſſarium in petitionem hæreditatis, per conventionem ſive principaliter in judicium deductam: & iſta definiri non poſſit, niſi priùs cognoſcatur de oppoſita exceptione ſtatûs, atque inſuper de iſta non pronuntietur, *l. 1. C. de Ordin. judic.* reconventionis autem cauſa ita neceſſariò in judicium non veniat, & conventionis cauſa ſine ea decidi poſſit: cùm verò in judicium venit, pari cum conventione paſſu procedat, & cum hac ſuper illa ſimul pronuntietur, *c. 1. cit.*

31. Dubium quartò eſt, quando reconventionis cauſa in judicio ſit proponenda. Speculat. *cit. 3. n. 1.* eam, etiam lite jam conteſtatâ, uſque ad concluſionem in cauſa admittit. Sed meliùs cum Felino *in c. 1. cit. n. 2. cit.* Martha *caſu 107. n. 6.* & alii eam, ut pari paſſu cum conventione procedat, regulariter ante vel ſtatim poſt litem conteſtatam, ſive antequam *juramentum* calumniæ præſtetur, & ad probandum dilationes partibus aſſignentur, faciendam, docent & deſumunt ex *Clement. & §. cit.* Verbis, *Si quid reus petere voluerit, eſt in ipſo litis exordio petitio facienda:* ex *Auth. Et conſequenter cit.* juncta Gloſsâ *V. Alioqui & Novell. 96. cap. 2.* ubi reus, ſi accuſatorem ſibi obnoxium ſe habere arbitretur, ipſum apud eundem judicem ſtatim ab initio accuſare *jubetur.* Quod ſi fiat, 32.
utraque conventionis & reconventionis cauſa ſimul procedit; ut, licet reus priùs ad poſitiones ſive articulos actoris, poſtea verò iſte ad poſitiones rei reconvenientis reſpondeat, regulariter tamen utraque cauſa unâ eâdemque ſententiâ ſit terminanda, ut *c. 1. cit. & c. Cùm dilectus, V. Nos autem, de Ord. cognit.* clarè habetur.

Dixi tamen primò, *Ut pari paſſu pro-* 33.
cedat; quia ad effectum prorogationis, ſive; ut actor in reconventionis cauſa coram eodem, ſcilicet conventionis *judice*, reſpondere teneatur, reconventio uſque ad ſententiam definitivam, vel ſaltem concluſionē in cauſa fieri poteſt, per text. *c. Diſpendia 3. V. Reus quoque, de Reſcript. in 6.* quô tamen tempore propoſita reconventio, poſt cauſam conventionis *jam* expeditam primùm pertractatur, Barboſa *in l. Qui prior cit. n. 26.* & Oliva *cit. q. 32. n. 32. in fine.* Ratio autem, cur tali caſu conventio non pari paſſu ambulet, eſt; quia æquum non eſt, conventionis cauſam priùs in *judicium* deductam & jam probatâ per reconventionem, primùm in ejus decurſu ſupervenientē, cum actoris præjudicio ſuſpendi & retardari.

Dixi ſecundò, *Regulariter*, ſive, ſi de utraque cauſa pariter liquidè conſtet; quia, ſi de una ſolùm cauſa priùs liqueat, aut ea propter imminens animarum periculum &c. poſceret celeritatem, ex æquitate potiùs, quàm ſcripti Juris diſpoſitione priùs terminanda eſſet, quæ faciliùs poſſet expediri, præſertim ſi altera, quòd ardua & valde intricata ſit, ulteriorem indaginem & longiores poſceret dilationes, *citt.* Maranta *n. 8.* & Haunold. *n. 350.*

TITULUS

TITULUS V.

De Litis Contestatione.

SUMMARIUM.

1. *Istâ Judicium strictè acceptum inchoatur.*
2. *Exigit autem petitionem Actoris,*
3. *Et Rei responsionem,*
4. *Super negotio principali,*
5. *Purè & fere integrè factam,*
6. *Atque Actoris contradictionem.*
7. *Quid sint Positiones & Articuli?*
8. *Illa sola non inducunt Litis contestationem,*
9. *Animum litigandi & præsentiam judicis:*
10. *Non tamen necessariò utriusque litigantis, exigentem.*
11. *Litis contestatio est de substantia judicij:*
12. *Non tamen Summarij:*
13. *Neque semper Ordinarij.*
14. *Eam contestari renuens non cogitur:*
15. *Nisi renuat sine justa causa.*
16. *Litis contestatio impeditur Dilatoriâ:*
17. *Aliquando etiam Peremptoriâ exceptione:*
18. *Nisi hæc tendat ad elidendam, quæ nata est, actionem.*
19. *Illâ factâ I. firmatur jurisdictio Delegati.*
20. *II. Litigantes ad instantiam obligantur.*
21. *III. Non mutatur Libellus.*
22. *IV. Præscriptio longi temporis impeditur:*
23. *Non tamen reus in mala fide semper constituitur,*
24. *Licet fructus ex litis contestata die percipiendos restituere teneatur,*
25. *V. Perpetuantur actiones Temporales,*
26. *VI. Ex delicto descendentes transeunt ad & in hæredes.*

JUdicii latiùs Citatio, ut in hujus Libri Proœmio monui: strictè autem & propriè accepti exordium Litis contestatio est, *c. Super quæstionum 27. pr.* junctâ Glossâ *V. Litis exordium, de Offic. jud. deleg.* quia ante eam non dicitur quis agere vel petere: sed agere vel petere velle, *l. Amplius 15. ff. Rem ratum haberi.* Oblatô itaque ab actore judici, & per hunc reo cum, vel post citationem exhibitô Conventionis Libello; eíque ad deliberandum &, si quas habet, fori declinatorias exceptiones opponendas concessô & exactô tempore, reus, si liti non cedendum, sed contendendum existimet, coram judice comparere, & cum actore, ejus intentioni & petitioni contradicendô, litem contestari debet. I.

Est autem litis contestatio à Testibus, in judicium adduci olim solitis, ita nuncupata, Gonzalez *in c. Unic. num. 6.* Fundamentum sive principium Judicii per petitionem in jure propositam & congruam responsionem secutam animô litigandi, ut ex *c. Unico cit. & c. Dudum 54. V. Licet autem, de Elect.* cum Hostiensi in

Summa

Summa, hâc Rubr. n. 1. desumunt Fagnanus *in c. cit. n.* 5. & Laiman *ibid. n.* 2. Secundùm quam definitionem

2. Ad litis contestationem quatuor: & Primò quidem requiritur Petitio actoris; neque enim sufficit sola narratio facti, in libello saltem Conventionali; quia per eam nihil petitur à reo, neque se agere velle ostendit actor, Glossa *in c. cit. V. Responsiones.*

3. Secundò Responsio rei, quâ iste actoris petitioni contradicat, narrata, ut narrantur, vera esse, & petita, ut petuntur, deberi; ac proinde Jure peti, sive petitionem fieri posse, negandô, *l. Rem non novam* 14. §. 1. ibi. *Post narrationem propositam & contradictionem objectam, C. de Judiciis*; nam sine contradictione explicita vel saltem implicita lis esse non potest, *l. Proinde* 25. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* Baldus *in c. Dudum cit. n.* 19. & Fagnanus *l. cit. n.* 23.

4. Debet autem hæc Responsio, ut litis contestationem inducat, Imprimis esse super negotio principali, sive eo, quod principaliter ab actore proponitur in libello; ut vg. si actor fundum sibi venditum petat, reus hunc ipsi non deberi; ac proinde ad eum petendum actionem non competere, reponat, ut *in c. Unic. cit.* cum Innocentio *num.* 2. monet Fagnanus

5. *n.* 25. Deinde eadem responsio debet esse pura, & non conditionata; quia litis contestatio est actus legitimus, qui conditionem non recipit, *Reg. Actus* 77. *ff.* & 50. *in* 6. Vallens. *ad hanc Rubr.* §. 1. *n.* 6. Demum integra; ut libellô expressæ actoris petitioni adæquetur: &, quando eô plura petuntur, ad omnia respondeatur; itáque litis contestatio sit plena, arg. *l. Cùm una* 17. *ff. de Appellat.* Cujusmodi plena & curiæ Romanæ usu recepta litis contestatio, licet juxta dicta sit, quâ reus, narrata, ut narrantur, & petita, ut petuntur, vera esse generaliter negandô respondet, teste eôdem & *cit.* Fagnano *n.* 27. nihilominus, si ab actore narrata & petita essent plura, & rei negatione neque omnibus, neque certis quibusdam, in libello narratis ac petitis, contradiceretur, eâ propter responsionis incertitudinem plenam litis contestationem induci, aliqui DD. negant: & ad hanc, ut quæ libelli capita negentur, specificè exprimatur, requirunt apud Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. tract.* 3. *n.* 419. monentem, casu, quô reus ad plurium actoris petitionum unum duntaxat responderet, litem non plenè, sed quoad illud solummodo petitum, pro contestata habendam, & litis contestatæ effectus parituram, *n.* 425. Unde

6. Dubium nascitur, an litis contestatio fieri nequeat verbis Affirmativis. Affirmant id aliqui cum Glossa *in c. Unic. cit. V. Responsiones*, pro exemplis adducentes ab actore petiti debiti confessionem à reo factam animô litigandi: & casum Lugdunensem, quô ad ineptum actoris libellum Presbyter reus; quòd, in causa procedi, suâ interesse animadverteret, illo narrata vera esse confessus est, & petitionem solummodo fieri non debere, attonitis, & advocati, hujusmodi cum confessione conjunctam contradictionem reo suggerentis, consilium mirantibus judicibus, respondit. Unde DD. isti litis contestationem in Negativam & Affirmativam partiuntur. Hæc tamen partitio meritò displicet *cit.* Haunoldo *n.* 415. quòd ad litis contestationem à reo objecta contradictio disertè exigatur *l. Rem non novam* §. *cit.* Ratio est; quia litis contestatione constituitur judicium: cui locus non est, & sententiæ proferendæ materia desideratur, cùm, quod actor narrat, esse verum: &, quod is petit, deberi, reus affirmat. Unde tali

casu judicis partes aliæ esse non possunt, quàm præcipere; ut reus, quod confitetur, debitum solvat.

Neque aliud persuadet casus Lugdunensis; quia in eo, hôc ipsô; quòd, petitionem fieri non debere, actori fuerit responsum, huic apertè contradictum est: neque aliud, quàm litis contestandæ modus, omnino insolitus, admirationi judicibus fuit, ut testatur ipse, qui eam litis contestandi rationem Presbytero suggessit, Hostiensis *in c. cit. n.* 14.

7. Dubium secundò est, an litis contestatio inducatur per responsionem ad Positiones. Sunt autem Positiones breves quædam narrationes facti, ad causam pertinentes, & ad veritatem eliciendam conceptæ, super quibus, ut à probandi onere relevetur, ab adversario sibi responderi, actor petit: quibuscum, etsi litium abbreviandarum studiô Articuli hodiernâ praxi soleant confundi, propriè tamen accepti Articuli eæ tantùm positiones sunt, quas adversarius negat: & à ponente per testes, instrumenta aliáque idonea argumenta probandæ, & judici denuò sunt offerendæ, *cit.* Maranta *p. 6. actu* 4. & Gaill. *Practic. Lib.* 1. *Observat.* 79. uterque *à n.* 1. Atque hujusmodi positiones esse claræ & breves, nihilque superfluum, hoc est, ad negotium sive causam principalem impertinens, continere debent: &, quia ex parte ponentis pro confessionibus habentur, Glossa *in c.* 1. *V. Statuimus, de Confessis in 6.* ut eas perinde, ut alias confessiones judiciales, revocare nequeat, nisi de errore suo legitimè doceat, arg. *l. Cùm precum 9. C. de Liberali causa*, Speculat. *Tit. de Positionibus §. 8. n.* 1. & *cit.* Gaill. *n. 6.* ponenti sollicitè curandum est; ne intentioni suæ contraria temerè ponat: sicut contingeret, quando agens Rei vindicatione in positionibus, se ejus possessorem; aut retinendæ Possessorium intentans, adversarium possidere, confiteretur; quia ita succumberet victus suâmet confessione, ut cum *cit.* Glossa & Speculat §. 10. *n. 9.* idem Gaill. *n. 9.* observat. His præmissis,

Solis Positionibus & Responsionibus ad eas litis contestationem non induci, *c. Dudum 54. V. Licet autem cit. & c. Unico hâc Rubr.* clarè decisum, & non minùs clara ratio est; quia ad litis contestationem necessaria est Petitio: quæ in positionibus desideratur; cùm, qui ponit, nihil petat, sed solummodo factum aliquod narret, ut *in c. Dubium cit.* notat Baldus *n.* 16. Accedit; quòd positiones fieri ante litis contestationem possint; cùm ante eam locus sit probationibus exceptionum dilatoriarum, vg. incompetentiæ, vel suspicionis judici, vel excommunicationis actori objectarum: ad quarum relevationem positiones adhibentur, ut *in c. Unic. cit.* cum Ant. de Butr. *n. 8.* rectè observat Fagnanus *n. 46.* 8.

Tertiò, ad litis contestationem requiritur Animus litigandi; quia litis contestatio dependet ab animo rei, petitioni actoris, non judicii declinandi, sed cum eo subeundi intentione, contradicentis, *§.* 1. *cit.* Animus autem iste in dubio ex facta petitione & contradictione utriusque partis adesse præsumitur, quoties verba apta sunt ad eum & contestationem significandam: & actor vel reus non protestatur, ea non tanquam judici & animô litigandi, sed solummodo tanquam amico vel domino, ad eum præcisè informandum proferri, Fagnanus *l. cit. n.* 42. & Jordanus *Lucubr. Lib.* 14. *Tit.* 5. *n.* 5.

Quartò; ut in Jure, sive judicio, & coram judice fiat, ut colligitur ex *V. Licet autem cit. c.* 1. *de Mutuis petit. & l. Voluit.* 4. *ff. de Interrogat. in jure fac.* aliàs enim, ut *in c. Unicum cit.* Panormit. *n.* 11. observat, ubicunque quid ab aliquo peteretur,

peteretur, isto negante, litis contestatio induceretur, itáque judicium sine judice constitueretur: quod utique est absurdum, Fagnan. *l. cit. n.* 17.

10. Exigi etiam à non paucis cum Hostiensi *in c. Unic. cit.* & Bartolo *in l.* 1. *C. hâc Rubr. n.* 6. solet; ut responsio fiat, actore per se vel per procuratorem præsente. Quorum Opinio, etsi desumi videatur ex *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando jud. sent.* ubi, quòd actor porrectò libellô, recesserit, in causa, quasi lite non contestata, proceditur. Sed contrarium receptum est praxi plurium tribunalium, præsertim Ecclesiasticorum, introductâ, & firmatâ authoritate Rotæ Romanæ: in qua litis contestationem, etiam parte absente, imò ex intervallo fieri posse, & consuevisse, testes sunt Panormit. & Felinus apud *cit.* Fagnanum *num.* 38. Neque hæc praxis aliena est à ratione; quia libellô, per actorem in judicio semel oblatô, ejus petitio durat usque ad responsionem rei, arg. *l. Eum qui* 22. *ff. de Probat.* & pro eo etiam absente, semper loquitur scriptura, *l. Non figura* 38 *ff. de D. & A.* eámque ob causam, reo etiam ex intervallo respondente & contradicente, litis contestatio simul facta censetur propter concursum animorum: cujusmodi animorum concursus si propter actoris à judicio & petitione recessum desideretur, in proposita ab eo causa non aliter, quàm lite non contestata solet, procedi potest. Unde

11. Dubium oritur, an litis contestatio sit de substantia judicii. Regulariter eam de Ordinarii sive plenarii substantia esse, receptum à DD. & clarè traditum est à Gregorio IX. propter ejus omissionem totum processum & omnia acta irrita declarante, *c. Unico cit.* idque optimo Jure; cùm enim litis contestatio lapis angularis, fundamentum ac basis sit judicii Ordinarii, ut colligitur ex *c. Super cit. pr. V. Intentionis l.* 1. *& Auth. Offeratur, C. hâc Rubricâ*, sicut sine fundamento construi ædificium, *can. Cùm Paulus* 1. *q.* 1. sic sine litis contestatione ejusmodi judicium constitui nequit; ac proinde ea neque expressa conventione, neque tacito consensu partium, neque authoritate judicis omitti potest, arg. *l. Jus publicum* 38. *ff. de Pactis*, Gaill. *Lib.* 1. *Observat.* 75. *à n.* 1.

Dixi tamen, *Ordinarii & Regulariter.* 12.
Prius; quia de summarii substantia, sicut oblationem libelli, sic etiam litis contestationem non esse, patet ex *Clement.* 2. *de V. S.* Posterius; quia de judicii etiam Ordinarii substantia litis contestatio variis casibus non est: & 13.

Primò quidem, cùm id agitatur coram Papa vel alio Principe supremo; hic enim, cùm supra Jus humanum sit, *l. Princeps* 31. *ff. de LL.* sicut alia, sic etiam litis contestationem eô introductam omittere, ejúsque defectum sua authoritate supplere potest, arg. *c.* 1. *de Transact.*

Secundò, in causis Appellationis à sententia etiam definitiva: dummodo tamen in prima instantia fuerit facta, & in secunda à partium altera non exigatur; quia litis in prima instantia contestatæ effectus extenditur ad secundam, *c. Petuas* 85. *de Appellat.* cùm diversitas instantiæ non faciat diversam causam, *cit.* Gaill. *Observat.* 76. *n.* 2. & Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. tract.* 3. *n.* 427. qui tamen monent, in Camera Imperiali in omnibus causis ad eam devolutis opus esse litis contestatione, sive à definitiva, sive ab interlocutoria tantùm sententia sit appellatum: exceptô casu Nullitatis notoriæ, sive ex ipsis judicii actis apparentis; quia hanc judex appellationis, etiam parte non opponente vel petente, attendere ex officio debet *l. Quadam* 41. *ff. Famil. herciscæ.*

Tertiò, in quibusdam Spiritualibus & aliis causis ad sequentem Rubricam declarandis: in quibus tamen & generaliter, quandocunque litis contestatio necessaria non est, primus actus, post eam aliàs exerceri solitus, vim habet contestationis; ac proinde eô ipsô; quòd judex de causæ meritis incipiat cognoscere, pro contestata lis habetur, ut notat Maranta *de Ord. judic. p. 6. memb. 10. n. 2.*

14. Dubium secundò est, an reus ad litem contestandam possit compelli. Jure non posse, quando eam contestari renuit ex justa causa, vg. quòd de propositis fori declinatoriis & aliis dilatoriis exceptionibus priùs sit cognoscendum, *c. Inter 20. de Sent. & re judic.* & contrà cogi

15. posse, quando nullâ justâ causâ, sed præcisè ad litis contestatæ effectus aliquos impediendos id facere recusat: &, si judicis præcepto non obtemperet, actorem ex primo decreto mitti in possessionem bonorum, ista sequestrari, pignora capi, contumacem excommunicari, incarcerari &c. posse, satis convenit inter DD. & ex dicendis *Tit. 14. à n. 41.* pleniùs constabit.

Litem etiam pro contestata haberi posse, aliqui affirmant propter textum *l. De ætate 11. §. 4. ff. de Interrogat. in jure fac.* ubi, qui contumaciter non respondit, perinde ut, qui negârit, habetur. Quorum opinio, licet Cameræ Imperialis, aliorùmque tribunalium praxi recepta sit, Jure tamen Canonico, saltem in causis in foro Ecclesiastico agitatis, si reus respondere renuat, litem pro contestata non haberi, satis clarè traditur, *c. 1. & c. Accedens 2. Ut lite non contest.* ubi, reo præsente &, cùm à judice sæpius juberetur, libello respondere renuente, ad ulteriora tamen, quasi lis fictè contestata jam sit, non proceditur: imò processus, tanquam lite non contestata factus, irritus declaratur, *cit.* Maranta *n. 12.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 438.*

16. Dubium tertiò est, quando litis contestatio impediatur. Impediri, si reus expressè protestetur, se aliô, quàm litigandi animô respondere, patet ex dictis.

Neque obstat; quòd protestatio actui contraria nihil operetur, *l. Cùm in plures 6. §. 6. ff. Locati*; quia dicta protestatio facto contraria non est; cùm eâ reus solummodo neget, se respondere eô animô & intentione; ut litem ingrediatur: quod verum, & facto contrarium non est. Aliud esset, si actori respondere jussus, ab eo narrata, ut narrantur, & petitionem Jure fieri, simul negaret, & protestaretur, se non respondere; talis enim protestatio facto esset contraria; & propterea, eâ non obstante, litis contestatio induceretur, Panormit. *in c. Unic. cit. n. 17.* & Bartol. *in l. Unicam, C. hâc Rubr. n. 15.*

Præterea litis contestatio impeditur vel retradatur per oppositam fori declinatoriam, vel aliam dilatoriam exceptionem, vg. quâ reus exciperet, judicem aut judicii locum non competentem, actorem excommunicatum, aut aliàs legitimam personam standi in judicio non habere, procuratorem sufficienti mandatô non instructum, vel aliàs insufficientem aut inhabilem esse, cùm; quia hujusmodi exceptiones tantùm opponuntur ad declinandum judicium & processum impediendum: tum verò; quia ex parte rei, eas opponentis, deficit responsio ad petitionem actoris & animus litigandi, *citt.* Panormit. *n. 18.* & Bartol. *n. 6.* Unde hujusmodi exceptiones regulariter ante contestationem litis & principalis causæ cognitionem opponi debent, *c. Inter 20.* ibi, *Quas tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent, de Sent. & re judic. c. Pastoralis 4. de Except. l. Si quis 12. & l. fin. C. de Except.* aliàs, eas postea

opponere

opponere volens, non audietur; quòd talem exceptionem scienter &, cùm posset, non opponens, ei tacitè renuntiare censeatur, *cit.* Maranta *memb. 9. à n. 7. Regulariter*, inquam, propter varios casus, quibus exceptiones dilatorias etiam post litem contestatam admitti, statuetur *Tit. 25. à n. 24.*

17. Eandem etiam Peremptoriis, sive merita causæ concernentibus, exceptionibus aliquando impediri, non obscurè traditur à Bonifacio VIII. *c. 1. in 6.* adhibitâ tamen inter eas distinctione; vel enim peremptoriis exceptionibus opponitur, nullam actionem unquam ortam: vel eam, quæ aliquando orta fuit, per sententiam & istius transitum in rem judicatam, per transactionem, jusjurandum, factam solutionem jam esse extinctam, & competere desiisse: vel hujusmodi exceptiones tendunt ad actionem, quæ orta est & competit, perimendam sive elidendam?

Si prius, peremptoriis exceptionibus, oppositis ante litis contestationē, ista impedietur: ut de opponentibus, actionem nunquam ortam, docet Bartol. *in l. Nam posteaquam 9. ff. de Jurejurando n. 7.* & suadet ratio; quia nullam habens actionem alterum in judicio convenire non potest, *l. Si pupilli 6. §. 12. V. certè, ff. de Negot. gest.* De iis verò, quibus actionem jam esse extinctam, opponitur, disertè habetur *c. 1. cit.* ibi, *Nisi de re judicata seu finita excipiat litigator.* Ratio est de his: quia ex una, obligatio & actio semel extincta non amplius reviviscit, *l. Qui res 38. §. 8. V. Neque admissum, ff. de Solut.* ex altera verò parte, sententiæ definitivæ in rem judicatam transitu, *c. Cùm inter 13. de re judic.* Transactione *c. 1. & l. Causas 16. C. de Transact.* Jurejurando, *l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando*, solutionis exhibitione, *l. Nulla 5. C. de Solut. & pr. Instit. Quibus modis oblig. toll.* actiones & obligationes extinguuntur, Glossa in *c. 1. cit. V. Finito, ubi* Franc. *n. 18.* & Maranta *cit. memb. 9. n. 12.*

Si posterius & exceptiones peremptoriæ ad actionem, quæ competit, perimendam tendunt, litis contestationem iis non impediri, *c. 1. cit.* clarè habetur. Ratio est; quòd hujusmodi exceptio sit exclusio actionis, & ad perimendam actoris intentionem tendat, *l. Exceptio 2. pr. ff. de Except.* actio autem, ut excludatur & perimatur, proponenda sit in judicio, quod constituitur per litis contestationem, Francus *in cit. c. 1. n. 2. & 18.* & Speculat. *de Except. §. 3. à n. 1.* 18.

Porro litis contestatio, ex parte tam ipsius judicis, quàm personarum litigantium, hisque accessoriarum varios & maximi momenti effectus habet; præterquam enim, quòd, ut dictum, eâ constituatur judiciū; ut in causa ad testiū aliarúmq; probationum receptionem & ipsam sententiam definitivam procedi possit, illa 19.

Primò perpetuationem jurisdictionis judicis delegati, quam citatio inducit, per textum *c. Gratum 20. de Offic. deleg.* & *ibi* tradita *à n. 87.* ita firmat; ut non solùm delegantis morte non expiret: sed ille, nisi ex nova suspicionis causa recusari, *l. Nemo 4. C. de Jurisdict.* eique fori declinatoriæ & aliæ dilatoriæ exceptiones, nisi de novo exortæ, vel antè incognitæ fuerint, opponi ampliùs non possint, *c. Inter 20. l. Si quis 12. & l. fin. citt.* cùm ipsâ litis contestatione partes in judicem, ejus etiam jurisdictionem prorogandō, consensisse, & exceptionibus, ante non oppositis, renuntiâsse censeantur.

Secundò, per eam litigantes in ordine ad judicii instantiam, quæ ab ejus factæ tempore currere incipit, *l. Properandum 13. C. de Judiciis*, se obligâsse & quasi contraxisse censentur; ut eorum unus, alterō in 20.

verò invitô, recedere non valeat, quin tanquam temerarius litigator ad omnia damna & expensas teneatur, *arg.* §. 1. *V. Hæc autem, Instit. de Pœna temerè litig.* & obligetur ad id, quod per sententiam judicabitur, perinde, acsi aliàs verè contraxissent, Felin. *in Rubric. de Sent. & re judic. n. 23.* & Gaill. *cit. Observat. 74. n. 7.* & propterea, si ab adversario exactum calumniæ juramentum præstare alter recusset, actor quidem ab instituta actione cadat, reus verò habeatur pro confesso, *c. Imperatorem 5. l. cùm & judices 2. §. 6. & Auth. Principalis C. de Jur. calumn.* &, si legitimè citati non compareant, in eos tanquam contumaces procedatur, ut *Tit. 14. & 15.* pluribus declarabitur.

21. Tertiò, lite contestata mutari nequit Libellus, juxta dicta *Tit. 3. n. 21.* & absque rationabili causa revocari nequit procurator; cùm per eam factus sit litis dominus, *l. Procuratoribus 22. C. & c. Quamvis 2. de Procurat. in 6.* & propterea ejus mandatum principalis sive mandantis morte non finiatur, *l. Nulla 23.* & alium constituere sibi ipse possit, *l. Quod quis 8. & l. Neque 11. C. eâdem Rubr.*

22. Quartò, eâdem non solùm interrumpitur præscriptio longi temporis decem & viginti annorum, à reo inchoata, *l. Morâ 26. C. de R. V.* sed insuper bonæ fidei possessor in mala fide ac mora constituitur, in ordine ad fructuum restitutionem; quòd non ampliùs habere videatur ignorantiam rei alienæ, *l. Certùm 22. C. Rubr. cit.* Unde

23. Dubium nascitur, quomodo rei possessor post litem super ea contestatam in mala fide indiscriminatim constitui, *l. Certum cit.* imò prædonis instar haberi queat, *l. Si quid possessor 31. §. 3. ff. de Hæredit. petit.* cùm contrarium Jus & ratio evincere videatur. Jus quidem; quòd inter moras litis bonæ fidei possessor dicatur, *l. Si bona 49. ff. Rubr. cit.* & fundi sibi venditi possessor bonæ fidei emptor intelligi seu reputari debeat, quamdiu fundus non fuerit evictus, *l. Qui scit 25. §. fin. ff. de Usur. & Fruct.* Ratio verò; quia nequaquam legitima & convincens illatio est, si quis ita arguat: Titius fundum, quem à Cajo bona fide emit, Sempronio eum in judicio petenti non restituit ante sententiam. Ergo, hâc contra Titium latâ, fundum ab ipso ex die contestatæ litis mala fide possessum, apparet. Non, inquam, legitima hæc illatio est; quia Titius ob litem sibi motam jus suum temerè indefensum relinquere, *l. Illud quoque 40. in fine, pr. ff. de Hæredit. petit.* & fundum Sempronio restituere non tenebatur: & potuit credere, fundum à se justè possideri; atque idcirco super eo bona fide justéque judicium subiisse; aliàs enim quicunque actione aliqua reali conventus eô ipsô malæ fidei obnoxius esset: quod utique indignum & à ratione alienum est, cùm; quia mala fides est delictum & affinis dolo: qui, uti & delictum, non præsumuntur, *c. fin. de Præsumpt. & l. Meritò 51. ff. Pro Socio.* sed perspicuis argumentis atque indiciis probanda sunt, *l. Dolum 7. C. de Dolo & c. fin. in fine, de Renuntiat. in 6.* tum verò; quia, lite super fundi dominio jam contestata, adhuc dubium est & esse primùm incipit, an justè injustève à Titio possideatur, an judiciô per sententiam finitô illum restituere oporteat, aut valeat retinere: dubiô autem superveniente quis circa rei possessionem bonam fidem & conscientiam, quam circa illam illæsam ante habuit, retinere censetur, donec, illam alienam esse, sciat aut legitimè probetur, juxta illud S. Augustini *can. Si Virgo, 34. q. 1.* relati, *In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cùm verò scierit,* aut legitimè convictus

convictus fuerit, *nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur.*

24 Quare malæ fidei non indiscriminatim omnis, quocum super re vg. fundo contestata est lis, sed is tantùm possessor post latam contra eum sententiam habendus est, qui injustæ possessionis habuisse scientiam, temeréque litigare, quàm cedere maluisse, perspicuis argumentis fuerit convictus; cæteri autem malæ fidei possessoribus ac prædonibus, quales revera non sunt, nec retro censeri possunt, eatenus duntaxat post sententiam æquiparantur; quòd, sicut illi, sic & ipsi ex die litis contestatæ istiúsque vi omnes fructus restituere teneantur, non in pœnam, sed ex quasi contractu, litis contestatione inducto & obligante; ut fructus lite iam contestata percipiendos & casu, quò in judicio victi fuerint, restituendos custodiant, nec temerè consumant, ut cum Cuiacio *Lib. 20. observat. 35.* advertunt Hilliger *in* Donelli *Comment. Lib. 19. cap. 14. lit.* O. & Bruneman. *in l. certum cit. n. 12.* 25.

Quintò, eâdem actiones, ex natura sua Temporales & morte perituræ, perpetuantur, ut ad 40. annos, à litis contestatæ die numerandos, extendantur, *l fin. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. l. & §. 1. in fine, C. de Annali except.* & actiones 26. Pœnales, ex delicto vel quasi delicto descendentes, ad hæredes & in hæredes in solidum transeunt, §. 1. *Instit. de Temp. & perpet. act.* quantumvis aliàs ex Juris Civilis dispositione non nisi, quantum ad istos pervenit, competerent, *l. Unic. in fine, C. de Delict. defunct.* Plura de litis contestationis effectibus dabunt Hostiens. in *Summa, hîc n. 5.* & Speculat. *de Litis contest. §. penult. & ult.* Hìc monuisse juvat, relatos & cæteros effectus litis contestatione, solùm validâ, induci, *Auth. Offeratur in fine, C. hîc*; cùm, quod nullum est, nullum producat effectum, *l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Re judic.*

TITVLVS VI.

Ut, lite non contestatâ, non procedatur ad Testium receptionem, vel Sententiam definitivam.

SUMMARIUM.

1. *Rubrica hæc continet Regulam:*
2. *Quæ nititur magna ratione,*
3. *Et de negotio solùm principali procedit.*
4. *Lite non contestata testes recipiuntur I. Cùm actor contumaciter abest.*
5. *II. Cùm per Inquisitionem generalem:*
6. *Non etiam, cùm per specialem procedatur.*
7. *III. Cùm agitur de valore conjugij Carnalu,*
8. *Et reus contumaciter abest.*

§. Sine

9. *Sine culpa absens exspectatur, donec de ejus obitu certò,*
10. *Aut saltem verisimiliter constet.*
11. *IV. Cùm agitur de conjugio Spirituali solvendo,*
12. *Propter Prælati absentiæ crimen,*
13. *Aut nullitatem electionis:*
14. *Si citatus intra præfixum terminum non compareat.*
15. *V. Ne copia probationis pereat,*
16. *Propter testium senium, aut valetudinem:*
17. *Propter eorum absentiam,*
18. *Vel metum Oblivionis aut variationis.*
19. *VI. Iidem ita ad perpetuam memoriam pro reo:*
20. *Aliquando etiam pro actore recipiuntur.*
21. *Citanda tamen est pars adversa:*
22. *Nisi sine incommodo non possit.*
23. *Testes ita non recipiuntur pro futura accusatione:*
24. *Sed pro defensione rei, eam,*
25. *Aut etiam Civilem conventionem metuentis.*

1. EXordium, ut dictum, & fundamentum Judicii est litis contestatio: ante quam proinde, quia causa principalis in judicio ducta non dicitur, super ista regulariter neque testes recipi, sententia definitiva ferri potest, per *c. 1. aliósque textus* hisque præfixam *Rubricam:* quæ, cùm perfectam orationem contineat, facit Jus commune, & in controversiarum decisionibus allegari pro lege in Foro & Scholis potest & solet, per tradita ab Everardo *Legal. arg. loco à Rubro n. 3.* & *Eroem. n. 109.* Ratio clara
2. est; quia testium receptio & definitivæ sententiæ prolatio tendit ad finiendam litem: quam proinde, & judicium priùs constitutum: &, quâ istud constituitur, litis contestationem factam esse oportet priùs, quàm super ea testes judicialiter recipiantur, & definitivè pronuntietur, Panormit. in *c. fin. pr. n. 2.* & *ibi* Gonzalez *num. 4.*

Dixi, *Super causa principali & Regulariter.* Prius; quia, lite non contestatâ, testes aliæque probationes recipi possunt Imprimis, super incidentibus & de novo emergentibus, vg. an citatio ad
3. reum pervenerit, an iste contumaciter absit, *arg. c. Interposita 70. §. fin. de Appellat.* Glossa in *c. fin. cit. pr. V. Procedendum.* Deinde super exceptionibus dilatoriis, vg. actoris excommunicatione, judicis incompetentia, *c. Exhibita 19. de Judiciis:* uti & super exceptionibus peremptoriis, quæ dicuntur litis finitæ, & impediunt litis ingressum, ut colligitur ex *c. 1. de Litis contest. in 6.* Zœsius *ad hanc Rubric. n. 2.* Et demum in judiciis Summariis; cùm enim in his simpliciter & de plano procedatur; & neque libelli formalis oblatio, neque litis contestatio necessaria sit, *Clement. Sæpe 2. §. Nos autem, de V. S.* ut *Tit. 1. n. 8. & Tit. 5. n. 12.* dictum est, utique sine ista testium aliarúmque probationum receptioni locus erit. Posterius; quia pluribus casibus, etiam in Judiciis Ordinariis, lite non contestatâ, testes etiam super negotio principali recipiuntur.

Et primò quidem id fieri de Jure po-
4. test, quando actor, post oblatum judici libellum, legitimè citatus contumaciter se absentat; tali enim casu non tantùm reus ab ea instantia sive judicii observatione, si velit, absolvi: sed ad ipsius petitionem à judice ad testium, à reo productorum, aliarúmque probationum receptionem, & sententiam quoque definitivam procedi potest, secundùm *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex &c. & c. Causam 3. de Dolo.* Ratio, cur ita pro-

ita procedi contra actorem, non etiam contra reum contumacem, lite non contestatâ, possit, est partim; quia gravior est contumacia actoris, quàm rei; cùm enim ille litem, à qua abstinere posset, *l. Unica C. Ut nemo invitus ag. &c.* prior moveat: reus autem in judicium trahatur etiam invitus, *l. Judicium 54. ff. de Judiciis*, illius contumacia utique turpior & magis odiosa est, quàm istius: partim verò; quia rei favorabiliores sunt, quàm actores, *l. 125. ff. de R. J.* & Jura ad absolvendum; quàm ad condemnandum proniora, *c. Ex literis 3. de Probat. & l. Arianus 47. ff. de O. & A.* eámque ob causam meritò cum contumaciter absente reo mitiùs agitur, quàm cum actore, Glossa in *c. Causam cit. V. Ad domum*, & *ibi* Panormit. *n. 15.* Plura de actoris, & rei præsertim, contumacia dabimus ad *Tit. 14. & 15.*

5. Secundò, cùm à judice ex officio proceditur per viam Inquisitionis, *c. fin. §. Sunt & alij.* Qua in re tamen à Panormit. *in §. cit. n. 4.* tradita, & aliorum DD. magno consensu recepta est distinctio inter inquisitionem Generalem & Specialem. Per priorem enim cùm proceditur, vg. cùm, an in provincia, diœcesi vel civitate crimina aliqua committantur, vel in alicujus perpetrati autorē, nullâ certâ personâ expressâ, investigatur, litis contestatio non requiritur, imò propriè fieri non potest, hôc ipsô; quòd in certam personâ non inquiratur: & propterea testes examinari & audiri, nullâ litis contestatione factâ,
6. possunt. Per posteriorem verò, sive specialem inquisitionem, vg. super dilapidationis Ecclesiæ vel Monasterii rerum, super Simoniæ, vel alio crimine contra Prælatum, si præcedente infamiâ vel sufficientibus indiciis prævis procedatur, & reus legitimè citatus contumaciter absit, ad testium contra ipsum receptionem & sententiam vg. depositionis procedi potest, juxta *c. Qualiter 24. V. Debet, de Accusat.* ne delictum maneat impunitum, & Ecclesiæ damna animarúmque periculum continuetur, contra Regulam *c. Ult famæ 35. de Sent. excom. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Si verò citatus compareat & delictum neget, lis pro contestata habetur, & judex ad testium receptionem & absolutionis vel condemnationis sententiam procedit, Vivianus in *c. Qualiter cit.*

Tertiò, lite non contestatâ ad receptionem testium & sententiam procedi 7.
potest in causa matrimonii carnalis, quando de ejus valore quæstio est propter allegatum à parte impedimentum dirimens, vg. consanguinitatis aut affinitatis, adhibitâ tamen distinctione inter duos casus. Primus est, quô reus legitimè citatus non comparet, aut malitiosè latet, vel 8a
impedit; ne citatiò ad se possit pervenire. Quô casu receptioni testium &, si de causa liqueat, sententiæ etiam definitivæ locum esse, decisum *c. fin. §. Porro.* & ratio est; ne propter moram alteri conjugi detur occasio fornicandi.

Neque huic decisioni adversatur; quòd, cùm de crimine adulterii ad divortium vel dotis restitutionem agitur, reo contumaciter absente, testes recipi, & definitivè pronuntiari, lite priùs non contestatâ, non possit, per *c. 1.* textum. Non, inquam, hoc *§. cit.* decisioni adversatur; quia, cùm agitur de matrimonii valore, causa favorabilis est, & celerem expeditionem requirit; ideóque summariè, ac proinde, lite non contestatâ, procedi potest, per *Clement. Dispendiosam 2. de Judiciis*; ut, si matrimonium validum, conjux addatur conjugi: vel, si invalidum est, ad evitandum peccatum, separetur. Quando autem agitur ad divortium, sive separationem à cohabitatione & communi

thoro, causa odiosa est; quia agitur de præjudicio non solius partis accusatæ, sed ipsi etiam matrimonii, cujus validè contracti quoad thorum & cohabitationem dissolutio contra ejus naturam petitur: & propterea hôc casu observandus est processus Ordinarius, exigens præviam litis contestationem, ut cum Glossa *in Clement. cit. V. Matrimonij*, & Zabarella *ibid. q. 28.* notat Laiman *in c. 1. cit. n. 3.*

9. Alter casus est, quô reus sine culpa abest; quòd citari aut citatus comparere non possit. Quô casu conjugem propter captivitatem, ægritudinem, vel aliud justum impedimentum absentem, *Donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur*, expectandũ §. *cit.* habetur, *Verisimiliter*, inquit textus, hoc est, per violentas & moralem certitudinem fundantes præsumptiones, *arg. c. In præsentia 19. de Sponsa. & Matr. & c. Dominus 2. de Secund. nupt.* ut cum Hostiensi *in* §. *cit. V. Verisimiliter*, Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 46. n. 9.*

10. & Barbosa *in c. fin. cit. n. 3.* vel, ut meliùs alii volunt, per præsumptiones probabiles, & morali minorem aliquam certitudinem judici facientes. Quantumvis enim, cùm de transitu ad secunda vota agitur, moraliter certò constare debeat de obitu conjugis prioris, quôcum matrimonium validè initum fuisse, extra controversiam est; quia hôc casu agitur de maximo præjudicio conjugis, & ipsius Sacramenti, scilicet matrimonii dissolvendi: casu tamen, quô de matrimonii valore lis est, reo absente, sufficit verisimilis præsumptio de ejus obitu ad hoc; ut testes recipi, & juxta allegata & probata de matrimonio valeat pronuntiari. Ita cum Panormit. in §. *Porro cit. n. 12.* Laiman. *Lib. 5. p. & cap. 3. n. 2. in fine.*

11. Quartò, eadem non semper necessaria est; ut testes recipi & sententia ferri possit, cùm quæstio est de valore matrimonii spiritualis, inter Prælatum absentem & Ecclesiam non solùm inchoati per electionem, & antequam huic ab electo præstitus sit consensus, ut vult Glossa in §. *Porro cit. V. Alicujus*: sed etiam per confirmationem ratificati, & ipsam etiam consecrationem consummati ac perfecti §. *cit.* cujus tamen etiam decisionem planiorem distinctio reddet; vel enim agitur ad illum ab Ecclesiæ suæ Prælatura removendum propter aliquod crimen, perpetratum ab eo, jam canonicè institutô: vel propter nullitatem vg. electionis ex defectu formæ, aut personæ vitiô provenientem.

12. Si prius, neque statim condemnandus, aut contra eum testes recipiendi: sed contumaciter absens excommunicandus; &, si, insuper habitô anathemate, intra annum non compareat, tum demum contra eum ad privationis vel depositionis sententiam procedendum est, *can. Rursus 36. can. Quicunque 37. & c. 11. q. 3. & c. Veritatis 8. de Dolo*, Panormit. *in* §. *cit. n. 4.* & *ibi* Laiman *n. 7.*

13. Si posterius, & Prælatus contumaciter absens ad terminum peremptorium non compareat, testes recipi: &, si causa liqueat, ad sententiam definitivam procedi contra eum potest, per §. *cit.* textum: quô ratio ea redditur; ne ob longiorem moram & diutinam vacationem Ecclesia in spiritualibus & temporalibus patiatur detrimentum. Quæ ratio, cùm etiam in inferioribus beneficiis, saltem animarum curam annexam habentibus, procedat, eôdem modô adversus inferiores beneficiatos, saltem curatos, procedendum, cum Innocentio in §. *cit. V. Alicujus*, notat Panormit. *l. cit.*

Quantum autem temporis spatium hujusmodi Prælato contumaciter absenti pro termino assignandum sit, variant DD. apud Glossam in §. *cit. V. Definitum.* Mihi non displicet Opinio Laimanni in *c. Cùm*

c. Cùm olim 7. de Dolo, n. 5. Prælato solùm electo sex menses: ei verò, qui insuper confirmatus, aut consecratus jam est, majus temporis spatium indulgendum, asserentis, præsertim, si iste extra provinciam absit: sicut *c. cit.* ei ad comparendum integer annus est assignatus. Si
14. verò posteriori casu electus absit sine contumacia: aut, ubi versetur, ignoretur, sex, juxta §. *cit.* vel si ad Cathedralem, vel inferiorem, sed sedi Apostolicæ immediatè subjectam Ecclesiam electus sit, tribus mensibus erit exspectandus, *arg. c. Quam sit 6. de Elect. in 6.*

15. Quintò, testium examini & attestationum receptioni, lite non contestatâ, locus in causis Civilibus est, quoties rationabiliter timetur; ne aliàs rei veritas occultetur & probationis copia subtrahatur, *c. fin. cit. pr. & c. Cùm dilecta 4. V. Nos igitur attendentes, de Confirmat. util.* sicut contingit

16. Primò, cùm testes, ex quorum depositionibus de rei alicujus veritate constare potest, sunt senes, *pr. cit.* cujusmodi, licet non centenarii duntaxat & octogenarii, sed etiam septuagenarii censeantur, in proposita tamen materia judicis, ipsorum complexionem (quâ consideratâ non omnes eôdem ætatis annô: sed aliqui citiùs, alii tardiùs senescunt) æstimantis arbitrio, cum Innocentio *in pr. cit. n. 3.* & Panormit. *ibid. n. 18.* Farinacius *Prax. Criminal. q. 76. n. 83.* ita permittit; ut eum, qui septuagenarius aut major est, pro sene habere semper debeat: eum verò, qui illâ ætate minor, quinquagenariô tamen major est, an senex vel non sit, arbitrari ex complexione sive habitudine corporis possit.

17. Secundò, cùm iidem sunt valetudinarii; ut, ne præmoriantur, timeri rationabiliter possit ex corporis, periculosis morbis obnoxii, debilitate: vel profecturi ad bellum, aut periculosam navigationem in gressuri, *arg. pr. cit.* Qua in re iterum judicis, rerum circumstantias ponderantis, prudenti arbitrio locum esse, cum *citt.* Innocent. *n. 2. & 3.* & Panormit. *n. 19.* advertit idem Farinac. *n. 86. & 89.*

Tertiò, cùm iidem diu & in locis 18.
multùm remotis abfuturi sunt; ut neque ipsos ad testimonium dicendum advocari: neque eorum examen & depositionum receptionem aliis committi & obtineri facilè posse, judicetur, *citt.* Innocent. *n. 2.* Panormit. *n. 21.* & Farinac. *n. 85.* Eôdem modô de facto in loco valde remoto examen testium ibi peti posse: & attestationes in domicilii & judicii loco exhibitas fidem facere, docet *cit.* Haunold. *Tom 5. de J. & J. Tract. 4. n. 112.*

Quartò, cùm morale periculum est, ne testes, si eorum examen differatur, obliturі sint facti, præsertim valde intricati, super quo eorum testimonium desideratur, ut colligitur ex *cit. pr.* Verbis, *Ne fortuitis casibus copia probationis subtrahatur:* & à paritate instrumentorum, quæ, cùm periculum est, ne ob nimiam vetustatem corrumpantur, & probandi vim amittant, renovanda sunt, per *cit. V. Nos igitur attendentes.* Ratio est; quia testis rei oblitus de ea testimonium perhibere, perinde ut mortuus, non potest, Haunold. *ibid. n. 111.*

Quintò, cùm periculum est; ne testes, propter affinitatem, vel aliam necessitudinem cum adversario contrahendam, veritatem cum tempore suppressuri sint, aut variaturi, *citt.* Panormit. *n. 6.* & Farinacius *n. 43.*

Sextò demum, quando testium re- 19.
ceptio ad perpetuam rei memoriam adhibetur: quæ ex hac causa pro reo frequenter: pro actore autem rarò concedi solet; cùm iste agere, si velit, plerumque possit; ac proinde ferè sibi tantùm

debeat imputare, quòd non agat, quando teſtes aliásque probationes paratas habet: contrà in rei poteſtate non ſit, quando ab actore conveniatur, *citt.* Farinacius *n.* 11. & Haunold. *n.* 14.

20 Dixi, *Rarò*: non, *Nunquam*; cùm enim non deſint caſus, quibus etiam actor, licet maximè velit, agere tamen non valeat, examinatio teſtium ad perpetuam rei memoriam aliquando etiam ipſi conceditur, vg. cùm agere vult ex teſtamento; cùm enim hoc non poſſit, niſi conſtet de illius valore, utique ſuper iſto priùs teſtes recipi, neceſſe eſt, quàm agat ex teſtamento, Panormit. *in c. Significavit 41. de Teſt. & atteſt. n.* 4. & *cit.* Haunold. *n.* 115. cùm ei debitum eſt in diem, vel id à futura conditione aut alieno arbitrio dependet; cùm enim ante diei adventum vel conditionis impletionem, aut alienæ voluntatis declarationem agere non valeat, æquum omnino eſt; ut, talibus caſibus ad certificandum debitum, teſtium examen & atteſtationum receptionem petere, etiam ipſi permittatur, ut deſumitur ex *l. In lege 40. ff. ad L. Aquil.* & Bartolo, Baldo aliísque DD. allegatis docent Farinac. *q. cit. n.* 12. & noviſſimè Brunneman in *l. cit. n.* 6.

21. Ut autem, lite non conteſtatâ, receptæ teſtium depoſitiones valeant, plerique & rectè exigunt; ut, ſi commodè queat, citetur pars adverſa; quia intereſſe debet teſtium productioni ac juramento, *c. In nomine 2. de Teſt. & atteſt.* cùm generaliter, quando de alicujus intereſſe agitur, ſemper is ad judicium ſit vocandus, *l. De unoquoque 47. ff. de Re judicata* Vel; ut actor, ſi reus ſive adverſarius per abſentiam, non malitiosè procuratam, citari nequeat, intra annum à tempore, quò reum convenire potuit, numerandum, inſtituat actionem: vel ſaltem iſti denuntiet factam teſtium receptionem; ne fortè per fraudem reo eripiatur conditio, oppoſitis legitimis exceptionibus teſtes repellendi, per *pr. cit.* textum, Gloſſam *V. Intra annum, & V. ad Repellendum*, aliósque Interpp. & DD. ita; ut, ſi intra annum, cùm poſſet, neque actionem inſtituat, receptionis teſtium denuntiationem faciat, id fraude & ad excipiendi commoditatem reo adimendam omiſſum, Juris & de Jure præſumptio ſit; ac proinde in contrarium probatio directa non habeat locum, *Directa*, inquam, ſive reſpectu fraudis: non *indirecta*; quia, ſi actor, ad cujus inſtantiam teſtes recepti ſunt, inta annum reum convenire, eique teſtium receptionem denuntiare, in ſua poteſtate non fuiſſe, probare vellet, eum non repellendum, cum *cit.* Panormit. *n.* 12. docent Menoch. *Lib.* 2. *Præſumpt.* 54. *n.* 3. & Farinac. *q. cit. n.* 170.

Dixi etiam, *Si commodè queat*; 22.
quia, ſi mora aut citatio denuntiatióve periculum afferret, à Juris communis Regulis & rigore recedere liceret, *arg. l. De pupillo* 5. §. 12. *ff. de Novi op. nunt.* adeò; ut, ſi præſens neceſſitas vg. periculum mortis alicujus teſtis exigat, iſtius receptio coram judice etiam incompetente, & parte non citatâ, ſubſiſtat, *arg. l. fin. C. de Teſtibus*, Bartol. *in l. Admonendi 31. ff. de Jurejurando n.* 41. & Gaill. *Lib.* 1. *Obſervat. 93. num.* 3. &, ſi adverſarius propter ipſius potentiam & tyrranidem, ſine gravi incommodo conveniri, eive receptio denuntiari non poſſet, iſta, ſine prævia monitione ac denuntiatione ſubſecuta, valeat, Vallenſ. *ad hanc Rubr. v.* 3. *in fine.*

Præterea ſuprà dixi, *In cauſis Civilibus*, aut etiã in Criminalibus, civiliter 23.
intentatis; ſi enim de crimine ad inſtantiã partis ageretur criminaliter, ante litem cum reo conteſtatam, pro futura accuſatione

tione testes recipi non possent: etiamsi criminis probandi copia ob illorum mortem, absentiam, oblivionem interitura timeretur, ut argumentò ductò à contrario desumitur ex *pr. cit.* verbis, *Cùm civiliter est agendum*: atque cum Glossa *V. Civiliter* notat *cit.* Panormit. *n. 5.* & Regulæ instar tradit *cit.* Farinac. *num. 113.* Ratio est; quia agitur de gravissimo præjudicio rei: quem etiam absentem absolvi, satiùs est, quàm innocentem condemnari, *l. Absentem 5. ff. de Pœnis.* Unde in causis Criminalibus etiam probationes liquidæ & indicia luce meridianâ clariora exiguntur, *l. fin. C. de Probat. & can. Epiphanium 5. q. 6.* 24. Pro *Accusatione*, inquam, *Futura*; quia pro defensione & suæ innocentiæ probatione reus testes producere, eorúmque examen petere, quandocunque vult, potest, cùm; quòd ejus causa favorabilior sit, quàm actoris, *l. Favorabiliores 125. ff. de R. J.* tum verò; quod in ipsius potestate non sit, quando conveniatur, *l. Purè 5. §. fin. ff. de Doli mali except.* Baldus *in c. fin. cit. n. 7.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 92. n. 15.* & Farinac. *q. cit. n. 127.*

Idem reo etiam permittitur in causis Civilibus; timens enim, ne sibi super contractu aut alia re gesta cum tempore controversia moveatur, & interea pereat copia probationis, petere à judice, lite non contestatâ, potest; ut, adversariò & aliis, quorum interest, vocatis, pro defensione sive exceptione sua examinentur testes, non tantùm senes, infirmi, abfuturi, sed quicunque negotio interfuerunt: eorúmque depositiones & dicta publicentur, & ad perpetuâ rei memoriam in publicum instrumentum redigantur, juxta *c. Significavit cit.* Glossa *in c. fin. cit. §. Sunt & alii V. Publicatio* & aliis DD. relatis Farinac. *q. cit. n. 64.* Nisi tamen actor præsens ad agendum se offerat; hôc enim casu testium, quos propter senium aut debilitatem præmorituros, aut, cùm recipiendi essent, abfuturos, periculum non est, etiam pro parte rei receptio usque ad litis contestationem esset differenda, Joann. Andr. *in c. Significavit cit. n. 10.* & *cit.* Farinac. *n. 74.* 25.

TITULUS VII.

De Iuramento Calumniæ.

SUMMARIUM.

1. *Præstatur hoc post litis contestationem,*
2. *Vel postea in quavis parte primæ,*
3. *Et in secunda instantia repetitur.*
4. *Præter id locus est juramento Malitiæ.*
5. *De Calumnia præstandi natura.*
6. *Differentia à Malitiæ & Veritatis juramentis,*
7. *Et Calumniæ juramenti objectum declaratur.*
8. *Præstandum hoc est à litigantibus principalibus:*
9. *A Tutoribus, curatoribus, syndicis,*

10. *Et procuratoribus etiam particulabus,*
11. *Qui etiam in animam domini jurant:*
12. *A clericis in propria causa & coram judice suo,*
13. *Et cum Prælati consensu à Religiosis.*
14. *Non à parente & patrono cum liberis aut libertis:*
15. *A domino cum vasallo.*
16. *Et à Principe cum subdito litigantibus.*
17. *Votum jurandi ab eo non excusat:*
18. *Neque etiam remissio expressa,*
19. *Aut consuetudo:*
20. *Nisi hæc speciali ratione nitatur.*
21. *Præstatur etiam in Spiritualibus,*
22. *Et in Criminalibus causis:*
23. *Et regulariter tactis,*
24. *Vel propositis Evangeliis.*
25. *A Judæis propositô Decalogô.*
26. *Id præstans bonâ:*
27. *Recusans malâ fide litigare præsumitur, & actione,*
28. *Non tamen beneficiali & similibus causis cadit.*
29. *Tutoris pupillo,*
30. *Et Prælati recusatio Ecclesiæ non nocet.*

1. POst litis contestationem, priusquam positiones & articuli offerantur, actor & reus præstare solent juramentum, quod dicitur Calumniæ, *c. Cùm causam 6. in fine, Auth. Hoc Sacramentum & l. Cùm & judices 2. pr. C. hâc Rubr.* sive *de Jurejurando propt. calumn.* Subintellige autem in Rubrica Verbum, *Vitandæ*, sive non inferendæ, eôdem ferè sensu, quô Apostolus 1. Corinth. *cap. 7. V.* 2. uxorem habendam dicit, *Propter fornicationem*, evitandam, sive non committendam, *can. Nervi 2. §. Est tamen, dist. 13. & pr. cit.* Panormit. & Laiman *in hanc Rubr.*

2. Si autem eo tempore fuit prætermissum, de Jure Canonico (non Civili; hôc enim Jure aliud dispositum est *l. Cùm & judices cit. §. fin.*) ad instantiam partis vel ex officio à judice deferri poterit in quavis judicii parte: donec in causa fuerit conclusum, ex Constitutione Bonifacii VIII. *c. 1. pr. in 6.* Casu etiam, quô à sententia fuit appellatum, exigi calumniæ juramentum iteratò jubetur, *c. In appellationis 2. pr. in 6.* 3. Cui non adversatur; quòd, juramentum hoc in eadem causa non sæpiùs præstandum, habeatur *Auth. In istô C. hâc Rubr.* quia, id de causæ sive judicii instantia intelligendũ, notat Glossa *in l. Cùm & judices cit. V. Monuisse*: non de negotio sive tota controversia inter partes agitata; etsi enim hæc eadem, instantia tamen causæ Appellationis diversa est ab instantia causæ Principalis, aliúsque istius, quàm illius judex & tribunal: quandoque etiam aliæ probationes sunt & exceptiones. Ut adeò mirum non sit; quod, sicut oblatio libelli, & aliquorum tribunalium praxi litis contestatio, sic etiam ad evitandam calumniam juramenti præstatio nova adhibeatur, Franc. *in c. cit. n. 1.* 4. Quantumvis autem hoc juramentum in una instantia semel præstari sufficiat; quia ad omnia in ea subsequentia extenditur: attamen, si in decursu suspicio sit, malitiosè aliquid ab actore proponi, vel à reo excipi, aut dilationem peti, exigi super eo sæpius poterit juramentum, quod dicitur Malitiæ: quô jurant, id à se non fieri malitiosè, *c. In appellationis cit. §. fin.*

5. Porrò Calumniari in Criminalibus dicitur, qui falsa crimina intentat *l. & §. 1. ff. ad S. C. Turpil.* in Civilibus autem, qui sciens prudénsq; per fraudem & frustrationes alios litibus vexat, *l. Si calvitur 233.*

tur 233. pr ff. de V. S. Unde juramentum calumniæ est, quod à litigantibus præstatur super causa, bonâ fide susceptâ & deinceps prosequendâ: sive, quô affirmant, se existimare, quòd bonam causam habeant: & omnem fraudem agendô vel excipiendô seque defendendô abfuturam, promittunt, ut desumitur ex *pr. l. Cùm & judices cit.*

6. Affine huic est juramentum, quod dicitur Malitiæ: ab eo tamen differt; quòd de calumnia post litem tantùm contestatam, & super eadem totáque instantia semel duntaxat juretur: de Malitia autem juramentum, quoties in judicio aliquid malitiosè proponi præsumptio vel suspicio est, tam ante, quàm post litis contestationem exigi possit: præterquam, quòd calumniæ juramentum, etsi hodie perinde ut, quod de malitia est, etiam in spiritualibus & Ecclesiasticis, *c. 1. §. Quamvis in 6.* Antiquo tamen Jure in prophanis duntaxat & Civilibus causis potuerit adhiberi, *c. Literas 2.* Speculat. *de Juram. Calumn. §. 1. n. 9. & 10.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 3. n. 455.*

Eidem Calumniæ juramento affine etiam est juramentũ, quod dicitur Veritatis & deponitur super scientia seu veritate, quæ de re scitur, dicenda: convenítque cum Calumniæ juramento; quòd, ut hodie istud, sic ipsum quoque ab ipsô litis exordio & in qualibet ejus parte, in qualibet causa & in utraque instantia exigi ac præstari queat, *c. 1. & c. fin. in 6.* ab illo verò eô potissimùm hodie differt; quod non, ut quod de calumnia vitanda præstatur, solius Credulitatis, sed cognitæ Veritatis juramentum sit: & non, ut illud, super tota causa, multa capitula complectente, sed super uno duntaxat articulo exigatur ac præstetur, Panormit. *in c. Literas 2. n. 10.* & Speculat. *Tit. de Juram. calumn. §. 2. à n. 12.* ubi inter utrumque hoc juramentum intercedentes complures differentias recensent.

Objectum Calumniæ juramenti Glossa *in c. 1. V. Calumniæ* & DD. passim his quatuor versibus solent complecti. 7.

Illud juratur, quod lis sibi justa videtur.
Et, si quæratur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

De ea itaque non inferenda juramentum præstantes actor & reus jurare debet Primò; quòd credat, se justam causam habere ac fovere, *l. Cùm & judices cit. pr.* Secundò; quòd in judicio interrogatus veritatem non negabit, ut habet consuetudo. Tertiò; quòd neque falsâ probatione uti, neque probationem superfluam exigere ab adversario velit, *Auth. In isto cit. & Novell. 49. cap. 3.* Quartò; quòd neque judici, neque alteri ad corrumpendum judicium aliquid dederit vel promiserit, aut daturus sit: nisi quibus de Jure licet, *Auth. Principales C. hâc Rubr. & Novell. 124. cap. 1.* Quintò; quòd litis protrahendæ causâ exacturus non sit dilationem calumniosam, *l. 1. cit.* Et demum sextò; quod temere non sit appellaturus, ut in multis Germaniæ curiis usu receptum, testis est Mynsinger *Cent. 3. Observat. 56.*

Præstari juramentum hoc regulariter debet ab omnibus litigantibus, etiam Ecclesiasticis & Primò quidem à Principalibus actore & reo, *l. Cùm & judices cit. pr.* eorúmque hæredibus, ad quos instantia transit, *Auth. Principales cit.* junctâ Glossâ *V. Migraverit.* Ratio est; quia juramenti religione solus, qui id præstitit; ac proinde solus defunctus, non etiam hæres tenetur, *c. Veritatis 14. de* 8.

Jurejuran-

Jurejurando, Bartol. *in Auth. Quod obtinet C. de Probat. n. 3.*

9. Secundò à tutoribus, curatoribus, syndicis, sive actoribus generalibus, oeconomis, Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorûmque Collegiorum & Universitatum generalem administrationem obtinentibus, quando alieno nomine in judicio agunt, *c. 1. In pertractandis 3. & c. Imperatorum 4.* qui, licet mandatum speciale non receperint, in proprias animas jurare debent; cùm enim ex una, justitiam causæ meliùs scire præsumantur, quàm ii, quorum res & negotia administrant: ex altera verò parte, calumniæ juramentum de justitia causæ, sive istius existimatione sit, æquum est; ut ab ipsis potiùs, quàm ab istis præstetur.

10. Tertiò, etiam à procuratoribus ad litem particularibus, quantumvis principales eos constituentes de calumnia jam jurârint: & à causarum advocatis, *c. In appellationis cit. §. Procuratores, in 6. l. Cùm & cit. pr. & §. 3. & l. Rem non novam 14. §. 1. C. de Judiciis.* Imò ab hujusmodi procuratoribus duplex calumniæ juramentum est præstandum. Unum in animam domini, ad quod speciali mandatô instructi esse debent, *c. Nullam 3. in*

11. *6.* Alterum in animam suam & nomine proprio; quòd existiment, causam, quam susceperunt, esse justam, Glossa *in §. Procuratores cit. V. Ab ipsis*, Francus *ibid. n. 2.* & Gaill. *Lib. 1. Observat. 88. à n. 1.* ubi rectè excipit procuratorem patri à judice ex officio datum; hic enim, licet ad præstandum in animam suam calumniæ juramentum quoad ea, quæ ad officium procuratoris spectant, etiam ipse teneatur, compelli tamen ad id non potest, quoad ipsa merita & justitiam causæ, *citt.* Gaill. *à n. 8.*

12. Quartò, à clericis in propriis causis coram Ecclesiastico & suo judice per se ipsos litigantibus, *c. Caterum 5. In Propriis*, inquam, *& Coram Ecclesiastico suoque judice*; quia Imprimis, si non propria ipsorũ clericorum, sed Ecclesiæ causa agatur, calumniæ juramentum procuratori committere possunt, *c. 1. ubi* Barbosa *n. 3.* Deinde; quia coram Seculari judice litigantes juramentũ illud præstare per se ipsos de Jure nunquam possunt sine licentia Episcopi, *can. Nullus 22.* junctâ Glossâ, *V. Laico, 22. q. 5.* Innocent. *in c. 1. n. 1.* & Pirrhing *hîc n. 11.* Neque refert; quòd jurare absq; tali licentia possint in contractibus cum laico celebratis; quia hujusmodi juramentũ est merè voluntarium & liberè susceptũ: id autem, quod de calumnia non inferenda à judice imponitur, necessarium & coactivum est; Innocent. *in c. 1. cit. n. 2.* Demum; quia clericis, etiam coram judice Ecclesiastico alieno sine Episcopi sive Ordinarii sui licentiâ jurare, Jura non permittunt, per *c. 1. cit.* cujus textu sine ejusmodi licentia jurare clerici generaliter prohibentur; quòd in judicem non suum consentire sine ea non possint, *c. Significâsti 18. de Foro compet.* Glossa *fin. in c. 1. cit.* & *ibi* Panormit. *n. 20.*

Quintò, à Religiosis: sed non sine 13
consensu sui Superioris, arg. *c. Caterùm cit.* quia clericorum nomine in materia favorabili etiam ipsi veniunt, Panormit. *in c. cit. n. 9.*

Sextò, parentibus etiam & patronis, 14
cum liberis aut libertis suis litigantibus, de calumnia jurandum, in terminis tradi videtur, *l. Jusjurandũ 34. §. 4.* ibi. *Hoc jusjurandum de calumnia neq; patrono neq; parentibus remittitur, ff. de Jurejurando.* Nihilominus, ipsos ab hoc præstando exemptos, à DD. receptum & clarè proditũ est, *l. De die 8. §. 5. ff. Qui satisd. cog.* Verbis, *Quibusdam hoc jusjurandum de calumnia remittitur, veluti parentibus & patronis* Cui textui perspicuè consonat,

l. Patro-

l. Si Patronus 16. ff. de Jurejurando & l. Qui bona 13. ff. de Damno infecto: cujus §. 14. etiam, qui à calumniæ juramento exemptorum locò litigant, id præstare non compelluntur. Luculentis his textibus accedit ratio reverentiæ debitæ his personis; quia utique parentis & patroni persona sanctior & honestior liberis ac libertis esse debet, quàm ut suspicari debeant, illos calumniandi animò quidquam attentaturos, *l. Licet 8. §. 4. ff. de Obseq. parent. & patron. præst.*

Ne autem cum hac ratione & textibus pugnet, *l. Jujurandum cit. §. 4.* hunc vitiosum, & pro *Neque* legendum *Æquè*, ut sensus sit, calumniæ juramentum æquè patrono & parentibus remitti, ex antiquis M. S. Codicibus desumunt Baldus *in l. Cùm & judices cit.* Obrecht *de Jurament. calumn. cap. 5.* & Cujacius *de Feud. Lib. 4. tit. 6.* Quam Neotericorum sententiam amplexus est Zoesius *in ff. de Jurejurando n. 32.*

Neque ei adversatur, *l. Quotiens 14. ff. Rubric. cit. & Novell. 49. cap. fin.* quorum textuum illò juramentũ in rem nec parenti nec patrono remitti; istò verò calumniæ juramentum omni personæ litiganti præstandum, disertè asseritur: Non, inquam, Neotericorum lectioni hi textus adversantur: Posterior quidem; quia illum, ut cum anterioribus Juribus concilietur, de omnibus personis, quibus reverentia non debetur, exaudiendum, juxta *l. Sed & posteriores 28. ff. de LL.* monet Obrecht *cit. cap. 5.* Prior verò; quia inter *Calumniæ*, & *In rem* juramenta latum discrimen intercedit; cùm istud parenti & patrono deferens iis, dum causæ suæ judices facit, non minùs, quàm sibi credit: illud contrà exigens ab adversario calumniam se metuere profitetur: quorum hoc, non illud reverentiæ & honori, parentibus ac patronis debitis, adversatur, ut rectè observat Hunnius *Vol. 1. in Treutl. disp. 21. q. 61.*

Sicut hos cum liberis aut libertis, sic & dominum feudi cum vasallo, & hunc vicissim cum illo litigantem, ad juramentũ calumniæ præstandũ non cogendum, Feud. *Lib. 2. Tit. 33. §. 1.* habetur; cùm propter reverentiam, quam domino debet vasallus: tum verò; ut inter eos constituatur æqualitas, in judiciis maximè observanda, *Reg. Non licet 32. in 6.* Corvinus *Jur. Feudal. Lib. 4. tit. 5. V. Lite.*

Multò magis, quàm cæteri feudorum domini, ad juramentum hoc non adstringuntur Principes supremi, cùm; quòd eorum dignitas non patiatur aliquid calumniæ suspicari: tum verò; quòd Humani Juris legibus non adstringantur, *l. Princeps 31. ff. de LL.* Gonzalez *in c. finum. 6.* 15. 16.

Dubium nunc primò est, an calumniæ juramentum exigi valeat ab eo, qui nunquam jurandi votò est obstrictus. Negant id aliqui, hujusmodi votum universaliter obligatorium, existimantes. Sed meliùs affirmat Jordanus *Lucubrat. Lib. 14. tit. 7. n. 41.* eâ permotus ratione; quòd aliàs leges, calumniæ juramentum litigantibus imponentes propter utilitatem publicam, *l. Sed & cit. §. 4.* à privatis facilè eluderentur. Nequaquam tamen, ut hic Autor existimat, opus est Episcopi dispensatione; quia ejus voti obligatio se non extendit ad calumniæ juramentum: aut, quatenus ad hoc se extendit, non est de meliori bono; cùm juramentum hoc, exigente Justitia, melius sit præstare, quàm non jurare, Haunold. *cit. Tract. 3. n. 349.* 17.

Dubium secundò est, an calumniæ juramentum à collitigantibus sibi mutuò valeat remitti. Ratio dubitandi est partim; quia non est de substantia judicii; cùm ejus tacita remissio, sive non exacti omissio, processum (aliàs validum) non 18.

reddat nullum, *c.* 1. §. *Propter, hâc Rubr. in 6.* partim verò; quòd introductum videatur in favorem partium: quæ proinde juri suo poterunt renuntiare, *c. Si de Terra 6. C. de Privileg.*

Sed rationibus his prævalet decisio Juris, id collitigantium pacto & collusione remitti, non permittentis, *l. Cùm & judices cit.* §. 4. *& §. Propter cit.* Glossa *ibi, V. Tacitè & cit.* §. 4. *V. Remitti.* Ratio redditur §. *cit.* quia juramentum hoc introductum est, non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate; ut temerarii litigantes, scientes id à se exigendum, absterreantur à litigando: ideóque privatorum pactionibus ei nequit renuntiari, arg. *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & L. Jus publicum 38. ff. de Pactis* Accedit; quòd expressa ejus remissio invitet partem ad delinquendum, concedendô ei facultatem liberiùs calumniandi; & propterea, sicut dolus futurus, expressè nequeat remitti, Baldus *in* §. 4. *cit.* & Vivianus *in* §. *Propter cit.* Ex quibus enervis est ratio dubitandi altera. Neque vim habet prior; esto enim; quòd, cùm non exigitur, de substantia judicii nõ sit, ad hanc tamen pertinet præstatio exacti, ejúsque omissio vitiat processum, *cit.* Gaill. *Observat. 8. n. 1.* & Bruneman. *in cit.* §. 4. *n. 26.* Accedit; quòd tacita remissio ad peccandum non invitet; cùm exigi à parte, & à judice ex officio imponi liberè possit, *c. 1. cit. in 6.* Unde juramenti istius remissio non malè accensetur casibus, quibus plus operatur Tacitum, quàm Expressum, contra vulgatum, quô Taciti non major vis esse perhibetur, quàm Expressi, ut notat *cit.* Jordanus *n. 26.*

19. Dubium tertiò est, an de calumnia jurandi obligatio tolli possit consuetudine. Affirmativam suadet praxis Galliæ, à cujus omnibus & nonnullis etiam Belgii tribunalibus juramentum calumniæ recessisse, testis est Corvinus *Enarrat. C. hâc Rubr. in fine.* Sed non persuadet; quia juramentum hoc de Jure Canonico, contrariâ consuetudine non obstante, exigi posse, disertè statuitur, *c. Cæterùm 5.* Neque refert; quòd textu isto de solis clericis sit sermo: quia eô expressa ratio generalis; *Ne veritas occultetur*, etiam laicos comprehendit; cùm etiam his ad occultandam veritatem, ad fraudes & calumnias struendas via non sit aperienda. Quare, licet moribus introduci valeat; ut juramentum calumniæ non præstetur, si non exigatur: & judex illud deferre ordinariè non teneatur: non tamen valet consuetudo, vi cujus exactum, saltem in ardua & magni momenti causa, non sit præstandum, propter defectum rationabilitatis, *arg. c. Ad audientiam 3. & c. Ex parte 10. de Consuet.* Vivianus *in c. Cæterùm cit.* Quæ, si in provincia aliqua non deficeret; quòd, sicut propter reverentiam & honorem in parentibus & patronis & feudorum dominis, sic in ipsa propter hominum eximiam probitatem fidelitatémque calumniæ suspicio non subesset: vel contrà, propter nimiam populi levitatem frequentium perjuriorum speciale periculum foret, consuetudinem, calumniæ non inferendæ juramentum remittentem, cum Panormit. *in c. Cæterùm cit.* pro invalida non haberet *cit.* Gaill. *Observat. 85. à n. 4.* 20.

Jurandum autem de calumnia est in omnibus causis, etiam spiritualibus, *c. 1. cit.* §. *Quamvis in 6.* cujus textûs recentiori dispositione antiqui Juris, in hujusmodi causis calumniæ juramentum indicentis, *c. Literas 2.* correctio prodita est ex ratione; quòd cum tempore crescente malitiâ animadversum sit, calumnias à litigantibus etiam in spiritualibus causis irrogari, Gonzalez *in c. fin. n. 13.* ubi 21.

Dubium est, an in causis etiam Criminali- 22.

minalibus exigi Jure possit. Ratio dubitandi est; quòd magnũ periculum perjurii sit ex parte rei, pœnarum timori plerumq; plus, quàm jurisjurandi Religioni tribuentis: actorem etiam præ ista à calumnia absterreat inscriptio in crimen, sive pœna Talionis, *l. fin. C. de Accusat.* Accedit; quòd calumniæ juramentum sit de credulitate sive existimatione, *pr. l. Cùm & judices, cit.* in Criminalibus autem, non de credulitate: sed de veritate sive, in accusationis libello contenta omnia vera esse, oporteat jurare, *l. Inter omnes 46. §. 7. ff. de Furtis & l. Marcellus* 11. §. 1. *ff. de Act. ver. amot.* Quibus rationibus permoti Cuiacius *in Novell. 48. cap. fin.* Sichardus *in C. ad hanc Rubric. num. 5.* & Wesenbec. *in ff. de Jurejurando num. 7.* quando de crimine agitur criminaliter, calumniæ juramento locum esse, negant

Sed meliùs *citt.* Jordanus *n.* 21. Hunnius *q. 3.* & Haunold. *n.* 467. Spectatô Jure, etiam cùm de crimine agitur criminaliter, de calumnia jurandum, volunt cùm; quòd, *l.* 1. *C. hâc Rubr.* de ista jurandum habeatur generaliter in omni causa, in qua necessitas probationis incumbit: tum verò; quòd *c.* 1. *V. Nos itaque*, clerici à præstando hujusmodi juramento (quando in causa suæ Ecclesiæ coram judice non suo litigant, *c. fin. pr.*) eximantur generaliter *In causa quacunque, sive Civili, sive Criminali:* quibus verbis supponi videtur, à non exemptis id in causis etiam criminalibus præstandum, Glossa *in c. cit. V. Criminali.* Quod etiam suadet ratio; quia in criminalibus, quantò de majori præjudicio & periculo agitur, tantò cautiùs agendum, majoríque studio calumniis est occurrendum.

Neque contrarium evincunt allata argumenta; quia Imprimis inscriptio accusationem malè cæptam prosequendi ansam præbet; ut, illâ probatâ, aliàs contrahenda Talionis pœna evitetur. Tantùm abest, quòd calumniandi periculum omne excludat. Deinde; quia etiam in Civilibus calumniantes, sicut & temerè litigantes, ad certas pœnas trahuntur: & tamen à calumniæ juramento non eximuntur, ut rectè arguit Haunoldus *l. cit.* Denique; quia *ll. citt.* juramentum de credulitate à causis Criminalibus non removetur. Neque ejus remotionem persuadet ratio; cùm, bonam causam se fovere accusator, sicut existimare debet, sic etiam hujus existimationis fidem juramentô fieri, á ratione minimè sit alienum.

Præstandum, cùm exigitur, hoc 23.
jnramentum regulariter est tactis Sacrosanctis Evangeliis. *l.* 1. *& l. Cùm & cit. pr. C. hâc Rubr. Regulariter*, inquam, 24.
propter Episcopos; à quibus, quando per se ipsos litigant, propter Pontificalis dignitatis reverentiam, non tactis, sed propositis tantùm Evangeliis & manu pectori admotâ, jurandum est, secundùm *c. fin. pr. & Novell.* 127. *cap.* 7. Panormit. *in c. fin. cit. n.* 3. & *ibi* Gonzalez *n.* 6. Nisi in causis valde arduis, ut est abjuratio Schismatis: in quibus tactis Evangeliis etiam Episcopi jurant, *can. Quoties, 1. q. 9.* In causis contrà Civilibus iidem & cæteri presbyteri jurare non tenentur: sed sufficit, quòd per sacram suam Consecrationem, bey ihrer heiligen Weyh/Geistlichen Ehren vnd Würden aliquid asserant vel promittant, *can. Si quis Presbyter, 2. q. 5.* Quô modô facta promissio vel assertio, etsi juramentum propriè non sit, non minùs tamen religiosè, quàm ab aliis illud, observari solet & debet, *Suarez de Juramento Lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 19. & Laiman. *Lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 8 *n.* 2. *V. Prosolutione.*

Deinde propter Judæos, à quibus 25.
cum Christianis litigantibus, non super

Evangeliis; quia, cùm his non credant, falsum facilè jurarent: sed super tactô, vel propositô Decalogo, vel Lege Moysis jurandum, cum pluribus notat *cit.* Jordanus *num. 46.* Eos tamen, si quando per Christũ, aut tactis Evangeliis jurarent, ad juramenti observantiam compellendos, aliis DD. allegatis, rectè idem monet.

26. Præstiti calumniæ juramenti effectus potissimus est; quòd jurans ab omni calumniæ suspicione excusetur, & bona fide litigare præsumatur, si contrarium non probetur Wesenbec, *in C. hâc Rubr.* 27. *n. 11.* Contrà, id exactum non præstans, temerè & calumniandi animô judicium subire præsumatur; & propterea litigantes principales, id recusantes, damno litis coërceantur; ut actor quidem, quasi improbus litigator, cadat ab instituta actione: reus verò in causis Civilibus & prophanis pro confesso habeatur, *c. fin. §. Pœna, & l. Cùm & cit. §. 6. & 7.* non quidem ipso Jure, sed per sententiam judicis, actore id præstare renuente, reum absolventis ab instituta actione: hunc verò idem recusantem, tanquam confessum, actori juxta petitionem in libello factam condemnantis, *Auth. Principales cit. & l. Unica* junctâ Glossâ, *V. Solvere C. de Confessis*, Gaill. *Lib. 1. Observat. 86. num. 1.* Unde Imprimis, qui juramentum hoc præstare noluit, postea ante hujusmodi sententiam latam se offerendô contumaciam & moram purgare, istiúsque pœnam evitare potest, arg. *l. Etsi 8. ff. Si quis cautioni &c.* quia in pœnis legalibus, ipso Jure non inflictis, mora purgari ante sententiam potest, *cit.* Gaill. *n. 3. & 4.* Deinde actore vel reô, qui de calumnia jurare renuit, ante judicis sententiam mortuô, pœna ista tanquam nondum commissa ad hæredes non transit, *l. Ejus qui 29. ff. de Jure Fisci*, Idem *l. cit.* & Vallens. *ad hanc Rubric. §. 4. n. 2.*

Dixi, *in Civilibus & Prophanis*; quia 28. huic recusationis pœnæ locus non est in beneficialibus & similibus causis spiritualibus; ne detur vitiosus ad beneficia ingressus. Neque etiam Criminalibus; cùm enim in his ad rei condemnationem probationes indubitatæ & luce clariores requirantur, *l. fin. C. de Probat.* rei accusati recusatio pro confessione non habetur; ut tanquam criminis reus valeat condemnari, *cit.* Haunoldus *n. 467.* & Bruneman *in Auth. In isto cit. n. 44. & 46.* Sufficiens tamen indicium est ad torturam, Menochius *Lib. 1. præsumpt. 89. n. 138.* Ubi

Dubium movetur, an principales li- 29. tigantes dictæ pœnæ obnoxii etiam sint, quando de calumnia jurare nolunt eorum procuratores, tutores & similes rerum alienarum administratores. Quod aliqui affirmant, & suaderi videtur ex eo; quòd administratoris, tutoris &c. expressam confessionem pupillo &c. nocere, doceat Bartol. *in l. Sed & cit. §. Quod observari 2. n. 6.* Unde idem dicendum videtur de confessione tacita, sive ex juramenti calumniæ recusatione à Jure præsumpta.

Sed, quidquid sit de Confessione, de 30. qua agemus *Tit. 18.* illorum recusationem dominis, pupillis &c. non nocere, desumitur ex *l. Unica ff. Si quis jus dic. non obtemp.* quâ, non dominum, pupillum &c. sed ipsum procuratorem puniri, expressè habetur. Ratio est; quia recusationis pœna Jure infligitur ob delictum: quod in domini, pupilli, Ecclesiæ damnum redundare non debet, per *Reg. Delictum 76. in 6.* cùm hi delictum mandâsse non præsumantur, Panormit. *in c. fin. cit. n. 21.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 34.*

Neque obstat *c. Imperatorum 4.* quia 31. istô agitur de casu, quô tam Prælatus, quàm Conventus non solùm de calumnia non ju-

non jurârunt, sed etiam ad id præstandum idoneum syndicum constituere recusârunt: cujusmodi ipsorum delictum meritò puniri & Ecclesiæ etiam nocere posse, advertit Panorm. *l.cit.* Ratio est; quia Prælatus cum Coventu seu Capitulo ipsam Ecclesiã vel Monasterium repræsentant & quodammodo, constituunt, *can. Scire, 7. q. 1. & c. Relatum 12. de Testamẽnt.* cùm Ecclesiæ vel Monasterii tanquam ficti corporis Ecclesiastici Prælatus Caput, canonici verò vel monachi Membra sint, *c. Novit 4. de His, quæ à Prælatis &c. ubi* Panormit. *n. 2.* & Tuschus *Practic. V. Ecclesia concl. 19. n. 1.*

TITVLVS VIII.

De Dilationibus.

SUMMARIUM.

1. *Dilationis definitio,*
2. *Et divisio in Legalem, Judicialem & Conventionalem.*
3. *Judicij tres sunt partes.*
4. *In prima Citatoriæ, Deliberatoriæ & Recusatoriæ:*
5. *In secunda Probatoriæ:*
6. *In tertia Definitoriæ & Executoriæ dilationes conceduntur.*
7. *Citatoriæ hodie sunt 30. vel 90. dierum,*
8. *Abbreviationi tamen & prolongationi obnoxiorum:*
9. *Deliberatoriæ & Recusatoriæ ad 20. extenduntur:*
10. *Nisi à judice restringantur vel prorogentur.*
11. *Probatoriæ 3. 6. vel 9 mensium, & parte citata dandæ sunt.*
12. *Quoties hæ in Criminalibus,*
13. *Et in Civilibus causis dentur.*
14. *Datæ ferè sunt litigantibus communes.*
15. *Definitoriũ arbitrarium:*
16. *Executoriũ quatuor mensiũm spatium datur.*
17. *Jure Canonico Dilationes omnes,*
18. *Et non rarò in Praxi arbitrariæ sunt.*
19. *Earum tempus ferè continuum est.*
20. *Dilationum effectus.*

LIte contestatâ & præstitô utrinque Calumniæ juramentô, à litigantibus peti & à judice concedi solent Dilationes, sive spatia temporis: quibus actor quidem intentionis, reus verò exceptionis, si quam se habere existimat, probationes valeant expedire. 1.

Est enim Dilatio judicialis, de qua agimus, Certi temporis ad actus judiciales assignatio, prorogatióve; vel, secundum Wesenbec. *in C. ad hanc Rubric. n. 1.* & Vallens. *ibid. §. & n. 1.* Justum temporis intervallum, quod ad actum aliquem judicialem commodiùs perficiendum, actori vel reo, conceditur.

Sunt autem & à Panormit. *in c. 1. n. 15.* statuuntur triplicis generis Dilationes, Legales, Judiciales & Conventionales. Le- 2.

les. Legales dicuntur, quæ simpliciter & determinatè conceduntur à lege vel canone, loci statutô vel curiæ stylô seu consuetudine: ut sunt decendium, à sententiæ latæ, vel saltem cognitæ die computandum, ad interponendam appellationem concessum, *Auth. Hodie C. & c. Concertationi 10. de Appellat. in 6.* quadriennium à vigesimo quinto exacto, sive à primo die vigesimi sexti ætatis annî usque ad impletum diem ultimum anni vigesimi noni, *l. fin. C. de Temp. in integ. restit. &c.* Judiciales, quæ Arbitrariæ quoque à DD. vocantur, & assignantur arbitriô ipsius judicis, causæ & personarum qualitates, loci aliásque circumstantias considerantis, *§. Spatium, V. A judice,* post *can. Inducie, 3. q. 3. l. Nonnunquam 72. ff. de Judiciis & l. 1. §. 1. ff. de Effract. & expil.* Conventionales nuncupantur, quæ competunt ex conventione partium, mutuò consentientium in termini prorogationem, *c. Pastoralis 28. in fine, de Offic. deleg.* vel certum terminum statuentium satisdationi, *l. De die 8. §. 1. ff. Qui satisd. cog. & l. Cedere diem 213. ff. de V. S.*

Aliâ & Judiciali processui accommodatâ partitione Dilationes à DD. passim distinguuntur: &, sicut Judicii, ut in istius Libri *Summæ pr.* latiùs accepti tres partes, sic etiam tria statuuntur genera Dilationum: quarum quædam in ipso litis exordio, à citatione usque ad litis contestationem inclusivè: aliæ ab ista usque ad sententiam definitivam exclusivè: aliæ denique à sententia usque ejus executionem inclusivè conceduntur, Vallens. *ibid. n. 3.*

3. In prima Judicii parte, sive à citatione usque ad litis contestationem, concedi solitæ, vel sunt Citatoriæ, quæ reo in jus vocato conceduntur ad comparendum; neque enim citari quis regulariter ita potest, ut statim debeat comparere: sed ad hoc aliquod & non nimis angustum temporis intervallum est concedendum, *c. 1.* vel Deliberatoriæ, quæ eidem dantur; ut visô actoris libellô deliberare secum possit, an litigare vel liti cedere velit, Panormit. *in c. cit. n. 15.* Nisi actoris libellus insertus fuisset citationi; ut ex eo huic inserto de actoris intentione & re, super qua convenitur, plenè instructus, quid è re sua sit, deliberare potuisset; hôc enim factô nova dilatio sive inducia deliberatoriæ ei essent denegandæ, *c. Præterea 2.* cùm; quòd eas concedendi non subsit causa; sine causa autem, & superfluæ dilationes non soleant: &, ut judicium non retardetur, non debeant concedi, ut colligitur ex *l. 1.* junctâ Glossâ *V. Flagitaverit, C. hâc Rubr.* vel denique Reculatoriæ aut Declinatoriæ, quæ ad omnes exceptiones dilatorias seu declinatorias opponendas, vg. ad judicem tanquam incompetentem aut suspectum recusandum, *l. Si quando C. 2. Rubr. cit. & l. Apertissimi 16. C. de Judiciis,* ad repellendum actorem vel procuratorem, tanquam excommunicatum, aut aliàs standi in judicio personam legitimam non habentem, *c. Exceptionem 12. de Except.* ad laudandum auctorem suum, sive litem ei denuntiandam, *l. Si quis 2. C. Ubi in rem actio &c.* dantur, priusquam litis contestatio fiat, *c. Pastoralis 4. de Except.* Pirrhing *ad hanc Rubric. à n. 4.*

In secunda Judicii parte, sive post litis contestationem & calumniæ juramentum dari solitæ, Probatoriæ dicuntur & Allegatoriæ, quæ actori ad positionum & articulorum probatorialium, & reo ad responsionum sive exceptionum suarum formationem & per testes, instrumenta, aliáque idonea argumenta probationes expediendas conceduntur, *l. 1. & l. Si quando citt.*

In tertia Judicii parte dari solent dilationes Definitoriæ, quæ partibus litigantibus ad audiendam sententiam definitivam, *l. In Peremptorio 71. ff. de Re judic.*

judic. & Executoriæ, quæ reo per sententiam condemnato ad satisfactionem vel solutionem præstandam à judice conceduntur, *c. Quoad consultationem 15. de Sent. & re judic. & l. Debitoribus 31. ff. de Re judic.* Præter hactenus declaratas, Judicialium dilationum variæ species ab Hostiensi *in Summa n. 1.* Speculat. *Tit. de Dilat. §. 1.* & ex isto ab Haunoldo *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 201.* aliisque DD. referuntur: quæ tamen reduci ferè possunt ad enumeratas.

Spatium temporis regulariter observandum recensitis Dilationibus ferè singulis à Jure Civili definitũ, variúmque est.

6. Primò enim in Citatoriis, quando reus, non unâ peremptoriâ, sed tribus simplicibus citationibus in jus vocatur, inter singula citationum edicta intervallum, antiquò non minus, quàm decem dierum, *l. Ad peremptorium 68. & l. Per intervallum 69. &c. ff. de Judiciis:* recentiori autem Jure *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex &c.* triginta dierum intervallũ intercedere debet. Quandò autem unicâ citatione peremptoriâ in jus vocatur, dilatio Citatoria reo, ad comparendum data, tantũ temporis intervallũ quantum tres citationes simplices, ac proinde antiquò triginta, recentiori autem Jure nonaginta dierum spatium & terminum peremptorium expressum continere debet, *l. Consentaneum 8. & l. Tres 9. C. Rubr. cit.* Glossa *in c. 1. V. Peremptorium,* & *ibi* Panormit. *n. 9.* Quando autem quis tribus simplicibus vel pro tribus unâ peremptoriâ citatione in jus vocandus sit, arbitrio judicis DD. passim relinquũt. Ubi

8. Dubium est, an judex citatoriæ dilationis terminum longiorem concedere, vel eum brevioris temporis spatiò constringere possit. Quod, si causæ in judicium deductæ & personarum qualitates, locique & aliæ circumstantiæ expescere videantur, judici permissum, cum Glossa *in c. Præterea 2. V. Potuit,* dilationem hanc Arbitrariam esse asserente, communiter est receptum. Quare hac in re judex uti moderatione, & legalem terminum abbreviare posse videtur Imprimis in causis vilium personarum, uti & in causis exiguis & modicæ quantitatis, *Auth. Nisi breves C. de Sent. ex brevic. recit.* Deinde in causis, non admittentibus moram: sicut sunt causa alimentorum, cùm periculum est; ne, si legalis dilatio tota reo concedatur, pro illis agens fame conficiatur, Bartol. *in l. Qui pro tribunali 2. ff. de Re judic. n. 5.* cùm res litigiosa tempore est peritura, *arg. l. Unic. ff. de Glande leg.* vel legalis dilatio majores causatura expensas, quàm allatura commodi sit; quòd vg. animal, si lis protrahatur, comedendò plus, quàm ipsum valeat, sit absumpturum, *arg. l. Mediterraneæ 9. C. de Annon. & trib.* Panormit. *in c. 1. n. 7.* & Menoch. *Lib. 2. de Arbitr. casu 52. à n. 10.* Simili modò dilationem Citatoriam legali longiorem statuere potest, si id exigere videatur qualitas causæ valde arduæ & intricatæ, vel personarum, seniò, infirmitate, absentiâ aut aliter impeditarum, quò minùs, legali terminò lapsò, in jure comparere sine magno incommodo possint, *arg. c. fin. l. Nonnunquam cit. & l. Continuus 137. §. 2. ff. de V. O. citt.* Panormit. *n. 7. in fine* & Menoch. *à n. 18.* ubi uterque judicem monet; ut, cùm legalem terminum coarctandò vel prolongandò moderatur, exprimat ejus causam; ne, si istâ non expressâ, à Juris termino recedat, pars moderatione se gravatam facilè existimet & appellet.

Secundò, Deliberatoriæ & Recusatoriæ 9. dilationes reo dandæ à tempore oblati ipsi libelli, viginti dies complectuntur, *Auth. Offeratur C. de Litis contest. Reo,* inquã, non Actori;

Actori; cui, cùm, an & quando reus conveniendus, & quis judex adeundus sit, deliberandi tempus tantum, quantum voluit, habuerit, neque hunc recusandi facultas, neque, an litigare sibi expediat, deliberandi spatium conceditur; cùm, hôc ipsô, quòd ad judicium provocet, ad litigandum venire valeat & debeat instructus, *l. Si quando cit. & l. Qui in alterius 42. ff. de R. J.* ad id autem, ad quod quis instructus esse debet & potest, dilatio nunquam detur, Glossa *in c. Præterea cit V. Plenè*, & *ibi* Panormit. *n. 13.* Si tamen reus initiô litis opponat exceptionem, super ista & replicatione deliberandi tempus etiam ipsi denegandum non esset; cùm super exceptione illa non potuerit esse instructus, ut *l. cit.* Panorm. notat.

10. Dubium de his etiam dilationibus est, an judicis coarctationi vel prolongationi obnoxiæ sint; id enim cum Glossa *in Auth. cit. V. Viginti*, negat Barbosa *in c. Præterea 2. hâc Rubr. n. 9.* quòd, sicut decendium ad appellandum, sic & ad deliberandum & judicem recusandum viginti dierum terminus sit legalis, sive concessus à Jure: à quo concessum tempus coarctationi & prorogationi judicis obnoxium esse, inficintur. Verùm hoc in iis tantùm terminis procedit, qui à Jure simpliciter & sine ullo judicis ministerio conceduntur: sicut ad interponendâ appellationem decendiũ concessũ est, *Auth. Hodie C. de Appellat. & c. Quod ad consultationē 15. de Sent. & re jud.* Glossa *fin. in c. Dilectus 11. de Procurat.* & Panormit. *cit. n. 13.* Secus est in iis, qui judicis ministeriô conceduntur, ut terminus deliberatoriæ & recusatoriæ dilationis; cum enim hanc judex personarum & negotii qualitatibus aliisque circumstantiis debeat accommodare, Glossa *cit.* si cognitâ causâ expedire videatur, viginti diebus amplius, breviúsve tempus ad deliberandum reo citato judex concedere valebit, *arg. l. Quod pro 2. ff. de Re judic.* Bartol. *in Auth. cit. n. 5.* & Menoch. *cit. casu 52. à n. 6.*

Tertiò, Probatoriæ dilationes, quando probationes ex eadem provincia, in qua lis agitatur, poscuntur, ultra trimestre temporis spatium non extenduntur. Quando autem illæ ex aliena, sex: &, quando ex ultramarina provincia petendæ sunt, ad eas expediendas novem menses concedi possunt, *l. 1. & l. fin. C. hic, Novell. 69. cap. 2. &* §. *Spatium*, post *can. Inducia, 3. q. 3.*

Petendæ autem & concedendæ tales dilationes sunt à judice pro tribunali sedente, cognitâ causâ, & utrâque parte præsente, *l. A. procedente 4. C. hâc Rubr.* In Rota tamen Romana hujusmodi causæ merita concernentes, sive Probatoriæ dilationes, adversâ parte non præsente, imò non citatâ, concedi possunt, vigore Constitutionis Innocentianæ, teste Cassadoro *Decis. 7. de Appellat. in fine*, apud Jordanum *cit. Tit. 8. n. 31. & 35.* Unde

Dubium oritur, an Probatoria dilatio extra Rotam uni parti, absente alterâ, sub conditione futuræ ratificationis concessa, de Jure valeat, si ratificatio postea sequatur: quod aliqui negant. Meliùs tamen cum Speculat. *Tit. de Dilat. §. & n. 2.* affirmant *cit.* Jordanus *n. 40.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 3. n. 210.* quòd ex una, adversæ partis præsentia à Jure exigatur in favorem ipsius; ne Dilationis concessione præjudicium patiatur: ex altera verò parte, si concessio ipsius ratihabitioni alligetur, nihil ei præjudicii inferatur, hôc ipsô; quòd, si istius periculum appareat, contradicere & concessionem nullam reddere: & contrà, si eam sibi non obesse, sed prodesse animadvertat, ratihabitione suâ ejus commodum percipere possit.

Dubium

12. Dubium etiam est; quoties hujusmodi dilationes Jure concedantur: quod resolvendum est beneficiô distinctionis inter causas Civiles & Criminales.

Et in Criminalibus quidem, saltem si graviores aut capitales sint, accusatori duæ, reo verò tres (dummodo, eas malitiosè peti, præsumptio non sit) cognitâ causâ, dari permittuntur, *l. fin. ff. de Feriis.* Imò in huiusmodi causis, ad probandam innocentiam suam reo, ante sententiam semper, etiam postquam in causa jam est conclusum, dilationem concedi posse, dummodo, eam non malitiosè peti, præsumptio sit, cum Maranta *de Ord. Judic. p. 6. actu 3. n. 3.* docet laudatus Pirrhing *n. 17. in fine*: & suadet specialis ratio maximi præjudicii, ex tali causa impendentis litigatoribus, præsertim reo: qui, licet favorabilior, quàm actor sit, invitus tamen & minùs quàm iste instructus ad judicium venit.

13. In Civilibus autem causis dilationem probatoriam regulariter semel duntaxat dari, patet ex *l. 1. C. hic l. Oratione 7. & l fin. ff. de Feriis.* Regulariter, inquam; quia ex justa causa vg. ad improbi litigatoris contumaciam luculentiùs convincendam: vel, si intervenerit inopinatum impedimentum, probationes antè instruere non permittens: vel, si lapsâ dilatione superveniant novæ probationes &c. secunda & tertia, imò aliquando, si necessaria videatur, etiam quarta concedi potest, observatâ tamen solemnitate Juris, exigentis; ut tali casu eam petens, allegatâ & probatâ legitimâ petendi causâ, juramentô fidem faciat, eam dilationem non malitiosè, scilicet ad trahendam causam peti, *c. In causis 15. Auth. At qui semel C. de Testibus & Novell. 90. cap. 4.* Legalis tamen hæc solennitas omitti potest consensu partium, non solùm expresso, sed etiam tacitô; ut, si eam petenti partium uni, alterâ præsente & non contradicente, judex concedat, concessio valida sit: & ex eo; quòd contradictum non sit, dilatio utriusque partis consensu concessa intelligatur, Baldus *in l. fin. ff. de Feriis*, Panormit. *in c In causis 15. de Test. & attest. n. 15. à n. 3.* & Felin. *ibid. n. 5.* cùm, quoties judex decernit, aut facit aliquid, quod partium alteri potest præjudicare, si ista expressè non contradicat, sed taceat, ejus iuri suo tacitè renuntiantis, consensu decretum factúmque videatur, *arg. c. fin. de Accusat. in 6. ubi* Glossa *V. Reclamante*, Vivian. *pr.* & Maranta *de Ord. judic. p. 6. actu 3. n. 12. & 13.* pro cautela judicem monens; ut, cùm dilationem in Acta referri jubet, exprimi curet, eam concessam, utrâque parte præsente & non contradicente, vel tacente; quòd taciturnitas in judicio consensum inducat, & locus sit *Reg. Qui tacet 43. in 6.* Plures autem dilationes non concedi, ex iisdem textibus desumitur & suadet ratio immortalitatis litium evitandæ, *l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis*, Speculat. *de Dilat. §. 4. n. 19. & 20.* & *cit.* Gaill. *Observat 91. n. 16. & 19.*

14. Dubium ulteriùs est, an Dilationes Probatoriæ, uni litigantium datæ, sint communes alteri. Deliberatorias & recusatorias reo datas, actori communes non esse, liquet. De Probatoriis dubitandi ratio oritur ex *l. Si quando cit.* ubi in causa etiam Civili dilatio, reo concessa, actori negatur. Sed hac etiam in re opus est distinctione inter causas; si enim ista Criminalis, reo plures, quàm actori competere, jam est dictum. Si verò Civilis sit, regulariter æqualitas servanda est inter actorem & reum; ut tempus uni concessum ferè etiam prosit alteri, *arg. l. Petenda 6. C. de Temp. in integ. restit.*

Neque in contrarium facit *l. Si quando cit.* quia agit de casu speciali, quo actor

reum ad judicem extraordinarium à Principe delegatum trahit; cùm enim tali casu reus ad alienum judicium, præter spem & expectationem, vocatus sit, & instructus venire non potuerit, dilationes ei omninò dandæ sunt, licet negentur actori, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 207.* & Bruneman *in l. cit. n. 2.*

15. Quartò, dilationibus Definitoriis judex pro arbitrio tempus assignat cum termino peremptorio, vg. si ad audiendam sententiam citatus præfinitô die non compareat, eam ipsô etiam absente ferendam, *c. Consuluit 24. de Offic. deleg. & l. In peremptorio 71. ff. de Judiciis, cit.* Pirrhing *n. 21.*

16. Quintò demum, Executoriæ dilationes in Civilibus, quando conceduntur, regulariter quatuor mensium spatium complectuntur, *c. Quærenti 26. de Offic. deleg. & c. Quod ad 15. de Sent. & re jud.*

Dico, *In Civilibus, Quando conceduntur & Regulariter.* Primum; quia in causis criminalibus pro executione dilationes non conceduntur: nisi certis casibus, vg. cùm ad mortem damnata mulier prægnans est: cùm Princeps executionem differri ex justa causa mandat, Vallens. *hîc § 1. n. 13.* Alterum; quia etiam in actionibus Civilibus Realibus executio de Jure fit sine dilatione: nisi possessor sive reus neget, se, quod per sententiam jubetur, restituere posse; hoc enim si dolô non faciat, ipsi aliqua dilatio à judice concedenda est, si de re vel ejus æstimatione caveat, *l. Qui restituere 68. ff. de R. V.* per fidejussores, *§. Etsi in rem 2. Instit. de Offic. judic. &c.* Qua de re sermo redibit *Tit. 27. à n. 8.* Postremum; quia etiam in actionibus Personalibus ad executionem concessum quadrimestre, si res exigat, à judice extendi, vel contrahi, etiam Jure permittitur, *c. Quærenti & c. Quod ad citt. & l. Debitoribus 31. ff. de Re judic.*

Hactenus relata Judicialium Dilationum tempora sanctionibus Imperialibus definita sunt. Spectato Jure Canonico, *c. Quod ad consultationem 15. de Sent. & re jud.* fere omnium spatia arbitrio judicis permissa à DD. censentur, testibus Vallens. *§. cit. n. 10.* & Corvino *Enarrat. C. ad hanc Rubric. §. Judex.* Et licet Jure Decretalium dilationis Citatoriæ, præsertim in causa Ecclesiastica & peremptoriè assignatæ, tempus non nimis breve esse oporteat, per textum *c. 1. cit.* sacra tamen Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 10. in fine, de Reformat.* Ordinarios & quoscunque alios judices monet; ut in terminandis causis, quantùm fieri potest, brevitati studeant: & litigatorum, causas trahentium, artibus occurrant præfixione certi termini, utique non nimis extensi; ne causæ nimium protrahantur. 14

Quin Jure etiam Civili prodita dilationum tempora ex justa causa abbreviari, aut prorogari à judicibus posse, *l. Non nunquam 72. V. Hoc autem, ff. de Judic.* disertè habetur. De consuetudine autem & stylo Curiarum, qui in praxi præcipuè spectandus est, ferè ubique, & in Camera etiam Imperiali, dilationum tempora à judicibus, habitâ ratione causæ, personarum, itinerum, aliarúmque circumstantiarum, ampliantur aut restringuntur, teste Gaill. *Lib. 1. observat. 91. n. 13.* 17

Porro dilationibus assignatum tempus continuum est: & regulariter etiam diebus ex quacunque causa feriatis currit, *l. Sive pars 3. C. hîc. Regulariter,* inquam; quia Imprimis, si feriæ totam vel majorem partem temporis absorberent, & actui judiciali expediendo vg. præparandis probationibus impedimento essent, tempus feriatum non computari, æquitas postularet, Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Dilat. n. 18.* ubi cum Baldo *in l. Si quando 19. C. de Testibus, q. 4.* & aliis docet, in Sabbatho Palmarum datam quindecim die- 18

decim dierum dilationem primùm post Octavam Paschæ inchoari; quòd præcedentes dies omnes feriati sint. Diem etiam assignati à judice termini dilatorii, vg. viginti dierum, in termino non computari, sive dictô viginti dierum numerô non comprehendi, sicut benignior, sic verior quoque & Imperialis Cameræ usu recepta DD. sententia est, teste Mynsinger *Centur. 5. observat. 15.* Deinde; quia ipsarum tempus ignorantibus, vel aliter legitimè impeditis, utpote agere non valentibus, non currit, *arg. c. Quia diversitatem 5. de Conces. Præb.* Jordanus Lucubrat. *Lib. 14. tit. 8. n. 142.*

Effectus dilationis est; quòd litigantes à mora & istius pœna excuset: eâque pendente, officium judicis conquiescat; ut super articulo, super quo: & in præjudicium ejus, cui concessa est, agere aut innovare nihil possit, *l. Sive pars cit.* etsi super articulis aliis procedere non prohibeatur, *citt.* Vallens. §. *3. n. 1.* & Pirrhing *num. 23.* 20.

TITVLVS IX.
De Feriis.

Dilationibus affines sunt Feriæ Judiciales: quas inter tamen & illas multum, & hoc præcipuè interest; quòd Feriæ non, ut Dilationes, de quibus Rubrica superior, ad privatam solùm utilitatem atque instantiam litigantium concedantur: sed ob honorem Dei, aliámve causam ferè publicam sint institutæ: neque, ut illæ, unius tantùm rei vel litis, sed judiciorum & litium planè omnium sint dilationes: & judicis arbitriô non varientur.

ARTICULUS I.

De Feriarum Natura Varietate & Introducti-one.

SUMMARIUM.

1. *Feriarum etymon ac definitio.*
2. *Divisio in Ordinarias & Repentinas,*
3. *Sacras & Prophanas.*
4. *Hæ à Seculari: illæ ab Ecclesiastica potestate,*
5. *Ferè cum consensu populi indicuntur.*
6. *Secularis, licet sacras non indicere,*
7. *Indictarum tamen observationem præcipere, etiam pœnâ constitutâ, potest.*
8. *Feriæ sacræ à Vesperâ ad vesperam porriguntur.*
9. *Referuntur variæ lege Ecclesiastica,*
10. *Vel consuetudine introducta.*
11. *Earum finis,*
12. *Et ab isto recessus.*

Feriæ itaque à *Feriendis* seu mactandis victimis ita nuncupatæ, sunt Dies vel Tempora, quibus forensis strepitus & contentiosæ jurisdictionis exercitium planè conquiescere jubetur, *l. Pridie 5. & l. Si feriatis 6. ff. hâc Rubr.* eámque ob causam olim 1.

dictæ sunt *Justitium*; quòd iis jus staret, nec progrederetur, Gellius *Noct. Attic. Lib. 2. cap. 2.* dies contrà non feriati *Juridici* vocabantur, *l. Omnes 7. pr. C. Rubr. cit.*

2. Sunt autem Feriæ aliæ Solennes sive Ordinariæ, quæ Jure vel consuetudine sunt definitæ & certò temporis spatiò, imò ferè quot annis recurrunt: aliæ Extraordinariæ seu Repentinæ, quæ subito pro re nata, sive rebus occurrentibus & exigentibus, vg. ob res domi militiæque prosperè gestas: ob nativitatem, inaugurationem, nuptias vel adventum Principis: ob luctum publicum: ad luem epidemicam, seditionem, vel aliam calamitatem publicam avertendam, indicuntur, *l. Solet 3. ff. hîc & l. Sed & si 26. §. 7. ff. Ex quibus caus. major.*

3. Eædem, præsertim Ordinariæ, feriæ rursum, vel sunt Sacræ, quæ ob honorem Dei & venerationem Sanctorum, vel alium finem supernaturalem sunt institutæ, cujusmodi *pr. dist. 3. de Consec. c. fin. l. Ut in die 2. C. hîc* & *Constitutione* Urbani VIII. quæ incipit *Universa*, editâ idibus Septemb. anno 1642. plures recensentur: vel Prophanæ & Politicæ, quæ vel ob necessitates & utilitates humanas, vg. messis, vindemiæ, ob calores æstivos, aut aliam similem causam, juxta cujusque regionis consuetudinem, observantur, *l. 1. ff. & l. Omnes cit. C. hâc Rubr.* Panormit. *in c. fin. n. 8.*

4. Feriæ tam Extra-quàm Ordinariæ instituì aut indici possunt, si sacræ, pro tota Ecclesia à solo Romano Pontifice: & pro propria sua diœcesi, à quolibet Episcopo, *pr. & c. fin. citt.* saltem, si ille, cujus diem festivè celebrari præcipiunt, à Papa in Sanctorum numerum sit relatus, *c. 1. de Reliq. & Ven. Sanct.* ubi Glossa *fin.* & Panormit. *in c. fin. cit. n. 4.* si autem prophanæ sint, à quovis Principe alióve simili Magistratu Seculari instituì vel indici possunt, *ll. Omnes 3. & 7. &c. C. hîc.* Unde dubium duplex oritur.

Primum de Episcopis, an ferias sacras indicere possint soli. In quo, spectatô Jure, veriùs existimo, etiam cleri & populi consensum requiri, ut colligitur ex *pr. cit.* ubi illæ diœcesium festivitates approbantur, *Quas Episcopi cum clero & populo collaudârint*, hoc est, ille & isti simul approbârint: & *c. fin. cit.* verbis, *Ceterisque solemnitatibus, quas Episcopi in diœcesibus suis cum clero & populo duxerint solemniter venerandas.*

Neque adversatur; quòd Episcopis ad condenda statuta solius Capituli consensu, imò consiliô duntaxat, sit opus, *c. Quanto 5. de Iis, quæ à Prælat.* quia hoc verum solummodo est, quando non agitur de populi interesse: de quo, cùm agatur in Festorum institutione; quia iis vacare debent ab opera servili, meritò jura etiam consensum populi requisiverunt, Innocent. *in c. Vestra 2. de Locato* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 105. n. 36.* Eum tamen populi consensum, si iste Episcopo festivitatem instituenti, cùm posset, non contradicat, sufficienter haberi, cum Panormit. *cit. n. 4.* advertit Suarez *Tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. n. 9.* Dixi etiam *Spectatô Jure*; quia de consuetudine palsim Episcopi festivitates cum consensu Capituli indicunt, populi consensu non requisitô, Suarez & Barbosa, *l. citt.* præsertim, si festivitates sint extraordinariæ, & non singulis annis recursuræ: sed unà tantùm aut alterâ vice ob specialem necessitatem, vel aliam causam publicam obeundæ, Fagundez *Lib. 1. de Præcept. Eccles. 3. cap. 3. n. 8. & 11.*

Alterum de Principe alióve Magistratu Seculari; ab isto enim ferias etiam sacras indici posse, volunt Sylvester *V. Dominica, n. 2.* & Saà *V. Festum, n. 1.* Moventur

ventur Primò; quòd *citt. l. Ut in die 2. l. Omnes 3. &c.* relatis Impp. rescriptis varii dies, quot hebdomadis vel annis recurrentes, ob honorem Dei, ac proinde ut Feriæ Sacræ observari jubeantur: & à Constantino Imp. ut ob memoriam Passionis Domini die Veneris omnes à judiciis & aliis negotiis vacarent, Deúmq; precib⁹ colerent, legem latam, ex Eusebio & Sozomeno perhibeat Baronius *ad Annum Christi 321.* Secundò; quòd abstinentia ab opere servili & actibus judicialibus ex se non sit aliquid spirituale; ac proinde subditis præcipi possit à potestate Seculari. Tertiò; quòd ejusmodi Magistratus edere valeat votum publicum de die, vg. S. Sebastiani M. S. Antonii Paduani, S. Francisci Xaverii Confess. festivè celebranda. Cur non eriam condere legem, ad id obligantem? Quartò demum; quòd à Principe & aliis Magistratibus Secularibus feriarum, etiam Sacrarum, violatoribus pœnas infligi, & infligendas lege vel statutô decerni posse, à Pio V. *Constitut.* quæ incipit *Cùm primùm* §. 7. editâ 6. Cal. Aprilis *1566.* sit declaratum

Sed veriùs Magistratui cuicunque merè Seculari & Politico eam potestatem cum Panormit *in c. Quoniam. 2. n. 2.* negant *cit.* Suraez *cap. 12. n. 12.* Azor *Instit. Moral. p. 2. Lib. 1. cap. 26. q. 5.* Fagundez *cit. Lib. 1. cap. 5.* Barbola *alleg. cit. n. 30.* Fagnanus *in c. Conquestus 4. & fin. n. 35.* & novissimè Pignatellus *Tom. 1. Consult. 8. n. 1.* partim; quòd ferias sacras indicendi potestas sit spiritualis, & pertinens ad Religionem; cùm principaliter respiciat honorem & cultum Dei, Beatorum Cœlitum venerationem, salutem & finem supernaturalem animarum: Spiritualis autem potestas laicis non competat, *can. 1. dist. 96. c. Ecclesia 10. de Constitut. c. Decernimus 2. de Judic. c. fin. de Reb. Eccles. alien. &c.* partim verò; quòd Princeps & alii Magistratus Seculares à festivitatis observandæ obligatione subditos nequeant eximere seu liberare, ut cum ipsomet Sylvestro, *V. cit. n. 4.* Soto *Lib. 2. de Justit. q. 4. n. 4.* & Diana *p. 4. tract. 1. resol. 94.* id S. Congreg. Concilii declaratione confirmante, rectè observat *cit.* Pignatell. *n. 2.* in hanc rem allegans decretum S. Congreg. Immunitat. in *una Castrensi*, tanquam abusum & corruptelam, habentis prætensionem potestatis Secularis, opera servilia aliósque actus, Festorum observationi contrarios, propriâ authoritate subditis permittere præsumentis. Ergò multò minùs ferias sacras & ab ejusmodi operibus cessationem ob Dei & Sanctorũ cultum Legali sanctione introducere potest; quia ligandi & solvendi potestas pari ferè passu ambulant, *can. Inferior 4. dist. 21.* Suarez *cit. cap. 12. n. 2.* Confirmatur authoritate Ionncentii X. *Constitutione* quæ incipit *Cùm nuper*, editâ 6. Octob. *1657.* irritum declarantis Edictum Senatûs & Gubernatoris Mediolanensis, Festum S. Dominici festivè celebrari præcipientis apud *cit.* Fagnanum *num. 80.*

Ea, quæ in contrarium & pro Seculari potestate allegata sunt, speciosa magis sunt, quàm efficacia.

Primùm; quia *ll. citt.* non inducunt novas, sed ab Ecclesia jam introductas ferias sacras præcipiunt observari: quod Christianorum Principum potestatem non excedit, *can. Si in adjutorium 7. & can. Quoniam 8. dist. 10.* Lex autem Constantiniana ab Ecclesia nunquam recepta; imò nulla fuit, ob defectum potestatis, per tradita à Joan. Andr. *in c. Non minùs 4. de Immunit. Eccles. n. 14.* Ant. de Butrio *ibid. n. 10.* & Fagnano *in c. Ecclesia 10. de Constit. à n. 17.*

Secundùm; quia, licet abstinentia à laboribus & opere servili ex se aliquid spirituale non sit, tale tamen est, quando ex fine legis ordinatur ad cultum Divinum, Beatorum Cælitum venerationem &c. Unde huc per legem referri, præterquam ab Ecclesiastica potestate, non potest, per *textus antè citt.*

Tertium; quia ejusmodi votum personale est: & vi promissionis ipsum duntaxat Magistratum voventem, ejúsque promissioni liberè consentientes ligat: posteros autem, à quibus acceptatum non est, obligare nequit: nisi vi consuetudinis aut statuti, authoritate Ecclesiastica conditi vel approbati, Suarez *l. cit. n. 4.*

7. Postremum; quia statuere in aliqua, puta spirituali, materia ob defectum potestatis prohibitus, in illa à legitima, scilicet Ecclesiasticâ, potestate constituta, transgressoribus pœnam infligendô, roborare non prohibetur, secundùm receptam doctrinam Glossæ *in Clement. Ne Romani 2. pr. V. Tolli, de Electione* & Felini *in c. 1. de Sponsal. & matrim. n. 13.* cùm hoc sit fori Mixti: & Ecclesiasticam potestatem promovere, ejúsque præcepta adversùs inobedientes suos subditos tueri; ad quod Principes Catholici, *can. Si in adjutorium can. Quoniam citt.* & gravissimis verbis admonentur à S. Synodo Tridentina *Sess. 25. cap. 2. de Reformat.*

8. Porro feriæ Sacræ à legitima, hoc est, Ecclesiastica potestate institutæ *Omni veneratione & abstinentia ab illicito*, hoc est, feriis sacris interdicto opere, à præcedentis vesperâ usque ad hanc subsequentis diei vesperam, observandæ sunt, *pr. dist. cit. & c. 1. hâc Rubr.* Nisi aliud permittat, aut exigat hac in re præcipuè attendenda locorum consuetudo, *c. Quoniam 2.* Barbosa *ibi n. 3.* *Sacræ*, inquam, quales Imprimis sunt dies Solis sive Dominicæ, Legis Mosaicæ à Judæis observatæ Sabbatho, in Mundi à Deo creati, & à Christo eô die nascente, & à mortuis resurgente recreati, memoriam suffectæ, *can. Pervenit 11. & can. Sabbatho 12. dist. 3. de Consec.* Præ aliis autem Dominicis magis religiosè & magna solemnitate obeundæ sunt dies Resurrectionis Domini, tanquam cæterarum prototypone cum tota Octava, & Pentecostes cum duabus feriis sequentibus in memoriam beneficii, quô Spiritus Sanctus in Apostolos descendit, *pr. cit. & c. fin. hîc*, Suarez *cit. Lib. 2. cap. 6. n. 2.*

Deinde, festa Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & 9
septem dies Passionis ejusdem, *pr. & c. fin. citt.* cum festis Sanctissimi Corporis Christi, *Clement. 1. de Reliq. & Ven. Sanct.* & Inventionis S. Crucis, *can. Crucis 18. dist. 3. cit.* cujus festivitatis utriusque in Constit. Urbani VIII. quæ incipit *Universa*, editâ *Ibid. Sept. 1642.* mentio fit: Omnes Festivitates gloriosæ Virginis Mariæ, *dist. cit. pr. c. fin. cit. & Extravag. 1. & 2. de Reliq. & ven. SS.* S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentium, S. Sylvestri, duodecim Apostolorum, præcipuè BB. Petri & Pauli, S. Laurentii M. Dedicationis S. Michaëlis Archangeli & Solennitas Omnium Sanctorum *pr. & c. fin. citt.* S. Josephi & S. Thomæ *cit. Constitutione* Urbani VIII. quibus S. Martini festum additur *pr. cit.* & in multis locis S. Sebastiani & S. Georgii MM. S. Mariæ Magdalenæ, S. Catharinæ V. & M. festa accesserunt ex consuetudine, *pr. cit.* Juris vim conferente: & vicissim memoratorum etiam 10
Sanctorum dies & festivitates aliquas è feriatarum numero eximente, ut advertunt *cit.* Suarez *cap. 9. num. 20.* & Palao *Tract. 9. disp. Unic. p. 1. n. 6.*

Et demum, in qualibet ferè provin-
cia &

cia & diœcesi unius & aliquando plurium principalium Patronorum, juxta *Constitut. cit.* aliisque dies Festi, quos in diœcesibus suis observandos Episcopi præceperint; qui ab omnibus, Exemptis etiam Regularibus, servandi sunt, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 25. cap. 20. de Reformat.*

11. Enumeratas autem Festivitates indicendi lege, Usúve inducendi causa & finis præcipuus ille fuit; ut fideles ab omni opere servili abstinentes, Orationi liberiùs vacarent: & suæ Creationis ac Redemptionis cæteráque beneficia Divina, Beatorum Cœlitum vitam, virtutes ac merita, præsidium ac patrocinium devotè recolerent: eáque recolendo ad laudes & gratiarum actiones exhibendas DEO, spémque & fiduciam omnem in eo reponendam: ad Sanctorum invocationem imitationémque: ad terrenarum ac fluxarum rerum contemptum & cœlestium æternorúmque bonorum desiderium studiúmque excitarentur. Unde perspicuum est, quàm à Sacrarum Feriarum ac Festivitatum fine procul perversô hôc seculô
12. Christianus populus aberret in provinciis: in quibus sacratis illarum diebus manè rei Divinæ, & quandoque soli Missæ Sacrificio ægrè assistens, Vespertinô Officiô & Precationibus insuper habitis, reliquum tempus omne inerti otiô, aut istô peioribus conventiculis, compotationibus ac tripudiis in Catholicæ Religionis & ipsius Divini Numinis contemptum & animarum suarum perniciem absumit. Quare meritò tantæ corruptelæ indignitate permotus S. D. Urbanus VIII. *Constitutione cit.* Festivitatum, annuatim recurrentium, numerum providentiâ & authoritate Apostolicâ minuendum: & locorum Ordinarios; ne illæ ipsorum, populi importunitati indulgentium, facilitate iterum multiplicarentur, seriò admonendos duxit; ut à novarum indictione studeant abstinere. Sed abusus hosce providentiæ Antistitum Ecclesiasticorum & Verbi Divini præconum Zelo relinquimus.

ARTICULUS II.

De Actibus in Feriis Sacris præceptis & prohibitis.

SUMMARIUM.

13. *Feriis his præcepta Auditio Missæ.*
14. *Prohibita sunt I. Opera Servilia.*
15. *II. Pacta & Conventiones præsertim publicæ.*
16. *III. His adjecta Juramenta.*
17. *IV. Exercitium Jurisdictionis contentiosæ.*
18. *Non etiam Voluntariæ.*
19. *Imò, causâ Necessitatis,*
20. *Aut Pietatis exigente, etiam Contentiosa exerceri potest.*
21. *Iisdem Pacta &c. solùm prohibita:*
22. *Judicia verò etiam irritata sunt,*
23. *Etiam agitata coram Arbitro.*
24. *Valida est oblatio libelli:*
25. *Invalida inchoatio processûs contra citatum,*
26. *Et citationis commissio in judicio:*
27. *Non etiam extra hoc facta, & citationis insinuatio merè privata.*
28. *Irrita etiam est citatio ad diem certò feriatum:*
29. *Non etiam facta ad diem, ut feriatus sit, indifferentem in loco judicij.*
30. *Invalidum est testium juramentum,*
31. *Cum examine & depositionibus.*
32. *Sententiæ censurarum subsistunt:*
33. *Nisi cum strepitu & figura judicii proferantur.*

34. Appel-

34. *Appellationis prosecutio nulla:*
35. *Interpositio valida est.*
36. *Executio interdicta,*
37. *Et, si potest, revocanda est.*

13. FEriasSacras legitimè indictas inductásque observandi præceptum partim Affirmativum,partimNegativum est: quorum illò Christi Fideles omnes Missam integram cum attentione audire tenentur,*can.Si quis 34. can. Omnes 6. & can Missas 26.dist.3. Consec.* Istò sive Negativò prohibentur.

14. Primò Opera servilia *c. Licet 3.* ibi *In his ab omni opere servili cessandum. Servili*, inquam: non à quocunque, ut in Veteri Testamento, omne opus in iis fieri prohibente, *Exodi, cap. 20. v. 10.* Operum autem Servilium,festivis diebus interdictorum,vocabulis intelligunt DD. quæ ferè commoditati corporis inserviunt: &, quia ignobiliora sunt,per servos regulariter exercentur: ut sunt agri cultura, fabrilis,aliarúmque artium mechanicarum & opificiorum exercitium. Non etiam legere, scribere, docere, pingere & similia, propriè spectantia culturam animi, institutionem & conversationem humanam: quæ, quòd libero homine digna sint,Liberalia vocantur,& Dominicis Festísqae diebus licitè exercentur, *S. Thomas in 3. dist. 37. art. 5. q. 2. & 2.2. q. 122. art. 4.* & cum eo *cit.* Suarez *cap. 29. n. 1.* cæteríque TT. passim. Imò, iis diebus etiam quædam opera ex natura sua servilia, ut cibos coquere & similia propter hominum necessitatem exerceri, Jure vel consuetudine permittuntur, Laiman. *Lib. 4. Tract. 7. cap. 2. n. 2.* Sicut contra Jure quædam prohibentur, licet Servilia non sint. Ut sunt

15. Secundò Mercatus, *c. 1.* quô nomine hôc textu venit emptio venditio, locatio & cæteri contractus, præsertim, qui publicè & cum solennitate aliqua ineuntur: & nundinæ, tã hebdomadatim,quàm singulis annis semel iterúmque, & aliæ quando sæpius, Principis concessione in civitatibus, oppidis & pagis solitæ celebrari. Hodie tamen in multis contractus privati diebus Dominicis Festísque sine scrupulo ineuntur: in iisdémque, saltem post peractam in Parochiis rem Divinam, nundinæ ob maximam populi præsertim rusticani commoditatem celebrari solent ex consuetudine, hac in re, scientibus &, cùm facilè possent, non contradicentibus Prælatis Ecclesiasticis, contra sacros Canones invalescente, *citt.* Suarez *cap. 29. n. 2.* & Azor *cap. 27. q. 10.*

Tertiò, Juramenta, *c. 1. cit.* ibi, *Nec Sacramenta:* non solùm judicialia; hæc enim judicii forensis generali prohibitione jam continentur: sed etiam extrajudicialia, quorum Religione diebus Festis illicita & nomine mercatûs comprehensa pacta & conventiones roborantur *citt.* Suarez *cap. 30. n. 17.* & Palao *p. 7. n. 3.* nisi in actu, die Festo licito, vg. in solemni Doctorum inauguratione adhibeantur; in talibus enim, ut iidem monent, locus est Regulæ *Accessorium 42. in 6.* vel alia etiam juramenta extrajudicialia diebus, ob honorem Dei & Sanctorum venerationem feriatis, ut ferè hodie, permittat consuetudo. Laiman *cit. c. 2. in fine.*

Quartò & præcipuè Placitum, *c. 1. cit.* sive judicium Forense, *can. Placita, 15. q. 4.* & omnis strepitus Judicialis, *c. fin. cit.* ut diebus feriatis prohibitus sit Processus, tam Civilis,quàm Criminalis, & jurisdictionis contentiosæ actus, qui cum strepitu judiciali exercentur: cujusmodi actus iisdem, & prophanis etiam feriis, Jure quoque Civili interdicti sunt, *l. 1. l. Si feriatis cit. ff. l. Ut in die 2. l. Omnes 3. & 7. C. hâc Rubr.*

Dixi

18. Dixi, *Contentiosæ*; quia Voluntariæ jurisdictionis actus: ut sunt emancipatio & adoptio liberorum, servorum manumissio, datio, excusatio & amotio tutorum, alimentorum petitio & constitutio, concessio veniæ ætatis, *l. Eâdem 2. ff. l Ut in die cit. l. Actus 8. C. ibid.* electio Magistratuum & officialium, privilegiorum, Indulgentiarum & dispensationum concessio, absolutio censurarum hisque similes actus alii; quòd judicialem strepitum non exposcant, feriarum etiam Sacrarum diebus licitè exercentur, arg. *ll. citt.* Sylvester *V. Dominica, q. 3. n. 5. citt.* Suarez *n. 11.* & Laiman *n. 7. V. Secundò.*

19 Quin Contentiosæ etiam jurisdictionis actus duobus, *Necessitatis & Pietatis*, casibus permittuntur, *c. fin. cit.* Et ex priori quidem sive necessitatis, aut etiam utilitatis, tam privatæ, quàm publicæ, causa diebus Festis expediri in judicio possunt, quæ propter spiritualis vel temporalis damni periculum exigunt celeritatem: veluti, si res vel actio tempore vel morte peritura, *c. fin. V. Verùm, de Judic. l. 1. §. 2. ff. hic & l. Solet cit.* si debitor suspectus esset de fuga, dilapidatione, vel deterioratione rei, super qua est conveniendus: si partes litigantes non feriatis, ut plerumque pauperes & rusticani homines, sine notabili incommodo non comparere, & causa inter eos controversa feriatis diebus decidi facilè possit, Navarrus *Manual. cap. 13. n. 13.* Suarez *cap. 30. n. 18.* & Laiman *n. 7. V. Contra:* si delinquentem propter criminis atrocitatem ad exemplum ac terrorem aliorum in magno populi affluentis concursu plecti, publicè interesset: ob quam causam in Italia Hæretici, & alibi latrones, aliique facinorosi homines condemnari & ultimò supplicio affici diebus Festis solent, arg. *l. Provinciarum 10.* junctâ Glossâ, *V. Latronum, C. hic*, Suarez *cap. cit. n. 19.* & Fagnanus *in c. fin. cit. n. 13.* Ex posteriori autem, sive Pietatis causa, iisdem diebus expediri possunt causæ pupillorum, viduarum, incarceratarum, aliarúmque miserabilium personarum, *c. fin. cit.* &, quæ pertinent ad pacem atque concordiam reducendam & firmandam, *can. Decrevit 17.* ibi, *Nisi de concordia & pacificatione*, 22. *q. 5.* Hostiens. *in c. fin. cit. num. 14. & 19.* 20.

Extra hos autem casus diebus feriatis exerciti actus judiciales, an, sicut illiciti, sic etiam invalidi de Jure sint, dubium & dubitandi ratio est; quòd iis celebrati contractus, aliique actus extrajudiciales, prohibiti, irriti tamen non sint. Verùm, quia Jura de actibus extrajudicialibus agentia prohibitionis terminos non egrediuntur ut *in c. fin. cit.* Panormit. *n. 9.* observat: contrà feriis Sacris exercitos actus judiciales disertè irritant, *c. fin. & l. Omnes 7. citt.* infirmum est; quòd à paritate ducitur argumentum. Neque hujusmodi actus validos reddet ab utraque parte facta renuntiatio feriarum Sacrarum; quia istarum juri renuntiari non posse, decisum *c. fin. cit.* ibi, *Ut consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi, Dominicis Festisque, promulgari.* Ratio est; quia principaliter introductæ sunt, non tam ob favorem partium litigantium, quàm ob honorem Dei & Sanctorum; ut proinde in iis locus sit arg. *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 30. ff. de Pactis.* Quæ ratio, quia etiam pro feriis extraordinariis sive repentinis, ob reverentiam & honorem Principis, vel aliam causam publicam indici solitis, militat, etiam his renuntiari partium consensu non posse, ex ea & *l. Omnes 7. cit.* cum Speculat. *Tit. de Feriis §. ult. pr.* rectè detumit Fagnanus *in c. fin. cit. n. 8.* Aliter 21. 22.

liter res se habet cum feriis propter utilitatem aut necessitatem hominum principaliter introductis, vg. tempore messis aut vindemiæ; his enim partium consensu renuntiari posse, *c. fin. cit.* &, si partes die, in citatione sibi præfixa, comparentes non opponant, tacitè renuntiatum censeri, *l. 1. §. 1. ff. hâc Rubr.* clarè habetur & cum eodem Speculat §. *cit. n. 1. & 3.* idem Interpres tradit *n. 9.*

23. Eadem, quæ coram Judice, tam ordinario, quàm delegato etiam, coram Arbitro, sive Juris, sive Compromissarius sit, agitati judicii ratio est, per *l. Omnes 7. cit.* Verba, *Ut neque apud ipsos arbitros, vel à judicibus flagitatos, vel sponte electos ulla sit cognitio jurgiorum*; quia hujusmodi arbitri instar judicis cum causæ cognitione, & servato ordine Judiciario procedunt, Panormit. *in c. fin. cit. n. 15. citt.* Suarez *cap. 30. n. 15.* & Fagnanus *n. 10.* Alia ratio est Arbitratoris; hic enim, cùm non judicet, sed tantùm amicabiliter componat, pacem & concordiam inter partes finiendò, arbitramentum licitè proferet diebus etiam feriatis, *arg. l. fin.* ibi, *Pacta conferant, transactiones loquantur C. Rubr. cit.* & *cit. can. Decrevit. 17.* ibi, *Nisi de concordia & pacificatione, citt.* Suarez *n. 16.* & Fagnanus *n. 20.* Hactenus de judiciali processu generatim.

In specie autem, an diebus feriatis exerciti valeant, de variis actibus ad illum pertinentibus dubium & controversia est inter DD.

24. Primò enim dubitatur de Libelli oblatione: quæ, an die feriato fieri ab actore queat judici, dubitandi ratio est; quòd ab isto ejusmodi die fieri nequeat parti, ut cum Glossatore, Bartol. *in l. Miles 11. ff. ad L. Jul. de Adult. V. Sexaginta*, tradit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 27.* Sed, ut iste probè advertit, inter hanc & illam Libelli oblationem latum est discrimen; cùm oblatio Libelli parti, ab ea aliquid petendò facta à judice, actus sit judicialis, & præsupponat, aut saltem fiat cum citatione, à cujus commissione judicium latiùs acceptum inchoatur; atque idcirco, sicut citationis commissio, sic etiam Libelli cum illa mandata, aut aliàs à judice, pro tribunali sedente, parti facta oblatio irrita sit, ut mox statuetur. Contrà Libelli oblatio, ab actore facta judici, actus judicialis non est; cùm non, ut ea, quæ fit parti, præsupponat, sed antecedat citationem, à cujus commissione contentiosæ jurisdictionis exercitium à judice inchoatur. Quare Libelli oblationem, quocunque etiam feriato die ab actore factam judici, subsistere, cum Glossa *fin. in c. fin. de Judiciis*, Bartolo *in l. Miles cit.* Speculat. *Tit. de Feriis §. Sequitur num. 2.* & Tuscho *Practic. V. Feria, concl. 100.* rectè docet Pirrhing *cit. n. 27.*

Secundò, de Citatione, feriato die ad diem non feriatum facta. Non quidem in causis, quæ diebus festis expediri de Jure possunt; in his enim citationem ad diem feriatum permissam, non est, qui inficietur. Sed in aliis, in quibus citationem, ad quemcunque diem fiat, irritam aliqui absolutè pronuntiant. Alii melius inter tres actus, mandatum, sive commissionem judicis de reo ad judicium vocando, hujus mandati executionem, sive citationis insinuationem reo factam, & istius vi factam Processûs inchoationem statuunt discrimen.

Et, postremam quidem hanc irritam esse, omnes facilè concedunt; quòd judicis cognitionem & judicialem strepitum involvat: sitque actus judicialis, clarè prohibitus *citt. c. fin. & l. fin.* verbis, *Sit ille dies à cognitionibus alienus.*

Idem ob eandem rationem & textus [illegible] plerorúmque DD. sensus est de primo fe[illegible] ve Man-

ve Mandato judicis, quando hoc committitur ab eo, sedente pro tribunali, ut *in c. fin. cit.* notant Bellamera *n.* 10. &
26. Fagnanus *n.* 25. Si verò, ut frequenter solet, citationis commissio extra judicium fiat, eam validam, multorum DD. authoritate, locorum consuetudine & Rotæ etiam Romanæ observantiâ allegatâ, censent iidem Bellam. *l. cit.* Fagnan. *n.* 49. & Gaill. *Lib.* 1. *Observat.* 53. *n.* 5. quòd hujusmodi mandatum sive commissio ex se non sit actus judicialis; cùm sine causæ cognitione ac strepitu extra judicium & domi fieri possit. Contrarium tamen cum *citt.* Panormit. *n.* 20. & Suarez *cap.* 30. *n.* 4. non improbabiliter defendit Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 28.

27. Alteram autem sive mandatæ citationis Executionem, factam die feriato, invalidam, cum *citt.* Panorm. Suarez *n.* 5. & aliis DD. satis probabiliter existimant Fagnanus *n.* 53. & Palao *p.* 7. *n.* 1. cùm propter *l. fin. cit.* Verba, *Præconis horrida vox sileſcat:* tum; quòd ejus executio citati animum deliberandi, & de citationis causa cogitandi solicitudine inquietet & abstrahat à devotione. Sed hæc ratio firma non est; cùm etiam militet contra citationem pridianam, sollicitudinis & inquietudinis, quam affert, partem magnam in dies feriatos sequentes refundentem. Unde eâ nihil moti alii, licet citationem realem, per manûs injectionem reíque apprehensionem & per publicam proclamationem die feriato factam, non valere, facilè concedant: ejus tamen, per nuntium aut literas insinuatæ, executionem validam censent, ex ratione; quòd hæc nudum factum sive ministerium, & non judicialis aut contentiosæ jurisdictionis sit actus; cùm sine causæ cognitione ac strepitu exerceatur, & fieri queat extra citantis territorium, imò in ipsa Ecclesia, *c. Cùm parati 19. de Appell.* in quorum locorum priori contentiosæ jurisdictionis, *c. fin. de Constit. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.* in posteriori actus judiciales, saltem Seculares, exerceri non possunt, *c. Decet 2. de Immunit. in 6.* Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. Tract* 3. *n.* 230. & Pirrhing. *l. cit. n.* 29.

Tertiò, de eadem Citatione, factâ die 28.
non-feriato ad feriatum. De cujus valore variè sentiunt DD. Mihi placet distinctio à *cit.* Panormit. *n.* 21. & 22. tradita, & à Gaill. *l. cit. n.* 2. Perez *in C. hâc Rubric. n.* 9. Haunold. *Tract. cit. n.* 225. & aliis recepta; vel enim quis citatur; ut die, qui indubitatè scitur esse feriatus, vg. die Dominica, vel Nativitatis B. V. Mariæ, aut S. Joannis Baptistæ: vel, ut die, ex se, ut sit feriatus, vel non sit, indifferente, vg. vigesimô alicujus mensis compareat? Si prius, citatio expressè contra Jus & nulla est; ut citatus neque sequenti die comparere teneatur. Si posterius, 29.
& dies eô annô feriatus sit, citatio subsistet & obligabit ad comparendum sequenti non-feriato die; quia in hujusmodi citatione ex intentione judicis virtualiter continentur duo præcepta conditionata. Unum de comparendo die mensis vigesimo, si feriatus non sit. Alterum de comparendo die proximo non-feriato, sive Juridico, si, qui in citatione expressus est, sit feriatus: cujusmodi intentionem in judice rectè præsumi, *cit.* Haunoldus desumit ex eo; quòd cauti judices, clausulâ citationibus insertâ, reos admonere soleant; ut, si expressa dies feriata sit, compareant die proxima non-feriata.

At, cujus, inquies, loci feriæ attendendæ sunt, quando in iis judicis, actoris & rei domicilia discrepant? Judicii locum attendendum, cum *cit.* Panormit. *n.* 23. & Speculat. *Tit. de Feriis §. 1. in fine*, docet Vallens. *ad hanc Rubric. n.* 13.

cùm; quòd regulariter, quando agitur de Ordinatione *judicii*, non domicilii, litigantium, sed fori sive loci, in quo judicium exercetur, consuetudo soleat attendi: tum verò; quòd, si attendenda esset consuetudo aliorum, qui in judicio interveniunt, sæpè *judicia* perturbarentur, & nimiùm protraherentur.

30. Quartò, de Examine & Depositionibus testium die feriato peractis. Convenit inter DD. hujusmodi die invalidè exigi & præstari à testibus *juramentum*, sive causa spiritualis sit, sive temporalis; quia est actus judicialis, expressè & generaliter prohibitus. *c.* 1. *cit.* Testium autem examinationem depositionésque illicitas quidem, sed tamen validas esse, vult Panormit. *in c. cit. num.* 9. partim; quòd retrotrahantur ad diem non-feriatũ, quô præstitum est juramentum: partim verò; quòd, prout à juramento distinguuntur, non sint actus judiciales; cùm non necessariò per ipsum judicem, & locô
31. privatô fieri possint. Sed veriùs, utrumque hunc actum esse invalidum, cum Ant. de Butrio *in c. cit.* defendunt *cit.* Suarez *cap.* 30. *n.* 6. & 7. & Fagundez *cit. cap.* 3. *n.* 3. Ratio est; quia ex una, sacri Canones & leges *Litigantes à controversiis conquiescere* permittunt: & contrà judices *à Cognitionibus*, cujusmodi testium examinatio & attestationum receptio vel maximè est: & *ab Admonitionibus*; ac proinde multo magis à testium coactionibus abstinere, & *Lites ac Processus*, *strepitúmque judicialem conquiescere*, expressè jubent *c.* & *l. fin. citt.* ex altera verò parte, omnes actus, ad judicium pertinentes, qui iis diebus prohibentur, etiam irritantur *c.* & *l.* 1. *citt.* Accedit; quòd per examen & depositiones testium actus judicialis, per juramentum inchoatus, continuetur, & firmetur processus; qui, ut dictum, die festo factus *c. fin. cit.* irritatur.

Quintò, de Sententiis excommunicationis, suspensionis & interdicti; quas, perinde ut alias Sententias *judiciales*, die festo invalidè promulgari, existimat Ant. de Butrio *l. cit.* permotus textu *l. fin. cit.* omnem judicis vocem his, sive feriatis diebus, silere jubente. Sed meliùs hujusmodi sententias pro licitis & validis cum *cit.* Panormit. *num.* 16. habent *citt.* Suarez *cap.* 30. *n.* 10. & Laiman *cap.* 2. *n.* 7. *in fine.* Ratio est; quia non exigunt strepitum *judicialem*: & potiùs præcepta quædam, & sanctionum Canonicarũ declarationes, quàm proprié dictæ sententiæ sunt: neque pœnam ad vindictam publicam, sed ad bonum animæ & rei contumacis emendationem ordinatam, infligunt, *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6. Un- 33
de in contrarium allegatus textus exaudiendus est de voce *judicis*, non corrigendô medentis atque ad obedientiam reducentis, sed vindicantis & cum strepitu procedentis: sicut fieret, si judex sententiam excommunicationis, vocatis partibus, & præmissâ judiciali causæ cognitione, infligeret. Quô modô eam illicitè & invalidè infligi, censet laudatus Pirrhing. *n.* 22.

Sextò, de Appellatione: quam in 34
feriis, præsertim Sacris, invalidè interponi, vult Zoesius *ad hanc Rubric. num.* 18. eámque Sententiam, extra casum necessitatis, in praxi suadet Suarez *cap. cit. num.* 13. Juri etiam conformem esse, desumitur ex *l.* 1. *C. hâc Rubr.* quî, sicut cæteræ, sic etiam provocationum sive appellationum causæ diebus feriatis pertractari diserè prohibentur. Ratio est partim; quòd appellatio sit pars processûs, pertineátque ad strepitum judicialem; cùm *jurisdictionem* in judice *à quo* suspendat, & firmet in eo, *ad quem* ejus interpositione provocatur: partim verò; quòd, cùm interponitur, *judicis* sit cognoscere, an legitima vel

tima vel frivola & frustratoria sit: quæ cognitio utique die festo prohibita est.

35. Nihilominus, eam hujusmodi die validè interponi, in *c. fin. cit.* cum Glossa *V. Quibus*, Panormit. *n. 13.* & Felino *n. 5.* defendunt laudati Fagnanus *n. 21.* & Pirrhing *n. 33. arg. l. 1. cit.* cujus Imperiali rescriptô, cùm, sicut provocationis causarum pertractatio à feriis removetur, sic illius temporum cursus adstruatur; ne feriati dies appellationis fatale tempus omnino absumant, ejus saltem interpositionem non excludent. Ratio est; quia ejus interpositio ferè, ut in prima instantia, citationem præcedens libelli oblatio, judicialis & contentiosæ jurisdictionis actus non est; cùm, sicut illa, non à judice aut justitiæ ministris, sed à parte & sine strepitu fiat: per eámque à judice recedatur: &, si actus judicialis esset, tamen permissa videatur; quòd pertineat ad sui defensionem, reo Jure Naturali & quovis tempore permissam.

Neque aliud evincunt in contrarium allatæ rationes; quia imprimis illa etiam judicis cognitio concessa videtur ob favorem rei: cui Jure Naturali concessam sui defensionem adimere aut restringere sacri canones & leges non intenderunt. Deinde; quia, licet cognitio illa Jure prohibita sit, non tamen hôc ipsô etiam prohibita & irritata est ipsa rei gravati provocatio ad superiorem: &, licet hæc pertineat ad processum, non tamen est illius pars, quæ fit cum strepitu & imbibit judicis authoritatem: sicut hanc & illum includit pertractatio causæ appellationis.

36. Septimò demum de Executione: quam, cujuscunque sententiæ sit, die Festo validè fieri, existimat *cit.* Panormit. *n. 13. & in c. fin. de Judiciis n. 22.* quòd executio non sit actus judicialis; cùm, latâ sententiâ, judex functus sit officiô suô, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* & executio pertineat ad ministros. 37. Sed meliùs Felinus in *c. fin. cit. n. 13.* & Suarez *cap. cit. n. 12.* eam die Festo factam irritam: &, si factum patiatur, revocandam, docent propter *l. fin. cit.* Verba, *Ut à cunctis executionibus excusetur.* Ratio est; quòd executio sententiæ sit processûs complementum: sæpe fiat cum strepitu, & plerumque etiam majorem populi perturbationem & distractionem afferre soleat, quàm ullus actus judicialis. Propter quam causam die Festo reum, extra casum necessitatis, neque capi, neque incarcerari posse, ex communi aliorum sensu docet Farinac. *Prax. Criminal. q. 27. n. 106.*

TITVLVS X.
De Ordine Cognitionum.

SUMMARIUM.

1. *In judicium sæpe veniunt plures quæstiones:*
2. *Ex quibus Præparatoriæ,*
3. *Et Præjudiciales aliis præmittuntur.*
4. *Declaratur id variis exemplis.*
5. *Causa etiam major minori,*

6. *Et Criminalis Civili præmittenda est:*
7. *Adhibitâ geminâ distinctione.*
8. *Priùs de matrimonij impedimento,*
9. *Quàm de ejus contractu cognoscitur:*
10. *Etsi, probatô impedimentô super matrimonio,*
11. *Et non super illo vel alia quæstione præjudiciali pronuntietur:*
12. *Nisi ista solùm impediat processum,*
13. *Vel ad diversi judicis cognitionem spectet.*
14. *De Natalium quæstione incidente solus judex Ecclesiasticus cognoscit:*
15. *Si de illis Juris:*
16. *Secundùm aliquos etiam si Facti quæstio sit.*
17. *Veriùs de ista tam Secularis,*
18. *Quàm Ecclesiasticus judex cognoscere potest.*
19. *Nisi de Facto mota admixta Juris quæstio sit:*
20. *Ut ei, quæ de Clericatu:*
21. *Vel de Hæreseos crimine movetur.*
22. *Priùs de Spolij actione, quàm de Proprietate,*
23. *Et de spolij exceptione, quàm de ejus actione cognoscitur:*
24. *Etsi, exceptione probatâ, actor non cogatur ad restitutionem:*
25. *Sed ab agendo tantùm repellatur.*

1. Lite inter partes contestatâ, præstitóque, si exactum fuit, Calumniæ juramentô, & datis, lapsísque Dilationibus (nisi rei, & aliquando etiam actoris, contumacia aliud exigat) proceditur ad examinanda merita causæ. Quia verò non infrequenter causæ & quæstiones plures in idem judicium deducuntur, quarum una ab altera pendet; ne judiciorum confusio oriatur, statuendum hoc locô est, quis in earum pertractatione observandus ordo, quæ alteri antè vel post ponenda.

Et quidem, si in judicium veniant per Conventionis & Reconventionis vias, quô ordine pertractandæ sint *Tit. 4. à n. 31.* est explicatum. Si verò earum altera per Exceptionis à reo, vel per conventionis modum ab actore utraque proponatur, unanimi DD. calculô approbata triplex Regula: & harum.

Prima est, ex duabus vel pluribus causis seu quæstionibus, quarum una ad alterius cognitionem viam parat, aut illam impedit ea, quæ præjudicialis minùs propriè, meliùs Præparatoria dici potest, alterius cognitioni præmittenda est: ut patet in causis Possessionis & Proprietatis, quarum illa, ut, cui probandi onus subeundum sit, quis possessionis commodis gaudeat, constet, priùs discutienda est, *l. Ordinarij 13. C. R. V. l. Incerti 3. C. de Interdictis & c. Ad ultimum 2. de Caus. Poss. & propr.* ubi hac de re sermo redibit. Eôdem modô ab actore in judicium deducta causa examinanda non est, antequam de oppositâ illi excommunicationis exceptione cognoscatur, *arg. c. Intelleximus 7. de Judiciis:* & priusquam de rei, de quo, an clericus vel laicus sit, dubitatur, crimine vel pœna agatur, pertractanda est quæstio Clericatûs: &, hâc pendente, criminis cognitione supersedendum, *c. Si Judex 12. de Sent. excom. in 6. ubi* Francus §. *Non sic n. 3.* & Barbosa *n. 8.*

2. Secunda Regula est, ex deductis in judicium duabus quæstionibus, quarum una ab altera sic pendet; ut in ista lata sententia absolutoria rei judicatæ exceptionem in illa pariat, itáque hanc absorbeat, illa, tanquam propriè præjudicialis & peremptoria, priùs est discutienda, cùm; ut in causarum pertractatione ordinatè procedatur: tum verò; ut super iis diversæ & inter se pugnantes sententiæ in eadem causa & instantia non proferantur; itáque intricatio processuum & negotiorum

gotiorum perplexitas evitetur. Ita cum Bartolo *in l. Multum 21. ff. de Condit. & demonstr. pr.* Cravetta *Consil. 79. n. 7.* & aliis Tuschus *Practic. V. Præjudicialia, n. 2.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 100. à n. 59.*

4. Declaratur Regula exemplis; sic enim, si in petitionem hæreditatis alicujus intestati in judicium deductam quæstio, an, qui eam petit, filius, vel legitimus sit: aut ad eam, testamentô sibi relictam, agenti defunctum testari non potuisse, vel ultimam ejus voluntatem aliundè nullam esse, opponatur, quæstionum de filiatione & natalium defectu, an defunctus testari prohibitus, vel testamentum aliunde nullum sit, tanquam præjudicialium discussio hæreditatis petitioni præmittenda est, *arg. c. Tuam 3.* Sic cum ad hæreditatis divisionem agenti, eum hæredem non esse, objicitur, priùs an an hæres sit, cognoscendum est, quàm judicium divisorium instituatur, *l. Per familiæ 2. pr. ff. Famil. hercis.* &, si quis fundum Sempronianum & præterea servitutem viæ ad eum per fundum Cornelianum petat, priùs de fundi proprietate quàm viæ servitute agendum est, *l. Fundum 16. ff. de Except. & Præscript.* quia, si eum fundi dominum non esse, pronuntiatur, prætensæ servitutis actio evanescit. Sic etiam, si in causam divortii propter viri sævitiam incidat quæstio de valore matrimonii, illius cognitione supersedendum est, donec ista tanquam præjudicialis per sententiam terminetur: &, si lite in foro Ecclesiastico pendente super matrimonii valore vel nullitate ex viri impotentia proveniente, vir tanquam criminis adulterii reus deferatur ad forum Seculare, priùs de valore matrimonii, quam de adulterii crimine cognoscendum est ac pronuntiandum; quòd prior sit præjudicialis: &, si propter viri impotentiam matrimonium declaretur nullum, adulterium propriè dictum ab eo non potuerit perpetrari.

Eôdem modô, si Canonico contra suum Capitulum agenti pro fructibus sibi debitis; eô quòd non possit residere, eum laicum aut hæreticum vel alterius criminis, propter quod beneficio Ecclesiastico ipsô Jure & facto privatus sit, opponatur, præmittenda est cognitio de ejus statu, & hæreseos vel alio ejusmodi crimine, tanquam præjudicialis & fructuum petitionem elidens, quod decisum refert Puteus *Decis. 98. n. 9.* &, antequam de inobedientia cognoscatur, oppositam exemptionis exceptionem, utpote quæstionem statûs præjudicialem, priùs examinandam, notat Zypæus *Respons. 1. ad hanc Rubric. n. 2.*

Regula tertia, major causa minori præferenda est, secundùm Paulum JCT.[a] *l. Per minorem 54 ff. de Judiciis*, ubi, *Per minorem* inquit, *causam majori præjudicium fieri non oportet.* Rationem reddit; quia *Major quæstio minorem causam ad se trahit*; sic enim, ut antè dictum, priùs pro fundi proprietate, quàm ei debita servitute agendum, *l. Fundum cit.* & quando in idem judicium Civilis & Criminalis causa deducitur, de ista priùs, quàm illa cognoscendum est, *l. fin. C. de Ord. judic.* qui tamen casus non unam distinctionem admittit; cùm, si earum altera præjudicialis sit; quòd in ea lata sententia rei judicatæ exceptionem pariat in altera, ratione præjudicii, quod affert, de illa, quantumvis Civilis sit, cognoscendum, & criminali, licet major sit, interea superfedendum, multis DD. relatis doceat Farinac. *q. cit. à n. 60.* Si verò præjudicialis neutra sit, locus est alteri distinctioni; vel enim causa Civilis ab actore: Criminalis autem ab ejus adversario proposita est per modum exceptionis? & de ista priùs agendum erit ratione majoritatis; ut

5.

6.

7.

tis, ut ex *l. Per minorem, l. fin. citt. & l. Sed de vi 37. ff. de Judiciis* cum Bartolo & Baldo in *cit. l. fin. in Summario* desumit *cit.* Farinacius *n. 59.* Vel in judicium ab actore deducta est utraque, ut cùm, furem accusans criminaliter, in consequentiam pro rerum ab eo sibi ablatarum restitutione officium judicis imploret? & in utraque simul procedendum, Fachineo *Controvers. Lib. 9. cap.* 2. aliisque DD. & Urbis etiam tribunalium praxi allegatis, docet idem Farinac. *num.* 77. Nisi, Civilem priùs dirimi, actoris interest. His præmissis de cognitionum Ordine, quatuor Casus totidem præfenti *Rubricæ* subjectis textibus proponuntur.

8. Primus est, quô vg. feminæ, aliquem virum, tanquam maritum vel sponsum petenti, iste opponit; quòd propter intercedens consanguinitatis, affinitatis vel aliud dirimens impedimentum, inter se & ipsam matrimonium aut sponsalia consistere non possint, juxta *c. Non debet 8. de Consang. & Affinit,* Quô casu

An priùs matrimonii aut sponsalium initorum, vel impedimenti quæstio pertractanda sit, dubium oritur ex *c. Causam 16. de Offic. deleg. c. Accedens 4. V. Mandamus, Ut lite non contest, c. Ex conquestione 10. & c. Literas 13. de Restit. Spoliat.* quibus textibus de principali causa matrimonii pronuntiatur, & viro vel mulieri conjugem repetenti iste restituitur, non obstante consanguinitatis exceptione.

9. Nihilominus, in proposito casu priùs de incidente consanguinitatis, affinitatis &c. quæstione cognoscendum, eáque legitimè probatâ contra sponsalia & ipsum etiam matrimonium pronuntiandum est, ex rescripto Clementis III. *c.* 1. relatô: cujus ratio est; quia exceptio consanguinitatis &c. peremptoria est; cùm enim matrimonium & sponsalia inter consanguineos ipsô Jure nulla sint; ac proinde ex eorum contractu alterum tanquam conjugem petendi jus & actio neutri oriatur, probatâ consanguinitatis exceptione, perimitur & omnino corruit causa principalis matrimonii vel sponsalium. Quare propositâ in judicio exceptione consanguinitatis, ad cujus probationem se reus offert, frustrà recipientur actoris probationes de matrimonio vel sponsalibus contractis; quia, exceptione probatâ, matrimonii & sponsalium initorum probatio prodesse non potest.

Neque aliud evincunt in contrarium allegati textus; quia in istorum casibus intentatum fuit possessorium Recuperandæ, sive redintegrandi matrimonii: cujus jam consummati possessione vir aut mulier fuerunt spoliati. Unde eis, ad conjugis restitutionem agentibus, iste, consanguinitatis exceptione non obstante, restitui debebat vi Regulæ, quâ spoliatus ante omnia dicitur restituendus, *c. In literis 5. c. Conquerente 7. &c. de Restit. Spoliat.* Contrà *in c. 1. cit.* & nostro casu, non Possessorium, sed Petitorium fuit intentatum; quia mulier non tanquam spoliata ad mariti restitutionem agebat: sed eum, à quo nec cognita, neque in domum traducta fuit, propter contractum cum ipso matrimonium vindicandô sibi adjudicari petebat, ut ex verbis, *Peteret quendam in virum* cum Panormit. *n. 2.* desumunt Fagnanus *n. 7.* & Gonzalez *n. 16.* quia adjectâ causâ vg. *Quia meus ipse maritus,* vindicari etiam libera persona potest, *l. 1. §. 1. ff. de R. V.* Sed hinc

Dubium aliud nascitur, an, discussâ & probatâ consanguinitatis exceptione, judex super ea, vel super causa tantùm principali, scilicet matrimonio vel sponsalibus, debeat pronuntiare. Ratio dubitandi obvia est; quia *De qua re cognoverit judex, pronuntiare quoque debet,* textus

textus est *l. De qua re 74. ff. de Judiciis*: licet ea incidenter tantùm in judicium sit deducta, ut desumitur ex *c. Tuam cit. & l. Intra 39. pr. ff. de Minoribus*: quorum textuum priori super natalium, in hæreditatis: posteriori super ætatis, in restitutionis in integrum petitiones incidentibus, & (sicut *c. 1. cit.* consanguinitatis est) præjudicialibus quæstionibus fuit pronuntiatum. Confirmatur etiam paritate actori per exceptionem oppositæ excommunicationis, litis per sententiam, quæ in rem judicatam transierit, per transactionem, jus jurandum &c. finitæ, & similium exceptionum: super quibus à judice non solùm cognoscendum, sed pronuntiandum etiam, antequam ad principalis quæstionis discussionem procedatur, ex *l. A procedente 4. C. de Dilat. & l. Quoniam 26. C. ad L. Jul. de Adult.* desumunt & consentiunt DD.

11. Nihilominus de consanguinitatis & aliis exceptionibus præjudicialibus judex pronuntiare, etsi possit, necessariò non debet: sed sufficit, quòd, illâ probatâ, reum absolvendô & sponsum vel maritum non esse declarandô, pronuntiet super causa principali, ut in *c. 1. cit.* ex communi aliorum sensu docet Panormit. *n. 11.* & Fagnanus *à n. 68.* & colligitur ex *c. 1. cit.* quô cognitioni de quæstione consanguinitatis incidente (nihil addendô de pronuntiatione) subjungi jubetur definitio causæ matrimonialis principalis, & absolutio viri à mulieris impetitione: & ex *l. 1. C. de Ord. jud.* ibi, *Quoniam non de ea*, incidente statûs & præjudiciali quæstione, *sed de hæreditate*, principaliter in judicium deductâ, *pronuntiat.* Cui consonat *l. Si de hæreditate 2. C. de Ord. cognit.* Ratio est; quia exceptio consanguinitatis &c. concernit negotium principale, scilicet matrimonium vel sponsalia: & ad id perimendum proponitur; eámque ob causam, latâ super matrimonio vel sponsalibus sententiâ, quâ virum, maritum aut sponsum non esse declaratur, etiam tacitè de illis pronuntiatur. Unde corruit ratio dubitationis.

Ne autem istius resolutioni obstent contra eam allegati textus & exempla, præ oculis habendum, probéque notandum est discrimen inter exceptiones incidentes, quæ concernunt factum, sive causam principaliter in judicium deductam, ut est consanguinitas, matrimonium vel sponsalia prætensa: & hæreditatis vel istius divisionis petitionem concernentes exceptiones; quòd illam filius, istam verò petens hæres non sit: & exceptiones 12.
emergentes, quæ non ipsum negotium principale, & victoriam in hoc obtinendam concernunt: sed ad processum tantùm impediendum proponuntur: ut sunt excommunicationis & similes exceptiones. Super quarum exceptionum posterioribus pronuntiandum est, antequam ad causam principalem procedatur; quia, nisi super iis pronuntietur, aut factô contrarium ostendatur, in causa principali nequit procedi. Super prioribus autem pronuntiari, regulariter non est necesse, sed sufficit; quòd super matrimonio, sponsalibus, hæreditate, principaliter in judicium deductis, pronuntietur, per *c. 1. l. 1. & l. Si de hæreditate citt.* textus.

Dico, *Regulariter*; quia, si quæstio 13.
incidens non coram eo, qui de negotio principali pronuntiat: sed coram alio, ut de natalium defectu, ex matrimonii nullitate proveniente, incidens quæstio, non coram Seculari, qui de hæreditate principaliter motam quæstionem definit, sed coram Ecclesiastico judice ventiletur, ab isto priùs super incidente pronuntiandum est, quàm de hæreditate pronuntiet, imò cognoscat judex Secularis, *c. Per tuam cit. & c. Lator 5. Qui filij legit.* Eôdem

modò, super incidente quæstione, vg. super litis per sententiam, transactionem &c. finitæ exceptione pronuntiandum est, si, ut aliquando contingit, ad ipsum processum impediendum proponatur, juxta *c.* 1. *l. Intra citt. l. Prævaricationis* 3. *ff. de Prævaricat. & c.* 1. *de Litis contest. in 6. citt.* Fachineus *concluſ.* 1. & 2. & Fagnan. *n.* 26. & 27.

Secundus casus est, quò in causam, principaliter in judicium Seculare deductam, incidit quæstio præjudicialis, ad forum Ecclesiasticum pertinens, vg. si actori, qui coram Seculari judice hæreditatem ab intestato relictam tanquam filius petit, reus conventus excipiendò opponat defectum natalium ex matrimonii, inter ejus parentes initi, nullitate provenientem. Quò casu

14. An judex Secularis super incidente hac de natalibus quæstione cognoscere valeat, dubitandi ratio in speciem minimè levis est; quòd judex, qui ad cognoscendum de causa aliqua principaliter mota competens non est, cognoscere de ea valeat, cùm in judicium venit tantùm incidenter, ut ex *l. Quoties* 3. *C. de Judic. & l.* 1. *C. de Ord. judic.* desumi & Regulæ instar tradi solet; sic enim, qui de causa statûs, vg. an quis liber aut servus sit, (cujusmodi etiam est, an, qui hæreditatem petit, legitimus sit) inter privatos principaliter cognoscere non potest, ut procurator Cæsaris, *l. Procuratores* 2. *C. Ubi causa statûs*, cognoscere de ea valet, quando in judicium venit incidenter, *ll. citt.* Cur non etiam de matrimonii valore vel nullitate, & ex hac proveniente natalium defectu, judex Secularis, si de iis quæstio incidat in petitionem rei merè temporalis, obnoxiam ipsius cognitioni? Cui rationi non modica vis accedit à paritate judicis Ecclesiastici; qui, licet respectu causæ temporalis, inter laicos agitatæ, incompetens sit, *can. Cùm ad verum 6. dist. 96.* cognoscere tamen valet de ea, in causam Ecclesiasticam incidente, vg. de quæstione super dote vel alimentis, incidente in principaliter motam causam matrimonialem, *c. De prudentia* 3. & *c. Per vestras* 7. *cit. de Donat. inter vir & uxor &c.*

Sed ratione hac potior & omnino explorata est Juris definitio; cùm super defectu natalium, ex nullitate matrimonii, cum impedimento vg. consanguinitatis aut affinitatis, scienter aut sine denuntiationibus contracti, proveniente, sive principaliter sive incidenter in judicium veniat, Secularem judicem cognoscere non posse; & propterea priùs de hac ab Ecclesiastico, quàm à Seculari judice de hæreditatis petitione cognoscendum vel pronuntiandum, apertè decisum sit *c. Tuam* 3. ubi Honorius III. delatâ ad se causâ natalium Adelæ Cypri Reginæ, Ludovico VIII. Francorum Regi ita rescripsit, *Quia antequam Natalium causa Reginæ Cypri terminata esset, dependentem ex illa successione* in Comitatu Campaniæ *causam incipere, nihil aliud esset, quàm diversis processibus intricare negotium & confusione quadam judicij ordinem perturbare, si fortè ab ipsa Regina fueris super hoc requisitus, donec jam dicta causa natalium Apostolicò judiciò finem acceperit, patienter expectes.* Simili modò legitimorum natalium causam Ecclesiasticò judiciò discutiendam, ejusque definitionem in foro Seculari motæ hæreditatis petitionis cognitioni præmittendam, Alexander III. Exonienſi, Vintoniensique & Londinensi atque Vigorienſi Angliæ Episcopis consulentibus respondit, *c. Lator* 5. & *c. Causam* 7. *Qui filij legitimi.* Jure non minùs perspicua solidáque ratio est; quia prædicta quæstio dependet à valore matrimonii; de quo ob ejus spiritualitatem & digni-

& dignitatem Sacramenti, ad quam in nova Lege elevatum est, *c. Debitum 5. de Bigamis, c. Ad abolendum 9. pr. de Hæreticis & Trident. Sess. 24. can. 1. de Matrim.* cognosci & pronuntiari à Seculari iudice non posse, à laudata S. Synodo definitum est *Sess. cit. can. 12. & Lib. 4. Tit. 18. à n. 2.* ex instituto tradetur.

Neque ita firmatæ Juris definitioni adversatur; quòd iudex Ecclesiasticus cognoscere valeat de incidente quæstione temporali; quia, licet respectu huius inter laicos agitatæ incompetens, non tamen incapax est iudex; cùm in temporali causa adiri possit de consensu partium, in se prorogantium ipsius iurisdictionem, *l. Episcopale 8. C. de Episc. aud.* Bartol. *in l. Ex consensu 23. pr. ff. de Appellat.* & Boërius *Decis. 69. n. 4.* Alia ratio est iudicis Secularis; hic enim respectu causæ spiritualis non solùm incompetens, sed insuper incapax est; cùm in tali causa neque de consensu partium adiri possit ex prorogatione, *arg. c. Si diligenti 12. de Foro competenti:* neque etiam ex alterius, quàm sedis Apostolicæ, delegatione, Glos. ia in *c. Decernimus 2. V. Non præsumant, de Judiciis*, Decius *ibid. n. 5. in fine*, Hostiens. *in Summa, de Offic. deleg. n. 3.*

Neque etiam; quòd iudex inferior cognoscere valeat de quæstione statûs, quando incidenter in iudicium deducitur; quia hæc, ut pote temporalis, non exigit iurisdictionem spiritualem: qualem ex dubio matrimonii valore orta Natalium quæstio requirit. Cùm ergo laicus iurisdictionis spiritualis capax de Jure non sit, *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. citt. &c.* de quæstione illa cognoscere non valebit, per *text.* antè *citt.* Panormit. in *c. Tuam cit. n. 9.* Innocent. *ibid. pr.* & Bartolus *in l. Quoties cit. n. 1.* cum Hostiensi *in c. cit. n. 7.* asserens, id procedere etiam de Jure Civili *l. Omni 6. C. de SS. Eccles.*

Atque hæc plerorumque alicujus nominis DD. calculô sunt approbata, si Natalium, aut alia de re spirituali, aut huic annexa orta quæstio sit Juris, vg. si de matrimonio, quod initum esse constat, dubium & quæstio moveatur, an validè & secundùm sacros Canones contractum: an decimæ, ex quibus rebus, an integrè, vel deductis expensis debeantur: an à laico facta clerici præsentatio Simoniaca sit &c. 15.

Dubium autem ingens & inter Interpp. aliósque DD. magnis in utramque partem studiis militantes agitata, hodiéque celebris controversia est, an, si ejusmodi de re spirituali aut huic annexa incidens, aut etiam principaliter in judicium deducta quæstio tantùm de Facto est, vg. an alicujus parentes soluti, vel matrimoniô ligati: ex quibus fundis, an integræ decimæ sint solutæ: quando, cujus clerici præsentatio sit facta &c. de ea cognoscere Secularis judex possit; hujusmodi enim quæstionis & causæ cognitionem Ecclesiastico tantùm judici competere, præter alios volunt ex Interpp. in *l. Quoties 3. C. de Judiciis* Baldus *n. 3.* & in *c. Tuam cit.* Joan. Andr. *n. 7.* Panormit. *n. 10.* Fagnanus *à n. 41.* ex aliis autem DD. Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. 25. q. 5. in fine*, Moneta *de Decimis, cap. 8. n. 14.* Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 44.* & August. Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 84. n. 31.* etsi contrarium non obscurè defendat *de Offic. Parochi cap. 28. §. 4. n. 1. & 2.* 16.

Moventur Jure & ratione. Illô textuum, *c. Tuam cit.* quô Natalium quæstio foro Ecclesiastico adstruitur indistinctè: *c. Per tuas 12. Qui filij legit.* ubi quæstio de inito matrimonio, quæ facti est, Ecclesiasticô judiciô est definita: *c. Si judex 12. de Sent. Excommunicat. in 6.* ex cujus decisione de rei apprehensi clericatu mota controversia remittenda est ad cu-

riam Ecclesiasticam: &c. *Ut inquisitionis 18. §. Prohibemus, de Hæret in 6.* ubi potestas Secularis de Hæreseos crimine *Quo quomodo*, ac proinde etiam cùm de facto quæritur, *cognoscere* prohibetur. Istâ verò sive ratione; quòd ex una, ea quæ de facto est, à Juris quæstione nequeat separari; cùm ex facto Jus oriatur, & ad illud hoc sequatur, *l. Si ex plagis 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ex altera vero parte, ratione connexionis ad judicem Ecclesiasticum, tanquam digniorem, & qui de connexorum altera cognoscere solus potest, deferenda utraque quæstio sit, *arg. c. Translato 3. de Constit. & l. Eum actum 17. ff. de Negot. gest.* Ita isti & verisimiliter omnino.

47. Verisimiliùs tamen, rei spiritualis quæstionem, quando in mero facto consistit, & reus conventus laicus est, fori Mixti; ac proinde Secularis etiam judicis cognitioni obnoxiam esse, defendunt in *l. Titia 34. ff. Soluto matrim.* Bartolus *n. 6.* & Petr. Barbosa *n. 36.* Felinus in *c. Cùm sit 8. de Foro compet. n. 1.* Ant. de Butrio *in c. Tuam cit.* in hos *& l. Quoties cit.* textus Interpp. alii & ex ceteris DD. Steph. Gratianus *Discept. Forens cap. 238. n. 12.* Menoch. *Recup. remed. 15. n. 338.* Zypæus *de Jurisdict. Eccles. & Civil. Lib. 1. cap. 39. n. 3.* Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 54. n. 4.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. n. 25.* Oliva *de Foro Eccles. p. 1. q. 8. n. 51.* Sperell. *Decis. 8. n. 55.* Delbene *de Immunit. cap. 5. dub. 14. s. 4. n. 16.* alios referentes. Præcipuum & ferè unicum eorum fundamentum est; quòd judex de re spirituali aut huic annexa, quatenus in mero facto consistit, cognoscens abstrahat ab omni spiritualitate; ac proinde nulla sit ratio, cur esse nequeat Secularis, præsertim; cùm iste, quantumvis respectu quæstionis devalore juramenti propter istius spiritualitatem competens non sit, cognoscere tamen valeat, an id alicui actui roborando adjectum sit, & ad ejus observantiam compellere laicum jurantem, *c. Licet 2. de Jurejurando in 6.*

Neque obstant *c. Tuam & c. Per tuas cit.* textus; quia prioris generalitatem satis restringit eô objecti natalium defectus causa: quam consanguinitatem, inter Cypri Reginæ parentes intercedentem, fuisse, eruditè & verisimiliter ostendit Gonzalez in *c. Tuam cit. n. 10.* ac proinde ibi de matrimonii initi valore & Juris quæstionem agitatam, cum Anchorano *in Reg. 27. in 6. q. 4.* rectè asserit Petr. Barbosa *in l. Titia cit. n. 36.* Posteriori autem, de facto quidem, & coram judice Ecclesiastico agitata quæstio fuit: & coram isto, hôc ipsô; quòd fori sit Mixti, potuit: sed non necessariò debuit agitari; cùm respectu facti super rebus spiritualibus motarum & aliarum Mixti fori quæstionum judex competens sit uterque, & inter ipsos locus prævention, ut *in c. Cùm sit cit.* passim notant DD.

Difficilior in speciem est *c. Si judex & §. Prohibemus citt.* Sed in speciem duntaxat; dixi enim Secularem, judicem de rerum spiritualium hisque annexarum quæstionibus cognoscere posse, *Quando consistunt in mero facto & Reus laicus est.* Prius; quia, si facti quæstio admixtam habeat quæstionem Juris, ut eæ, quæ de hominis clericatu aut hæresi moventur, ferè semper habent, juxta dicta de illo *Tit. 2. n. 182.* de istius autem crimine dicenda *Lib. 5. Tit. 7. n. 36.* de ea cognitio judicialis ad curiam Ecclesiasticam pertinet: & huic *c. & §. citt.* meritò adstruitur, *citt.* Barbosa *à n. 27.* & Oliva *n. 52.* Posterius; quia, cùm reus clericus est, de facto in judicium, etiam sine ulla Juris admixtione, deductô mota controversia indubitatè spectat ad curiam Ecclesiasticam; quippe quæ tali casu jurisdictionem, si non in causa,

causa, saltem in persona fundatam habet privativè; cùm persona clericalis in causis etiam Civilibus, non specialiter exceptis, in foro Seculari nequeat conveniri, *Auth. Statuimus C. de Episc. & cleric. can. Placuit*, 11. *q.* 1. *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* Covarruvias *Practic. cap.* 35. *n.* 1. *V. Primùm* Gutierez *Q. Canon. Lib.* 1. *cap.* 34. *à n.* 22. & aliis DD. relatis Oliva *q. cit. n.* 64.

21. Neque, ut nonnullis non infimæ authoritatis DD. visa est, aliud persuadet ratio; quia, licet ex facti qualitate pendeat pronuntiatio de jure, alicui competente: & variatæ illius circumstantiæ etiam hoc varient; ut, iis non probatis, jus partis determinari non possit: quod solum *l. Si ex plagis cit.* §. 2. textus evincit: facti tamen quæstio ab ea, quæ de Jure est, separari & sine ista decidi potest; cùm sint omninò diversæ: & quantumvis ista sit spiritualis, talis tamen non necessariò sit etiam illa, Jason *in l. Quoties cit. n.* 7. Ripa *in c. Decernimus* 2. *de Judiciis n.* 17. & cum ipsis *citt.* Barbosa *n.* 25. & Oliva *n.* 35.

22. Tertius casus proponitur *c. fin.* quò reum super spolio, sive judicio Possessorio recuperandæ possessionis, conventum, si actorem judiciò Petitoriò, vg. alicujus rei vindicatione reconveniat, non audiendum deciditur; quia spoliati speciale privilegium est; quòd ante omnia sit restituendus; & propterea contra actorem, restitutionem petentem, reus super proprietate priùs non audiatur, quàm restitutio sit facta, *c. Ex literis* 5. *c. Conquerente* 7. *&c. de Restit. spoliat.* ubi hac de re plenius agendi proprius est locus.

23. Quartus demum est, quò agenti super spolio vicissim objicitur spolium. Quem casum ponderanti videri potest, actori spolium opponi à reo non posse priùs, quàm de spolio, contra se in judicium deducto, ipse sit purgatus; cùm spoliatio sit crimen, de quo accusatus accusantem super pari crimine reaccusare antè non permittitur, quàm de crimine, super quo impetitus est, sit purgatus, *can. Neganda* 2. *ex l.* 19. *C. de Hæ. qui accus. in Causa.* 3. *q.* 11. relato *& l. Si quis reus* 5. *ff. de Publ. judic.*

Sed hâc ratione potior, & à DD. recepta est decisio Innocentij III. *c. Cùm dilectus* 2. inter modos, quibus super spolio agenti spolium objicitur, statuentis discrimen; vel enim hoc fit per viam Actionis, eum super spolio ab ipso commisso reconveniendò: vel per viam Exceptionis, ad processum judiciarium excludendum, aut, donec restitutio facta sit, differendum?

Si prius, ea, quam reus super spolio conventus actori apponit, ut cæteræ Reconventionis causæ, est pertractanda; ac proinde multùm refert, utrùm ante vel post contestationem litis sit objecta; cùm ante vel etiam immediatè post litem contestatam objecta simul pertractanda, & per sententiam terminanda sit cum causa Conventionis, sive ab actore in judicium deductæ spoliationis: post contestationem autem & in ipso litis progressu à reo per viam actionis objectæ spoliationis cognitio differenda sit, donec ab actore super spolio proposita conventionis causa sit pertractata, per tradita supra *Tit.* 4. *à num.* 32.

Si posterius, & actori alia spoliatio objecta est per modum Exceptionis, antè de ista, sive spolii ab actore commissi exceptione, cùm dilatoria sit, Glossa *in c. 1. V. Perimitur, de Restit. spoliat. in* 6. quàm de ejus ab actore proposita actione est cognoscendum. Probatâ verò eâ exceptione reus actori respondere priùs non cogitur, quàm factâ sibi spolii restitutione, ex decisione *c. Cùm dilectus cit.* quia, quando actor

do actor & reus in eadem causa sive luto hærent, favorabilior est causa rei, quàm actoris, *l. Favorabiliores l. 25. ff. de R. J.* Sunt tamen DD. qui, licet hanc doctrinam etiam ipsi probent, *c. cit.* de spolio actori, non possessorium, sed petitorium intentanti, objecto sermonem esse, satis probabiliter velint, ut Petr. Barbosa *in l. Si de Vi 37. ff. de Judiciis n. 437. & 445.* Sed, utcunque hoc se habeat, ex dictis

24. Dubium oritur, an casu, quò reus spolium excipiendò objectum probat, actor ad restitutionem ejus, cujus possessione reum dejecit, per sententiam sit condemnandus. Hoc certè suadere videtur ratio; quia judex de re, de qua cognovit, etiam debet pronuntiare. Sed ratio hæc, licet vera sit, actorem tamen ad restitutionem absolutè condemnandum, non persuadet. Imò eum ad restitutionem de Jure non compellendum, persuadet, *c. Cùm dilectus cit. §. Verùm*, clara decisio, & istâ non minùs clara ratio partim; quia finis exceptionis est, repellere agentem: non consequi rem, quæ excipiendò in judicium venit, *l. Vindicantem 17. ff. de Evictionibus*; quia exceptio est exclusio actionis, *l. Exceptio 2. ff. de Exceptionibus*: & propterea spolii exceptio non operatur restitutionem, nisi faciendam sub conditione, quâ actor actionem suam prosequi velit: partim verò; quia judex officium suum partibus impertiri & pronuntiare debet juxta modum factæ ab iis propositionis, *c. Qualiter 24. de Accusat. & c. Licet 31. de Simonia* ibi, *Ut juxta formam judicii sententia quoque dictetur*; ac proinde, si reus solùm excipiat, exceptione probatâ actorem ab agendo solùm repellere, Glossa *in c. Cùm dilectus cit. V. Restitutio* & *ibi* Panormit. n. 7. sicut quando, ut à testimonio dicendò repellatur, testi objicitur crimen, illò probatò, testis à testimonio solùm perhibendò repellitur: non etiam pœnâ criminis ordinariâ punitur, neque inter infames habetur; quia non ad hoc, sed ad illud tantùm exceptio, non accusatio, proposita fuit, per textum, *c. cit. in fine & c. 1. de Except.*

TITULUS XI.

De Plus Petitionibus.

SUMMARIUM.

1. *Ratio Ordinis.*
2. *Plus peti potest Re,*
3. *Tempore,*
4. *Locâ,*
5. *Vel Causâ.*
6. *Olim quovis modò plus petens:*
7. *Hodie super majori quantitate cautionem extorquens causâ cadit.*
8. *Tempore plus petens refundit expensas,*
9. *Et solutionis tempus residuis duplicat,*
10. *Tribus casibus exceptis.*
11. *Aliò modò plus petens sumptus triplicatos refundit Civili,*
12. *Non etiam Canonico Jure,*
13. *Et tribunalium praxi spectatis.*
14. *Neque etiam, si ante litis contestationem,*

15. *Vel*

15. *Vel ante causæ conclusionem desistat;*
16. *Extra casum dolò extortæ cautionis.*

1. INter incidentes quæstiones etiam est, quâ reus, agendò vel excipiendò, ab actore plùs, quàm debetur, peti proponit. Unde cognitionum Ordini, circa incidentes quæstiones generatim observando, *hâc Rubricâ* subijciuntur, quæ de incidentibus in judicium plus petitionibus Jure sunt constituta.

2. Plus autem petitio fieri potest quatuor modis Re, Tempore, Loco, vel Causa, *c. Unico hîc & §. Si quis agens 33. V. Plus autem, Instit. de Actionibus.* Re sive quantitate actor plus petit, si in libello petat, vg. vigiati, vel totum, aut majorem partem, cùm solùm decem, vel pars, eáque minor debeatur, §. *cit. V. Re*; cùm enim major numerus & totum plus sint & contineant, quàm numerus minor, aut pars, majorem numerum, aut pro parte totum petens, sibi debitò plus petit, Vi-
3. vianus *in c. cit.*

Tempore, cùm petit ante diei constitutæ adventum, vel ante impletam conditionem, quæ pacto seu obligationi est adjecta, §. *cit. V. Tempore*; cùm enim dies solutionis pars obligationis sit, non secus ac summa ipsa, *l. 1. §. 2. ff. de Edendo*; quâ ratione, qui tardiùs solvit, quàm solvere debet, minùs solvere intelligitur, eâdem, qui præmaturè petit, plus petere videtur, ait *Imp. V. cit.* Vivianus *l. cit.*

4. Locò, cùm id, quod certò locò vg. Augustæ debetur, alibi vg. Viennæ petit, & sibi dari oportere intendit sine commemoratione loci, in quem solutio, vel præstatio est collata, §. *cit. V. Locò*; quia hujusmodi purâ petitione debitori aufertur utilitas, quam haberet, si locò conventò præstaret solutionem, *V. cit.* & Vivianus *l. cit.*

Causâ denique plus actor petit, cùm 5.
vg. pro equo, debito in genere, equum Neopolitanum, vel certum equum in specie, aut pro alternativè debitis equo vel viginti aureis, alterum ex istis vg. equum determinatè & præcisè petit, §. *cit. V. Huic autem*; quia in hujusmodi, & præsertim alternativis promissionibus ac debitis, electio regulariter est promissoris seu debitoris, *l. cùm ita, 3. §. fin. ff. de Condict. indeb. & Reg. In alternativis 70. in 6.* ac proinde, sicut priori loci, ita hôc petendi modò adversario electionis, ex conventione ipsi competentis, utilitas adimitur. Quæ causa est, cur ei, qui loco plus petit, hunc sive causâ plus petentem proximum sive similem, ei dicat Imp. *V. cit.* Manzius *in §. Plus autem cit. n. 36.* Neque refert; quòd res petita vilior sit eâ, quæ debetur; quia sæpè promissori faciliùs est præstare id, quod est majoris pretii, quàm id, quod est minoris, §. *cit. V. Quin etiam*; propter specialem utilitatem, quam ex ista percipit, aut, quô in istam fertur, affectum singularem, Manzius *l. cit. n. 38.*

In Plus petentes pœnæ pro tempo- 6.
rum varietate variæ sunt constitutæ; nam secundùm Jus vetus, qui dictorum modorum aliquô plus petebat causâ cadebat, *pr. cit.* litémq; unà cum toto credito perdebat, Harprecht *in §. cit. n. 26.* licet aliquando ex gravi causa, scilicet ob defectum ætatis, aut justissimi erroris interventum, in integrum restitueretur, *pr. cit.*

Hic tamen veteris rigor novo Jure 7.
mitigatus est: exceptò casu, quô quis, minorem sibi deberi sciens, nihilominus à debitore super majore quantitate cautionem obligatoriam extorserit; hoc enim malitiosè ausus, si ante litem contestatam non pœnituerit, causâ hodiéque cadit, & totum debitum amittit, *l. fin. C. hîc*, cùm; quòd, ut ibi dicitur, odiosæ contrahentium cal-

tium calliditates sint amputandæ: tum verò; quòd geminans delictum pœnæ mitigationem non mereatur, *citt.* Harprecht *n. 28.* & Manzius *n. 16.*

8. Exceptô itaque hôc casu antiquum Jus mitigatum est, Imprimis circa plus petitionem quoad tempus à Zenone Imp. ut, qui à debitore solutionem vel alicujus rei præstationem ante constitutum diem, vel conditionis eventum peteret, impensas litis solveret, & ad solutionem concessum tempus duplicaret, *l. 1. pr. & l. Zenonis 2. pr. C. hâc Rubr.* vel totum vg. duos annos ad solvendum ab initio concessos, ut *ll. citt.* dispositionem intelligendam, ex *§. Temporales 10. V. Hodiè autem, Instit. de Except.* desumit Schneidewinus *in §. Si quis agens cit V. Sed hæc quidem n. 3.* vel saltem tempus, quod supererat ad solvendum; ut vg. pro duobus mensibus, qui de duobus annis supererant, quatuor menses expectentur. Quæ à Zenone proditæ, & *c. Unico cit.* à Gregorio IX. approbatæ pœnæ explicatio conformis est textui *l. cit.* quô ita plus petens tantum tempus expectare jubetur, quantum ipse prævenit, & *l. Aut damnum 8. §. 7. ff. de Pœnis*, Mynsinger *in V. Hodie cit. n. 3.* & Manzius *l cit. n. 44.* Ratio autem ejus introductæ est; ut actores, eâ perterriti, litium tempora accuratiùs observarent.

10. Sunt tamen etiam casus, quibus actor tempore plus petens huic induciarū, sive temporis duplicationi obnoxius non est, videlicet Primò, si facti pœnitens à plus petitione ante litis contestationem recedat, ut colligitur ex *l. fin. & c. Unic. citt.* quòd ante hanc quis non petiisse, sed petere voluisse videatur, *l. Amplius 15. ff. Rem ratam haberi.* Secundò, si reus induciarum duplicationem non petat, & plus petitionis exceptionem non opponat. Mynsinger *in §. Si quis cit. V. Et si quidem, n. 4.* quia multa Juris beneficia non prosunt, nisi legitimè petantur, Gaill. *Practic. Lib. 6. Observat. 27. n. 5.* Tertiò, si debitor bona sua dilapidet; ut suo tempore ipsum solvendo amplius non esse, actor vereatur; hôc enim casu, antequam solutionis dies advenerit, saltem cautio peti ab actore potest; cùm, ubi periculum in mora est, ante tempus agi possit, *l. Ubi adhuc 29. C. de Jure dotium*, Mynsinger *in §. Hodie cit. n. 2.* & Manzius *in §. Si quis cit. n. 54.*

Deinde circa reliquos plus petendi modos eundem antiqui Juris rigorem Justinianus Imp. ita temperavit; ut re sive quantitate, locô vel causâ plus petens omne damnum, quod ex intempestiva petione reus senserat: & sumptus, quos in viatores seu apparitores fecerat, refarcire in triplum teneretur, *l. Zenonis cit. §. Tripli 24. V. Sed hæc quidem, cit. Instit. de Actionibus.*

Quam tripli pœnam de Jure etiam Canonico tenere, sentire Glossa *in c. Unicum cit. V. Amplius* & ratio suadere videtur; quòd ea Juris Civilis dispositio à sacris Canonibus nullibi sit correcta. Sed veriùs, eam *c. cit.* sublatam, cùm Panormit. *ibi n. 9.* docent Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.* & Gonzalez *in c. cit. n. 14.* quia Gregorius IX. textu illo, re vel causâ plus petentem, in expensas condemnandô sine ulla mentione pœnæ tripli, hanc non obscurè abrogavit.

Neque hinc sequitur, supervacaneam esse, *c. cit.* dispositionem; quòd temerè & calumniosè litigantes in expensas condemnati jam sint per Jura antiquiora, *c. Calumniam 4. de Pœnis &c.* quia his Juribus in expensas condemnatio fiebat solùm accessoriè; & propterea judex post sententiam super principali latam non poterat reum in omnes amplius condemnare; cùm officio suo jam sit functus, *l. Termino-*

Terminato 5. C. de Fruct. & lit. expenſ. Per diſpoſitionem autem *c. cit.* peti & fieri condemnatio in expenſas poteſt principaliter & per modum pœnæ, porrectô etiam poſt latam ſententiam novô libellô, vel etiam judiciô adhuc pendente, officium judicis implorandô, *citt.* Panormit. *n.* 10. & Vallenſ. *n.* 5.

13. Quin hodie in foro etiam Seculari dictæ tripli pœnæ ex conſuetudine locus non eſt, teſte *cit.* Panormit *num.* 9. & poſterioribus his modis plus petentium importunitatem paulò aliter coërceri, notat *cit.* Manzius *n.* 48. & Re quidem vel Causâ plus petentem ad expenſas adverſario condemnari: eum autem, qui plus Locô petit, debitori teneri ad intereſſe; quòd ipſi adimatur utilitas, quàm haberet, ſi ſtatutô locô ſolviſſet.

14. De Jure etiam ex communi multorum ſenſu, plus petitio non punitur, ſi in libello clauſula, *Salvo jure ſuperflui*, vel *Reſervata poteſtate addendi vel minuendi*, vel *Omni meliori modô &c.* ſit adjecta, Barboſa notat *in c. cit.* 17. & 18. uti etiam, ſi actor pœnitens à plus petitione deſiſtat. Quod omninò certum eſt, ſi deſiſtat ante litis conteſtationem, per text. *c. Unic. cit.* ubi *Punitur importunitas plus petentium, ſi ſuper petitione ſua duxerint in judicio perſiſtendum*; quia, lite nondum conteſtatâ, deſiſtens plus nondum petivit, ſed petere tantùm voluit, *l. Amplius cit.* Gloſſa *in c. cit. V. In judicio*, & Tholoſan. *Syntag. Lib.* 25. *cap.* & *n.* 8.

Ab eo autem, qui in ipſo litis jam conteſtatæ progreſſu deſiſtit, plus petitionis pœnam non evitari, cum Gloſſa *in cit. V. In Judicio*, communis eſt ſententia DD. cùm propter text. *l. fin. C. hâc Rubr.* tum verò; quòd talis temerè litem moviſſe jam videatur; ac proinde litis ſumptus adverſario reddere teneatur, *l. Eum, quem 79. ff. de Judiciis.*

Sed meliùs ab actore, etiam poſt litem jam conteſtatam, hanc plus petitionis pœnam evitari, cum *cit.* Panormit. *n.* 6. defendunt laudati Vallenſ. *n.* 7. & Pirrhing *n.* 10. dummodo, ſe probabili ignorantiâ, aut juſto errore ductum, oſtendat. Ratio, quâ moventur, eſt; quia *c. cit.* plus petentium importunitas punitur, ſi perſeveraverint in judicio: quod non verificatur de eo, qui, lite etiam jam conteſtatâ, ſed ante concluſionem in cauſa, imò ante ſententiam recedit; cùm judicium, quamdiu cauſa diſcutitur, ac proinde uſque ad concluſionem in cauſa, imò ſententiam ipſam duret, *c. Forus* 10. ibi, *Dum diſcutitur, judicium eſt, de V. S.* Confirmatur; quia in pœnis legalibus pœnitentiæ uſque ad ſententiam eſt locus, ſecundùm Bartol. *in l. In Criminali 5. C. de Jurisdict. n.* 3. & Dynum *in l. Amplius cit.* ut colligitur ex *l. Qui cum majore* 14. *§. 8. & l. In Servitutem* 16. *§.* 3. *ff. de Bonis libert.* quorum textibus accuſantis & in ſervitutem petentis pœnam legalem non contrahunt, qui in accuſatione vel petitione illa uſq; ad ſententiam non perſeverant. 15.

Ratio in contrarium exiguam vim habet, partim; quia, temerè litem moviſſe, dici nequit, qui juſtô errore ductus fuit ad eam movendam: neque talis ei nocere debet, per *ll. proximè citt.* partim, quia ad ſumptus litis regulariter non tenetur, qui juſtâ causâ litem movit, *l. In ſolidum 78. §. 2. ff. de Legat. 2. & l. Omnes 33. §. fin C. de Epiſc. & Cleric.*

Minùs urget, quô Gloſſa præcipuè movetur, *l. fin. C. hâc Rubr.* textus; quia ſecundùm hunc poſt litem conteſtatam pœnitentæ locus non eſt, cùm plus petitur doloſè, & ſuper ea petitione cautio exigitur; ac proinde duplex admittitur delictum, ut *cit.* Bartolus *n.* 9. & Panormit. *n.* 7. obſervant. 16.

TITVLVS XII.

De Causa Possessionis & Proprietatis.

FRequenter in idem judicium deducuntur causæ Possessionis & Proprietatis, sive de iis ortæ quæstiones: quæ proinde quô modô & ordine in judicio proponendæ & tractandæ sint, ad hanc Rubricam eique subjectos textus discutiendum est.

ARTICULUS I.

De Possessionis Natura, Varietate & Emolumentis.

SUMMARIUM.

1. *Possessionis varia significatio:*
2. *Etymon & definitio:*
3. *Quâ illa dicitur detentio.*
4. *Rei corporalis,*
5. *Non prohibita,*
6. *Non solo corpore, sed animô quoque,*
7. *Eam sibi habendi.*
8. *Comodatarius Conductor &c. non possessores,*
9. *Sed in possessione tantùm sunt.*
10. *Possessio omnis Justa vel Injusta,*
11. *Bonæ vel Malæ fidei,*
12. *Naturalis vel Civilis simul, vel alterutra tantùm est.*
13. *Quæ divisio declaratur exempô.*
14. *Possidentis in dubio melior conditio est.*
15. *Bonæ fidei possessor non restituit fructus consumptos,*
16. *Rem administrat,*
17. *Eam, donec evincatur, retinet,*
18. *Et contra vim defendit:*
19. *Probandi onere ferè revelatur,*
20. *Et rem, cum tempore præscribit,*
21. *Ejúsque dominus esse præsumitur.*

POssessionis vocabulum, Grammaticali derivatione à Verbis *Posse* & *Sedere* ortum, varias habet significationes; nam, ut alias omittam, in Jure aliquando res, quæ in nostro patrimonio sunt & possidentur, *l. Cùm miles 11. ff. de Alienat. jud. mut. caus.* Aliquando earum dominium seu proprietatem, *l. Interdictum 73. ff. de V. S.* aliquando usucapionem, quæ est ejus legitimè continuatæ effectus, *l. Ait Prætor 33. §. 1. ff. Ex quibus caus. major.* Frequentissimè &, ut hîc, propriè significat detentionem sive insistentiam rei, quam Græci Κατοχὴν vocant, *l. 1. pr. ff. de Adquir. & amitt. poss.*

Hôc modô genericè acceptæ, & à *Pedum* secundùm vulgatam, vel secundùm Florentinam lectionem, *l. 1. pr. ff. de Adquir. & amitt. possess.* à *Sedium* in re, vel loco aliquo positione ita nuncupatæ Pos-

tæ Possessionis permultæ, & in dies novæ definitiones à DD. afferuntur & rejiciuntur, ut teste Bachovio *in Treutl. disp. 21. lit. B.* ex Jurium peritissimis aliqui, idoneam excogitandi non profuturò labore omnino supersedendum, existimârint: quorum salvâ authoritate Possessionis propriè acceptæ species omnes & solas complecti videtur, quâ ea, ad præcipui in Jure nominis RR. præsertim DD. mentem, esse dicitur Apprehensio vel potiùs detentio rei non prohibitæ, animô eam sibi habendi.

3. Dicitur primò, *Detentio*; quia possessio apprehensione inchoatur. Intellige, *verâ vel fictâ tantùm*; quia possessio non tantùm reali manuum pedúmve, aut sedium positione, vg. gemmam vel thesaurum inventum, aut feram captam apprehendendô, ædes vel fundum emptum ingrediendô: sed etiam, ex dispositione Juris, per actum ejusmodi reali apprehensioni æquivalentem, ut sunt investitura, clavium traditio &c. adquiri potest, *c. Per tuas 5. de Donat. & l. 1. §. 21. ff. de Acquir. vel amitt. poss.*

4. Dicitur secundò, *Corporalis, l. Possideri 3. pr.* immobilis, vel etiam mobilis, *l. Si rem mobilem 47. ff. ibidem.* Non incorporalis, ut vg. sunt servitutes, jus eligendi, decimandi, beneficium Ecclesiasticum; quia hæc propriè non possideri, sed *Quasi possideri* dicuntur, *c. Cùm Ecclesia 3.* junctâ Glossâ. *V. Quasi possessionem & l. Si quis diuturno 10. ff. Si servit. vindic.* Hanc tamen Juris, inter veram & quasi-possessionem distinguentis, accurationem sæpe non observari, & rebus incorporalibus possessionem passim attribui, cum Covarruvia *in Reg. Possessor. p. 2. pr. num. 2.* notat Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 3 n. 203.*

5. Dicitur tertiò, *Non prohibitæ*; quia ad possessionem requiritur, ut ei Jus non resistat quoad rem, circa quam versatur; sicut possessioni rei Sacræ, Religiosæ, Ecclesiasticæ, vel beneficii Ecclesiastici respectu laici, vel rei publicæ utilitati deputatæ respectu privati; ut illas laicus, has privatus detinens non gaudeat commodis possessionis; vg. ut rem detentam præscribat, relevetur onere probandi, exhibendi titulum &c. Haunold. *ibid. num. 206.*

Dicitur quartò, *Animô*; quia ad ac- 6.
quirendam possessionem non sufficit rem apprehendi corpore; aliàs enim possideretur, quidquid calcatur pedibus, vel manibus attrectatur: neque etiam solus animus sibi eam habendi, *l. Quemadmodum 8. ff. de Adquir. possess.* quia aliàs partes mundi necdum repertas possideret, qui eas vellet esse suas.

Neque obstat; quòd possessio, quæ dicitur *Civilissima*, sine vera aut ficta corporis detentione, & animi etiam ullâ affectione ab uno in alium transferatur: sicut in Gallia, Hispania, Italia & alibi majoratuum aliorúmve defuncti bonorum possessio transit ad proximum agnatum, etiam ignorantem: quantumvis fortassis ab alio occupata, imò ab ipso defuncto ante obitum tradita *jam* sint, apud Covarruviam *pr. cit. n. 1.* & Molinam *Tract. 2. de J. & J. disp. 12. n. 18.* Non, inquam, hoc obstat, partim; quia à nobis traditâ definitione explicatur possessio, de qua agunt leges Romanæ: partim; quia in Regnis illis à Republica, ejusmodi leges approbante, suppletur defectus animi, & ipsius etiam corporalis prehensionis ac detentionis in subdito, cui talem possessionem concedit, ut cum DD. illis notat laudatus Haunold. *n. 270.*

Quintò demum dicitur, *Eam sibi*, 7.
sive suo nomine & cum affectu dominii, *habendi*, sive ei tanquam suæ insistendi, ut excludatur detentio, quæ in sola prehen-

sione, sive insistentia rei, animô eam non sibi habendi: sed custodiendi, servandi, utendi, fruendi consistit: qualem habent depositarius, qui custodiendi, *l. 1. pr. V. Custodiendam. ff. Depositi*; in possessionem missus ex primo decreto, qui rei servandæ, *c. 1. c. Cùm sicut 2. de Eo, qui mittit.* &c. commodatarius, colonus, conductor usu & fructuarius, qui eâ utendi, fruendi. *l. 1. §. 1. l. Si ut certò 5. §. 15. ff. Commodati, l. Cui usus &c. ff. de Usu & habit. l. 1. &c. ff. de Usufructu:* creditor, qui in ea sibi cavendi, *l. Plus 25. ff. de R. J.* & alii, qui aliô, quàm sibi habendi animô, rem detinent, & propterea earum possessionem propriè non habent, ut de commodatario & conductore, *l. Officium 9. ff. de R. V.* de colono, *l. Non solùm 33. §. 1. ff. de Usurp. & Usucap.* de Usu- & fructuario, *l. Adquiruntur 10. §. fin. ff. de Adquiri poss.* de eo, qui missus est in possessionem, *l. Officium cit. & cap. fin. §. In aliis, Ut lite non contest.* de creditore, *l. Sciendum 15. §. 2. ff. Qui satisd. cog.* de aliis alibi habetur. Unde hi tales propriè non possidere, sed in possessione esse, *l. Si quis ante 10. §. 1. ff. de Adquir. poss.* ii autem, quorum nomine in possessione sunt, eas per ipsos possidere dicuntur, *l. Possidere cit. §. 12. l. Generaliter 9. l. Quod meo 18. pr. ff. eâdem Rubr.*

10. Neque obstat; quòd eorum aliqui possidere dicantur vel simpliciter, ut creditor, *l. 1. §. 15.* vel saltem naturaliter, ut fructuarius, depositarius, colonus, conductor, *l. Naturaliter 12. pr. ff. ibid. & l. Communi 7. §. 11. ff. Communi divid.* quia id fit abusivè, & nomine possessionis latiùs acceptô: quô sensu possidere dicuntur, quicunque alieno nomine sunt in possessione, Donellus, *Lib. 5. Comment. cap. 6.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 3. n. 209. in fine.*

Possessionis ita declaratæ celebriores duæ sunt partitiones Prima in Justam & Injustam, *l. Possideri cit. 5. & l. Justa 2. ff. Uti possidetis;* quarum ista, ut furum & prædonum, justô seu legitimô titulo destituitur: illa verò, ut quâ res dominum non habens, aut à domino donata apprehenditur & detinetur, ejusmodi titulô nititur, & dici potest, Jus detinendi rem non prohibitam, animô eam sibi habendi, sive cum affectione dominii, eô ferè sensu, quô Bartolus Possessionem in genere definivit, *in l. 1. ff. de Adquir. possess. n. 6.* Divisio hæc à *cit.* Donello *cap. 7.* confunditur cum ea, quâ Possessio alia Bonæ, alia Malæ fidei dicitur esse: Sed perperam; cùm illius bona aut mala fides à justi seu legitimi tituli existimatione sive opinione potiùs, quàm veritate desumatur: &, qui rei apprehensionem detentionémve ejusmodi titulô niti per errorem credit, bonæ fidei possessor sit, licet titulus ille revera non subsit, arg. *§. Si quis à non domino 3. Instit. de Rer. divis.* & contrà, malæ fidei possessor sit, qui rem suam detinet, si per errorem existimet, eam esse alienam: vel etiam si dubitans, an sua sit, eam apprehendit, ut amplius declarabitur, *Tit. 26. n. 39.*

Altera in Naturalem, vel Civilem tantùm, & Naturalem ac Civilem simul, *l. Legatorum 2. §. 1. ff. pro Herede:* quarum primâ res corpore, alterâ animô solô, *l. 1. §. 24. ff. de Vi armata;* ac proinde postremâ corpore & animô simul teneri, nec malè, asseritur: licet eam sibi habendi animô etiam detineat, qui ejus possessionem tantùm naturalem habet, ut patet in exemplo, quô divisio hæc solet declarari. Titius ex fundo, quem corpore simul sibique habendi animô & cum affectione dominii solus detinebat, egreditur, nemine in eo custode relicto, aut

ex eo

ex eo vi expellitur; atque ita corpore, neque per se, neque per alium, ei insistit: animô autem & affectione eâdem, quâ priùs, detinet. Subinde fundum illum ingreditur, aut expulsô Titiô, violenter occupat, sibíque habendi animô detinet Caius. Hôc casu Titius, antequam ex fundo egrederetur, possessionem eius Naturalem & Civilem simul; quia corpore simul & animô, eum sibi habendi, solus detinuit. Egressus autem, vel eô vi deiectus, hôc ipsô; quòd neque per se, neque per alium ei insistat, Civilem tantùm retinet possessionem: naturaliter eum nemine possidente, antequam eum clam, aut vi & sibi habendi animô ingrederetur Caius. Hoc autem eum ingressô Titius, quamdiu eum sibi habendi & recuperandi animum non deposuit, possessionem saltem Civilem, vi cuius eum vg. usucapere potest, ex Juris dispositione retinet, §. *Possidere 5. Instit. de Interdictis*, Caio solùm Naturalem habente & retinente, quamdiu Titius illum recuperandi animum non deponit; quòd, etsi fundo eum sibi habendi animô insistat, Jus tamen ipsi non assistat, imò resistat, rem ipsi iubendô auferri: quô modô non possidere videtur, *l. Non videtur 22. ff. de Adipisc. poss.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 3. à n. 43.* Vallens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 10.* & Haunold. *cit. Tract. 3. n. 210.*

14. Porro Possessionis, etiam cum dominio & proprietate rei non conjunctæ, commoda & emolumenta non pauca & non parvi momenti sunt.

Primò enim in dubio, quisnam ex duobus vel pluribus rei dominus sit, melior est conditio possidentis, per *Reg. In pari 128. ff. & 65. in 6.* ut, si adhibitâ, quam rei qualitates exigunt, investigandi diligentiâ, quis ejus dominus sit, deprehendi nequeat, possessor eam retinere, fructúsque ex ea perceptos & bonâ fide consumptos restituere, nisi in quantum locupletior factus est, non teneatur: quantumvis postea, eum rei dominum non fuisse, constet, *l. Quæsitum 40. & l. Bona 48. ff. de Adquir. rer. dominio citt.* Molina *disp. 16. n. 2.* & Haunold. *n. 201.*

Secundò, idem possessor rem, quam bonâ fide suam existimat, ejúsque fructus alienans, si postea eam ad alium pertinuisse appareat, plus restituere non tenetur, quàm inde locupletior evasit, *l. Item veniunt 20. §. 6.* junctâ Glossâ *V. Facti essent, ff. de Haredit. petit.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 5. V. Quartò.* 15.

Tertiò, rem bonâ fide possidens habet eius administrationem; sic enim quasi possessionem iuris conferendi, eligendi, præsentandi &c. habens, beneficia Ecclesiastica conferre, ad ea eligere & præsentare validè potest, ut desumitur ex *c. Querelam 24. de Elect. & c. Consultationibus 19. de Jure Patronat.* Pirrhing *cit. n. 5. V. Tertiò.* Ratio est; quia huiusmodi actus sunt quasi fructus eiusmodi iurium: fructus autem bonæ fidei possessor facit suos, *l. Bona cit.* Panormit. *in c. Cùm olim 7. hâc Rubr. n. 7.* 16.

Quartò, qui litis contestatæ tempore rei possessionem habere reperitur, in ea à iudice defendi & conservari debet, donec de illius proprietate contra ipsum pronuntietur: nisi rem vi, clàm, aut precariò possideat, *l. 1. ff. Uti possid. & l. 1. C. de Servitut.* Idem *V. Sextò.* 17.

Quintò, possessionem, qui habet, eam contra turbatores, ipsorum violentiâ vi repulsâ, inculpatæ tamen tutelæ moderamine servatô, tueri: eâ deiectus spoliatorem, sive deiicientem in continenti iterum deiicere; itáque possessionem recuperare propriâ authoritate potest, *l. Quod est 3. §. 9. ff. de Vi armata & l. 1. C. Unde vi*, Panormit. *in c. Item cùm 6. de Restit. Spoliat. n. 4. & cit.* Molina *n. 14.* 18.

19. Sextò, iudiciò Petitoriò conventus possessor dominus esse præsumitur; & propterea probationis onere relevatur, idque ordinariè reiicit in adversarium, *l. Circa eum 14. ff. & l. Possessiones 2. C. de Probat.* qui propterea, si in dominii probatione deficiat, causâ cadit, §. *Retinendæ 4. V. Commodum, Instit. de Interdictis & l. fin. C. de R. V.* quod utique momenti & considerationis maximæ emolumentum est, propter difficultatem probationis dominii seu proprietatis, *c. Sæpe 18. de Restit. Spoliat. citt.* Molina *n. 1.* & Haunold. *n. 200. §. Tertium.* Dixi, *Regulariter*; quia, si vehemens præsumptio de detentionis injustitia contra possessorem staret pro actore, non huic, sed illi probandi onus subeundum foret, Glossa *in l. Vis ejus 15. V. Ausugisse & l. Uti possidetis 16. V. Facti C. de Probat.* Unde

Septimò, possessor eôdem judiciô conventus regulariter edere non tenetur titulum, seu causam suæ possessionis, *l. Cogi 11. C. de Petit. hared.* nisi pro actore præsumptio sit, Glossa *cit.* Tiraquell. *de Jure Primogen. q. 17. n. 21.* & Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 24. §. 3. n. 2.*

20. Octavò, rei possessione Civili legitimô tempore & bonâ fide continuatâ, acquiritur ejus dominium: etsi hoc revera possessoris nunquam fuerit, *l. Usucapio 3. ff. de Usurp. & Usucap. & l. Traditionibus 20. C. de Pactis.* Qua de re latè *Tit. 26. totô*

21. Nonò, eadem possessio, longissimô triginta vel saltem quadraginta annorum tempore continuata, si possidenti Jus non resistat, fundat præsumptionem tituli, *l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. & c. 1. pr. de Præscript. in 6.* continuata autem tempore immemoriali ejus præsumptionem, quæ Juris & de Jure est, inducit: habétque vim privilegii, ex certa scientia à Principe concessi; ut eâ melior de mundo titulus allegari non possit dicatur, ut ex *c. 1. cit. §. fin. c. Super quibusdam 26. V. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* multis DD. relatis, notat Barbosa *in c. Super cit. àn. 4.* quæ aliáque possessionis emolumenta in hujus libri decursu ampliùs declarabuntur.

ARTICULUS II.

De Possessionis Acquisitione & Amissione.

SUMMARIUM.

22. *Possessio rei corporalis acquiritur rei apprehensione verâ,*
23. *Saltem quoad aliquam ejus partem,*
24. *Vel fictâ per clavium, scripturæ,*
25. *Brevis, aut longæ manûs traditionem:*
26. *Per investituram,*
27. *Appositionem custodiæ, aut signationem:*
28. *Per substitutionem & clausulam Constituti.*
29. *Aliquando acquiritur solius legis dispositione.*
30. *Rei incorporalis quasi possessio acquiritur vg. Juris usûs.*
31. *Accedente scientiâ & patientiâ alterius:*
32. *Vel jure uti volentis prohibitione.*
33. *Ad eam acquirendam aliquando sufficit unicus:*
34. *Aliquando plures actus exiguntur.*
35. *Possessio amittitur morte naturali,*
36. *Et animô eam non retinendi:*
37. *Rei amissione,*
38. *Sine spe recuperandi.*

Possessio

22. POssessio per se vel per alium, puta, filium, servum, procuratorem, fructuarium & similes: &, si rei corporalis sit, duobus modis, verâ scilicet, aut fictâ ejus apprehensione, vel nullâ hujusmodi apprehensione interveniente, ipsius legis dispositione comparatur.

Verâ &, quando res sine alterius eam nobis tradentis voluntate acquiritur, omninò necessariâ apprehensione comparatur, cùm quis feram, piscem, volucrem, gemmam in maris litore repertam, thesaurum, aut aliam rem mobilem manibus capit: aut immobilem vg. prædium, sylvam, insulam pedibus ingreditur, eíque insistit, animô eam sibi habendi, *l. Possideri 3. §. 1. & l. Quemadmodum 8. ff. de Adquir. poss.* neque enim, qui fundum, possidet, eô ipsô etiam possidet thesaurum, quem in eo reconditum ignorat; propter defectum hujusmodi animi sive intentionis possidendi: sicut propter defectum apprehensionis ejus possessionem non acquirit, qui in eo defossum sciens non attigit, *l. Possideri cit.* §. 3. Perez *in C. de Acquir. poss. n. 4.* & Wisenbach *disp. 19. in ff. Lib. 41. n. 11.*

23. Nequaquam tamen ad acquirendam rei immobilis, vg. prædii vel domûs, possessionem necessarium est; ut quis singulas ejus partes obambulet, & pedibus calcet: sed satis est, si ejusmodi animô, ad omnes se extendenre, alicui & cuilibet ejus parti insistat. Simili modo ad rerum mobilium aliquô locô concluſarum possessionem acquirendam sufficit, ejusmodi locum, animô etiam mobilium possessionem comparandi, apprehendi, *l. Possideri cit. §. 14. & arg. l. Clavibus 74. ff. de Contrah. empt.* Nisi res sint diversæ, vg. domus vel prædia, quæ unum quid non efficiunt; harum enim & similium, connexionem inter se non habentium, singulas apprehendi, ad acquirendam earum possessionem est necesse, ut colligitur ex *l. Gaius 88. ff. de Legat. 2.* Gomez *in l. Tauri 45. n. 40.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 13. n. 7.*

Fictâ apprehensione possessio comparatur, quando intervenit alius actus, ex Juris dispositione vim habens veræ apprehensionis: cujus frequens usus est, cùm res à priori ejus possessore, vel istius loco ab alio publica authoritate traditur. Tales actus sunt 24.

Primò, traditio Clavium alicuius horrei, cellæ vinariæ, tabernæ, in quibus frumentum, vinum, aut aliæ merces venditæ repositæ sunt; illarum enim traditione apud ipsum horreum, cellam, vel tabernam emptori præsenti factâ, frumenti, vini, mercium in iis repositarum possessio acquiritur, *l. Clavibus cit. l. Quæ ratione 9 §. 6. ff. de Adquir. dom. & §. Item Si quis 45. Instit. de Rer. divis.* Donell. *Lib. 5. Comment. cap. 9.* & Molina *cit. disp. 13. n. 11.*

Secundò, traditio Instrumenti seu scripturæ, continentis ius, seu titulum possidendæ rei mobilis vel immobilis præsentis, vel etiam absentis, *l. 1. C. de Donat.* quia instrumentum rem ipsam repræsentat; ut cum eo etiam hæc tradita videatur, Glossa *in l. cit. V. Instrumento, ubi* Bald. *n. 1.* Sichard. *n. 4.* Bruneman *n. 4.* & *cit.* Molina *n. 10.*

Tertiò, traditio Brevis manûs: si nimirum quis rem commodatam, depositam, locatam, oppignoratam commodatario, depositario, conductori, creditori vendat, vel donet; sic enim factâ dominii translatione isti rem, priùs alienô detentam, suô nomine incipiunt possidere, *l. Possideri cit. §. 20. l. Quæ ratione cit. §. 5. &c. cit.* Molina *n. 4.* 25.

Quartò, Visus sive aspectus rei, seu, ut etiam vocatur, manus Longa; cùm scilicet ha-

licet, habili titulo præcedente, antiquus posseſſor rei eminùs oſtenſæ poſſeſſionem tradit, & hanc is, cui traditur, acceptat, *l. 1. §. 21. & l. Quod meo 18. §. 2. ff. de Adquir. poſſeſſ.* cùm ex diſpoſitione Juris rem talem eminùs videns quaſi manibus apprehendere cenſeatur, *cit.* Molina *n. 8.* & Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 24. §. 2. num. 5.*

26. Quintò, Inveſtitura; hâc enim per annuli, enſis, pilei, vel alterius hujusmodi ſigni traditionem poſt Prælaturæ vel alterius Eccleſiaſticæ, vel etiam Secularis dignitatis titulum, ſive jus in re & proprietatem jam obtentam in Eccleſiæ, palatii, domûs &c. præſentia factâ, non dignitatis duntaxat, ſed bonorum quoque temporalium juriúmque annexorum poſſeſſionem acquiri, *arg. l. Quod meo §. 2. & l. Clavibus cit.* volunt Laiman *Lib 3. tract. 1. cap. 7. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 6.*

27. Sextò, appoſitio Cuſtodiæ, ſive ſi rei mobili, aut immobili, ſibi vg. venditæ, donatæ, aut quovis actu dominii translativô acquiſitæ, ex venditoris, donantis, vel quoquô modô alienantis voluntate emptor, donatarius cuſtodem apponat, *l. Quarundam 51. ff. de Adquir. poſſ. citt.* Molina *n. 15.* & Palao *n. 11.*

Septimò, Signatio rei, vg. certorum lignorum ex ſylva, aut pecorum ex grege, ex venditoris voluntate facta ab emptore, *l. Quod ſi 14. §. 1. ff. de Periculo rei vend. citt.* Molina *n. 15.* & Palao *n. 12.*

28. Octavò, ſubſtitutio antiqui poſſeſſoris, ſi nimirum iſte in re alteri vg donata, itáque ejus dominiô in hunc translatô, ſibi reſervet uſumfructum, aut ſe conſtituat ejus conductorem, *l. Quod meo cit. pr. l. Qui bona 19. §. 1. l. Interdum 21. §. 3. ff. de Adquir. poſſ. & l. Si quis 15. § 5. C. de Donat.* quia uſufructuarius & creditor poſſident nomine domini, Gomez *in tit. l. 45. n 63.*

Nonò, Conſtitutum, ſive clauſula Conſtituti, per quam donatario, emptori &c. rei poſſeſſio acquiritur, ſi hanc ejus conſentientis nomine ſe poſſidere conſtituat venditor, aut donator, *l. Quod meo l Qui contra, l. Interdum cit.* Panormit. *in c. Ex literis cit. n. 9.* Gomez *l. cit. à n. 45.* & Molina *Tract. 2. de J & J. disp. 3. n. 17.* Plures poſſeſſionis ita acquirendæ modos dabit Gothofred. *ad l. Poſſideri 3 cit. §. 1. & l. Clavibus cit.*

29. Legis diſpoſitione, rei poſſeſſionem absque ulla vera aut ficta apprehenſione, comparari poſſe, cum Baldo in *c. 1. de Dolo n. 1.* & Aretino *in l. 1. ff. de Adquir. poſſ.* multi negant; quòd poſſeſſionis acquiſitio ex natura rei exigat detentionem, ſive, ut JCT. loquuntur, detentationem & corporalem occupationem, *l. Qui univerſas 30. §. 5. ff. de Adqnir. poſſ.* Verùm, quia hanc poſſeſſionis acquiſitio, non ex Naturalis, ſed humani & Civilis Juris diſpoſitione requirit, eôdem, aut alió Jure, vel etiam conſuetudine, veræ aut fictæ apprehenſionis ad comparandam poſſeſſionem neceſſitas tolli poteſt, *arg. §. Sed naturalia 11. Inſtit. de J. N. G & C. & l. de Quibus 32. in fine. ff. de LL.* ſic enim de Jure Canonico actor caſu, quô in ipſius rei contumaciter abſentis bonorum poſſeſſionem miſſio à judice primò decreta eſt, & illorum detentionem propter potentiam vel dolum adverſarii acquirere non poteſt, elapsô annô, eorum verus poſſeſſor, quoad Juris effectus, evadit, *c. Contingit 9. de Dolo:* quod Gloſſa *ibi, V. Actor & l. Quamvis 13. V. Perinde habetur. ff. de Bonis auth. jud. poſſid.* etiam Civili Jure *l. cit.* exiſtimat conſtitutum. Sed quidquid de hoc Jure ſit, Gallorum & Belgarum moribus receptum eſt; ut majoratûs poſſeſſio, quæ fuit apud defunctum ſine ulla hæ-

ulla hæredis apprehensione in filium vel proximum agnatum continuetur, Gomez *ad l. cit. n.* 11. Covarruvias *Lib. 3. var. cap. 5. n. 6. in fine*, Gaill. *Practic. Lib. 2. Observat. 152. n. 18.* Hactenus de rebus Corporalibus.

30. Incorporalium sive Jurium quædam non adhærent ulli rei corporali, ut eligendi & similia iura: alia verò, ut vg, servitutes, corporalibus adhærent.

Prioris generis incorporalium possessio acquiritur per eiusmodi iurium usum, accedente scientiâ & patientiâ illius, ad quem pertinet concedere vel resistere actui: si tamen usus, sive actus, quô eiusmodi iure quis utitur, quasi ex iure sibi competente, & non præcisè ex gratia & benevola alterius concessione exerceatur, Molina *Tract. cit. disp. 14. n. 1. & 3.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 3. num. 221.*

Posterioris generis iurium possessio comparatur Imprimis per introductionem vel immissionem in fundum, servituti obnoxium, animô possessionis tradendæ, factam ab eo, aut voluntate eius, qui servitutem constituit, *arg. l. Omnium*
31. *3. pr. ff. de Usufructu.* Deinde per exercitium sive usum servitutis quasi iure competentem, accedente scientiâ & patientiâ eius, cuius interest usum illum permittere, vel prohibere, *l. fin. ff. de Servitut.* vel, si servitus sit negativa, vg. altiùs non tollendi, eius possessio comparatur, si, qui hanc vult acquirere, altiùs tollere vo-
32. lenti, quasi iure suo contradicat, eúmve prohibeat: & huius contradictioni, vel prohibitioni alter acquiescat, Glossa in *c. Abbate 25. V. Alciatensem, de V. S. citt.* Molina *n. 2. & 3.* & Haunold. *n. 222.*

33. Dubium hac in re est, quot actus ad comparandam iurium incorporalium possessionem requirantur. In quo Doctorum, absolutè vel unum duntaxat, vel plures exigentium, contrarias Opiniones conciliare juvat beneficiô distinctionis à Panormit. *in c. Cùm Ecclesia 3. de Causa possess. n. 22.* traditæ & ab aliis DD. non paucis receptæ. Et quidem, si actus ejusmodi sint, ut ferè non nisi ex jure alicui competente exerceri soleant, ut sunt electio vel præsentatio ad Prælaturam, vel ad aliud beneficium Ecclesiasticum, exercitium jurisdictionis in loco, servitus aquæ-ductûs per fundum alienum, immissio tigni in vicini parietem &c. ad comparandam ejus possessionem unicum actum sufficere, cum *cit.* Interprete docent Covarruvias *in Reg. Possessor, p. 2. pr. n. 6.* & Menoch. *de Arbitr. casu 160. n. 2. & 6.* Si verò actus frequentiùs quidem 34.
quasi jure debitus, aliquando tamen, etsi rariùs, ex amicitia & benevolentia alterius soleat exerceri, ut commeatio per fundum alienum, haustus aquæ ex alieno puteo &c. ad comparandam juris possessionem non sufficit actus unicus, sed plures: non tamen eôdem semper numerô, sed tot exiguntur; ut, spectatâ eorum qualitate, verisimile sit, eos quasi ex jure competente exercitos & ita exerceri, dominum, cujus eos prohibere interest, passum esse, *arg. l. 1. §. 2. ff. de Itinere actúque privato*, ubi ad acquirendam quasi possessionem servitutis itineris, istius per alienum fundum usus, triginta vicibus per annum repetitus, exigitur. Demum, si actus ordinariè ex mera benevolentia & libera voluntate exerceri soleant, ut vg. est hospitis receptio, invitatio ad convivium, accessus ad tabernam pro pane, cervisiâ, vinô emendô, etiam plures exerciti actus non sufficiunt ad adquirendam quasi possessionem juris hospitii &c. nisi probetur, vel ex circumstantiis appareat, aut præsumi possit, ejusmodi actus exercentem jus aliquod sibi vendicâsse. vel eos quasi ex jure suo exercuisse, Laiman *in*

c. *Cùm Ecclesia cit. n.* 3. Unde hac in re, an unicus sufficiat, vel plures, & quot actus ad comparandam quasi possessionem exigantur, arbitrio judicis relinquendum, cum *cit.* Panormit. *n.* 24. censet *cit.* Menoch. *n.* 21.

35. Possessionem rerum quarumcunque, tam Civilem, quàm Naturalem, possessoris morte naturali amitti, patet; cùm illæ à defuncto, neque corpore, neque animô detineantur. A vivente autem earum possessio aliter amittitur, si is velit: aliter, si is sit invitus.

36. Volens enim rerum, tam mobilium, quàm immobilium, possessionem amittit non tantùm corpore & animô simul: sed etiam animô solô: etsi iste solus non sufficiat ad rem comparandam, *l. Possideri cit.* §. 6. ut, si antiquus possessor, in fundo alteri donato manens, constituat, se eum in, posterum non suô, sed alienô vg. donatarii, nomine possidere, *l. Si quis vi 17. in fine, ff. de Adquir. possess.* Neque huic textui adversatur *l. Quemadmodum 8. ff. eâdem Rubr.* corporis & animi actus satis clarè requirens; quia cum illo facilè conciliatur, si de possessionis amissione corporis actu, vg. egressu ex fundo, inchoata intelligatur; nisi enim ad hunc accedat possessionis amittendæ animus, in ejus amissione præcipuè spectandus, possessio retinebitur: etiamsi, cùm ejus dimissio ab animo inchoatur, possessionis amissionem non moretur; quòd eam amittens rei corpore insistat, Glossa *in cit.* §. 6. *V. Animô solô*, Perez *in C. de Adquir. poss. n.* 25. & Bruneman *in l. Quemadmodum cit. n.* 2.

37. Invitus autem, uti & ignorans, aliter mobilium, aliter immobilium possessionem amittit; illorum enim, sive mobilium naturalem & civilem possessionem amittit, cùm res est extra ejus potestatem; quòd ab alio sublata, per fraudem tanquam sua contrectata, extra custodiam posita & deperdita, *l. Possideri cit.* §. 13. & 18. *l. Rem, quæ nobis 15. l. Si id 25. & l. Si rem 47. ff. de Adquir. poss.* aut fugâ subducta sit. Sed hoc postremum in brutis animantibus, redeundi consuetudinem non habentibus; non etiam in servis & ancillis procedit; cùm istorum possessio civilis retineatur, donec ab alio occupentur, *l.* 1. §. 14. *ff. ibid.* vel diu pro liberis se gesserint, *l. Possideri cit.* §. 10. *citt.* Molina *disp. 15. n.* 7. & Haunold. *n.* 245. Istorum autem, sive 38. immobilium, vg. domûs, aut fundi possessio amittitur Imprimis, violentâ domini dejectione, vel ejus absentis & reverû exclusione: si eam recuperandi animum deposuerit, vel; quòd accedere non ausus, vel, cùm accederet, repulsam passus sit, *l. Possideri cit.* §. 8. *l. Clam 6.* §. 1. *l. Et si 7. l. Si id 25.* §. 2. *ff. de Adquir. poss.* Deinde fluminis aut maris inundatione tam diu permanente, ut emersio & recuperatio probabilis non sit, *l. cit.* §. 17. *citt.* Molina *n.* 5. Perez *n.* 26. & Haunold. *n.* 242. ita §. 17. *cit.* cum *l. Qui universas* 30. §. 3. *ff. ibid.* conciliantes.

ARTICULUS III.

De Natura & varietate Proprietatis.

SUMMARIUM.

39. *Proprietatis nomen varia:*
40. *Hîc denotat id, super quo judicii Petitoriô contenditur.*
41. *Et I. quidem Dominium:*
42. *Quod est Libera facultas disponendi,*
43. *De re corporali:*
44. *Nisi quid lege prohibeatur.*
45. *Dominium aliud Plenum, aliud non-Plenum:*

46. Et

46. *Et hoc Directum, aut Utile est.*
47. *II. Quodcunque jus in re.*
48. *III. Etiam jus ad rem.*

39. PRoprietatis etiam vocabulô in Jure non idem semper: sed aliquando, licet minùs propriè, ipsamet res denotatur, *l. Locum* 17. §. 2. *ff. de Usufructu & l. Interdictum* 2. §. 2. *ff. de Interdictis*; hôc enim sensu Proprietatis dominum dicimus eum, ad quem rei dominium, usufructu detractô, redit, Gonzalez *in c.* 1. *n.* 8. aliquando ejus rei dominium solummodo directum, & ab utili distinctum significatur *arg. l. Si extraneo* 46. *pr. ff. de Usufructu & l. fin. ff. de Superfic.* aliquando eô rei dominium plenum venit, ut *l. Si procurator* 13. *pr. ff. de Adquir. rer. dom.* & alibi non infrequenter. Quam vel dominii generatim accepti significationem *ad hanc Rubricam* ei tribuit Panormit. *in c.* 1. *n.* 2. 40 Sed ex subjectis textibus *c. Cùm Ecclesia* 3. *c. Cùm super* 4. *c. Cùm eo* 7. *& c. fin.* satis liquet, Proprietatis nomen eâ sumi latiùs, ut non dominium duntaxat, sed quodcunque jus extra possessionem, super quo judiciô Petitoriô contendi potest, comprehendat, ut *ad hanc Rubric.* Vallens. §. 1. *n.* 2. & Pirrhing *pr.* observant. Quare

41. Proprietatis nomine hôc locô Imprimis & præcipuè venit rei dominium propriè dictum: quod à Bartolo *in l. Si quis vi* 17. §. 1. *ff. de Adquir. possess. n.* 4. & JCT. is aliis, eum secutis, generatim
42. dicitur Jus seu facultas perfectè disponendi de re corporali tanquam sua, nisi quid lege prohibeatur. *De Corporali*, inquit Bartolus. Neque id malè; quia dominium cæpit à naturali possessione, secundùm Nervam JCT. um *l* 1. §. 1. *ff. de Adquir. poss.* quæ rerum duntaxat corporalium, non etiam incorporalium est, *l. Possideri* 3. *pr. ff. Rubr. cit.* Rerum itaque
43. incorporalium, ut servitutum, jurium eligendi, præsentandi, decimandi, beneficii Ecclesiastici &c. sicut non vera, sed quasi possessio, *l. Si quis diuturnô* 10. *ff. de Servit. vind. & c. Cùm Ecclesia* 3. junctâ Glossâ *V. Quasi possessionem, hîc.* sic non dominium presse, sed latiùs acceptum, seu quasi dominium dari, cum laudato Bartolo adstruit Cuiacius *Lib.* 10. *Observat. cap.* 16. & crebriori calculô consentiunt alii JCT. i etsi ipsorum non minùs, quàm aliorum DD. frequenti usu, sicut possessionis, sic & dominii nomen rebus etiam incorporalibus accommodetur.

Neque ex verbis, *Nisi quid lege pro-* 44
hibeatur, ritè infertur, quemlibet; quòd, si leges non obstarent, de plerisque rebus disponere liberè posset, rerum plerarumque dominum esse; quia verba illa exaudienda non sunt de lege, dispositionem continente in favorem alterius, habentis jus contrarium, quod ejusmodi dispositioni obstet: sed de ea, quæ in homine quidem, quem sua prohibitione arctat, de re perfectè disponendi jus supponit, nihilominus tamen, ob privatum ipsiusmet, vel publicum totius communitatis bonum, quasdam dispositiones ei illicitas, quasdam etiam invalidas reddit. Quô modô intellecta definitionis verba & acceptum *Legis* verbum, sicut non cuivis rerum quarumcunque dominium adstruunt, sic dominium & de re perfectè disponendi jus non diminuunt ei, cujus liberam de re dispositionem impediunt; sic enim *Quanto tempore hæres parvulus*, sive pupillus *est*, quoad dispositionis de rebus suis libertatem, hujusmodi lege ademptam, *Nihil differt à servo, licet dominus* omnium sit, teste Apostolo *Galat. cap. 4. V.* 1. Simili modô amentis & ebrii dominium præsens eorum dispositio non diminuit, vel tollit; quantumvis de rebus suis disponere non valeant, cùm;

quòd de iis disponendi facultas per se ipsis competat: tum verò; quòd ipsis ad tempus, aut etiam perpetuò adempta, vel suspensa disponendi facultas alterius cujuspiam favorem non spectet, Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 3. n. 3.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 3. n. 9.* Zœsius *in ff. de Adquir. rer. domin. n. 2.* & Haunold, *Tom. 1. de J. & J. Tract. 3. n. 5.*

45. Dominii celebris divisio est in Plenum & Non-plenum. Plenum sive perfectum, cui præcipuè allata definitio congruit, est Jus perfectè disponendi de rei proprietate & emolumentis. Non-plenum, sive imperfectum, est Jus ita disponendi de rei, vel sola proprietate, vel solis emolumentis; sic enim rei feudalis & emphiteuticæ plenum neque ejus proprietarius, neque vasallus, aut emphiteuta: sed tam hi, quàm ille non plenum, sive imperfectum tantùm ejus dominium habent. Unde hoc sive

46. Non-plenum dominium ulteriori partitione à Bartolo *l. cit. n. 5.* & cæteris JCT. is aliud Directum, aliud Utile: & illud sive directum habere dicitur, qui solam rei proprietatem sine emolumentis, sive eâ utendi & fruendi jure, sicut vg. in re feudali vel emphiteutica habet dominus directus: istud autem, sive Utile, qui sola emolumenta, sive re, salvâ ejus substantiâ, utendi, fruendi jus habet: sicut in eadem re habent vasallus & emphiteuta, *citt.* Molina *n. 15.* Lessius *n. 5.* Zœsius *n. 5.* & Haunoldus *n. 17.*

Hinc tamen legitimè non infertur equi aut libri commodati plenum dominium non esse penes commodantem; cùm enim contractu isto notabile & stabile jus in accipientem non transferatur, rei ad usum sibi concessæ etiam secundùm quid dominus propriè dici commodatarius non potest; quia modicum, quod in ea habet jus quasi pro nihilo reputatur, ut probè notant *citt.* Molina *n. 16.* & Haunold, *n. 18.* ubi uterque agnoscit, licet is, cujus fundo servitus aut census est impositus, plenus ejus dominus nihilominus habeatur, pleniori tamen jure fundi dominum fore, si is omnino liber, nullíve alteri esset obligatus.

Deinde Proprietatis nomine in *præsenti Rubrica* venit quodcunque Jus in re, 47.
ut est dignitas & beneficium quodcunque, jurisdictio, eligendi, conferendi & similia jura, *c. Cùm Ecclesia 3. c. Cùm super 4. c. Cùm olim & c. fin. citt.* uti & usufructus, usus, habitatio & aliæ servitutes; nam etiam hujusmodi rerum incorporalium proprietas, &, licet juxta antè dicta minùs strictum, latiùs tamen acceptum dominium seu quasi dominium datur, & apertè agnoscitur, *l. Qui usumfructum 3. ff. Si usufr. pet. & l. Semper 3. §. 3 ff. Quod vi & clam.* Neque id immeritò; cùm is, cui competunt perinde, ut de re corporali dominus, de ipsis tanquam suis liberè disponendi habeat facultatem, nisi quid lege vel canone prohibeatur: &, qui pro ipsis agit, judiciô Petitoriô ea sibi tanquam proprietario & quasi domino adjudicari petat, Maranta *de Ord. judic. p. 4. dist. 7. n. 1.* & Vallensis *cit. num. 2.*

Demum eodem nomine hîc venit ip- 48.
sum quoque Jus, quod ad Rem vocatur, ut vg. electus ad Prælaturam, ad aliud beneficium Ecclesiasticum præsentatus, ad rem sibi venditam, sed necdum traditam emptor habent; cùm ad nos pertinere & quodammodo proprium videatur, in quo solummodo jus ad rem, sive quorum nomine actionem habemus, ut ex *l. Bonorum 9. in fine. ff. de V. S.* notat Wisenbach ad *l. Verbum 81. ff. eâdem Rubr.* & judicium, quô Personali actione institutâ ad electionis

electionis confirmationem in beneficio, ad rei nobis venditæ traditionem agimus. Petitorium nucupetur à Maranta & Vallensi *n. 1. & 2. citt.*

ARTICULUS IV.

De Adquisitione Proprietatis.

SUMMARIUM.

49. *Jure Gentium Dominium adquiritur I. Nativitate.*
50. *II. Captivitate rerum,*
51. *Et personarum in bello justo.*
52. *III. Venatione, Aucupio, Piscatione.*
53. *Fera, etiam ab alio vulnerata, est capientis:*
54. *Saltem in dubio, an ea vulnerata,*
55. *Vel illaqueata sit evasura:*
56. *Præsertim, si à fundi domino eximatur.*
57. *Contra prohibitionem feram in vivario,*
58. *(Non in loco publico) capiens, tenetur ad restitutionem,*
59. *IV. Inventione rei, quæ nullius,*
60. *Aut à domino pro derelicta habita fuit.*
61. *Bona vacantia Fisco:*
62. *Thesaurus iuitis modis in proprio,*
63. *Vel in publico fundo repertus inventori:*
64. *In alieno ferè eidem & fundi domino;*
65. *Aliquando huic soli:*
66. *Illicitis modis inventus, saltem ex parte, Fisco cedit.*
67. *Hodie in loco prophano repertum thesaurum,*
68. *Metallifodinam &c. ex parte sibi vendicat Princeps.*
69. *V. Alluvione fluminis, latens incrementum,*
70. *(Non partem terræ detractam) prædio adjicientis.*
71. *VI. Insulæ nativitate: quæ proximiori,*
72. *Et aliquando utrique fluminis ripæ cedit.*
73. *VII. Accessione alvei à flumine derelicti.*
74. *VIII. Specificatione.*
75. *IX. Confusione.*
76. *X. Permixtione.*
77. *XI. Intextura.*
78. *XII. Scriptione.*
79. *XIII. Pictione.*
80. *XIV. Ædificatione.*
81. *XV. Implantatione.*
82. *XVI. Fructuum perceptione.*
83. *XVII. Traditione.*
84. *Jure Civili & Canonico proditi acquirendi modi.*

PRoprietatem strictiùs acceptam, sive dominium comparandi modi, alii à Gentium vetustiori & Naturali proximo: alii à Civili & recentiori Jure descendunt, §. *Singulorum* 11. *Instit. de Rer. divis. & l.* 1. *pr. ff de Adquir. dom.* Jure Gentium, quô rerum, Jure Naturali communium, *can. Jus Naturale 7. dist.* 1. dominia distincta sunt, *l. Ex hoc jure 5. ff. de J. & J.* introducti illius acquirendi modi præcipui sunt 49.

Primò, Nativitas seu procreatio animalium, §. *Item ea, quæ 9. Instit. de Rer. divis.* cùm, quæ ex animalibus dominio nostro subjectis nascuntur, Jure Naturali nobis acquirantur, §. *cit. & l. Item* 5. §. 2. *ff. de R. V.* uti etiam partus ancillæ; cùm, qui ex ista etiam à patre libero procreatus est, ejusdem, cujus mater, domini servitûti sit subjectus, §. *Servi 4. Instit. de Jure person.* quia partus

ventrem sequitur, *l. Partum 7. C. de R. V. & l. Unicô, de Natis ex lib. ventr.* ut, cui venter sive mater, ei partus quoque subdatur; partus enim quasi pars ventris, & fœtus portio viscerum matris est; ut, cujus venter, necesse sit, ejus etiam partum esse; quia pars aliô, quàm totum, & partus aliô, quàm venter Jure quoad conditionem censeri non debet, Harprecht & Manzius *in* §. *Item cit.* uterque *n.* 2.

50. Secundò, Captivitas sive occupatio: quô modô rerum & personarum justô bellô captarum dominium acquiritur, §. *Item ea, 17. Instit. de Rer. divis. & l. Hostes 24. ff. de Captiv. & postlim. Rerum* inquam, non solùm, quæ, nisi sint valde pretiosæ, ut immobilibus æquiparentur, capientium etiam privatorum & gregariorum militum statim fiunt, ut eas apprehenderint, §. *cit & l. Naturalem 5.* §. *fin. ff. de Adquir. dom.* sed immobilium quoque, ut sunt provinciæ, civitates, præsidia, prædia, fundi &c. quæ acquiruntur Principi vel Reipublicæ, cujus auspiciis & authoritate bellum geritur, *l. Divus 31. ff. de Jure fisci.* A devictis tamen & expulsis victoribus recuperata ad priores dominos redire, nec publicari, aut prædæ loco cedere debent, *l. Captivus 20.* §. 1. *ff. de Captiv. & postlim.*

51. *Personarum* dixi; quia istæ capientium servituti subijciuntur, §. *Item ea cit.* Neque id injuriâ; cùm enim justô bellô capti vitâ & omnibus bonis privari potuerint, multò magis servati privari poterant libertate & victorum obsequiis addici; cùm ita vitæ, omnium, quæ accidere homini possunt, maximæ jacturæ minoris boni privatio surrogetur, Covarruvias *in Reg. Peccatum, p.* 2. §. 11. *n.* 6. & Lessius *Lib.* 2. *de J. & J. cap.* 4. *n.* 12.

Dixi, *justô*; quia injustô bellô, à quibuscunque, etiam Christianis, illatô capti, Turcæ quoque ac Sarraceni, servitati nequaquam addicendi, sed sine lytrô dimittendi forent. Quin Christiani etiam Hæretici, justo bello à Christianis capti, ex antiqua & generali consuetudine non fiunt capientis: sed persolutô redemptionis lytrô ad suos liberè redire permittuntur, Zoesius *in ff. de Captiv. & postlim. n.* 11. & Haunold. *Tom.* 1. *de Ji & J. Tract.* 5. *n.* 46. & 48.

§ Tertiò, Venatio, Piscatio, & Aucupium, quibus feræ, bestiæ, volucres, pisces & omnia animalia ferè, quæ terrâ, mari, cœlô nascuntur & nullius sunt, capiuntur: &, sive in proprio, sive in alieno fundo capta fuerint, statim esse incipiunt capientis, §. *Feræ 12. Inst. de Rer. divis. & l. Quodenim 3.* §. 1. *ff. de Adquir. rer. dom. Feræ*, inquam, ut sunt apri, cervi, vulpes, lepores, perdices, pisces; quia animalia naturâ mansueta, ut equi, oves, boves, porci, gallinæ, anseres domestici, occupanti haud cedunt; uti &, quæ hominum industriâ circumantur, ut vg. acciprites, falcones; nam etiam hæc, perinde ut mansueta aut ferâ animalia capta & custodiâ detenta, dominî manent, donec ab ipso ita recedant; ut eà neq; ad ipsum sponte reversura, neq; à domino comprehendenda, ipes sit. Ea autem, quæ sic aufugerunt, naturalem libertatem censentur recuperâsse; ut instar ferorum animalium denuo fiant primò occupantis, §. *Feræ cit. V. Cùm verò.* Hæc certa.

§ Dubium autem est, cujus sit fera abuno vulnerata, ab alio capta. In quo Covarruviæ *cit. p.* §. 8. *n.* 13. & aliorum communis sensus, imò Jure decisum est, eam esse capientis, §. *Illud 13. Instit. de Rer. divis. & l. Naturalem 5.* §. 1. *V. Plerique ff. de Adquir. rer. dom.* ubi hujus decisionis ea ratio redditur; quia multa accidere possunt & solent, ut à vulnerante non capiatur. Unde argumentô à contrariô ducô infertur, illam huic acquiri, si ita vulnera-

vulnerata sit; ut hic eam persequens certò sit capturus. Ratio est partim; quia fera, vulnerata moraliter se habet instar feræ, laqueò vel aliò instrumentò apprehensæ: partim verò; quia, licet sola vulneratione ante apprehensionem feræ dominium nondum sit comparatum, paratum tamen videtur jus; ne ejus acquisi-
64. tio impediatur. In dubio tamen, an ab isto apprehendenda fuerit, melior est conditio capientis; quia fera naturalem libertatem nondum amisisse censetur, arg. *l. Naturalem cit. pr.* Molina *Tract. cit. disp. 42. n. 1.* & Palao *Tract. 13. disp. Unica p. 12. n. 5.* partem tamen aliquam adjudicantes vulnerantí, si ab isto illatum vulnus causa fuit; ut ab alio apprehenderetur.

55. Eadem ferè ratio est feræ reti conclusæ, laqueo, vel alio instrumento, ab absente posito, captæ. Non desunt tamen DD. qui eam adjudicent eximenti; quòd, ut cæteræ res, quæ nullius sunt, feræ quoque cedant primò occupanti: occupatio autem fiat per apprehensionem factam ab eximente, non à ponente laqueum. Verùm, esto, hoc ità sit casu, quò fera luctando se extricare & evadere potuit: casu tamen, quo ita irretita aut illaqueata est, ut se eximere non posse judicetur, laqueum aut rete ponenti eam cedere, magis congruit rationi Naturali; cùm ab isto per laqueum aut rete jam apprehensa & occupata, eique per hæc instrumenta naturalis libertas jam adempta videatur. Eidem illa attribuitur, *l. Laqueum §5. ff. de Adquir. rer. dom.* ubi aper laqueum ponentis esse dicitur, si in ejus pervenerit potestatem; in hanc enim jam pervenit apprehensa per laqueum, aut aliud instrumentum, ut evadere non possit,
65. Zoesius *in ff. ad eandem Rubr. n. 10.*

Casu tamen, quò laqueus aut rete, non in publico, aut privato proprio, sed in alieno fundo, invito aut ignorante ejus domino, posita essent, ab isto exemptam feram, quantumcunque illaqueatam aut irretitam, eximenti acquiri, ex *l. Laqueum cit.* desumit Bruneman. *ibi num. 1.* & communi, absque omni scrupulo observatâ, praxi firmat. *cit.* Haunold. *Tract. 5. n. 69.*

Dubium deinde est de dominio feræ, contra justam Principis prohibitionem captæ. Non quidem in vivariis, seu locis, quibus feræ ita concluse sunt; ut extra ea liberè nequeant vagari: &, cùm libet, sine magna difficultate capi possint; hæ enim ferè instar avicularum, per cubiculum nostrum volitantium, sunt concludentis, *l. Possideri 3. §. 14. ff. de Adquir. possess.* Sed in sylva, lacu, aut flumine publico. Quarum dominium capienti cedere, cum Covarruvia *cit. p. 2.* 58.
§. 8. n. 2. Zoesio *in ff. l. cit. n. 14.* & aliis docet *cit.* Haunold. *n. 78.* quòd in iis captæ feræ aut pisces, cùm naturalem libertatem habeant, nullius sint; ac proinde Jure Gentium fiant occupantis, præsertim cùm Principes, venationem in iis prohibentes, feræ occupatæ dominium non adimant; neque, ut hoc capienti adimant, sit consultum: sed acquiescant pœnis, quas suæ prohibitionis transgressoribus decreverunt. Excipiendus tamen est casus, quò in aliqua sylva aut lacu venandi aut piscandi jus particulare justò titulò soli Principi esset quæsitum; hôc enim casu alii feras aut pisces in eo capientes non solùm tanquam ejus prohibitionis transgressores contra obedientiam, sed etiam contra justitiam delinquerent & obligarentur ad restitutionem: non quidem ipsarum ferarum aut piscium; cùm hi in ejus dominio non fuerint: sed damni, quod ex ejusmodi injusta venatione, ipsius jus minùs æstimabile reddente, est passus, ut post *cit.* Haunold. 57.

n. 78.

n. 78. Palao *p. 14. num. 4.* rectè advertit Prænobilis & Magnificus D. Collega Dominicus Bassus *Semicent. Controvers. 4. num. 12.*

59. Quartò, Inventio sive occupatio rerum in animatarum, quæ nullius: & duplicis generis sunt; quædam enim nullius unquam fuerunt; aliæ alicujus quidem fuerunt, sed esse desierunt. Quarum illæ, vg. Lapilli aut gemmæ in litore maris repertæ, fiunt inventoris, eas primò &, animô ut suas habendi occupantis, *§. Item Lapilli 18. Instit. de Rer. divis. Occupantu*, inquam; inveniendô enim rem aliquam acquirit non is, qui eam vidit, sed qui apprehendit eo modo, quo res apprehendi solet, *l. 1. §. 1. ff. de Adquir. possess.* Unde, si duorum simul ambulantium gemmam alter prior videret, alter prior apprehenderet, eam huic adjudicandam, ex Card. de Lugo advertit *cit.*

60. Haunold. *n. 2.* Istæ etiam sive, quæ alicujus fuerunt, sed esse desierunt, tanquam derelictæ etiam cedunt primò & eôdem animô occupanti, *§. Hoc amplius 46. & §. Qua ratione 47. Instit. Rubr. cit.*

Ut autem pro derelicta reshabeatur, non sufficit, quòd abijciatur, sed insuper exigitur, ut abijciens eam suam esse nolit, *l. Si quis 7. ff. pro Derelicto.* Unde, quæ urgente tempestatis vi quis jactat in mare, derelictis regulariter non accensentur; cùm ille, si periculum aliter effugere posset, ea in mare non projiceret, & projecta optet ad se reverti, *§. fin. Instit. de Rer. divis. l. Interdum 21. §. 1. ff. de Adquir. poss.* Neque etiam sufficit; quòd res, si non eriperetur, certò esset peritura; quia non hôc ipsô dominus se abdicavit ejus dominio: sed vult, ut erepta sibi restituatur, *l. Pomponius 44. ff. de Adquir. rer. dom.* Sed accedere debet animus, quô dominus, eam derelinquens, suam esse nolit: qui non præsumitur, *arg. l. 1. §. 1. ff. ad L. Rhod. de jactu:* nisi res ad eum statum veniat; ut ejus recuperatio domino, vel ejus restitutio occupanti propter nimiam distantiam, ignorantiam &c. moraliter impossibilis sit, *citt.* Card. de Lugo & Haunold, *n. 7.*

Excipienda sunt bona vacantia, hoc 61
est, relicta à defuncto intestato, & non habente hæredem legitimum; hæc enim fisco cedunt, *l. 1. §. 2. ff. de Jure fisci & l. Vacantia 4. C. de Bonis vac.* &, si fuerunt peregrini, sine hærede decedentis in hospitali, per Episcopum loci, in quo decessit, in pauperes eroganda, vel alijs piis causis applicanda sunt, *Auth. Omnes, C. Communia, de Succeff.* nisi hospitali privilegiô competat jus succedendi, *cit.* Covarruv. *p. 2. §. 1. n. 3.* & Molina *disp. 551 n. 5. & 6.*

Rebus, quæ cedunt inventori pri- 62
mò occupanti, accensetur Thesaurus, sive pecunia, vel alia res mobilis, cujus ab ignotis dominis antiquitus depositæ dominus ignoratur, *l. Nunquam 31. §. 1. ff. de Adquir. rer. dom.* qui, spectatô præcisè Naturali Jure, sive in proprio, sive in alieno fundo & quomodocunque inventus, ut aliæ res dominô carentes, cedit occupanti, *§. cit.* Civili autem spectatô multùm refert, quibus viis seu mediis sit inventus; in suo enim & licitis mediis inventus totus cedit inventori, *§. Thesauros 39. Instit. de Rer. divis.* etiamsi iste fundum emerit sciens, in eo thesaurum latere; & propter eum non auxerit pretium, ut ex Parabola Evangelica Matth. *cap. 13. n. 44.* desumitur & cum S. Thoma *2. 2. q. 66. art. 5.* docent Navarrus *Manual. cap. 17. n. 175.* & *cit.* Molina *disp. 66. n. 4.* Ratio est; quia fundi prior dominus non fuit dominus thesauri latentis; cùm iste fundi neque pars, neque fructus sit, Fa-

sit, Fachineus *Controvers. Lib. 2. cap. 20.* & aliis DD. relatis, Harprecht *in §. cit. n.* 11. qui tamen huic stricto Juri in praxi Æquitatem præferri, & thesaurum inter emptorem & venditorem dividi mallet cum Connano *Lib. 3. Comment. cap. 4. num. 4.*

63. Eidem inventori totus cedit ita repertus in loco publico, cujus speciale dominium est nullius: ut in flumine, platea, via. Si verò illius loci speciale dominium spectet ad fiscum vel civitatem, ut vg. sylva, pascua vel etiam ad aliquem privatum, in eo casu & sine scrutandi animo inventus, æqualibus partibus dividendus est inter loci dominum & inventorem, *l. Unicâ C. de Thesauris*: cujus dispositionem in conscientia & ante omnem sententiam obligare, cum Navarro *cit. n. 175.* volunt *citt.* Molina *n. 2.* & Lessius *cap. 5.* 64. 65. *n. 57.* Non casu, sed datâ operâ in fundo alieno sine domini consensu, imò etiam cum isto, quæsitus & inventus, saltem post sententiam condemnatoriam, totus cedit domino fundi, ut ex *cit. l. Unicâ* verbis, *Imò nec volentibus*, junctis, quæ paulo post subjiciuntur, verbis, *Quod si præter hujus Legis &c.* cùm Petr. Barbosa *in l. Divortio 7. §. Si fundum 12. ff. Solut. matrim. n. 40.* eruditè colligunt Perez in *C. de Thesauris n. 2.* Bruneman *in l. Unic. cit. n. 3. & cit.* Haunold. *n. 11.* Quod ab Imp. ita constitutum est; ut coërceretur vanitas & cupiditas hominum, alienis insidiantium: & præscinderetur ansa effodiendi agros & occulta loca perscrutandi.

In loco Sacro vel Religioso repertus ad quem de Jure spectet, maximæ quidem inter DD. & à multis omnino desperatæ resolutionis: sed jam non magnæ utilitatis controversia est; cùm enim hodie nullus locus Sacer aut Religiosus sit, cujus particulare dominium ad Prælatum, vel potiùs ad ipsam Ecclesiam, Monasterium &c. non spectet, idem Juris erit de thesauro in tali loco, & in privati alicujus fundo, casu, vel datâ operâ invento, ut cum *cit.* Navarro & aliis advertunt iidem Molina *disp. 56. n. 5.* & Haunold. *n. 17.*

Demum modis illicitis, vg. arte Magica, in proprio inventus totus cedit fisco: in alieno autè fundo repertus, per sententiam eidem adiudicatur quoad eam solùm partem, quæ, si thesaurus casu ibi repertus esset, ad inventorem pertineret; quoad alteram verò cedit fundi domino, qui in culpa non fuit; ne, si hôc etiam casu fisco totus adjudicaretur, propter alienam culpam portione sua privaretur, contra textum, *c. Quæsivit 2. de Iis, quæ à majori & l. Sancimus 22. C. de Pœnis* Rebellus *de Obligat. Just. Lib. 1. q. 15. §. 2. n. 14.* & Haunold. *cit. n. 11.* 66.

Sed, licèt de rebus inventis hæc Jure constituta sint, hodiernis tamen moribus thesauros, etiam licitis viis, ubicunque demum, in locis saltem prophanis inventos, in plerisque Europæ provinciis, vel integros vel ex parte sibi vendicant Principes Jure Regalium: quibus etiam dudum asserta ab his sunt pretiosa conchilia & gemmæ, quæ in marium & fluminum litoribus reperiuntur, Covarr. *in Reg. Peccatum p. 3. §. 2. n. 4.* Molina *cit. disp. 56. n. 10. in fine* & Perez *l. cit. n. 4.* 67. Simili modò, licet Jure Gentium spectato, auri, argenti, aliorumque metallorum & mineralium venæ non minùs, quàm cretæ aut lapidum fodinæ, fontiumque Scaturigines ad dominum fundi, tanquam illius fructus vel pars, pertineant, *l. Fructus 7. §. 13. & 14. Gl. Si fundus 8. ff. Soluto matr.* modernò tamen plurium Regnorum Jure & usu, ex toto, aut magna ex parte Reipublicæ vel Principi ad sumptus & onera publica supportanda cedunt, *citt.* Molina *disp. 54. n. 1.* & Haunold. *n. 4.* 68.

69. Quintò, Alluvio sive incrementum latens, quò decurrens flumen paulatim & quasi latenter aliquid fundo accessoriè adijcit; ut, quantum isti quolibet momento acceſſerit, intelligi non possit, §. *Praterea 20. Instit. de Rer. divis. & l. Adeò 5. §. 1. ff. de Adquir. rer. dom.* quod enim ita alicui prædio adijcitur, istius domino acquiritur, *l. 1. C. de Alluvionibus &c.* & eodem jure, quò ipsum prædium censetur ob accessionē; cùm id, quod adijcitur fundo, istius accessio & pars: accessorium autem sui principalis & totius naturam pars sequatur; ut, cujus principale vel totum, ejus accessorium quoq; vel pars sit, §. *Sitamen 26. Instit. de Rer. divis. l. In rem 23. §. 5. ff. de R. V. & l. Quidquid 27. ff. de Adquir. rer. dom.* Harprecht & Manzius *in §. cit. n. 3.*

Aliter res se habet, cùm fluminis impetu uni prædio detracta notabilis pars terræ adijcitur alteri; hujus enim perinde, ut trabium, lignorum &c. ejusdem fluminis vi ex uno in aliud prædium translatorum, dominium priori domino remanet, §. *Quod si vis 21. Instit. de Rer. divis. & l. Adeò cit. §. 2.* cùm enim hujusmodi terræ pars in alterum fundum delata non, ut alluvio, latens, sed patens incrementum sit, alteri fundo non insensibiliter accedit, ab eóque separata manet; ut ejus accessorium & pars intelligi non possit, *cit.* Harprecht & Manz *in §. Quod si cit. n. 2.* rectè excipientes casum, quò superiori prædio avulsa pars ab istius domino pro derelicta habetur; ut cedat occupanti: &, quò inferioris prædii fundo perfectè coaluit &, quas illa fortè secum traxit, arbores in isto egerunt radices; ut solo cessisse & jure accessionis sive, ut loquuntur, Irradicationis istius
70. pars effecta videatur, §. *cit. V. Planè.*

Neque huic exceptioni obstat, *l. Idem 5. §. 3. ff. de R. V.* satis difficilis textus, *De arbore, qua in alienum agrum translata coaluit & radices immisit, Varus & Nerva utilem in rem actionem dabant*, non obscurò argumentò dominii, remanentis penes dominum priorem. Verùm, quia Ulpianus *l. cit.* Vari & Nervæ VV. JCT.^um sententiam solummodo refert præter morem suum, quò aliorum sententias referens eas approbare vel reijcere solet, meliores præsertim RR. JCT.; plerique cum Glossa *ibi*, verba, *Sed nos non damus*, subintelligenda volunt; ut adeò nostra de ejusmodi arbore ex *Vers. cit* desumpta sententia *§. 3. cit* ad mentem RR. intellectò, potiùs roboretur, quàm evertatur, Haunold. *cit. Tract. 5. n. 94.*

71. Sextò, Insula nata in flumine, alvei locum aliquem siccum relinquente: quæ cedit ripæ, cui est proximior. Communis autem utrique parti ipsarum est, si mediam partem fluminis obtineat, §. *Insula 22. Inst. de Rer. divis. & l. Adeò cit. §. 3.* cujus decisionis sensus verior est, insulam, si ripæ vg. dextræ propior tota sit, ut nulla ejus notabilis pars ultra fluminis medietatem porrigatur, totam ad dextram: si verò ejus dimidia aut notabilis pars sinistræ ripæ vicinior sit, eam partem ad hanc ripam pertinere, ejúsque domino cedere. Ratio est; quia nata
72. esse videtur ex partibus decerptis, ex ripa viciniori: aut ex utraque, si æquè vicina est utrique, Harprecht *in §. cit. n. 6.* & Manz. *n. 18.*

Aliud quidem, & insulam non prædiis vicinis cedere, sed publicam esse, in terminis tradere Labeo videtur, *l. Epistolam 65. §. fin. ff. de Adquir. rer. dom.* Sed aliter res se habet; quia §. *cit.* ut cum antecedentibus concordet, dicendum est, agi de insula non firma: sed ea, quæ virgultis aliáque materia levi sustinetur, solóque non cohæret, sed movetur & natat: de qua *l. cit. §. 2.* agi ceptum est; hæc enim quodammodo publica est, perinde ut ipsum

ut ipsum flumen, *citt.* Manz. *n. 26.* & Haunold. *n. 99.* Dixi autem, *In flumine*; quia, in mari nata, cedit primo occupanti, §. *Insulæ cit.* quia, ut habet textus, nullius esse creditur perinde, ut ipsum mare, istiusque litora & arena, quæ mari subest, *cit.* Manz *n. 3. & 4.*

73 Septimò, Accessio alvei, à flumine omnino derelicti; hic enim propè ripam prædia possidentibus pro modo latitudinis cujusque agri, quæ prope ripam est, cedit; quod iis tantùm detractus Jure præsumatur, §. *Quod si naturali 23. Instit. ibid. & l. Adeò cit. §. 5.* etsi totius agri inundati fundus, recedentibus aquis, ejus maneat, cujus fuit. Ratio diversitatis est; quia per inundationem immutata non censetur forma fundi, sicut per alvei inductionem; cùm illa, non hæc stabilis & diuturna, sed brevi tempore sit duratura. Unde, licet per alvei inductionem, non tamen per inundationem fundus privatus desinit, nec incipit esse, *cit.* Haunold, *n.* 101.

74 Octavò, Specificatio sive introductio formæ moraliter novæ in materiam alienam; ut ad antiquam speciem redire non censeatur posse: sicut accidit, cùm ex alienis uvis vinum, ex vino & melle mulsum, ex hordeo & lupulo cervisia, ex frumento farina, ex ista panis, ex variis medicamentis simplicibus pharmacum & emplastrum, ex lana vestis, ex ligno statua, subsellia, scapha &c. fiunt, §. *Cùm ex aliena 25. Instit. ibid. & l. Adeò cit. §. 7.* Si enim ad antiquam speciem & rudem materiam reduci possent: ut, cùm ex alieno auro vas aut statua conflatur: vel antiqua species solùm accidentaliter mutatur, ut, cùm frumenti grana excutiuntur ex spicis, vel lana tingitur, auri, frumenti, lanæ idem dominus manerer, qui ante conflationem, excussionem, tinctionem fuit. *text. citt. & l. Sed in meis 26. §. fin. ff. Ad exhibendum.* Casu etiam, quô alienæ materiæ forma moraliter mutatur; ut in comercio humano nova species censeatur, & ad antiquam formam redire non possit, multùm refert, an nova species malâ vel bonâ fide sit facta; malâ enim, hoc est, à sciente, materiam esse alienam, facta nova species manet ejus, cujus materia fuit, *l. De eo 12. §. 3. ff. Ad exhib.* quia malâ fide & lucri faciendi causâ rem alienam contrectans & immutans facit furtum, *pr. Inst. de Oblig. ex delicto:* furtum autem dominii acquirendi justus modus non est. Bonâ autem fide & ab ignorante, quòd aliena sit, facta cedit specificanti, §. *Cùm ex aliena & §. 7. citt.* qui tamen priori domino præstare debet materiæ æstimationem, arg. *l. In rem 23. §. 5. ff. de R. V.* ne cum aliena jactura locupletetur, *cit.* Manzius *in §. Si ex aliena cit. n. 14.*

Nonò, Confusio vg. vinorum, massarum auri vel argenti, aliarúmve materiarum liquidarum aut liquefactarum, ad duos dominos spectantium: quæ, si utriusque voluntate, aut casu fortuito confusæ sunt, corpus, quod ex earũ confusione fit, & ejusdem cum rebus confusis speciei est, si res confusæ à se invicem separari nequeant, communes sunt utriusque, §. *Si duorum 27. Instit. ibid. & l. Adeò cit. §. 9.* Cujus sive utriusque etiam manet, si res speciei diversæ, vg. aurum & argentum, vinum & mel utriusque consensu aut casu confundantur, & specificatio seu novæ speciei constitutio fiat, §. *Si duorum cit. & l. Adeò cit. §. 8.* Si autem unius solius voluntate confusio fiat, locus est distinctioni inter bonam & malam fidem; si enim fide bonâ & sine specificatione confusæ sint, confusione constitutum corpus etiam commune est: malâ autem fide confusarum rerum tota massa læso cedere videtur, arg. 75.

l. Cujus per errorem 43. ff. de R. J. Robert. König *ad hanc Rubr. n. 102.*

76. Decimò, Permixtio, quâ duo corpora solida, quæ etiam post mixtionem discreta manent, suámque speciem singugula retinent, vg. duorum frumentum inter se miscetur. Quod, si voluntate utriusque domini fiat, acervus est communis, §. *Quod si 28. Inst. de Rer. divis.* Si voluntate unius aut casu fiat, quilibet retinet dominium suæ partis frumenti, cum alterius frumento permixti; ut quantitatem vg. Scapham sui frumenti optimi cum alterius frumento deteriore permixti vindicare, atque insuper damni, quod ex permixtione cum alterius frumento patitur, resarcitionem petere possit, *l. Idem 5. pr. ff. de R. V. citt.* Manz. *in §. cit. n. 5.* & Haunold. *n. 116.*

Excipiendæ tamen sunt pecuniæ: quæ, si unius voluntate ita misceantur, ut discerni non possint, non communes, sed ejus fiunt, qui accepit, *l. Si alieni 78. ff. de Solut.* Quod de pecunia specialiter constitutum est propter quotidianum ejus usum in commerciis; ne scilicet aliquâ dominii incertitudine constitutâ, innumeri, præsertim mutui, emptionis, venditionis contractus fluctuarent, ut cum Argentoratensi Collegio advertit *citt.* Haunold. *n. 118.*

77. Undecimò, Intextura sive accessio aut adjunctio, quâ vg. alienus pannus vestimento, lecto fulcrum, statuæ manus aut pes, navi tabula, urceo ansa &c. per futuram, juncturam, suffulturam adjicitur; hoc enim si fiat, accessorium principali & pars toti, hoc est, id, quod adijcitur alteri, huic cedit; ut, qui istius, etiam illius dominus sit, si utiliter non possint separari, §. *Si tamen 26. Inst. ibid. & l. Sed si meus 26. §. 1. ff. de Adquir. rer. dom.* Etsi rei retentæ vel aliter adjectæ prior dominus actione in factum ejus æstimationem petere; &, si malâ fide intexta vel adjecta est, intexentem tanquam furem convenire possit, §. *Si tamen cit.* ubi *citt.* Harprecht *à num. 7.* & Manz *à num. 19.*

Duodecimò, Scriptio, vg. cùm alienæ chartæ seu membranæ characteres etiam aurei inscribuntur; hi enim etiam chartæ & istius domino de Jure cedunt, *l. Qua ratione 9. §. 1. V. Literæ. ff. de Adquir. rer. dom. De Jure*, inquam; quia hodiernis moribus charta cedit scripturæ; quòd ista ferè pretiosior sit; &, cùm in ea ultimæ voluntates, contractus, rerum inventaria, super maximi momenti controversiis latæ sententiæ, Orationes, Poëmata, aliæúe lucubrationes exarentur, charta aut membrana cum iis comparata vix ullius sit æstimationis, *in §. Litteræ cit.* Harprecht *n. 7.* & Manz *à n. 4.* 78

Decimo tertiò, Pictio sive picturæ cui tabula cedit, §. *Si quis in aliena 34. Inst. ibid.* licet enim ædificium, plantæ, sata, scriptura &c. de Jure cedant solo, vel alteri subecto, sine quo subsistere non possunt, tabula tamen cedit picturæ, ex mente Justiniani §. *cit.* Gaii JCti *l. Qua ratione cit. §. 2.* sententiam secuti; cùm propter pretium picturæ: tum verò propter excellentiam artis; ridiculum enim Imperatori, nec immeritò videbatur, picturam Apellis aut Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere; cùm aliàs à digniori id, quod minùs dignum est, & vilius à pretiosiori ad se trahi soleat, & conveniat, arg. *l. In rem cit. §. 4.* Harprecht. & Manz. *in §. Si quis cit. n. 4.* 79

Quodsi pretium tabulæ multùm excederet æstimationem picturæ, hanc illi cedere nequaquam ridiculum foret, & cum Justiniani Imp. ratione ipsa ejus dispositio cessaret, ut *in §. Si quis in aliena cit.* cum Schneidewino *n. 3.* notat Manzius *n. 11.* ut adeò tali casu is, qui tabulæ est, picturæ

picturæ quoque dominus efficiatur. Idem Juris est, si domus, paries, statua fixa, aliáve res immobilis pingatur; quòd & in his picturæ subjectum cedere, non minùs absurdum ac ridiculum sit, quàm in accessionem rudis & vilissimæ tabulæ cedere artificiosam picturam Parrhasii vel Appellis.

80. Decimo quartò, Ædificatio, §. *Cùm in suo 29. & §. Ex diverso 30. Instit. ibid.* quia, si domus, horreum, molendinum, vel aliud quidpiam ex aliena materia in nostro, aut vicissim in alieno solo ex nostra materia construatur, soli, in quo construitur, domino acquiritur, §§. *citt. & l. Adeò cit. §. 10.* cùm generaliter, sicut accessorium principali, minus majori, toti pars, ita, quod solo firmiter inædificatur & in eo stabilitur, ipsi cedat, *citt.* Harprecht & Manz. *in §. Cùm in suo cit. n. 2.* Adversus eum tamen, qui ex aliena materia in suo solo ædificavit, si id fecit bonâ fide, materiæ domino actio in factum ad æstimationem & pretium materiæ datur; ne ædificans ex alieno cum domini jactura & absque ejus voluntate locupletetur. Si autem id malâ fide fecit, ad materiæ pretium duplicatum; acproinde, si ea constitit quinquaginta, ad centum restituenda est compellendus, §. *cit. V. Nec tamen*; quia quodammodo furtum fecit, Harprecht & Manz. *in §. cit.* ille *n.* 11, iste *n. 23.*

Decimoquintò, Implantatio, §. *Si Ti-*
81. *tius 31.* & Satio, §. *Quæ ratione 32. Inst. de Rer. divis.* cum enim ipsa ædificia cedant subjecto solo, cui tantùm incumbunt, multò magis isti cedent plantæ, quæ in eo jam egerunt radices, & per has alimentum & incrementum ab eo accipiunt: uti etiam frumentum & cætera, quæ ex semine in terram jacto, in eáque mortuo reviviscunt & multiplicata producuntur, *citt.* Harprecht & Manz. *in §§. citt.* & Haunold, *à n. 143.*

Decimosextò, Perceptio fructuum 82.
ex re aliena, bonâ fide possessa, percepto-
rum: qui possessori acquiruntur, §. *Si quis à non domino 35. Inst. de Rer. divis.* cùm propter rei curam & culturam: tum propter bonam fidem, quæ facit; ut possessor penè dominus reputetur, *l. Bona 48. pr. ff. de Acquir. dom.* saltem post perceptionem; quia possidenti ferè non minùs, quàm ipsa veritas præstat, *l. Bona fides 136. ff. de R. J.* Harprecht *in §. cit. n. 35.* & Manz. *n. 4.*

Decimoseptimò, Traditio, si scili- 83.
cet dominus rem suam, ejus dominii transferendi animô, alteri tradat, & hic eam traditam apprehendat, §. *Per traditionem 4. Instit. de Rer. divis. Traditionibus* namque, vel potiùs rerum traditarum apprehensionibus & *Usucapionibus rerum dominia transferuntur, l. 40. C. de Pactis.*

Eandem proprietatem sive domini- 84.
um acquirendi modi, Civili Jure, proditi & sanctionibus Ecclesiasticis recepti sunt Usucapio sive Præscriptio & Aditio hæreditatis, Harprecht *in §. Singulorum cit. n. 12. & ibi* Manzius *n. 8.* Quorum, uti & quasi dominium, in Re & ad Rem temporalem quamcunque competentia jura acquirendi modorum explicationem aliquam in decursu, accuratam autem ex instituto dabunt LL. Interpp. ac DD. Eorum, quibus Prælaturæ aliæque dignitates, beneficia, Officia & pensiones Ecclesiasticæ, decimandi, eligendi, conferendique, Patronatûs ac Sepulturæ, cæteráque spiritualia hisque annexa jura acquiruntur, vel amittuntur, suo quisque loco ac sede declarabitur.

ARTICULUS V.

De Causis Possessionis & Proprietatis.

SUMMARIUM.

85. *Causa Possessionis quæ dicatur.*
86. *Pro ea adipiscenda competit Interdictum* Quorum bonorum,
87. *Remedium* l. fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.
88. *Quæ Hæreditatis petitione sunt utiliora:*
89. *Interdicta* Quorum legatorum,
90. *Et* Salvianum:
91. *Quod potius est actione Servianâ:*
92. *Remedium* l. Creditores 3. C. de Pignoribus,
93. *Et Officium judicis:*
94. *Quod etiam pro incorporalibus datur.*
95. *Pro retinendâ possessione competunt* Uti possidetis
96. *Et* Utrubi *Interdicta,*
97. *Cum tempore quoad possessionem coæquata.*
98. *Hodie pro possessione antiquiori,*
99. *Vel meliorem titulum habente:*
100. *In dubio variè pronuntiatur.*
101. Uti possidetis *Interdictum utile pro incorporalibus datur.*
102. *Quæ causa dicatur Proprietatis.*
103. *Ratione Dominij datur Rei Vindicatio:*
104. *Pro jure in Re Confessoria,*
105. *Vel Negatoria:*
106. *Pro jure ad Rem actio Personalis.*

85. POssessionis Causa dicitur quæstio seu controversia judicialis, quâ disceptatio principaliter est de Possessione vel quasi possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda. Vocantur autem hujusmodi controversiæ in judicium deductæ aliquando Interdicta, §. *Sequens* 2. &c. *Instit. de Interdict.* & c. *Pastoralis* 5. Aliquando, *ut c. cit. c. Cùm super* 4. & à DD. passim Judicia aut etiam Remedia Possessoria, Menoch. *Comment. de Possess. Prælud. n.* 1. Aliquando & crebrò usu dicuntur causæ Momenti aut Momentariæ seu Momentaneæ possessionis, ut *c.* 1. *hâc Rubr. l. Unica C. Ubi de possess. & l. Unica C. Si de moment. possess.* partim; quòd res apud possessorem non diu sit duratura, si ejus proprietatem adversario competere ostendatur, Glossa in *c.* 1. *cit. V. Momenti*, *ubi* Panormit. *n.* 7. Barbosa *n.* 3. & Gonzalez *n.* 7. partim verò; quòd celeriter &, quæstione proprietatis, atque aliis, quæ restitutioni moram facere possunt, rejectis, sit expedienda, *l.* 1. ibi, *Absque ulla cunctatione, C. Si per vim & l. Si coloni* 14. ibi, *Celeri reformatione, C. de Agricol. & censit.* Cujacius *in c.* 1. *cit.* & ex eo Gonzalez *l. cit.*

86. Sunt autem Interdicta & Judicia Possessoria triplicis generis: & primi quidem generis actor instituit ad rei nondum habitam, sed sibi debitam possessionem adipiscendam. Cujusmodi sunt

Primò, interdictum *Quorum bonorum*, à primis Edicti verbis ita nuncupatum: quod ex communi DD. sensu & Prætorianæ mentis interpretatione non solùm ei, qui bonorum possessor dicitur, & ex Prætoris Edicto jus & dominium hæreditatis consecutus est: sed cuicunque ex testamento, vel ab intestato hæredi, Jure Civili defuncto succedenti, ad possessionem, quam nunquam habuit, avocandam, sive ad illam sibi tradendam, & confestim sine cunctatione ac remotis frustrationibus adipiscendam bonorum sive rerum omnium hæreditariarum, quas mortis tempore defunctus habuit, possessionem, competit adversus eum, qui de bonis illis aliquid possidet vel pro hærede; quòd talem, cùm revera non sit, se esse putet: vel pro possessore; quòd successionem

sionem ad se non pertinere sciat: vel, qui dolô malô possidere desiit, aut fecit, quò minùs possideret, *l. 1. ff. l. 1. & l. Si ex Edicto 2. C. Quorum bonorum.* Non etiam adversus eum, qui justô titulô possidet, *arg. l. Hæreditatem 4. C. In quibus caus. cess. longi temp.* quia hujus in pari causa melior conditio est, ratione possessionis, *Reg. In pari 65. in 6.* Menoch. *Adipisc. Remed. 1. n. 34.* Zœsius *in ff. Quorum bonorum n. 2.* & Perez *in C. ad eandem Rubric. n. 5.*

87. Huic Interdicto affiné Adipiscendæ possessionis remedium à Justiniano constitutum est *l. fin. C. de Edicto D. Hadr. toll.* cujus beneficiô hæres testamentô, sive ex asse, sive ex parte institutus, à judice competente quandocunque, id est, intra triginta annos, missionem in possessionem earum rerum, quæ mortis tempore fuerunt testatoris, petere potest adversus earum possessores: nisi rem aliquam usuceperint. Quæ missio, ut à judice decernatur, opus est; ut hæres eam petens offerat testamentum rectè formatum, in exteriori forma ullo vitio, (ut sunt cancellatio, defectus subscriptionis, aut sigillorum rescissio) non laborans & publicè exhibitum in Originali, *l. cit.* Quô factô missionem non impediunt objecta testamento vitia occulta, vg. quòd sit falsum, ruptum, inofficiosum, ob filii præteritionem nullum, *l. Quamvis 2. C. de Edict. D. Hadr. toll.* quia hujusmodi oppositiones, tanquam altioris investigationis, & longioris ac plenariæ disceptationis quæstiones, ad judicium Petitorium Hæreditatis petitionis remittuntur, Perez *ad Rubric. cit. n. 5. & 10.* & Bruneman *ibid. n. 16.*

88. Quare Interdictum *Quorum bonorum*, uti & remedium hoc supervacaneum nequaquam est; quia, licet ad earundem rerum possessionem avocandam etiam Hæreditatis petitio tendat, utilius tamen hæredi est, si agat Interdictô, cùm; quia non tam exactæ probationes & solùm summaria cognitio, non ut in Ordinaria Hæreditatis petitione exiguntur, &, ad vitandas ambages, non admittuntur; sed proprietatis Petitorio judicio reservantur exceptiones altioris indaginis, ipsius etiam dominii: nisi hoc probari in continenti possit, Menoch. *cit. Remed. 1. à n. 109.* tum verò; quia hæc in bonorum & rerum possessionem missio non impeditur interpositâ appellatione: imò ista contra eam non admittitur, *l. Quisquis 6. C. Quorum appell. non recip.* Miranta *de Ord. Judic. p. 6. n. 321.* De Jure tamen Canonico probabiliùs, quoad effectum duntaxat Suspensivum; non etiam quoad Devolutivum, Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 3. n. 332.*

Secundum est Interdictum *Quorum legatorum*, ut Codicis, sive, ut Pandectarum Rubrica habet, *Quod legatorum*: quod etiam hæredi vel bonorum possessori ejúsque hæredibus competit adversus legatarios & fideicommissarios singulares; ut, quod quisque legati, aut huic in quartæ deductione exæquati fideicommissi singularis nomine, citra hæredis, aut bonorum possessoris, vel saltem defuncti voluntatem propriâ authoritate occupavit, id hæredi, vel bonorum possessori de legato præstando caventi, restituat. Non quidem; ut hæres totum retineat: sed; ut deducat id, quod ex lege Falcidia sibi, aliàs quartam partem non consecuturo, debetur, *l. Unic. C. Rubric. cit.* reliquum verò legati legatariis, quibus debetur, restituat, *l. 1. §. 2. ff. Rubric. cit.* 89.

Neque Interdicti hujus æquitatem ambiguam reddit; quòd hæres dolô agere videatur, petendô rem legatam, quam legatario statim est restituturus, *l. Dolo 8. ff. Doli & met. except.* quia hoc verum duntaxat

duntaxat est casu, quô hæres, & rem legatam, & ultra dodrantem nihil legatum; ac proinde ex legato sibi nihil deberi, agnoscit: horum autem alterô deficiente, cùm rem detineri ipsius, propter Falcidiæ deductionem, intersit, Interdictum hoc ei dari, æquissimum fuit, Perez *in C. Quorum legat. n. 2.*

Neque id, quod Interdicti beneficiô receptum est, ab hærede retineri totum potest vigore, *l. Non est dubium 5. C. de Legatis*, petitionem legati pro portione competente denegantis ei, qui rem legatam subtraxit, & propria authoritate occupavit; quia lex hæc exaudienda est de re, à legatario occupata post aditam hæreditatem & rei legatæ possessionem apprehensam; hôc enim casu vi dolóve usus etiam rei possessione hæredem dejecisse intelligitur; ut legatum meritò amittat: non de rei ante hæreditatis aditionem & adhuc possessore vacantis occupatione tanquam suæ; hâc enim factâ, legatum peti posse, liquet ex *l. 1. cit. §. 2.* verbis, *Ut legatarij eum possint convenire, citt.* Menoch. *Adipisc. remed. n. 9.* Perez *n. 5.* Haunold. *n. 342.* & Wisenbach *ad ff. disp. 23. n. 14.*

90. Tertium est Interdictum, quod à Salvio Juliano Edicti authore *Salvianum* nuncupatur, & prædii Rustici, atque ex interpretatione DD. etiam Urbani, locatori competit adversus conductorem, sive colonum, etiam partiarium vel inquilinum: imò etiam adversus tertium possessorem, ad avocandam ab eo & adipiscendam possessionem rerum, ab eo prædio illatarum vel invectarum: quæ in urbanum tacitè, sive ipsa illatione: in rusticum autem prædium illatæ, expressâ conventione pro conductionis mercede sive pensione, pignori sunt obligatæ, *l. Si non 4. l. fin. C. In quibus caus. pig. tacitè & §. Adipiscendæ 3. in fine, Instit. de Interdictis*, Maranta *cit. p. 4. dist. 7. n. 11.* & Menoch. *Adipisc. remed. 3. n. 5.* Quô remediô domino prædii locatori prospiciendi ratio fuit calliditas & malitia colonorum & inquilinorum, ad mercedis sive pensionis solutionem eludendam sub conductionis finem sæpe clanculum invecta exportantium & alienantium, Manzius. *in §. Adipiscendæ cit. n. 13.*

Neque interdicto huic utilitatem 91
adimit actio Serviana, locatori competens ad rerum prædio illatarum à quocunque possessore avocationem & retentionem, donec ei integrè satisfiat, *§. Item Serviana 7. Instit. de Actionibus*; quia actio hæc non, ut Interdictum, judicii possessorii, sed petitorii est: & actorem gravat permolestô onere probandi, rem obligationis tempore fuisse in bonis debitoris sive conductoris, *l. Et quæ, nondum 15. §. 1. ff. de Pignoribus.* Interdictô autem ei consulitur, ut pignus compendiariâ viâ persequi possit; cùm satis sit probare, res in prædium introductas vel importatas: non attentô, an fuerint inferentis, nec ne, Wesenbec. *in ff. de Salviano interd. n. 2.* & Manz. *in §. cit. n. 10.*

Quartum Adipiscendæ possessionis 92
remedium extat *l. Creditores 3. C. de Pignoribus*: vi cuius creditor, qui cum debitore suo pactus est; ut, si justo tempore non solveret, sibi propria authoritate ingredi liceat possessionem rerum debitoris. Hâc tamen conventione non obstante, creditor, ne sibi jus ipse dicat & materiam præbeat tumultui ac scandalis, judicis authoritate possessionem ex honestate, vel Juris necessitate, pro *l. cit.* expositionum diversitate, adipisci debet, Brunneman. in *l. cit. n. 4.*

Quintum ejusdem remedium est ju- 93
dicis Officium, quod hæres consultò implorat; ut ejus authoritate & auxiliô vacantem rerum hæreditariarum possessionem nan-

nem nanciscatur absque incommodo; quod, si eam propria authoritate apprehendere velit, timere potest, *arg. l. Restituere 68. ff. de R. V. & l. Si quis 3. pr. ff. Ne vis fiat ei, qui in possess.* Menoch. *Adipisc. remed. 6. num. 4.* & Haunold. *cit. Tract. 3. n. 348.*

94. Idem judicis Officium pro Adipiscenda possessione vel quasi imploratur ab eo, qui prævia electione, præsentatione, vel nominatione, & subsecutâ confirmatione, vel institutione aut collatione liberâ, dignitatis vel alterius beneficii Ecclesiastici titulum & proprietatem consecutus est; hic enim, ut ejus actualem, sive, ut aiunt, Corporalem possessionem nanciscatur, ad Archidiaconum, *c. Adhæc 7. de Offic. Archidiac.* vel alium, de Jure vel consuetudine in possessionem mittendi facultatem habentem, pro ejus adeptione recurrit, secundum Marantam *cit. p. 4. dist. 7. n. 13.* & Menoch. *Adipisc. remed. 6. n. 34.* vel instar ejus, qui remediò *l. fin. C. de Edicto D. Hadr. toll.* ad rerum hæreditariarum possessionem adipiscendam agit, in dignitatis, vel alterius beneficii possessionem mitti, petit ab Archidiacono, aliòve eam potestatem obtinente: qui, ejus jure, ex Apostolicæ confirmationis, vel alterius provisionis literarum inspectione apparente, eum in dignitatis & beneficii possessionem mittat, Bald. *in l. Si aquam 2. C. de Servit. & Aqua n. 65. citt.* Menoch. *n. 35.* & Haunold. *n. 331.*

95. Secundi generis Interdicta ad Retinendam possessionem intentantur ab eo, qui in possessione, justâ, injustâve, *l. Justa 2. ff. Uti possidetis*, quam nec vi, aut clam, neque etiam precariò ab altero, id est, adversario suo nactus est, injustè & extrajudicialiter turbatur, aut quò minùs eâ uti quietè possit, impeditur. Cujusmodi Interdicta duo prodita sunt, alterum *Uti possidetis*, alterum *Utrubi*, sic dicta à primis verbis Edicti Prætoriani, quô sunt introducta. Prius pro immobilium solo cohærentium: posterius pro mobilium possessione tuenda & retinenda, vg. Titio, prædium, aut equum possidenti, datur, cùm in illius cultura & fructuum collectione, vel istius usu à Cajo turbatur, molestatur, vel impeditur; tali enim casu olim pro possessione pacificè retinenda aditus Prætor, causâ summatim cognitâ, interdictum de prædio tanquam re immobili juxta formam *pr. l. 1. ff. Uti possidetis*: super equo tanquam re mobili, juxta *pr. l. 1. ff. Utrubi*, reddebat; ut Titius vinceret, si prædium tempore interdicti nec vi, nec clam, nec precariò à Cajo adversario suo *cit. l. 1. §. 5. & §. fin. ff. Uti possidetis*: equum verò, si majorè parte anni retrorsum numerati eodem modò possedisset, *l. 1. pr. ff. Utrubi.* 96. Postea verò Jus mutatum & utriusque Interdicti vis ac potestas, quantùm ad possessionem attinet, exæquata est; ut, sive res immobilis, sive mobilis esset, ille, ac proinde in proposito casu Titius vinceret, qui prædium aut equum illatæ turbationis & litis contestatæ tempore sine vitio, hoc est, nec vi, nec clam, neque precariò à Cajo possideret, *l. 1. §. 1 ff. Utrubi & §. Retinendæ 4. V. Hodie, Instit. de Interdict.* Perez *in C. Uti possidetis, n. 3.* & Manzius *in §. Retinendæ cit. n. 17. 42. & 45.* 97.

Hodie ista etiam non usquequaque attenduntur, sed usu ferè observatur Jus Canonicum; & vincit is, qui de antiquiori possessione fidem judici fecerit, ex rescripto Innocentii III. relato *c. Licet 9. V. Ex præmissis, de Probat.* cùm enim, qui semel probatus est possessor, possessionem non deseruisse, sed retinuisse, præsumatur, si contrarium non probetur, *arg. c. Cùm ad sedem 15. & c. fin. de Restit. Spoliat.* probatâ antiquiori possessione, quæ per aliam probationem non enervatur, induci- 98.

citur præsumptio, priorem verum ac legitimum possessorem: ejus autem adversarium invasorem & violentum aut clandestinum detentorem esse, *l. fin. C. Unde vi*; quia eandem rem & eôdem modô in solidum possidere duo simul non possunt, *l. Possideri 3. §. 5. ff. de Adquir. poss. & l. Duo 19. pr. ff. de Precario*, Beroius *in c. Licet cit. n. 54.* Maranta *dist. cit. n. 19.* Covarruvias *Practic. cap. 17. n. 6. in fine* & Barbosa *in c. cit. n. 17.*

99. Si antiquiorem neuter: sed æquè antiquam possessionem uterque probet, præfertur is, qui titulum: vel, utroque hunc exhibente, qui illius, sive possessionis antiquiorem ac meliorem titulum ostendit, *c. & V. cit.* ibi, *Cùm justum possessionis titulum non ostendat*; quantumvis enim in Retinendæ interdictis, cùm de possessione constat, titulum probare necesse non sit, *citt. l. Justa & §. Retinendæ, V. Commodum*, in dubio tamen de ea, vel ejus antiquitate, titulus multùm conducit; quia eum ostendens, se nec vi, aut clam, nec precariò possidere probat; ut ideo adversario Jure præferatur & vincat, *citt.* Beroius *n. 57.* Maranta *n. 19.* & Menoch. *Retinendæ remed. 3. n. 733.*

100. Si tituli æquè antiqui bonique & verisimilis probatio militet pro utroque, anceps negotium, ingens dissensio & Opinionum varietas est apud Doctores; aliqui enim, *Uti possidetis, ita possideatis*, pronuntiandum; ut neuter vincat, aut vincatur: alii, possessionem avocandam authoritate judicis, & apud alium sequestrandam: & rursum alii, reum, sive eum, qui ad judicium provocatus est, absolvendum volunt; quòd, cùm utriusque partis jura, ut hôc casu, obscura & dubia sunt, pronuntiari soleat contra actorem: qui eô ipsô; quòd meliùs, quàm reus, non probet, ad victoriam probare non censetur, *arg. c. fin. §. Sanè, de Jurejurando.* Quidam recurrendum aiunt ad Principem; ab isto verò, ad rixas aliáve incommoda publica evitanda, litem, si aliâ viâ nequeat, dirimendam sorte, aut factâ divisione utrique adjudicandam partem aliquam possessionis; ut sic litigantium alter adversus alterum, cùm voluerit, in judicio petitorio pro altera etiam parte agat. Nisi Princeps sequi malit exemplum omnino Regium M. Sylvii Othonis, qui adhuc privatus, ita ancipitis controversiæ, agitatæ de agro, arbiter electus, hunc à litigantium altero emptum alteri donandô litem sustulit, apud Fulgosum *Lib. 8. cap. 2.* Quas aliásque Opiniones referunt *citt.* Beroius *n. 58.* & Menoch. *à n. 740.* omnibus discussis monens, accidere vix posse; ut doctus & accuratus judex, adhibitô Jurisperitorum consiliô, non deprehendat conjecturas & præsumptiones, quæ litigantium alterius possessionem faciant potiorem.

Atque hoc retinendæ possessionis remedium & *Uti possidetis* Interdictum, etsi directè pro rebus solùm corporalibus introductum sit, Utile tamen etiam pro incorporalibus competit iis, qui in dignitatis vel alterius beneficii: in juris decimandi, eligendi, præsentandi, vel conferendi: in jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel Secularis: in pascendi & similium jurium quasi possessione ab alio turbantur & impediuntur; ut pro eorum ab omni molestia & impedimento libero usu agere possint, ut aliis DD. relatis latè ostendit laudatus Menoch, *à n. 115.* 101.

Tertii generis Remedia possessoria ad possessionis, vi præsertim amissæ, recuperationem tendunt: quorum declarationem dabimus ad *Rubricam* sequentem.

Proprietatis causa dicitur omnis quæstio de dominio vel quasi, de quocunque jure In re, vel Ad rem duntaxat, quod extra pos- 102.

tra possessionem est, inter aliquos orta & in judicium deducta: cujus judicialis discussio definitióque Judicium Petitorium nuncupatur, *c. Cùm super 4. c. Cùm dilectus 6. &c.* Maranta *de Ord. Judic. p. 4. dist. 7. n. 1.* & Vallens. *ad hanc Rubric.* §. 1. *num.* 2.

103. Ratione dominii competit Rei Vindicatio: quæ est Actio, quâ res nostra ab alio possessa petitur, *l. Actio 75. ff. de O. & A.* sive Actio Realis, quâ dominus agit adversus possessorem rei suæ corporalis; & petit, se ejus dominum declarari, eámque officiô judicis sibi à possessore restitui, Wesenbec. *in ff. de R. V. n.* 2. & Perez *in C. eâdem Rubric. n.* 2. sic enim Titius prædium vel domum suam, se absente, à Cajo occupatam, equum fugâ ad hunc delatum, annulum amissum ab eóque inventum recuperaturus, cùm ea restituere nolentem ex prædio domóve expellere vi, equum & annulum eripere propria authoritate non possit, quin ea perdendi periculo se exponat, *l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi & l. Creditores 7. ff. de Vi privata*, judicem adit & propositâ actione ab eo petit; ut, cognitâ causâ, res illas à Cajo occupatas ad se pertinere, declaret, atque ad earum cum fructibus restitutionem detentorem condemnet. Quæ actio Rei Vindicatio à *Vindicando* sive liberando vocatur; quòd eâ res de manu & jure possessoris liberetur & avocetur, Gellius *Lib. 10. Noct. Attic. cap. 9.*

Hâc autem Actione in judicio Petitorio propositâ, ut actor obtineat, & vg. Titio ad petitarum rerum restitutionem Cajus condemnetur, duo & Imprimis quidem probare debet, eas esse suas, sive ad se jure dominii pertinere; cùm enim intentionis suæ fundamentum & actionis causa proxima sit dominium, quod in re petita se habere, ait, §. *1. V. Namque, Instit. de Actionibus & l. Certum 6.* §. 2. *ff. de Confessis:* & intentionis sive actionis suæ fundamentum probandi onus actorē incumbat, *l. Quoties 18. ff. & l. Actor 3. C. de Probat.* à Titio; ut ad rerum, quas petit, restitutionem Cajus ipsi condemnetur, earum dominium probari, est necesse. Deinde probare debet, res, quas petit, à Cajo, eas retinendi nullam justam causam habente, possideri, *l. Qui petitorio 36. pr. ff. de R. V. & l. Unic. C. de Alien. jud. mut.* suô, aut etiam alienô nomine, ut à commodatario, depositario, conductore & similibus res alienæ detinentur, *l. Officium 9. ff. de R. V.* cujus *V. fin.* ratio redditur; quòd hi quoque restituendi habeant facultatem: vel saltem res illas à Cajo possideri dolô desiisse, *pr. cit. & l. Sin autem 27.* §. 3. *ff. de R. V.* quia dolus pro possessore est: pariáque sunt, rem adhuc possidere, & possidere dolô desiisse, *l. Qui dolo 131. & l. Parem 150. ff. de R. J.* Quorum utrumque si Titius probet, ei Cajus condemnabitur, ut dictum. Si alterum non probet, iste, etiamsi nihil præstiterit, ab ipsius impetitione absolvetur, §. *Sane cit.* Perez *ad Rubric. cit. n. 6.* & Manzius *in cit.* §. 1. *V. Veluti si rem, Instit. de Action. num. 26.*

Pro rebus incorporalibus, quarum, licet non verum & proprie dictum, quasi dominium tamen & quasi possessio datur; ut sunt usufructus, itineris, actûs, viæ & aliæ servitutes, jurisdictio, dignitates, beneficia ac pensiones Ecclesiasticæ, pascendi, venandi, decimandi, conferendi, præsentandi & similia jura, proditæ sunt Rei Vindicationi affines eæque variæ Actiones Reales, præsertim Confessoria & Negatoria: quarum prior datur adversus eum, à quo quis ab ejusmodi juris usu impeditur, Wesenbec. *in ff. Si servit. Vindic. n.* 1. Manz. *in* §. *Aequè 2. Instit. de Actione Confessoria n. 19. & 23.* Eâ autem in judicio propositâ, ut quis sententiam pro 104.

tiam pro ſe ferat, ejusmodi jus, quod confitetur & ſibi competere aſſerit, uti & impedimentum libero ejus uſui obſtans, ab adverſario, ſive reo convento objectum, tanquam intentionis ſuæ fundamenta probare debet, Mynſing. in §. *cit. n. 28.* & Manzius *n. 26.* Poſterior ſive Negatoria ratione rei alicui, vg. prædii domino, competit adverſus alium, prætendentem & utentem aliqua ſervitute, vg. viæ,
105. aut alio jure in re illa, ſcilicet prædio, quod dominus aſſerit liberum, & prætenſæ ſervituti obnoxium eſſe negat, *citt.* Mynſinger in §. *Æque, V. Contra quoque n. 35.* & Manzius *n. 11.* Quâ actione in judicium deductâ, prædiũ à prætenſa ſervitute liberum pronuntiatur: niſi, viæ, aut aliam ſervitutem prætendens, hanc in eo conſtitutam, & ſibi deberi probet; cùm enim una quæque res eſſe libera à Jure præſumatur, donec eam ſervituti obnoxiam eſſe probetur, *l. Abea 5. §. 1. ff. de Probat.* non prædii dominus libertatem, ſed ejus adverſarius, quam prætendit ſervitutem, probare debet, *citt.* Mynſinger *n. 37.* & Manz. *n. 19.*

Jus ad Rem duntaxat, ſive perſonam ad aliquid dandum, faciendum ſeu præſtandum ſibi obligatam habentibus competunt Actiones Perſonales, ſive, ut etiam
106. vocantur, Condictiones. Quali actione, ſi Titius Cajum, ut vg. centum numeret, domum ædificet, damnum reſarciat, Petitoriô judiciô convenire velit, ne ab iſto per exceptionem repellatur, non ſolùm ea ſibi præſtandi obligationem, tanquam actionis ſuæ cauſam proximam, ſed cauſam quoque ejus remotam, ſive titulum ſpecificum, ex quo ea præſtandi obligatio orta eſt, ſcilicet venditionem equi, conductionem ejus operarum, aut alium contractum, vel quaſi contractum, damnificationem ſeu injuſtam læſionem, aut aliud delictum vel quaſi delictum libellô exprimere, *c. fin. de Libell oblat.* &, ut ad ea ſibi præſtanda Cajus condemnetur, tanquam intentionis ſuæ fundamentum probare debet, *arg. l. Quoties & l. Actor citt.* Hujusmodi Actiones Perſonales permultæ ſunt; quarum, uti & Actionum Realium ſingularum nomina atque explicationem LL. Interpp. præſertim ad *Rubric. cit. de Actionibus* plenâ manu dabunt.

ARTICULUS VI.

De Judice Poſſeſſionis & Proprietatis Cauſarum.

SUMMARIUM.

107. *Judex hujusmodi cauſarum, ſit eandem rem motarum, idem,*
108. *Sive Juris utriusque aperta definitiones,*
109. *Sive ratio & cauſarum connexarum continentia ſpectetur:*
110. *Niſi litigantes ordinis diverſi, unus Eccleſiaſticum, alter ſeculare forum ſortiantur.*
111. *De utraque cognoſcit, cui cauſa in genere;*
112. *Uti & cui Proprietatis ſola,*
113. *Poſſeſſionis tamen cauſâ non excluſâ, committitur;*
114. *Saltem, ſi iſtius cognitionem illa exigat,*
115. *De re ſpirituali in Petitorio judex Eccleſiaſticus eſt.*
116. *In Poſſeſſorio laicum eſſe poſſe, negantium,*
117. *Et affirmantium Opiniones, ac fundamenta.*
118. *Singularis expoſitio c. fin. de Judiciis.*
119. *Cùm reus clericus, judex Eccleſiaſticus eſt,*

120. Nisi

120. *Nullóque Jure admittitur Secularis.*
121. *Vetus & verus intellectus* c. fin. cit.
122. *Idem judex est Possessorij, mixtam habentis quæstionem Juris.*
123. *Cùm hæc non mixta, & reus est laicus, causa Mixti fori est:*
124. *De eáque etiam cognoscit judex Secularis,*
125. *Saltem ex consuetudine;*
126. *Quæ nec rationi.*
127. *Nec Juris textibus adversatur.*

107. UTramque hanc causâ, sive super ejusdem rei possessione ac proprietate in judicium deductas quæstiones non dividendas, sed ejusdem Judicis cognitioni definitioníque utramque relinquendam, clara definitio
108. est, Impp. Dioclet. & Maxim. *l. Ordinarij 13. C. de R. V.* & Constantini M. *l. Nulli 10. C. de Judiciis*, non solùm denegari audientiam, sed pœnam quoque judicis officiò infligi præcipiens, *Ei, qui alium super possessione, alium super principali*, sive Proprietatis, Glossa *in l. cit. V. Principali, quæstione judicem postulaverit.* Quæ rescripta Imperialia præ oculis habuit *c. 1.* relatus Gregorius M. dum Felici Siciliæ Duci rescribens ait, *Legali provisione decretum est, tam momenti*, sive possessionis, *quàm proprietatis causam sub uno eodémque judice de-*
109. *bere cognosci.* Juris utriusque clarissimis definitionibus non minùs perspicua ratio est partim; quia quæstiones & causæ illæ sunt connexæ: causarum autem connexarum continentia dividenda non est, per *textum cit. & c. Translato 3. de Constit.* partim verò; quia causa possessionis præparatoria est ad causam proprietatis, de qua agi non potest, antequam constet, uter ex litigantibus possideat: &, qui de illa cognovit, ad istius causam faciliùs terminandam est instructus; ac proinde cùm circa eandem rem utraque versetur, ut litium brevitati consulatur, *c. fin. de Dolo*, & parcatur litigantium laboribus atque expensis, *c. fin. de Rescript. in 6.* utriusque, judicem, cùm potest, eundem esse convenit, non tantùm, cùm utraque simul in judicium deducitur, sed etiam, quando finitâ, quæ de possessione erat, controversiâ, agitur super proprietate, ut cum Glossa *in c. 1. cit. V. Sub uno & in l. Nulli cit. V. eôdem* & Bartolo *ibid. n. 2.* docent Tuschus *Practic. V. Possessorium, conclus. 446. n. 5.* & aliis relatis Barbosa *in c. cit. n. 4.*

Hanc tamen ita firmatam Juris definitionem 110.
110. difficillimam reddit altera non minùs explorata decisio, *c. fin. de Judiciis*, quâ potestati Florentinæ super proprietate juris, inter Monasterium & communitatem Secularem controversa, cognitio judicialis denegata est: quantumvis super ejusdem juris possessione seu quasi, inter eadem controversâ, jam pronuntiârit. Eandem definitionem ancipitem reddit non contemnenda ratio; quia proprietas cum possessione nihil habet commune, *l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Adquir. possess.* & sæpe penes diversos ac separatæ reperiuntur, *l. 1. §. 2. ff. Uti possid.* ut propterea is, qui in judicio de possessione succubuit, si de proprietate litem moveat, rei judicatæ exceptione non repellatur, sed audiatur, *l. Et an eadem 14. §. fin. ff. de Except. rei judic.* Accedit; quòd proprietas & possessio diversimodè acquirantur, & amittantur; quia rei, vg. hæreditatis, proprietas aliquando solo animo acquiritur, *l. Cùm hæredes 23. ff. de Adquir. poss.* possessio autem, ut acquiratur, res verè aut fictè debet apprehendi, *l. Possideri 3. §. 1. & 21. l. Quod meo 18. §. 3.* Contra possessio solo animo amittitur, *l. Possideri cit. §. 6.* non etiam proprietas, *l.*

Si quà vi 17. §. 1. ff. de Adquir. poſſeſſ.

Sed rationis iſtius ea vis non eſt; ut in contrarium militanti prævaleat, & ab explorati Juris definitione perſuadeat receſſum; quantumvis enim poſſeſſio & proprietas, quoad naturâ, acquiſitionem, amiſſionémque, nihil habeant commune, & ſeparari poſſint, utraque tamen verſatur circa unam eandémque rem, quæ apta eſt, ut poſſideatur, & propria ſit alicujus: earúmque una cum altera connexa eſt quoad cognitionem judicialem; cùm, ut dictum, unius cognitio præparatoria ſit ad cognitionem alterius & judicem inſtruat ad alteram faciliùs & citiùs expediendam.

Non majorem vim *c. fin. cit.* in ſpeciem difficillima deciſio habet; quia procedit de caſu, quô actor & reus ſunt Ordinis diverſi; ut *in c. cit.* caſu communitas ex una, & ex altera parte Abbas cum Conventu: quorum illa Seculare, iſti Eccleſiaſticum forum ſortiebantur; ac proinde reſpectu iſtorum, ab illa ſuper proprietate conventorum, Florentina, utpote Secularis, poteſtas incompetens, imò omnino incapax judex fuit, per textus *c. Qualiter 17. de Judiciis*, *c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro compet. & c. Seculares 2. eâdem Rubr. in 6.* ut *in c. fin. cit.* cum Gloſſa *V. Proprietate*, advertunt Panormit. *à n. 14.* Felinus *n. 8.* & Barboſa *in c. 1. cit. n. 5.* Sed hinc

III. Dubium oritur, an ergo, delegatâ alicui causâ in genere, utraque tam poſſeſſionis quàm proprietatis cauſa delegata cenſeatur. Rationem dubitandi nonnemo deſumit ex *c. 1. §. Cæleſtinus, de Sequeſt. poſſ.* ubi judici, qui de poſſeſſione cognovit, etiam proprietatis cognitio ex ea tantùm ratione tribuitur; quòd ei utraque cauſa fuerit commiſſa; itaque tacitè innuitur, non per ſe, ſed ex ſpeciali delegantis mente, ab eodem utramque pertractari poſſe. Sed perperam & contra textum: quô de utraque poſſeſſionis & proprietatis cauſa cognitio delegato adſtruitur ex ratione; quòd cauſa *Abſolutè & indiſtinctè commiſſa fuerit, & ejus continentia dividi non debeat*; quibus verbis clarè deciditur, causâ in genere delegatâ, utramque delegatam cenſeri, ex mente, non tam ſpeciali perſonæ delegantis, quàm generali Juris ita diſponentis, *c. 1. & l. Nulli citt.*

Dubium ſecundò eſt, an judex, cui delegata eſt cauſa proprietatis, pronuntiare etiam valeat ſuper cauſa Poſſeſſionis. Negativa tradi videtur, *l. Si de proprietate 3. C. Si à non compet. judice*: ſecundùm quàm, ſi à judice, ad cauſam proprietatis datô, de poſſeſſione pronuntietur, id cauſæ illi non nocet. Ratio eſt; quòd reſcripta Juſtitiæ ſint ſtricti Juris, & non extendenda ad ea, quæ non ſunt expreſſa, per tradita, *Lib. 1. Tit. 3. à n. 105.* Confirmatur paritate judicis delegati ad cauſam poſſeſſionis, ut vg. ſuper moleſtationibus & infeſtationibus cognoſcat: quem de proprietate cognoſcere non poſſe, à DD. eſt receptum & expreſsè traditur à Gloſſa *in c. 1. V. Indiſtinctè.* III

Sed hac in re opus eſt diſtinctione; vel enim proprietatis cauſa ita delegata eſt, ut ſolam eam, poſſeſſionis causâ excluſâ, commiſſam ex reſcripti tenore colligatur: vel, etſi ſola quidem illa ſit expreſſa, hanc tamen reſcripti tenor non excluſerit? Si prius, ſolius proprietatis definitionem delegato competere, res eſt explorata; quia fines mandati diligenter cuſtodire delegatus debet, & egredi non poteſt, *c. Cùm dilecta 22. de Reſcript. & l. Diligenter 5. pr. ff. Mandati* Si poſterius, de illa ſive poſſeſſionis cauſa cognoſcere poterit ſaltem, quando hæc acceſſoria & ad proprietatis cauſam diſcutiendam neceſſaria eſt; quòd, non præmiſſô judicio poſ-

ciô possessoriô, non constet, uter litigantium rei vel actoris sustineat partes, & probandi onere gravetur vel sublevetur, Menoch. *Recup. remed.* 15. *n.* 368.

Ne autem cum hac resolutione, *l. Si de proprietate cit.* pugnet, eam de casu, quô proprietatis causa specialiter & sola expressè commissa est, intelligunt Barbosa & Gonzalez *in c. ad ultimum* 2. uterque *n.* 2. Quô casu de possessione à delegato pronuntiari non posse, etiam advertit Bruneman *in c. cit. n.* 4. cùm *n.* 1. monuisset, ejusmodi judicis dati sententiam, *l. cit.* pro invalida haberi, si non de proprietate, sed de possessione tantũ sit pronuntiatum. A vero etiam non aberraret, qui cum Glossa *in c. Pastoralis* 5. *V. Requisitus*, & Panormit. *ibid. n.* 11. *l. cit.* plus non asseri vellet, quàm ab ejusmodi delegato super possessione latam sententiam proprietati ideo non obstare; quòd super illa, sive proprietate agere possit is, contra quam in Possessorio est pronuntiatum.

Minùs obstat paritas cum delegatione causæ possessionis, aut Regula, quâ delegatus, postquam sententiam tulit, officiô suô functus esse dicitur; quia ea paritas non subest; cùm proprietas, utpote dignior, ad se trahat possessionem, & hæc illam sequatur: non vice versâ possessio ad se trahat proprietatem. Regula autem illa exaudienda est de sententia lata super tota causa, & non super una tantùm ejus parte, *c. Ex literis* 9. *de Offic. deleg.* Pirrhing. *ad hanc Rubr. n.* 21.

115. Dubium tertiò &, sicut momenti maximi, ita difficillimæ resolutionis controversia inter DD. est de judice causarum, super rerum spiritualium & spiritualibus annexarum, vg. matrimonii, decimarum, juris patronatûs quasi possessione in judicium deductarum. *Super quasi possessione*, inquam; quia controversiarum, super ejusmodi rerum proprietate motarum, cognitionem soli Ecclesiastico judici competere, *c. Decernimus c. Quanto* 3. *de Judiciis*, *c. Suam* 3. *de Ord. cognit. &c.* decisum & dictum est, *Tit.* 2. *n.* 98.

Eidem judici Ecclesiastico soli con- 116.
troversiarum, super spiritualium hisque annexarum rerum juriúmve quasi possessione motarum, cognitionem competere, cum Ant. de Butrio *in c. fin. de Judiciis n.* 20. Ripa *in c. Decernimus cit. num.* 17. & TT. frequentiori calculô id propugnantibus, probabiliter omnino defendunt Guttierez *Canon. QQ. Lib.* 1. *cap.* 34. *à n.* 26. Garcias *de Benefic. p.* 1. *cap.* 2. *à n.* 50. Moneta *de Decimis cap.* 8. *q.* 1. *n.* 11. Martha *de Jurisdict. p.* 4. *cent.* 1. *casu* 24. Barbosa *Jur. Eccles. Lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *n.* 173. & 177. multis aliis DD. ex more congestis, & novissimè Ranbeck *Panoplia Immunit. disp.* 2. *cap.* 5. *à n.* 9.

Moventur partim Jure, *c. Decernimus cit.* cujus textu, tam possessorium, quàm petitorium rei spiritualis in foro Ecclesiastico intentandum disertè statui, asserit laudatus Ranbeck *n.* 10. *Clement. Unic. de Sequest. poss.* quâ, ut idem ait, supponitur, causam possessionis coram judice Ecclesiastico ventilandam, & *Clement. fin. de Judiciis*, ubi, præstationem decimarum urgeri posse, asseritur, propositis censuris Ecclesiasticis, quas ferre nequit potestas Secularis: partim ratione; quia Imprimis causæ rerum spiritualium in petitorio, sive cùm de proprietate controversia est, cognitio ad judicem Ecclesiasticum solùm spectat, *citt. c. Decernimus, c. Quanto &c.* Cùm ergo causarum connexarum continentia dividenda non sit; ut, qui de illarum una cognovit, cognoscere etiam debeat de altera, *c. 1. & l. Nulli citt.* judex Ecclesiasticus cognoscere solus poterit de causa possessionis. Deinde; quia possessio rei spiritualis etiam

ipsa

ipsa est spiritualis; cùm, si justa sit, involvat jus eam detinendi: quod non minùs spirituale est, quàm ipsa proprietas rei spiritualis. Demum; quia in possessorio rei spiritualis exhibendus est titulus, sive causa possidendi, ut cum Decio *in l. fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.* & aliis observat Steph. Gratianus *Discept. Forens. cap. 238. n. 9.* cujus causæ sive tituli cognitio cùm competat soli judici Ecclesiastico, ad hunc etiam causæ possessionis discussio pertinebit. Confirmat ista; quòd consideratis omnibus, quæ in contrarium allegari possunt & solent, si non certum maneat, saltem dubium reddatur, an causæ rerum spiritualium hísque annexarum in Possessorio fori Ecclesiastici propriè sint; ac proinde locus sit Regulæ, quòd in dubio, an jurisdictio ad illud vel Seculare forùm pertineat, illud tanquam dignius semper sit præferendum: quam agnoscunt Felinus *in c. Pastoralis 14. de Rescript. num. 4.* Jason *in l. Ex quacunque 2. ff. Si quis in jus voc. n. 19.* & Carol. de Grassis *Effectu Clericat. 1. n. 1261.*

117. Hujusmodi Judicia possessoria, sive de spiritualium hísque annexarum rerum quasi possessione ortas controversias, in foro etiam Seculari agitari posse, cum Guidone Pap. *Decis. 1. n. 149.* & Boërio *Decis. 69. n. 23.* contendunt Interpp. & DD. alii magno numero relati *à citt.* Barbosa *n. 161.* asserente, eorum doctrinam, præcipuorum Europæ tribunalium praxi receptam, itáque firmatam, ut Herculi clavam extorquere facilius sit, quàm ex ejus Assertorum mentibus evellere hanc Opinionem. Nituntur etiam ipsi Jure & Ratione.

Ex illo sive Jure allegant Imprimis *c. Causam 7. Qui filii legitimi*, ubi relatô rescriptô Alexander III. disertis verbis, *Nos*, inquit, *attendentes, quòd ad Regem pertineat, non ad Ecclesiam de possessionibus judicare, mandamus quatenus Regi possessionem relinquentes de causa principali cognoscatis.* Deinde *can. Petimus, 11. q. 1.* quô relatô Concilii Carthaginensis III. decretô Episcopus, qui plebem alienam, Episcopalem jurisdictionem in eam extendendo, invaserat, relinquere contempsit, Principis Secularis Judiciaria potestate fuit compulsus. Demum & præcipuè, *c. fin. de Judiciis*, ubi Potestas Florentina, sive istius Civitatis Magistratus Secularis de possessione vel quasi juris eligendi Rectorem castri de Signa, inter Abbatem & Conventum S. Mariæ ex una, & loci communitatem ex altera parte, controversâ pronuntiavit, luculentô argumentô curiæ Secularis competentis cognitionis causarum super possessione vel quasi rerum Spiritualium in judicium deductarum. Quod argumentum, qui eludere conantur asserendò, *l. cit.* textu agi de jure eligendi merè temporali, spectante electionem Rectoris, non Ecclesiastici, vg. Parochi, sed policiti & Secularis, confutari nonnemo existimat ipso textu; quòd, si istô de jure eligendi Rectorem Secularem sermo esset, potestas Florentina Secularis de proprietatis quoque, non solius possessionis causa cognoscere potuisset, neque pro istius discussione ad curiam Ecclesiasticam fuisset recurrendum, arg. *cc. 1. hâc Rubr. & de Sequestr. possess.*

Ratio, quâ moventur, unica est; quia causa possessoria rei spiritualis non est spiritualis, hôc ipsô; quòd talis non sit rei spiritualis possessio; cum per actus merè temporales rei, scilicet apprehensionem, molestationem, detentionem, nihil spiritualitatis continentes acquiratur, turbetur, auferatur.

Inter has Opiniones, licet prima tutior sit, mediam tamen & satis etiam tutam viam incedunt alii, adhibitâ & à nobis

nobis, *Tit.* 10. *n.* 15. approbatâ geminâ distinctione. Unâ inter litigantes: alterâ inter ipsas possessionis causas. Et primò quidem, cùm litigantium uterque, vel saltem reus conventus clericus, aut alia persona, locus, vel communitas Ecclesiastica est, causæ possessoriæ cognitionem ad solum Ecclesiasticum judicem spectare, res est Juris omnino explorati, *c. Nulla* 2. *c. Si quis contra* 4. *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet. & c. Seculares* 2. *Ibid. in 6.* secundùm quos textus, tali casu judex Ecclesiasticus jurisdictionẽ, non in causa duntaxat, sed in persona quoque, fori Ecclesiastici privilegiò munitâ, fundatam habet, ut cùm TT. Canonistis & ipsomet Guidone, *Consil.* 258. Berojo *in Rubr. de Judiciis n.* 15. & aliis DD. antiquioribus tradunt Farinac. *Prax. Criminal. q.* 8. *num.* 2. & Oliva *de Foro Eccles p.* 1. *q.* 8. *n.* 64. *& 65.* ubi cum Covarr. *Practic. cap.* 35. *n.* 2. §. *Verùm*, hanc verissimam, ejúsque contrariam Opinionem omni legum & Canonum, adde & rationis, auxiliò destitutam vocat.

Pro ista profectò apertè non facit allata ratio; cùm personæ & loca Ecclesiastica etiam in causis temporalibus, specialiter non exceptis, Ecclesiasticum forum sortiantur *cc. citt.* Ex Jure etiam nostro pro ea allegati textus, ut prima fronte magnam ostentent, animò tamen in veritatem intentò lecti & æquâ lance ponderati omnem vim amittunt.

120. Primò enim locò adductus ad rem non est; quia *c. Causam cit.* textu possessiones, super quibus orta controversia Regiæ cognitioni adstruitur, non rerum spiritualiũ hisve annexarum, sed merè temporalium, puta castrorum, prædiorum, villarum, fundorum &c. fuit. Imò eò possessionum nomine ipsa castra, villas, prædia, fundos &c. denotari, & super his inter laicos ortarum quæstionum discussionem judicialem Regiæ Curiæ stabiliri, cum *citt.* Guttierez *n.* 28. & Barbosa *n.* 178. rectè observant laudatus Rambeck *num.* 20. & Haunold *Tom.* 1. *de J. & J Tract.* 1. *n.* 269.

Aliquam in speciem, re ipsa nullam vim etiam habet, *can. Petimus cit.* quia hôc locô potestas sive brachium Seculare fuit imploratum: non ab ea super causa recuperandæ possessionis plebis judicialiter pronuntiatum, ut cum Menoch *Recup. remed.* 15. *n.* 213. & Guttierez *cit. n.* 27. notat Barbosa *cit. n.* 178. quorum expositioni non adversantur verba, *Authoritate Judiciaria*; quia Rectorem provinciæ Judiciariam potestatem appellatum: eúmque, ut Episcopum quasi possessione alienæ plebis, quàm à Concilio Carthaginensi restituere jussus jam erat, judiciariâ authoritate, sive vi deijceret, requisitum, notat *idem* Haunold. *n.* 267.

Minùs ad rem: imò æquô mentis 121.
oculô lectũ intellectúmque omnino nihil confert, quô adversa pars maximè nititur, *c. fin.* quia istô sermo est, non de possessione alicujus spiritualis, sed merè prophani juris eligendi Prætorem, seu Præfectum castri politicum & Secularem, ut *ibi* cum Glossa *V. Promulgârunt*, Hostiens. Innocent. *pr.* Panormit. *n.* 9. Berojo *in Rubr. de Judiciis num.* 6. Ecclesiastici Juri interpretibus principalibus agnoscunt Menoch. *Recup. remed.* 15. *n.* 217. Covarruvias *Practic. cap.* 35. *n.* 1. §. *secundò*, Garcias *p.* 1. *de Benef. cap.* 2 *n.* 48. Guttierez *Lib.* 1. *QQ. Canon. cap.* 34. *n.* 19. & Barbosa *cit.* §. 2. *n.* 177. & *in c. fin. cit. in Select. n.* 3. & ex ipso textu liquet, cùm; quia istô agitur de Jure eligendi Rectorem castri, non parochiæ, vel alterius Ecclesiæ: & de istius Rectoratu aliarum Præturarum & præfecturarum instar temporaneo duntaxat: non ut Parochiarum, aliarúmque Ecclesiarum Rectoratus, tanquam beneficia Ecclesiasti-

ca propriè accepta, de Jure sunt, *can. fin. dist. 70.* perpetuo, ut clarè produnt verba, *Ut tempus regiminis electi inutiliter elabatur:* tum verò; quia in memorati castri Rectorem, non clericum aliquem, sed laicum electum, indubitatum est ex rescripti Apostolici *c. cit.* relati tenore pleniore, quò ab Abbate & Conventu electum habetur *Nobilem* virum D. Vinciwerra, epithetò, in literis Apostolicis virũ aut juvenem sanguinis splendore vel dignitate aliqua Seculari conspicuum denotante, ut receptò Curiæ stylò docemur. Unde, qui *c. fin. cit.* de spiritualis juris possessione actum volunt, erroris ex ipso, quò nituntur, textu convincuntur, & perperam se fundant in eo; quòd de Juris illius proprietate cognoscere non potuerit potestas Florentina Secularis; quia hoc non ob illius spiritualitatem, sed ideò non valuit; quòd Abbas cum suo Conventu, qui in Possessorio fuit actor, & sententiam pro se tulit, in Petitorio, quò de illius juris proprietate agendum erat, fuerit reus; ac proinde coram Ecclesiastico, non coram Seculari judice conveniendus, arg. *c. Nullus c. Si diligenti &c. citt.* junctò, *c. Cùm sit generale 8. de Foro compet.* ut cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 15.* & aliis DD. *citt.* notat Pirrhing *ad Rubric. de Judiciis n. 81.*

122. Secundò, de rei spiritualis quasi possessione, quoties ejus causa admixtam habet quæstionem Juris in judicio discutiendam, & justificandus est ejus titulus, ut ferè semper accidit, cùm ad rei spiritualis, aut huic annexæ quasi possessionem primùm adipiscendam agitur, solus judex Ecclesiasticus cognoscere potest, etiamsi reus conventus laicus sit, ut cum Panormit. *in c. Literas 2. de Juram. calum. n. 8.* Berojo *l. cit. n. 15.* & aliis Interpp. docent *citt.* Covarruvias *cap. 35. num. & conclus. 1.* Guttierez *n. 4.* Menoch. *n. 235.* & id Jure omnino indubitatum, asserens Oliva *cit. q. 8. àn. 56.* Ratio est; quia causa involvens quæstionem juris spiritualis, & justificationem tituli est spiritualis, hôc ipsô; quod titulus & jus detinendi rem spirituale sit spirituale.

123. Tertiò, si verò causa ejusmodi possessoria juris quæstionem admixtam non habeat, ut fieri solet, cùm intentatur possessorium retinendæ vel recuperandæ, & litigantium uterque, vel saltem reus conventus laicus est, de ea cognoscere judex etiam laicus potest, secundùm sententiam *citt.* Menochii *n. 212.* Guttierez *n. 17.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 8. n. 25. & 150.* Canisii *in c. fin. cit. de Judiciis n. 8. & de Decimis cap. 18. n. 13.* & aliorum, relatorum à Barbosa *cit. §. 3. n. 172.* & Sperello *Decis. 8. n. 54.* eam non obscurè amplectente *n. 55. Potest*, inquam, non *Debet*; quia causas hujusmodi possessorias fori Mixti; ac proinde locum præventioni esse, & laicum vg. super turbatione vel spoliatione quasi possessionis decimarum coram judice etiam Ecclesiastico conveniri posse, hactenus *citt.* & cæterorum DD. de Ecclesiæ potestate rectè sentientium constans est doctrina: pro qua, præter eam, quæ ex connexione hujusmodi possessorii cum proprietatis causa petitur, ea etiam ratio facit; quòd Ecclesiam in quasi possessione, vg. juris decimandi turbans, & præsertim eâ spolians, reus sit Sacrilegii, ut cum Panormit. *in c. Literas 2. de Juramento calumn. n. 8.* Berojo *cit. n. 15.* Menoch. *cit. Remed. 15. n. 107.* & aliis Castro *de Manu Reg. p. 2. cap. 24. n. 15.* agnoscit: Sacrilegii autem Crimen fori Mixti, ac proinde Ecclesiastici judicis cognitioni obnoxium sit, *c. Cùm sit 8. & c. Conquestus 16. de Foro compet.*

124. Quòd autem de ejusmodi causa cognoscere judex etiã Secularis valeat, probationem

batione aliqui ex variis *cc.* conantur eruere. Sed nequicquam; cùm, sicut ei contraria, sic ipsa etiam claro aliquo Juris textu non sit expressa, ut eruditè
125. ostendit *cit.* Haunold. *à n. 265.* Unde pro ea meliùs argui inde potest; quòd, an de ejusmodi causis possessoriis Secularis judex cognoscere possit, dubium sit, ut, qui id negant, ipsimet non inficiantur. Cùm ergo ex una dubii Juris interpres optima sit consuetudo, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* &, quàm ista dat, declaratione standum sit, ut ex communi asserit Marian. Socinus *Lib. 3. Consil. 105. n. 21.* ab eáque præsentis controversiæ decisionem non parùm pendere, ex Florentissimæ Universitatis nostræ TT. censeat Haunoldus *l. cit.* & ante hunc Tannerus *Disp. 5. de Relig. q. 3. dub. 2. n. 41.* ex altera verò parte, celebriorum totius Europæ & Germaniæ etiam nostræ curiarum praxis seu consuetudo ejusmodi causarum cognitionem, cùm reus laicus est, Secularibus etiam judicibus permittat, idem in dubio etiam de Jure obtinere, est asserendum. Confirmatur hæc ratio & resolutio; quia de re etiam spirituali & huic annexa mota controversia possessoria, quæstionem juris admixtam non habens, non videtur esse spiritualis, sed temporalis; cùm vg. exactio, præstatio, negatio, occupatio decimarum, præsentatio clerici à laico facta & istius neglectus, per quos actus juris decimandi vel patronatûs quasi possessio acquiritur, retinetur, turbatur, amittitur, sint actus merè temporales, & in facto consistant, *l. 1. §. 3. in fine. ff. de Adquir. poss.* Covarruvias *in Reg. possessor p. 2. pr. n. 1.* de facto autem à spiritualitate abstractô, non appareat, cur cognoscere nequeat judex Secularis; cùm possessio cum proprietate nihil habeat commune, *l. Naturaliter 12. ff. eâdem Rubric.* & Facti atque Juris quæstiones sint omnino diversæ, Jason *in l. Quoties 3. C. de Judiciis* & Ripa *in c. Decernimus cit. n. 17.* Unde in contrarium allata ratio secunda cum confirmatione evanescit.

Non difficilior est prima, eâque al- 126.
legata continentia causæ, partim; quia agi potest solô possessoriô Retinendæ vel Recuperandæ, vg. cùm parochus in quasi possessione juris decimandi, quod ipsi competere constat & nemo negat, se esse, aut fuisse, in eáque turbatum, aut spoliatum queritur, & restitui petit, Canisius *c. cit. n. 6. & 7.* partim; quia, si casu, quô de possessione & proprietate rei temporalis lis est, prioris causâ in foro Seculari terminatâ, de posteriori in Ecclesiastico agi, itáque causæ continentia dividi potest & debet; cùm super ista conventus clericus est, per text. *c. fin. cit. & dicta n. 121.* quid obstat, quô minùs, rei spiritualis possessoriô in Seculari finitô, causa proprietatis, non obstante continentiâ, in foro Ecclesiastico discutiatur? cùm, sicut priori reus persona Ecclesiastica, sic posteriori casu res, de qua agitur, Ecclesiastica sit, & non obnoxia foro Seculari? ut rectè arguit *cit.* Haunold *n. 262.*

Satis etiam expedita responsio est ad tertiam; quia, esto in ejusmodi possessorio exhibendus & probandus sit titulus, saltem coloratus (quod tamen semper necessarium negat Panormit *in c. In literis 5. de Restit. Spoliat. n. 12.*) hoc tamen non obstat judici Seculari: qui, etsi cognoscere nequeat de tituli veritate & viribus, de ipsius tamen coloratione, cùm in facto consistat, cognoscere non prohibetur in multorum sententia, quam Menoch. *Retinend. remed. 3. n. 334.* & Farinac. *q. 8. n. 23.* & apud hos alii defendunt.

Minùs, quàm rationes obstant in 127

contrarium allati textus; quia Imprimis, *c. Decernimus & Clement. fin. citt.* Possessorii neque verbô quidem mentio fit: sed priori solummodo cavetur; ne laici Ecclesiastica negotia tractare præsumant: cujusmodi negotium propriè sumptum causa possessoria juxta dicta non est, si juris quæstionem non habeat admixtam: posteriori verò, decimarum debitores ad earum solutionem compelli quidem posse dicuntur per censuras: non tamen excluduntur alia remedia, quibus earum debitores laici à Seculari judice compellantur. Deinde *Clement. unic. cit.* agitur de sententia super beneficiis lata contra clericos: quos, tam in judicio Possessorio, quàm in Petitorio, in foro tantùm Ecclesiastico conveniendos esse, jam est dictum.

ARTICULUS VII.

De earundem Causarum Ordine & Cumulatione.

SUMMARIUM.

128. *Possessorium regulariter:*
129. *Secundum aliquos semper Petitorio præmittendum est.*
130. *Verùs hoc cum Adipiscendæ & Recuperandæ Possessorio cumulari potest,*
131. *Si quis utrumque judicium subire simul velit.*
132. *Sententiæ in utroque latæ vis.*
133. *Petitorii cum retinendæ Possessorio cumulationem reijcientium,*
134. *Eámque admittentium Opinio verior,*
135. *Spectatô Jure & ratione.*
136. *Utrôque cumulatô simul pronuntiatur de utroque:*
137. *Nisi de altero tantùm liqueat.*
138. *In executione prævalet sententia lata in petitorio.*
139. *Ab isto ad Possessorium transire,*
140. *Etiam in secunda instantia licet,*
141. *Et potest sine libelli mutatione,*
142. *Ante, non etiam post conclusionem in causa:*
143. *Nisi transitum gravis ratio suadeat.*

PLerumque priùs de Possessionis, quàm Proprietatis causa cognoscendum, patet ex *l. Incerti 2. C. de Interdictis:* idque; ut constet, quis actor sit vel reus; quia in Possessorio victor rei partes agit in Petitorio, & probandi onus reijcit in adversarium: qui, si rem esse suam aut injustam alterius possessionem probare nequeat, causâ cadit, §. *Retinendæ 4. V. Commodum, Instit. de Interdictis.* Ubi

129 Dubium & controversia inter DD. est, an Possessionis & Proprietatis causæ, sive, ut loquuntur, judicium Possessorium & Petitorium possint cumulari; ut actor eundem reum super ejusdem rei possessione & proprietate convenire simul possit; hoc enim cum Bartolo *in l. Naturaliter 12. §. Nihil commune 1. ff. de Adquir. possess. n. 14.* aliqui generaliter negant propter textus *l. Incerti cit. l. Ordinarij 13. C. de R. V. & l. Si de vi 37. ff. de Judiciis*, secundùm quos, ortâ possessionis & proprietatis lite, priùs possessionis quæstio decidenda? dein probationes dominii sive proprietatis recipiendæ sunt ab eo, qui in possessorio est victus, §. *Retinendæ cit.* ubi actio in petitorio institui non posse dicitur, nisi exploratum sit, utrius sit possessio: & demum propter *l. Nemo 43. ff. de R. J.* cujus §. 1. quoties ejusdem rei nomine plures actiones concurrunt, unâ quem experiri debere, asseritur,

Nihilo-

130. Nihilominus cum Petitorio judicia Possessoria, saltem adipiscendæ & recuperandæ possessionis, cumulari de Jure posse, cum Innocentio in *c. Pastoralis 5.* & Bartolo §. *Nihil cit. n. 14.* rectè defendunt Menoch. *Adipisc. remed. 4. n. 517. & Recup. remed. 1. n. 113.* Hunnius *Vol. 1. in Treutl. disp. 12. q. 45.* & Gonzalez, *in c. Cùm dilectis 6. hâc Rubr. n. 14.* id desumentes *ex c. Pastoralis cit.* cujus *V. Consultationi*, Innocentius III. decernit, ab eo, qui rem tanquam suam vindicare cæpit, possessoriô adipiscendæ & recuperandæ agi posse, antequam in causa sit conclusum. Idem colligitur ex *c. Cùm super 4. c. Cum dilectis cit. Clement. unica hâc Rubr. & c. Significaverunt 46 de Test. & attest.* quibus aliisque Juris Ecclesiastici textibus possessorium cum petitorio in idem judicium est deductum: ex *l. Cùm fundum 18. ff. de Vi armata*, secundùm, cujus §. *fin.* judiciô, quod de proprietate est, sive petitorio pendente, interdicto *Unde vi*, quod recuperandæ possessorium est, agi potest: & *ex l. 1. §. 4. ff. Quod legatorum* verbis, *Bellissimè Arrianus scribit, hæreditatis petitionem*, quæ proprietatis, *instituendam & hoc interdictum Unde vi*, quæ possessionis causa est, *reddendum.* Ratio est; quia hôc pactô, cùm ex duabus causis quodammodo fiat una, diminuuntur lites: pro quo judici magnopere laborandum est, *c. finem 5. de Dolo & l. Properandum 13. C. de Judiciis.*

131. Ex prioribus sive in contrarium allegatis textibus aliud non infertur, quàm possessionis quæstionem priùs discutiendam casu, quô neuter litigantium in se recipere vult onus probandi; quòd, sicut de proprietate, sic & de possessione uterque contendat; tali enim casu, ut constet, cui probatio incumbat, utique priùs discutienda est quæstio possessionis, §. *Retinenda cit.* Non etiam casu, quô actor (etsi spoliatus, qui restitutionem petere ante omnia posset) possessionis & dominii in se recipit probationem, Vallens. *ad hanc Rubric. §. 4. n. 5.*

Neque cum his pugnat *l. Nemo cit. §. 1.* quia Possessorium & Petitorium sunt duo judicia diversa: & ad diversa, unum scilicet ad possessionem, alterum ad proprietatem evincendam tendunt; & propterea, unum intentans, non hôc ipsô alteri renuntiare censetur. Neque, ut aliqui 132. opponunt, sententia in uno lata inutilem reddit alterâ partim; quia, qui in utroque obtinuit, tam possessionis quàm dominii commoda consequitur. Contrà, qui obtinuit in solo possessorio, solius possessionis, non etiam dominii, commoda consequitur: &, qui in solo Petitorio obtinuit, non hôc ipsô præteriti temporis fructus consequitur, ut *in c. Cum dilectis cit.* cum Fermosino *q. 1. n. 14.* advertit Gonzalez *n. 18.* partim; quia sententia lata in possessorio exceptionem rei judicatæ in petitorio non parit, *l. Et an eadem 14. §. fin. ff. de Except. rei jud.* sed solummodo onus probandi transfert in eum, qui est victus, *l. Exitus 35. ff. de Adquir. poss.*

Dubium secundô & major contro- 133. versia est, an Petitorium cumulari etiam valeat cum Possessorio Retinendæ. Quod negantium Opinio, à Juris Interpp. teste Menochio *Retinendæ remed. 3. n. 512.* communiter recepta, fundatur partim *in c. Pastoralis cit.* ubi laudatus Innocentius Papa, pro petitorii cum possessorio adipiscendæ & recuperandæ cumulatione rescribens, subjicit verba, *Aliis possessoriis judiciis in suo robore duraturis:* quibus, dum in petitorii cum cæteris, scilicet Retinendæ possessionis interdictis, cumulatione aliud obtinere ait, istorum cum illo cumulationem non obscurè rejicere videtur: partim in repugnantia hujusmodi cumulationis; quia ex una, actiones con-

trariæ cumulari nequeunt, *l. 1. C. de Furtis:* ex altera verò parte, Rei Vindicatio, imò generaliter Petitorium & retinendæ Possessorium actiones & judicia contraria sunt; qui enim agit interdictò retinendæ, fatetur se possidere, & per adversarium in possessione turbari: qui verò rem vindicat, asserit adversarium possidere, ac proinde, se non possidere, tacitè fatetur; cùm ei, qui possidet, actio in rem non detur, §. *Æquè 2. V. Quod genus, Instit. de Action. & l. Qui petitorio 36. ff. de R. V.* Glossa *in c cit. V. Quod de recuperanda.*

134. Sed verisimiliùs etiam hæc judicia cumulari aliquando posse, admittit Cynus *in l. Ordinarij cit.* quem præter alios Fachineus *Controvers. Lib. 8. cap. 6.* Petr. Barbosa *in l. Si de Vi 37. ff. de Judiciis à n. 384.* Zœsius *ad hanc Rubric. n. 6.* & Vallens. *ibid.* §. *& n. 4.* secuti sunt, propter

135. textus *c. Cùm super & c. Cùm dilectis citt.* quibus Petitorii & Possessorii cumulatio conceditur sine exceptione, & ullâ inter Interdicta distinctione: & *l. Naturaliter cit.* quâ interdictum *Uti possidetis* sive possessionis retinendæ dilertè conceditur ei, *Qui capit vindicare.* Ratio est; quia hoc contingit, si contra naturaliter possidentem agatur rei Vindicatione & simul Interdictò retinendæ possessionis Civilis, quam penes se actor esse contendit: quod fieri sine ulla repugnantia potest; cùm eandem rem ab uno naturaliter, ab altero civiliter possideri, non repugnet. Imò Valensis *cit. n. 4.* cum Petitorio cumulari posse vult interdictum retinendæ à naturaliter simul & civiliter possidente contra eum, qui rem detinet tantùm, vg. depositarium, vel commodatarium, utpote habentes facultatem rei restituendæ, *l. Officium 9. ff. de R. V.* Eôdem modò clericus Petitorium cum Possessorio retinendæ intentare poterit contra laicum, dignitatem, vel beneficium, aut aliud jus Ecclesiasticum, in laicum de Jure non cadens, detinentem. Unde ratio in contrarium deducta corruit.

Neque urget *c. Pastoralis cit.* textus; quia istô Papa Possessorii retinendæ ideo non meminit; quòd de eo non fuerit consultus. Neque refert; quòd addiderit verba, *Aliis possessoriis in suo robore duraturis*, quæ vindicationem sui naturâ præcedunt; quia intelligi possunt de casu, quô unus idémque non suscipit probationem utriusque, tam proprietatis, quàm possessionis, Zœsius *in Rubr. ff. de Interdict. num. 10.*

Dubium tertiò est de pronuntiatione super causa Possessionis & Proprietatis in judicio cumulata: quô casu, si de utraque liqueat, utraque unâ sententiâ terminanda est, *c. Cum dilectus 6.* ita tamen; ut, licet unô eodémque tempore super utraque pronuntietur, ea, quæ de possessione est, alteram immediatè antecedat; &, licet in rei veritate, sicut causæ sive articuli, quos concernunt, sic etiam ipsæ duæ & diversæ sint, propter unitatem tamen temporis & chartæ, ex qua recitantur, una eadémque sententia esse videatur, ut Vivianus in *c. cit. & in c. Cum dilectus 2. de Ord. cognit. V. Eadem monet.* Ratio est; quia, licet utraque causa cumuletur, ordinariè tamen priùs discutienda est causa possessionis, quàm proprietatis, *c. Ad ultimum 2. & l. Ordinarij cit.* ac proinde idem, qui in cognitione, etiam in pronuntiatione ordo observandus: nisi de altera tantùm vg. de possessione liqueat; hôc enim casu de ista tantùm, Petitorio interim suspensô, poterit pronuntiari, *c. Ad ultimum cit.*

Aliter, quàm in pronuntiatione, proceditur in executione; in hac enim prævalet proprietas; quia, licet ordine posterior, potior tamen & efficacior est sententia, lata super proprietate; ut eam, quâ super

super possessione pronuntiatum est, & principalem istius effectum absorbeat; quia victor in Petitorio possessionem ad se trahit; cùm res ei restituenda sit ab eo, qui in solo Possessorio vicit, Panormit. *in c. cit. n. 10.*

139. Dubium quartò est, an agens Petitoriò, si difficilem experiatur dominii seu proprietatis probationem, ad Possessorium vg. possessionis à spoliatore recuperandæ recurrere possit, postquam lis contestata & aliquousque jam processum est in causa: ut, dum possessionis causa discutitur, Petitorium sive proprietatis causa suspendatur. Ratio dubitandi est; quòd post litem contestatam mutari nequeat libellus, *l. Edita 3. C. de Edendo*; & actio proposita priùs ad finem perducenda sit, quàm ad aliud procedatur, *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex* &c.

140. Sed istius rationis vim enervat decisio Juris utriusque, judicii Petitorii priùs intentati, antequam allegationibus & probationibus renuntiatum & in causa conclusum sit, suspensionem & transitum ad Possessorium difertè permittentis, *c. Pastoralis cit. c. Significaverunt 36. de Test. & attest. & l. Cùm fundum 18. §. 1. ff. de Vi armata*: quod non solùm in temporalibus & prophanis, sed in beneficialibus quoque causis: neque solùm in prima, sed in secunda quoque instantia & causâ per appellationẽ ad sedem Apostolicam devolutâ, procedere, *Clement. unicâ* habetur, & ibi notat Barbosa *n. 2.* Ratio est; quòd, Petitorium intentans, Possessorio non hôc ipsô renuntiârit; cùm proprietas & possessio nihil habeant commune, *l. Naturale & §. Nihil cit.* Accedit; quòd ex una, ordinariè possessorium tanquam præparatorium priùs intentetur, *l. Exitus cit. & l. 1. § fin.* ibi, *Ut superiora interdicta, ff. de Aqua quotid. & æst.* ex altera verò parte, res facilè ad suam naturam revertatur.

Neque hujusmodi transitu mutatur 141.
libellus, sed ei solùm aliquid additur: &, si mutaretur, hoc fieret in casu, Jure expresse permisso *text. citt.* & de re, ante litem contestatam competente, & ad obtinendam victoriam in causa proprietatis conferente; ac proinde obnoxia mutationi, per tradita de mutatione Libelli *Tit. 3. à n. 24.*

Neque obstat *Auth. cit.* quia transiens ad possessorium, id non facit animô tergiversandi, quod ibi vetatur: sed ex justa causa; ne scilicet deficiens in probatione omnino cadat causâ: útque probans possessionem saltem obtineat in possessorio, & proprietatis probatione relevetur, *citt.* Vallens. *n 8. in fine* & Zœsius *n. 13.*

Dixi tamen, *Ante conclusionem in* 142.
causa; quod in præcedentibus resolutionibus subintelligendum est; quia ad Possessorium transitus & istius cum Petitorio cumulatio post illam non permittitur *c. Pastoralis cit.* cùm; ne lites litibus implicentur, & ex ipsis jurgiis jurgia oriantur, viáque aperiatur fraudibus, *c. cit. & l. Terminatò 3. C. de Fruct. & litis expens.* quia, si cumulatio eò jam progressis permitteretur, advertentes se in Petitorio deficere, Possessorium intentarent, itáque, litem ad finem jam perductam instaurandô, reum novis laboribus & expensis fatigarent: tum verò; quòd per conclusionem in causa litigantes saltem Facti allegationibus renuntiâsse videantur, *c. Cùm venisset 25. de Test & attest & c Cùm dilectus 9. de Fide instrument* ideóque conclusio pro ulteriorum probationum exclusione & renuntiatione habeatur à Ripa in *l. Admonendi 31. ff de Jurejurando n.* 48. & Menochio *Lib. 2. præsumpt. 63.*

Excipiendus tamen est casus, quô cu 143.
mulatio

mulatio post conclusionem in causa ab actore exigeretur ex justa causa, vg. cùm perspicuis indiciis redarguitur iniquitas invasoris vel possessoris, vel dominium seu proprietatem probandi facultas ab adversario est subtracta, occisis testibus, vel combustis, aut aliter subtractis instrumentis, per quæ de illis fides fieri posset; hôc enim casu ab illo propositam Possessorii cum Petitorio cumulationem admitti, æquitas postularet, Vivianus in c. *Pastoralis cit. in fine.*

TITVLVS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

MUlta à cæteris Possessoriis judiciis diversa & peculiari consideratione digna habent causæ, quæ pro possessione Recuperanda, sive Spolii restitutione, in judicium deducuntur; ut proinde illorum generali specialis istius pertractatio meritò subjiciatur.

ARTICULUS I.

Regula de Spoliati Restitutione.

SUMMARIUM.

1. *Spoliatus quis dicatur.*
2. *Regula de eo ante omnia restituendo,*
3. *Sive sit actor, sive reus,*
4. *Præsertim spoliatus re litigiosa.*
5. *Regulæ ratio,*
6. *Et modus faciendæ restitutionis:*
7. *Quam petens probare debet possessionem,*
8. *Et violentam dejectionem,*
9. *Vel clandestinum ingressum in illam vacantem.*
10. *Restituendus etiam est spoliati hæres:*
11. *Etiam contra hæredes spoliatoris:*
12. *De Jure Canonico etiam contra possessorem singularem,*
13. *Conscium antecedentis spoliationis:*
14. *Secundùm aliquos contra bonæ fidei possessorem:*
15. *Quod, licet receptum Praxi,*
16. *Jure tamen non est expressum:*
17. *A judice incompetente,*
18. *Et à competente contra judicialiter,*
19. *Non judicialiter procedente spoliatus restituitur.*
20. *Nisi sententia contineat vitium substantiale.*

SPoliatus hôc locô dicitur, qui possessione rerum corporalium immobilium, aut incorporalium quasi possessione vi aut clam, injustè vel indebitè est dejectus, *can.* 1. *&c. 3. q.* 1. *c. In literis 5. c. Item 6, &c. hâc Rubric. l.* 1. *§. 9. & 24. ff. de Vi armata.* 1

Regula generalis est, Spoliatum ante omnia restituendum, *cann. citt. c. fin. de Ord. cognit. c. In literis cit. l.* 1. *cit. §.* 31. non reum duntaxat, sed & actorem *c. fin. c. Item citt. c. Conquerente 7, &c.* ut quantumvis 2

tumvis aliàs melior conditio sit rei, *l. Favorabiliores 125. ff. de R. J.* & actori, nisi super exceptionibus suis auditus, non condemnetur, *l. 1. C. de Probat.* in hoc tamen
3. possessionis Recuperandæ judicio, spoliati etiam actoris, illam postulantis, causa favorabilior, & restitutio facienda sit, antequam reus super aliis, quàm actori oppositæ spoliationis, exceptionibus suis audiatur, *citt. c. fin. c. Conquerente, in fine l. 1. V. Sed post, C. Si per vim &c. & l. Si quis 7. C. de Vi publ.* Neque in eo locum habeat Regula, quòd dolô faciat, qui petit, quod est restituturus, *l. Dolo 8. ff. de Doli mali except.* sicut locus ei est in Possessorio Adipiscendæ vel Retinendæ, Vallens. *ad hanc Rubr. §. 4. n. 1.*

4. Atque huic in spoliatoris odium & spoliati favorem proditæ Regulæ locus vel maximè est casu, quô quis rei possessione dejectus est, lite super ea pendente; quia eô tempore facta spoliatio gravior & magis odiosa est eâ, quæ extra judicium fit, ut cum Ripa *in l. Naturaliter 12. §. Nihil 1. ff. de Aquir. poss. n. 68.* & Jasone *ibid. n. 31.* tradit Menochius *Recup. remed. 17. n. 28.* quia hujusmodi spoliatione Jus, judex, & pars simul offenduntur, ut dicitur *c. 1. in fine, de Appellat. in 6.*

5. Ratio autem Regulæ est; ut consulatur Reipublicæ quieti & tranquillitati, cui nihil magis adversari legum conditores existimârunt, quàm violentam & propriâ authoritate factam rerum occupationem: quam propterea adeò detestati sunt; ut spoliatorem ante plenam restitutionem noluerint audiri. Quâ ratione (quod æquitati Naturali omnino conforme est) quam factô suô legem in alterum statuit, ipse patitur Spoliator; cùm, sicut contra Juris ordinem rei possessione alterum spoliavit privatâ, ita, non discussô ipsius jure, spoliatus publicâ authoritate restituatur, secundùm *l. 1. ff. Quod quisque juris &c.*

Facienda autem est spoliati restitu- 6.
tio non qualiscunque, sed plena; ut non solùm res principalis, sed etiam accessoria restituantur cum omnibus fructibus, qui à spoliationis factæ die percepti sunt, vel percipi à spoliato potuerunt: atque insuper resarciantur omnia damna, & refundantur expensæ, & pro injuria satisfactio exhibeatur, *c. Gravis 11. & l. 1. §. 31. &c. ff. de Vi armata*, usque ad ultimum quadrantem; ut, si etiam nummus spoliato ablatus deficeret, respondere spoliatori non teneatur, aut iste excipiens non audiatur, ut vult Baldus *in c. Conquerente cit. n. 1.* quia æquum omnino est, ut Spoliatus tantum, quanti ejus interest, consequatur; cùm, ut dici solet, mensura restitutionis, à malæ fidei possessore faciendæ, sit magnitudo læsionis, sive quantitas damni alterius; ut, quatenus læsus est, eatenus restituatur, ut eum S. Thoma 2. 2. *q. 62. art. 6.* Molina *Tract. 2. disp. 723.* & aliis docet Laiman *in c. Gravis cit. n. 1.*

Ut hujusmodi restitutionem, qui 7.
eam tanquam Spoliatus petit, consequatur, duo ab ipso probari, necesse est secundùm textum & Glossam *c. Consultationibus 10.* ibi, *Possessionem & dejectionem de Offic. deleg.* & Menoch. *Recup. remed. 15. à n. 383.*

Primum est possessio, sive se spoliationis factæ tempore in possessione vel quasi fuisse, *c. cit. c. Ex parte 14. c. Olim 17. & l. 1. §. 23. ff. de Vi armata.* Ratio est; quia restitutio dari non potest, nisi præcesserit spoliatio, *c. Accepta 3.* quæ est privatio possessionis vel quasi: privatio autem supponit habitum ejus, quô privat, *l. Non potest 208. ff. de R. J.* Unde mulieris tanquam uxoris suæ restitutionem ad thorum & cohabitationem petens probare debet, matrimonium cum ea contractum & consummatum fuisse, *c. Ex transmissa 8.*

missa 8. quia per consummationem acquiritur plena possessio conjugis: & petens restitutionem beneficii Ecclesiastici, se esse clericum; quia aliàs possessionis ejusmodi beneficii capax non esset, *c. Ex literis 6. de Transact. & c. In Ecclesia 2. de Institut.* Ob eandem causam reus super spoliô, sive possessionis recuperandæ Interdictô, conventus actoris intentionem elidit, & absolvitur, si assertæ spoliationis tempore se, non actorem, possedisse probet; cùm sine possessione vera dejectio, seu spoliatio non detur, *l. Si quis 17. ff. de Adquir. possess.* Gonzalez in *c. Olim. cit. n. 7.*

8. Alterum, quod super spolio agens probare debet, est, se de possessione vel quasi injustè aut indebitè dejectum, vel saltem, ne liberè possideret, prohibitum fuisse, *c. Pisanis 19.* & quidem ab adversario, vel alio de ipsius mandato, vel saltem ipsius nomine ab alio factam spoliationem ab ipso ratihabitam fuisse *c. Cùm ad sedem 15. & l. 1. cit. §. 12. & 14.* ut adeò in delicto hoc & quoad restitutionem ratihabitio mandato comparetur, secundùm *Reg. 10. in 6.* Glossa *in §. 12. cit. V. Ratum*, & Perez *in C. Unde vi n. 6.* Nisi agat remediô possessoriô, ab Innocent. III. in Concilio Lateranensi introductô & *c. Sæpe 18.* relatô; istô enim agens spoliatus restituitur, si probet, se possedisse spoliatúmque fuisse: & modernum rei possessorem spoliationis antecedentis, sive rem vitiô violentiæ affectam, esse conscium, Vallens. *ad hanc Rubric. §. & n. 4.* & Barbosa *in c. Sæpe cit. n. 2.*

9. Violento spoliatori quoad restitutionem æquiparatur & *Unde vi* Interdictô tenetur, qui alterius possessionem, quòd is huic nec civiliter nec naturaliter, aut saltem naturaliter non insisteret, vacantem ingressus quasi propriam sine authoritate judicis occupavit; sicut enim violentus invasor & prædo, ita hujusmodi usurpator, à domino vel possessore vero, cujus, vg. nemine custode relictô, ad nundinas profecti, aut fortassis ab alio vi dejecti, possessionem ingressus est, conventus rem, sive illius possessionem cum omnibus accessoriis restituere tenetur: quantumvis eam sine vi ingressus, & violentiæ, domino vel possessori ab alio fortassis illatæ, omnino sit ignarus: quod noviter constituit Justinianus *l. fin. C. Unde vi*, ad id decernendum permotus eâ ratione; *Quòd omnes scire debeant, quod suum non est, hoc ad alios omnibus modis pertinere.* Accedit; quòd ita magis consultum sit dominis: qui, quòd antè actionem solùm realem haberent, & in dominii seu proprietatis sæpe difficili probatione deficerent, rerum suarum, dum ipsi abessent, ab aliis sine judicis authoritate occupatarũ, dominiô non rarò decidebant, ut Bruneman *in l. cit. à n. 5.* notat cum Salyceto *ibid. n. 3.* Menochio, lege proditum possessionis recuperandæ remedium latè explicante *Recup. remed. 13. à n. 4.* & Covarruvia *Lib. 3. Var. cap. 16. n. 7.*

Non solùm ipse Spoliatus, sed ejus [10]
quoque hæredes & cæteri successores, postquam rerum hæreditariarum possessionem assecuti sunt, restituuntur, *l. 1. §. 44. ff. de Vi armata*; quia interdictum *Unde vi*, sive actio, quâ spolii restitutio petitur, ex maleficio seu delicto descendit: cujusmodi actiones hæredibus non denegantur, *§. Non solùm 1. V. Sed haredibus, Instit. de Perpet. & Temp. act.* & meritò; quia hæres succedit in omne jus defuncti, *l. Hæres 37. ff. de Adquir. hared.* ideóque, quô jure spoliatus, si supervixisset, eôdem ejus hæres agere potest.

An autem hoc interdictum, sicut [11]
hæredibus spoliati, sic etiam competat adversus hæredes spoliatoris; ut illis ad spolii restitutionem ante omnia faciendam etiam isti teneantur, dubium reddit non le-

non levis momenti ratio; quòd ex defunctorum maleficiis hæredes non teneantur, *l. Unica C. de Delict. defunct.* Sed hac ratione & quasi Regulâ potius est responsum & exceptio Juris, Regulam illam ita restringentis; ut defunctorum hæredes, quantumvis non ex delicto, tamen teneantur, quatenus ad ipsos pervenit, *l. In haredem 26. & c. ff. de Dolo & l. Quod diximus 16. §. 1. ff. Quod metus causâ*, ubi Ulpianus, *Licet*, inquit, *delicti pœna non transeat, attamen, quod turpiter & scelere quæsitum est, ad compendium ejus non debet pertinere:* juxta quam proinde restrictionem etiam hæredes spoliatoris ceteríque ejus successores in id saltem, quod ex spolio ad ipsos pervenerit, tenentur, & in factum actione conveniri possunt ex responso ejusdem JCT. *i l. 1. §. fin. l. Quod est 3. pr. & l. Si plures 9. ff. de Vi armata* Unde

12. Dubium secundò oritur de successore spoliatoris singulari, sive eò, qui rem ab isto emit, aut donò accepit. Qui, licet *Unde vi* Interdictò conveniri nequeat Civili, *l. Cùm à te 7. ff. eádem Rubric.* Canonicò tamen Jure etiam contra ipsum, si spoliatori in re vi occupatâ scienter successisse, eámve, cùm spoliationis conscius esset, detinuisse probetur, spoliatum
13. restitui, habetur *c. Sæpe 18.* quò textu ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi correctum Jus Civile & Interdictum *Unde vi*, quod istò non competebat, ad successorem singularem quodammodo extensum, eive simile remedium est introductum. Ratio autem novum hoc recuperandæ possessionis remedium introducendi fuit partim odium hujusmodi injustæ detentionis; qui enim, spoliationis antecedentis notitiâ non obstante, rem detinet, succedere videtur in vitium adversarii spoliantis; cùm quoad animæ periculum non multùm intersit, & Jura pro eodem reputent hæc duo, *Injustè detinere & Invadere rem alienam*, textus est *c. cit.* cui consonat *can. Sicut 8. V. Neque enim minùs, dist. 47.* partim etiam spoliati favor; ne ad dominii sive proprietatis probationem adstringatur; cùm enim ista sæpe valde difficilis sit, ne, si Rei vindicationem intentare coactus propter probationis potiùs, quàm juris deficientis inopiam succumbat, ipsi hôc, sicut saluberrimò, ita æquissimò remediò est consultum. Atque nova hæc Juris Ecclesiastici dispositio locum etiam habet in foro Seculari; quia, cùm ad impediendum peccatum & animarum periculum removendum illò aliquid decernitur, etiam in hoc foro solet, ac debet observari, *arg. c. fin. de Præscript.* Panormit. *in c. Sæpe cit. n. 5.* & *ibi* Laiman *n. 3.* Sed etiam hinc novum & priori minùs expeditæ resolutionis

Dubium tertium nascitur, an Spo- 14.
liatus etiam restituatur contra tertium, bonâ fide & justò titulò possidentem, sive ad quem spoliationis ignarum res pervenit. Nam & hoc cum Glossa in *c. Sæpe cit. V. Subvenitur*, affirmant Innocentius *ibid. n. 2.* Panormit. *in c. Cùm ad sedem 15. n. 26.* Maranta *de Ord. judic. p. 4. dist. 7. n. 58.* Steph. Gratian. *Forens. Discept. cap. 311. n. 1.* Gaill. *Lib. 2. Observat. 75. n. 10.* & multi alii utriusque Juris Interpp. & DD. suam hanc Opinionẽ desumentes ex famigerato textu *can. Retintegranda 3. q. 1.* quò præ ceteris pingue & omnium tutissimum recuperandæ possessionis remedium proditum volunt; cùm, ut inquiunt, ex canone illo agens quicunque, per metum, dolum, captivitatem aut aliam violentiam rebus suis spoliatus, contra quemcunque, nec solùm malæ, sed bonæ quoque fidei, & antecedentis spoliationis ignarum possessorem restituatur.

15. Sed, licet hæc Opinio maximâ DD. authoritate suffulta, & teste Mynsinger *Cent. 3. observat 85.* multorum tribunalium usu recepta & æquitati valde conformis sit; cùm simile quid à Prætore edictum de rebus, quæ injusto metu extortæ sunt, ut à quovis possessore repeti possint, *l. Item si 14. §. 5. V. Unde quidam, ff. Quod metûs causâ:* & in Regno Neapolitano *de Violentiis* editâ Regiâ Constitutione provisum sit; ut spoliatus etiam contra millesimum successorem, ad quem possessio spolii vitiô affecta transit, restituatur, teste Maranta *dist. cit. n. 53.* Etsi, inquam, hæc ita sint, de Jure tamen spoliatum contra talem non restitui, verius est, & cum Bartolo *in l. Rem quæ 15. ff. de Adquir. possess. num. 2.* defendunt Menoch. *Recuper. remed. 15. à n. 87.* Fachineus *Controvers. Lib. 8. cap. 12.* Hunnius *in Treutl. disp. 25. q. 67.* & alii RR. Ratio, quam DD. in contrarium militantium torrenti opponunt, satis firmâ est; quia spoliato contra hujusmodi possessorem restitutio negatur Jure Civi-
16. li, *l. Cùm à te cit.* Canonicô autem *c. Sæpe cit.* clarissimè solùm conceditur adversus tertium, spolium detinentem scienter & quasi in vitium succedentem; quô textu Jus novum conditum verbis, *Si quis de cætero*, clarè insinuatur: & spoliato expressè contra solùm malæ fidei possessorem, sive eum, qui rem à spoliatore scienter accepit, subvenitur, manifestô argumentô, illum de Jure anteriori non restitui adversus quemcunque singularem etiam bonæ fidei possessorem; quid enim opus erat novâ Constitutione *c. Sæpe cit.* spoliatis succurrere adversus malæ fidei possessores, si de uberiori & generali remedio adversus quoscunque, etiam bonæ fidei possessores ipsis antiquiori Jure consultum jam fuit? ut cum *citt.* DD. fortiter arguunt Laiman *in c. Sæpe cit. n. 7.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 3. n. 384.* Confirmatur; quia ratio peccati & periculum animæ, in quo *c. Sæpe cit.* & secundùm multos etiam *can. Restituenda cit.* dispositio fundatur, cessat in bonæ fidei possessore; ut proinde in isto à Juris Civilis dispositione non sit recedendum, *citt.* Menoch. *n. 92.* & Fachineus *cap. 12. V. Sed ratio.*

Neque aliud evincitur ex *can. Restituenda cit.* quia imprimis Jus, quô spoliato generaliter adversus quoscunque singulares & bonæ fidei possessores consultum fuerit, ante *c. Sæpe cit.* relatam Constitutionem non extitisse, jam est ostensum; ac proinde illi ita consultum non fuit *can. cit.* utpote textu *c. Sæpe cit. 50.* annis antiquiori, teste *cit.* Menochio *n. 6.* Deinde; quia Canone illo aliud non statuitur, quàm Episcopos &c. injustè spoliatos ante omnia & integrè restituendos: quod, cùm de malæ fidei possessoribus, imò ipsis spoliatoribus & successoribus istorum universalibus intelligi possit, ad singulares, saltem bonæ fidei possessores non rectè extenditur, præsertim; cùm ad peccatum, cui isti obnoxii non sunt, evitandum introductum videatur. Demum; quia, licet fortassis ejus Canonis conditor spoliatis etiam adversus hujusmodi possessores consulere intenderit, juxta hanc tamen ejus intentionem intellectus & observatus non fuit ante Concilium Lateranense; ut proinde cum cæteris istius PP. Innocentius III. ejus dispositionem saltem adversus malæ fidei possessores, scienter in vitium successores, de cætero voluerit observari, *c. Sæpe cit.* Jordanus *Lucubrat. Lib. 14 Tit. 12. n. 39.* Sed quidquid sit de Jure, in praxi standum est tribunalium consuetudine, in multis provinciis spoliatos adversus quoscunque etiam bonæ fidei possessores restituente; dummodo suam antiquiorem, & istorum recentiorem possessionem probârint, *citt.* Gaill. *n. 12.* & Mynsing. *Obser. 85.*

Dubium

17. Dubium quartò est, an indebitè spoliatus etiam adversus judicem spoliantem restituatur. Quod affirmantium & negantium VV. DD. à verò, ut ab Assertoribus suis explicantur, non aberrantes sententiæ distinctionis auxiliò à RR. vel declarantur vel conciliantur.

Et primò quidem, si ita spoliatus quis est à judice incompetente vg. clericus dignitate, aut alio beneficio Ecclesiastico à Seculari, illum adversus hunc, quoad alia secundùm Juris ordinem procedentem, ante omnia restituendum, res omnino certa & clara ratio est; quòd judicatum dici nequeat ab eo, qui non habet jurisdictionem, *l. & §. 1. V. Et ideo, ff. Quod quisque juris in alt.* & paria sint, sententiam non esse latam, & esse latam à judice incompetente; & propterea ex incompetentia proveniens nullitas cæteris omnibus major habeatur, Glossa communi DD. suffragiò approbata *in Clement. Unic. V. Non obstante de Sequestr. poss.* Felinus *in Rubric. de Foro compet.* Gaill. *Lib. 2. observat. 76. n. 12.* & alii.

18. Secundò, si à judice competente, sed extrajudicialiter, sive prætermissò Juris ordine & absque causæ cognitione spolietur, contra illum agens ante omnia restituetur, *c. Cùm causa 22. de Offic. deleg. & c. Conquerente 7. hâc Rubr.* quia judex ita procedens egreditur fines sui officii, & tanquam privata persona reputatur, ut ei resisti possit, *l. Prohibitum 5. C. de Jure fisci:* &, sicut incompetens, sic ipse quoque pro se non habet præsumptionem, quæ spoliati restitutionē ante omnia faciendam impedire possit, *c. fin. in 6.* Panormit. *in c. Conquerente cit. n. 6.* ubi Beroius *à num. 5.* & Menoch. *Recup. remed. 8. à n. 8.* rectè excipiens casum, quò causa aliquem vg. beneficiò privandi esset omnino notoria; quia in notoriis ordo Juris non requiritur, *c. Nostra 12. de Jurejurando & Clement. 2. de Sent. & re judic.* &, quò judex contrajudicialiter procedit ex necessitate, ad impediendum scandalum vel peccatum, Panormit. *in c. cit. n. 15.* & *ibi* Laiman. *n. 3.*

19. Tertiò, spoliatus judicialiter & per sententiam adversus judicem non restituitur, nisi sententia contineat vitiū substantiale: quale tamen vitium continere non præsumitur, nisi probetur; cùm semper pro ipsius facto præsumptio sit, nisi de dolo argui possit, *can. Hoc etiam, 2. q. 6.* eáque restitutionem adversus spoliatum impediat, donec iste se injustè spoliatum probârit, *c. fin. in 6.* Glossa *fin. in can. Præsentium, 7. q. 1.* Panormit. *l. cit. n. 6.* Menoch. *cit. Remed. 8. n. 3.*

20. Si autem sententia continet vitium substantiale, vg. si parte non citatâ, vel in judicio ordinario lite non contestatâ, vel contra apertam legem esset lata, spoliatus, postquam de hoc legitimè constitit, contra eum restituendus est; quia sententia esset ipso Jure nulla, ejúsque executio spoliatio censeretur, juxta *c. 1. c. Cùm inter 13. in fine de Sent. & re judic. & l. 1. §. 2. ff. Quæ Sent. sine Appell. citt.* Panormit. *n. 18.* & aliis DD. relatis Menoch. *à num. 19.*

ARTICULUS II.

Regulæ traditæ Declarationes.

SUMMARIUM.

21. *Restitutionem non impedit exceptio dominii.*
22. *Etiam injustus possessor restituitur, si à non domino,*
23. *Et à domino, non in continenti,*
24. *Sed ex intervallo spolietur:*
25. *Nisi injustitia possessionis notoria sit,*

26. *Eandem non impediunt compensatio,*
27. *Reconventio super dominio,*
28. *Appellatio,*
29. *Et exceptio criminis,*
30. *Quod possessionis non reddit incapacem.*
31. *Pro Ecclesia restitutione agenti hujus privata:*
32. *Et pro privata restitutione agenti Ecclesiæ spoliatio non obstat.*
33. *Restituitur etiam re incorporali,*
34. *Et secundùm aliquos re mobili spoliatus:*
35. *Sed veriùs vi solius consuetudinis.*
36. *Colono &c. Interdictum* Unde vi *non competit.*
37. *Restitutionem impedit exceptio dominii, spoliatô expresè,*
38. *Vel saltem tacitè consentiente.*
39. *Uti &, si cum ipso tertius rei dominus concurrat,*
40. *Vel spoliatoris jus notorium sit,*
41. *Ex Actis judicialibus,*
42. *Præsertim ex sententia lata pro spoliatore.*
43. *Restitutionem impedit exceptio spolij:*
44. *Uti & irreparabilis damni,*
45. *Et publici scandali periculum:*
46. *Et impossibilitas possessionis per viam juris adipiscendæ.*

21. REgulæ de spoliati restitutione hactenus traditæ ea vis est; ut, qui eam in judicio petit, possessione & violentâ dejectione probatâ, ante omnia restituendus sit.

Primò, non obstante exceptione dominii, quod in re sibi competere spoliator in continenti probare est paratus, per notabiles textus, *c. 1.* ubi vi ablatæ possessionis restitutio, si petatur, facienda dicitur, *Ante omnem contentionem*; ac proinde ante ejusmodi exceptionis objectæ discussionem: & *c. In literis 5.* in cujus fine secundum rigorem Juris idem asseritur de prædone. Unde

22. Dubium oritur, an ergo etiam, qui rem injustè & vi possedit, ut vg. prædo, ejus possessione vi dejectus restituatur. Et quidem, si illius possessione non à domino, sive ab eo, quem ipse dejecit: sed ab alio sit dejectus, ei Interdictum competere, ut ante omnia sit restituendus, *l. 1.* §. 30. *ff. de Vi armata* disertè habetur.

23. Casu autem, quô prædo, aut alius possessor injustus ab ipso domino, vel ab alio à se spoliato dejectus est, multùm imò plurimùm interest, utrùm possessione vi dejectus sit in continenti, vel primùm ex intervallo; cùm, si dejectus est in continenti, hoc est, quàm primùm à prædone naturali possessione dejectus, homines & alia ad illum expellendum necessaria potuit comparare: &, antequam, omisso recuperationis negotiô, ad extranea diverteret, ut vocem illam *in l. Quod est 3.* §. *9. ff. de Vi armata* cum Glossa *V. in continenti*, exponit Bruneman. *n. 6.* prædonem non restituendum, patet ex §. *cit. & c. Pisanis cit.* ubi spoliato contra dejicientem super spolio agenti restitutio negatur ex ratione; quòd *Statim vim vi repellendô*, ac proinde *licitè ejici potuerit.* Cujus ratio est; quia in continenti facta prædonis, seu violenti & injusti possessoris dejectio rationem habet rerum suarum justæ defensionis: quam, violentâ vi repulsâ, fieri Jus & naturalis ratio permittit, *can. Jus naturale 7. dist. 1. & l. 1. C. Unde vi.* Si verò primùm ex intervallo dejectus est, de Jure etiam ipsum restituendum, cum Beroio *in c. In literis 5. num. 70.* defendunt *cit.* Fachineus *Controvers. Lib. 7. cap. 10. V. Mihi.* Petr. Barbo-

Barbosa *in l. Si de vi 37. ff. de Judiciis n. 47. & 124.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 371.* quòd id minimè obscurè tradi videatur, *l. Sequitur 4. §. 6. ff. de Usurp. & Usucap. l. Cùm fundum 18. pr. V. Quæsitum, ff. de Vi armata & l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi:* ad quarum *ll.* textus referri videntur, *c. In literis cit.* verba, *Quia prædo etiam secundùm rigorem Juris est restituendus.* Ratio est; quia nemo sibi jus dicere, & rem propria authoritate vindicare debet, si judicis copiam habere possit, *l. Auxilium 37. ff. de Minoribus*, in cujus fine, qui hanc Juris Regulam & judicis authoritatem negligit, legis & Magistratûs auxiliò reputatur indignus.

Pugnare quidem cum hac resolutione videntur, *l. Bona fides 31. §. 1. ff. Depositi*, verba, *Non est ex fide bona, rem suam dominum prædoni restituere compelli*; cùm, huic eam restituendô, rei alienæ retentionis, ac proinde peccati occasio prædoni præbeatur. At re ipsa non pugnat; quia *l. cit.* textus expressè agit de casu, quô dominus rem suam sine violentia consequitur à prædone, eam per errorem apud ipsum deponente, ut *ll. citt.* & non de eo, quô dominus rem vi rapuit, & invasit. Neque obstat peccati continuatio; quia hæc judicis authoritate potest impediri: & minùs perniciosa Reipublicæ est, quàm rerum suarum ab aliis detentarum, cùm judicis officium paratum est, violentæ occupationes: quarum permissione delictis & malitiis hominum via aperiretur, *l. Non est singulis 176. ff. de R. J.*

25. Sed, licet de rigore res ita se habeat, spectatâ tamen æquitate Naturali, prædo seu spoliator notorius contra dominum, possessionem ab eo vi recuperantem, restituendus non videtur; quia in pari causa spoliationis à duobus factæ præferendus videtur rei dominus; cui Jure Gentium, quô bella introducta sunt, concessa est facultas, rem suam ab injusto spoliatore recuperandi, *l. Ex hoc jure 5. ff. de J. & J.* cùm Naturali etiam Juri consonum sit, deteriorem esse conditionem ejus, qui Naturale Jus, domini possessionem vi occupandô, prior violavit, Menoch. *Recup. remed. 1. n. 128.* non obstante *l. Si quis in tantam cit.* quâ propriâ authoritate alterius possessionem invadens, si dominus est, rei dominiô privatur; quia lex ista quoad amissionem dominii in paucis locis usu est recepta: eique ferè pœna arbitraria successit, teste Engel *ad hanc Rubr. num. 16.* ut taceam; quòd, eam de notorio prædone non loqui, existimet Zoesius *in ff. Vi armata n. 19.* & ante eum Menochius *l. cit.* cum aliis, in notoriis adversus rerum suarum injustos invasores jus sibi dicentem clementiùs habentibus, apud *cit.* Barbosam *n. 19. & 122.* & alterum ejus nominis Interp. *in c. In literis cit. n. 4.*

Secundò, spoliatus ita restituendus est, non obstante exceptione compensationis, objectæ à spoliatore, *l. & §. fin. C. de Compens.* quia compensatio est quædam mutua petitio, sive reconventio: quæ, cùm Recuperandæ interdictô agitur, nisi de spolio etiam ipsa sit, non admittitur, ut mox patebit. 26.

Tertiò, idem ita restituendus est, etiamsi reus conventus ipsum judiciô petitorio, sive super alicujus rei proprietate velit reconvenire, *c. fin. de Ord. cognit.* quia adversus spoliatorem proposita restitutionis petitio privilegiata est, ut ante omnia facienda restitutio: &, antequam hæc facta sit, spoliator super jure suo non audiatur, *c. In literis & c. Conquecente citt.* cùm; ut, violentiis longissimè, remotis, Reipublicæ tranquilitas conservetur: tum verò, ne rebus suis nudati & 27.

inermes

inermes judiciô contendere cogantur, contra Naturalem æquitatem & textum *can. Oportet. 3. q. 2.*

28. Quartò, ejus restitutio non impeditur Appellatione de Jure Civili, *l. Unica C. Si de momenti poss.* saltem quoad effectum suspensivum, Bartol. *in l. cit. n. 3. & l. Ante sententiam 2. ff. de Appell. recip. n. 9.* & Maranta *de Ord. jud. p. 6. de Appell. n. 294.* de Jure tamen Canonico etiam quoad hunc effectum aliud statuetur, *Tit. 28. àn. 93.*

29. Quintò, eadem non impeditur oppositâ exceptione Criminis; priùs enim spolii, quàm istius causam pertractandam, *c. Item si quis 6.* decisum est ex ratione; quòd is, qui alterius possessionem vi occupavit, aut clam ingressus, pristinum possessorem non admittendò, violenter retinet, esse præsumatur ejus inimicus; cùm vim & injuriam intulerit: inimicus autem ad accusandum criminaliter; quòd odiô moveri videatur, non admittatur, *arg. c. Repelluntur 7. de Accusat.* Farinac.

30. *Prax. Criminal. q. 12. n. 34.* Hæc tamen decisio admittit distinctionem, vel potiùs exceptionem criminis, spoliatum reddentis ad agendum inhabilem, vel incapacem possessionis: ut sunt, quæ annexam habent excommunicationem; hâc enim ligatus, antequam absolutus sit, à reo convento per exceptionem, vel à judice ex officio repelli potest, *c. Intelleximus 7. de Judiciis c. Anobii 2. & c. Exceptionem 7. de Exceptionibus*, Glossa *in c. Ex insinuatione 3. V. Aliud, de Procurat.* uti & crimina hæresis & læsæ Majestatis, quorum rei beneficiorum Ecclesiasticorum, tam possessione, quàm proprietate privati sunt ipsô Jure. Eadem, quæ hujusmodi, etiam ratio est exceptionis, quâ actori, qui tanquam beneficiô spoliatus restitui petit, Baptismi, aut Clericatûs defectus opponitur; his enim casibus, antequam spoliatus restituatur, de crimine & hujusmodi defectu cognoscendum, cum Panormit. *c. Item cit. n. 9. & 10.* tradit Menoch. *Recup. remed. 1. à num. 330.*

Sextò, agens ad restitutionem rei Ecclesiasticæ restituendus est, insuper habitâ exceptione ab ipso factæ spoliationis rei privatæ: & contrà, agens super spolio rei suæ privatæ, restituendus est, non obstante exceptione spoliationis rei Ecclesiasticæ, *c. 1. §. fin. in 6.* partim; quia agens ad restitutionem rei Ecclesiasticæ, non suô privatô, sed Ecclesiæ nomine & jure agit, *c. Literas 3. de Dilat.* & contrà agens pro re sua privata, non Ecclesiæ, sed propriô nomine & jure agit, *l. 1. C. de R. V.* ut adeò pro rei Ecclesiasticæ restitutione conventus non rei privatæ, sed Ecclesiasticæ: & contrà conventus pro re privata, non Ecclesiasticæ, sed privatæ tantùm rei spolium opponere de Jure queat; quia super spolio agens non repellitur exceptione spolii, nisi commissi ab eo, qui super spolio agit: super spolio autem propriè tantùm agit is, cujus nomine actio intentatur, *arg. l. Si procurator 9. ff. de Doli except.* Franc. *in §. cit. n. 2.* & Barbosa *ibid. n. 20.* partim verò quia res Ecclesiasticæ censentur Juris publici, *arg. l. 1. §. 2. ff. de J. & J. & l. fin. pr. C. de SS. Eccles.* publici autem cum privato compensatio non admittitur, *l. 1. & l. In ea 3. de Compens.* Vivianus *in §. fin. cit.*

Neque obstat; quod *c. Cùm dilectus 2. de Ord. cognit.* contra Abbatem, qui nobiles super quibusdam rebus Ecclesiasticis conveniebat, admissa sit exceptio spoliationis castri ab eo factæ; quia hæc exceptio fuit rei Ecclesiasticæ; castrum enim, cujus possessione Nobiles vi erant dejecti, erat feudale: & dominium quidem ejus directum ad Monasterium; utile verò

le verò ad Nobiles, eô spoliatos, pertinebat, ut *in c. cit.* notat Barbosa *n.* 21. & Gonzalez *in c. Cùm dilectus cit. n.* 25.

33. Septimò, eidem Regulæ locus est in rebus Incorporalibus, ut contra Hunnium, *in Treutl. Vol. 3. disp.* 25. *q.* 55. docent Perez *in C. Unde vi, n.* 3. Vallensis *ad hanc Rubric. §. & num.* 1. & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n.* 362. quòd nullô Jure excludantur, & præterea rebus immobilibus accenseantur: de cujusmodi præsertim spiritualibus juribus sermo redibit *Art. 6. & 7.*

34. Octavò, de spoliati restitutione tradita Regula locum habet in rebus, tam Mobilibus, quàm Immobilibus: quòd, licet Corrasius *in l. Naturaliter* 12. §. 1. *ff. de Adquir. possess. n.* 48. generaliter affirmet, de illis tamen, sive mobilibus, magno aliorum consensu recepta est distinctio; etsi enim, inquiunt isti, *Unde vi* Interdictum saltem accessoriè & secundariò competat pro servis adscriptitiis, sive colonis, qui adscripti sunt glebæ, & pars fundi censentur, *l. Si coloni* 14. *C. de Agricolis* & pro aliis rebus mobilibus, quæ fuerunt in fundo, vi occupato, vel ædibus, unde quis est dejectus; nam etiam pro his interdictum *Unde vi* saltem accessoriè & secundariò competit, *l.* 1. §. 6. *V. Planè, ff. de Vi armata:* pro aliis tamen mobilibus, vi ablatis, id non competere, satis liquet ex *cit.* §. 6. & 7. quòd his competat actio *Vi bonorum raptorum*, aut *Furti*, & *Ad exhibendum* agi possit, Menoch. *Recup. remed.* 1. *n.* 9.

De Jure tamen Ecclesiastico hujusmodi etiam mobilibus spoliatum ante omnia restituendum, Menochius desumit *ex can. Redintegranda cit. & can. Episcopi* 3. *q.* 1. vocabulis *Omnia* & *Ablata*, quorum prius eas non minùs, quàm immobiles complectitur: posteriore autem solæ mobiles intelliguntur; cùm immobiles nequeant aufferri. Verùm, quia *Canone utroque* præter interdicti *Unde vi* extensionem ad res Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum nihil novi comprehendi, *in c. Conquerente cit.* notat Gonzalez *n.* 6. satis probabiliter hòc etiam Jure ante omnia restitutionem pro mobilibus ablatis, si immobilibus accessoria non sint, dari, idem negat cum Tuscho *Practic. V. Spoliatio, concluf.* 391. *n.* 2. *De Jure*, inquam, quia Menochii hac 35.
de re sententia Curiarum usu, & in hunc præcipuè intentorum DD. frequentiori calculô approbata est, teste Jordano *Lucubrat. Lib.* 14. *Tit.* 12. *n.* 42.

Non desunt tamen à Regula, hactenus stabilita, variæ exceptiones & casus, quibus spoliatus non est ante omnia restituendus. Veluti 36.

Primò, colonus, inquilinus & similes prædiô, domô, aliáve re conductâ vi dejecti aut expulsi; cùm enim tales, eô ipsô; quòd prædium, domum &c. non suo sed alieno nomine possideant, ipsi in possessione duntaxat: veri autem prædii, domûs &c. possessores sunt eorum domini, quorum nomine ea detinent, *c. Cùm venissent 9. in fine, & l. Quod meo* 18. *ff. de Adquir. possess.* his, tanquam possessionem dejectis, Interdictum *Unde vi* competet: non ipsis, *l.* 1. §. 22. *ff. de Vi armata*, Menoch. *Recup. remed.* 1. *n.* 62. & Perez *in C. Unde vi n.* 5. Iis tamen Officiô judicis aliquando succurri, cum Baldo *in l. Æde* 3. *C. de Locato, V. Sed quid si*, notat. *cit.* Menoch. *n.* 64.

Secundò, suâ possessione spoliatus 37.
ante omnia restituendus non est, quando, ut ante spolii restitutionem de exceptione dominii seu proprietatis cognoscatur, ipse consentit, ex clara decisione *c.* 1. Ratio est; quia privilegium, competens spoliato, introductum est non solùm in odium spoliantis: sed etiam &

principaliùs in favorem spoliati, *c. cit. & c. fin. de Ord. cognit.* qui proinde juri & favori pro se principaliùs introducto poterit renuntiare, Panormit. *in c. 1. cit. num. 3.*

38. Neque ad hoc necessarius est spoliati consensus expressus: sed sufficit, quòd restitutionem ante omnia petendi juri renuntiet tacitè: quod facere præsumitur, si spoliatorem, dominii seu proprietatis exceptionem opponentem, non repellat, aut contra judicem, de proprietate cognoscere volentem, non reclamet, vel appellet; quia, qui in judicio præsens tacet, consentire etiam in suum præjudicium censetur, Berojus *in c. cit. n.* 20. & Menoch. *Recup. remed. 1. à num. 161.* Neque tali casu restitutionem petere omittentis negligentiam supplere, & spoliatum restituere ex officio judex debet; quia spoliatus ante omnia restituendus est, si hoc petierit: nisi ipsi officium suum non imploratum impendi exigat periculum animæ &c. Glossa *in c. cit. V. Contentionem*, Panormit. & Menoch. *l. citt.*

39. Tertiò, eadem restitutio impeditur, si cum spoliato, ad restitutionem agente, concurrat tertius, qui, rei dominum aut verum possessorem se esse, asserit, ac restitui petit; cùm enim talis non sit spoliator, ad cujus audaciam reprimendam spoliatus ante omnia restituitur, in eo cessat ratio, propter quam spoliatus, etiam prædo, adversus spoliatorem esset restituendus, *c. In literis 5.* ut proinde ei, qui dominus, aut verus possessor non est, meritò præferatur tertius, cujus dominium notorium est, vel in continenti, hoc est, non longi temporis dilatione petitâ, probari valet: sicut cum fure, super rei vi ablatæ restitutione agente, concurrens rei dominus præfertur, *l. Bona 31. ff. Depositi*, Petr. Barbosa *in l. Si de Vi 37. ff. de Judiciis n. 57. à n. 11.* id extendens ad casum, quo jus tertii cum spoliatoris jure conjunctum est, ut ab isto nequeat separari; quod ratione connexionis & societatis spoliator sentire possit commodum restitutionis: quod ei, si solus esset, non concederetur, Felinus *in c. Cùm super 17. de Sent. & Re judic. n. 9. & cit.* Menoch. *n. 373.*

Quartò, quando in re, super qua Recuperandæ possessorium intentatur, nullum jus competere spoliato, & simul in ea jus spoliatori competere, notorium est juxta dicta *n. 25.*

Notorium autem id esse censetur, si de eo constet ex Actis judicii; cùm, quidquid in hoc probatum est, notorium sit, *c. fin. de Temp. Ord.* Ant. de Butrio *in c. cit. n. 6.* vel ex ipsius spoliati confessione, in jure sive judicio facta, *c. fin. de Cohabit. Cleric. & mul.* quia hæc, ut DD. loquuntur, probata, & aliis verior ac potentior probatio est, *l. Generaliter 13. C. de non num. pecun.* vel ex legitimis testium jam receptorũ depositionibus, *l. fin. C. de Probat.* aut ex instrumento publico, quod paratam habet executionem; quia etiam hoc non minorem, quàm testes, probandi vim habet, *Bartol. in l. 1. pr. ff. de Novi oper. nunt.* vel etiam per sententiam absolutoriam in Petitorio latam in favorem spoliatoris; cùm definitivæ pronuntiatione judicis, rei dominium alicui adjudicantis, istius jus sive dominium notorium evadat, *c. Vestra 7. §. fin. V. Notorium, de Cohabit. Cleric. & l. Emptorem 12. pr. ff. de Action. empti*, ut cum Ripa *in l. Naturaliter 12. §. Nihil 1. ff. de Adquir. possess. n. 35.* Jasone *ibid. n. 43.* & aliis tradit *cit.* Menoch. *n. 233.*

Debet autem sententia; ut non jus spoliati & spoliatoris jus notorium reddat, & illum Recuperandæ interdicto agentem

agentem repellat, subsequi & non præcedere spoliationem, eáque spoliator esse absolutus; quòd de ipsius jure constiterit: & non solùm; quòd actor sive spoliatus in dominii sibi competentis probatione defecerit; quia ex defectu probationis dominii, competentis spoliato, eum dominum non esse, legitimè non infertur; cùm, quod probare nequit, dominium habere possit, *l. Duo sunt 30. ff. de Testament. tut.* Panormit. *in c. Pastoralis 5. de Causa possess. n. 26.* Ripa *in §. cit. n. 44.* & alii, quos sequitur Mascardus *de Probat. conclus. 1333. n. 15.*

43. Quintò, spoliatus Recuperandæ interdictô agens ante omnia restituendus non est, quando ipsi per modum exceptionis opponitur aliud spolium; hoc enim casu de spolii exceptione priùs, quàm de ejus actione cognoscendum, *c. Cùm dilectus 2. de Ord. cognit.* decisum & ratio est; quòd, cùm par utriusque causa est, favorabilior reus sit, quàm actor, *l. 125. ff. de R. J.* nisi spolii actio non pateretur dilationem, & periculum esset in mora; quòd vg. ædium, unde actor vi dejectus est, ruina timenda sit, si non reparentur; tali enim casu actori, ad illarum restitutionem *Unde vi* interdictô agenti, spolii exceptionem non obstare, notat Panormit. *in c. cit. n. 22.*

44. Sextò, si restitutio fieri nequeat sine irreparabili damno vel periculo animæ aut corporis; sic enim propter peccati, & ex hoc animæ imminens periculum conjux spoliatus non restituitur, antequam de consanguinitatis exceptione, cujus probationem reus in continenti offert, cognoscatur, *c. Literas 13.* ut *n. 95.* plenius constabit. Sic reus, è carcere & ministrorum manibus ad sacrum asylum fugiens, Iudici, quem suâ præsentiâ vi spoliavit, non restituitur, propter periculum irreparabilis jacturæ vitæ, arg. *c. cit. ubi* & *in l. Naturaliter 12. §. 1. ff. de Adquir. possess.* Interpp. & DD.

Septimò, si ex restitutione publicum 45.
scandalum vel perturbatio in populo timeatur; sic enim *Unde vi* Interdictô agens ad restitutionem castri, vel oppidi valde muniti, ad ejusmodi incommoda & cædes evitandas, antequam illa fiat, audiri potest super proprietate, *cit.* Menoch. *à n. 308.*

Octavò, si spoliationem necessitas 46.
extorsit, vg. si spoliator rei suæ possessionem consequi non valuit per viam Juris; quòd adversarius sive spoliatus judicium declinârit, vel judex justitiam administrare noluerit, vel non potuerit; quô casu, præsertim si rei, in Petitorio spoliatori adjudicatæ, possessio non esset recuperabilis, ante restitutionem de dominio cognosci posse, cum Baldo *in l. Si quis ad se 7. ff. ad L. Jul. de Vi publ. n. 1.* & aliis vult *cit.* Menoch. *n. 312.* Ratio est; quòd, ne rem suam, aut sibi debitam quis propriâ authoritate & vi occupet, Jure cautum sit; ut non prætermittatur via & Ordo Juris, secundùm S. Thomam 2. 2. *q. 66. art. 5.* Tali autem casu via Juris ab adversario jam prætermissa, & eo præscripti Ordinis observantia sit desperata.

ARTICULUS III.

De Fructuum Restitutione, facienda à Spoliatore, aliôve malæ fidei Possessore.

SUMMARIUM.

47. *Ab hîs cum re injustè possessa restituendi etiam sunt fructus,*
48. *Qui deductis impensis supersunt.*
49. *Sunt autem Fructus alii Naturales,*
50. *Alii Industriales & ex hîs quidam Civiles,*

51. *In dubio judicis arbitriò discernendi:*
52. *Et rursum alii Percepti, alii Percipiendi.*
53. *Spoliato restituendi sunt omnes fructus percepti,*
54. *Et percipiendi saltem honestè,*
55. *Cum perceptis inhonestè.*
56. *Restituendi etiam sunt fructus, qui singulari,*
57. *Non spoliatoris,*
58. *Sed ipius spoliati industriâ percipi potuerunt:*
59. *Nisi percipi potuerint ex melioratione,*
60. *Ex qua soli percepti restituuntur.*
61. *In foro etiam animæ soli percepti, & quos spoliatus erat percepturus,*
62. *Non etiam percipiendi:*
63. *Neque etiam ex melioratione percepti restituuntur.*
64. *Expensæ aliæ Necessariæ, aliæ Utiles & aliæ Voluptuariæ sunt.*
65. *Necessarias spoliator, aliúsve malæ fidei possessor deducit:*
66. *Non etiam utiles:*
67. *Nisi à re sine detrimento separabiles sint:*
68. *Multóque minùs Voluptuarias.*
69. *In Foro animæ ante sententiam utiles non restituuntur.*

47. ALtera, eáque *n. 6.* insinuata in propositæ restitutionis materia Regula est, spoliati restitutionem ante omnia faciendam non solùm quoad rem, vg. prædium, cujus possessione vi dejectus est, sed etiam quoad accessoria, vel augmenta: ut sunt fructus, non solùm percepti, sed & percipiendi, quæ prodita est, *c. Gravu 11.* ubi Cælestinus III. vel, ut verisimiliter notat Gonzalez *ibi num. 1.* Alexander II. *Mandamus*, inquit, *quatenus prædictum Archidiaconum*, Spoliatorem, *ablata prænominati monasterii Fratribus*, ab illo spoliatis, *cum integritate restituere, damna plenariè resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis, provisuri; ut non tantùm fructus à novo & violento possessore perceptos, sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi factatis eidem.* Quæ rescribens Papa oculos intentos habuisse videtur, *in l. 1. §. 31. & 40. ff. de Vi armata & l. Si de possessione 4. C. Unde vi*, quâ relatum Imperiale rescriptum est, Interdicto *Unde vi* conventum *reum causam omnem præstare oportere, in qua fructus etiam, quos verus possessor sive possessione spoliatus percipere potuit: non tantùm, quos prædo percepit, venire non ambigitur.* Ratio Regulæ est; quia æquitas & ratio naturalis exposcit; ut aliena vis & injuria nemini damnosa sit: esset autem damnosa spoliato, si cum re, cujus possessione vi injustè illatâ dejectus est, sibi restituta non etiam restituerentur fructus, non solùm ii, quos percepit spoliator, sed illi etiam, quos spoliatus, seclusâ spoliatione, fuisset percepturus; cùm damnum reputetur non solùm id, quod de patrimonio decessit; sed id quoque, cujus patrimonio adjiciendi adempta est facultas; quia damnum quis pati censetur in omni eo, quod abest, quantúmque lucrari potuit, *l. Si commissi 13. pr. ff. Rem ratam haberi, & l. Unic. V. fin. C. de Sent. pro eo, quod interest &c.*

Sic firmatæ Regulæ vis planior erit, si, quæ fructuum nomine veniant, eorúmque varietas declaretur.

Fructus itaque ex re proveniens omne id Jure reputatur, quod supereſt post impensarum, in culturam collectionem, conservationem factarum, deductionem,

l. Si à

l. Si à non domino 36. ff. de Haredit. petit. cujus §. *fin.* est, *Fructus intelliguntur deductis expensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorúmque gratiâ fiunt,* & *l. Fructus 7. ff. Soluto matrim.* cujus *pr.* Ulpianus, *Fructus,* inquit, *eos esse constat, qui deductâ impensâ supererunt,* Petrus Barbosa *in l. cit. n. 6.* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 23. n. 48.*

Fructus ita & propriè acceptos Doctores variè, & aliter TT. aliter JCT. i partiuntur. Mihi præ aliis placet partitio frequentiori DD. calculô recepta, quâ alii dicuntur Naturales, alii Industriales.

49. Naturales sunt, quos res ipsa producit, nullâ, aut valde modicâ industriâ, seu factô hominis concurrente; ut sunt ligna cædua, herbæ, gramina, poma, pira, nuces, cerasa, glandes & similia, provenientia beneficiô naturæ & vix ullâ diligentiâ humanâ cooperante, *arg. l. Fructus 45. ff. de Usur. & fruct.* quâ pomû fructibus naturalibus adnumeratur; *Quia non ex facto ejus,* hominis, *ut fructus nascitur:* quibus Menochius uvas & olivas, *de Arbitr. casu 210. n. 22.* lanam item & lac, *Recuper. poss. remed. 15. n. 577.* Mynsinger *in §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rer. divis.* animalium fœtus, agnos, hinnulos vitulos, ova & pullos gallinarum &c. DD. alii accensent; quòd, licet hi fructus sine hominis labore & industria non producantur, homo tamen ad eorum productionem multò minùs conferat, quàm natura.

50. Industriales sunt, qui ex re magis diligentiâ & labore hominum, quàm vi & beneficiô naturæ proveniunt: ut segetes seu frumentum, vinum, oleum, butyrum, caseus, & quæcunque venatione, aucupio, piscatione acquiruntur. Ratio est; quia, licet ad talium fructuum, frumenti præsertim, vini & olei, productionem non parum conferat natura, tamen non nisi labore & industriâ hominis, terram excolentis, vinúmque & oleum ex uvis & olivis exprimentis, & novam formam inducentis, producuntur, *arg. l. Fructus cit. & §. Cùm ex re aliena 25. Instit. de Rer. divis.*

Ad Industriales fructus etiam reducuntur lucra, quæ ex pecunia, vino, frumento, oleo &c. negotiandô comparantur: uti & ædium aliarúmque rerum locatarum pensiones, mercedes servorum, vecturæ jumentorum naviúmque, & similes obventiones; quales non quidem ex re, sed propter rem, sive ejus usum percipiuntur & fructus Civiles nuncupantur; quòd, licet rei propriè non fructus, sed accessiones quædam sint, Civilis tamen Juris dispositione locum seu vicem fructuum obtineant, *l. Mercedes 29 ff. de Haredit. petit. & l. Usura 34. ff. de Usur. & fruct.* Panormit. *in c. Gravis cit. n. 3. ubi* Beroius *n. 9.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 3. n. 6.* & Molina *Tract. 2. disp. 719. n. 2. in fine.*

Fructus, quorum qualitas jure determinata non reperitur, an Naturalibus, vel Industrialibus adnumerandi sint, relinquitur prudenti arbitrio judicis, an in rerum productione in Regione aliqua vis naturæ, vel hominis industria prævaleat, considerantis, *arg. l. Quæritur 10. ff. de Statu hom. citt.* Panormit. *n. 3.* Beroius *n. 9.* Covarr. *n. 6.* Molina *cit. n. 2.* & aliis DD. relatis Menoch. *cit. casu 210. num. 20.* 51.

Præterea fructus alii dicuntur Percipiendi, sive à solo necdum separati & adhuc pendentes, reíque, ex qua proveniunt, adhærentes, *l. Fructus 44. ff. de R. V.* licet jam sint maturi, *l. fin. §. 6. ff. Quæ in fraud. credit.* uti &, qui percipi potuissent, *c. Gravis cit. in fine:* alii jam Percepti, sive jam collecti & reconditi in horreis, vel cellariis, aut saltem hominis industriâ (non per se, aut vi tempestatis) 52.

à solo, sive re, ex qua nascentur, separati, *l. Si fructuarius 13. ff. Quibus mod. usufr. amitt.* & ex his rursum alii non consumpti, sed adhuc extantes: alii verò jam consumpti, sive conversi in usum, & non amplius extantes, Panormit. *in c. Gravis cit. n. 7.* Sanchez *cap. 23. cit. n. 61.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tractat. 3. num. 263.* His præmissis

53. Regula suprà statuta procedit de fructibus, qui deductis impensis supersunt: qui proinde cum re, cujus possessione alterum dejecit, à spoliatore omnes, tam naturales, quàm industriales, nec solùm percepti, sed etiam percipiendi, sive ii, quos spoliatus, si rei suæ possessionem non amisisset, fuisset percepturus & percipere potuisset, restituendi sunt, *c. Gravis l. 1. cit. §. 31. & 40. & l. Si de possessione citt.* Ratio est; quia generaliter malæ fidei possessor omnes fructus, etiam qui ex re percipi potuissent, restituere tenetur, *l. Fructus 33. pr. l. Si navis 62. §. fin. ff. l. Domum 5. & l. Certum 22. C. de R. V. ubi* Glossa *V. Omnes* à malæ fidei possessore restituendos, ait, omnes fructus naturales, pendentes, extantes, perceptos, sive sint, sive non sint consumpti, & quos percipere potuit ante & post litem contestatam, Beroius *in c. Gravis cit. n. 34.* Cynus *in l. Certum cit. n. 3. in fine*, Salicetus *in l. Si fundum 17. C. de R. V.* Menoch. *cit. remed. 15. à n. 590.* Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 24. §. 10. à n. 1.* & Haunold. *cit tract. 3. n. 284.*

54. Neque contra Regulæ sic intellectæ generalitatem facit, & perceptos duntaxat fructus restituendos, evincit *l. Si fundum cit.* quâ relatum de malæ fidei emptore Imperiale rescriptum est, *Fructus, quos eum malæ fide percepisse, fuerit probatum, aditus præses provinciæ restitui jubebit.* Verùm, quia spoliatorem ad fructuum non perceptorum tantùm, sed eorum quoque, quos spoliatus fuisset percepturus & percipere potuisset, restitutionem compellendum, ex allegatis utriusque Juris textibus exploratum est, & *l. Si fundum cit.* de malæ fidei emptore loquens violentæ invasionis casum non attingit, spoliatori impositam fructus naturales indiscriminatim omnes restituendi obligationem minuendi vim non habet. Imò cæteris quoque malæ fidei possessoribus ullum patrocinium non præstat; cùm quosque hujusmodi fidei possessores ad ejusmodi fructuum planè omnium restitutionem compellendos, omnino liqueat ex *l. Fructus l. Si navis §. fin. l. Domum & l. Certum citt.* ullum inter malæ fidei possessores non statuentibus & agnoscentibus discrimen: & à restitutione perceptorum, imperatâ *l. Si fundum cit.* percipiendorum restitutionem non præstandam, malè inferatur à contrariò ductò argumentò, cùm; quia huic locus non est, quando eò illati contrarium Jure est expressum, Everard. *Legal. arg. locò à contrario n. 4.* Menoch. *Lib. 3. præsumpt. 93. n. 5.* & Mantica *de Conject. ult. volunt. Lib. 3. tit. 15. n. 13.* tum verò; quia *l. cit.* relatum Imperiale rescriptum ad certam facti, scilicet perceptorum fructuum, speciem directum, atque idcirco ultra rescribentis mentem & intentionem ad percipiendorum fructuum restitutionem excludendam trahendum non est, Menoch. *cit. remed. 15. n. 608.* Haunold. *tract. cit. n. 288.* & aliis relatis Bruneman. *in l. cit. n. 3.* Hæc satis certa.

55. Dubium autem primò est, an spoliato restituendi sint fructus, quorum perceptio est inhonesta, vg. qui percipiuntur ex ædibus, locatis meretricibus & lenonibus. Qua in re adhibenda & Jure prodita est distinctio inter ejusmodi fructus perceptos ac percipiendos; cùm malæ fidei possessorem, sicut ad restitutionem

fructuum

fructuum inhonestè perceptorum clarè obligat *l. Ancillarum 27. ff. de Hæredit. petit.* cujus §. 1. Ulpianus, *Pensiones, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ sunt*, restituendas ait, *licet à lupanario perceptæ sint:* sic malæ fidei possessores ab ejusmodi fructuum inhonestè percipiendorum restitutione absolvit *cit. l. Fructus 34.* verbis, *sed & fructus, qui percipi honestè potuerunt:* ex quibus verbis inhonestè percipiendos minimè restituendos argumentò à contrario legitimè infertur, ut cum Baldo *in l. Fructus cit. n.* 1. & Butrio *in c. cit. n.* 12. observant *citt.* Menoch. *n.* 102. & Bruneman. *in l. cit. n* 2. Ratio prioris partis est partim; quòd ejusmodi fructus percepti proveniant ex re, malâ fide possessa, cujus fructus domino debentur: partim; ne spoliator ex delicto sive alienæ rei occupatione violenta & injusta possessione ullum commodum reportet. Posterioris autem; quòd spoliatus, aliúsve rei dominus, sicut inhonestæ perceptionis fructus ipse procurare, sic etiam exigere ab alio nequeat eorum perceptionis procurationem.

56. Dubium secundò est, an spoliato restituendi sint fructus, quos ipse, si rei possessionem non amisisset, ex ea percipere singulari suâ industriâ potuisset; eos enim saltem, qui communi industriâ percipi potuerunt, restituendos, nemo est, qui inficias eat. Ab eorum autem, quos singulari industriâ percipere potuisset, restitutione spoliatorem excusat Decius *in l. Generaliter 78. ff. de R. J. n.* 5. quòd attendi nunquam soleat singulare interesse Actoris. Sed hoc generaliter verum negat, & eos etiam fructus, quos singulari suâ industriâ percipi potuisse, spoliatus probârit, restituendos, cum Ant. de Butrio *in c. Gravis cit. n.* 13. Bartolo *in l. Domum cit. n* 5. & aliis sustinet *cit.* Sanchez *cap.* 23. *n.* 114. ductus *c. & ll. citt.* generalitate & ratione; quòd spoliator ad rei conservationem & perceptionem fructuum eam diligentiam adhibere teneatur, quam diligentissimus paterfamilias solet; cùm ad rei & fructuum æstimationem præstandam etiam obligetur, etsi nullâ suâ culpâ interiisset, nullíque fructus ex ea fuissent percepti.

Dubium tertiò & DD in diversa abeuntium, magnâ dissensione agitata controversia est, an cum re spoliato restituendi sint fructus, quos percipere etiam spoliator potuisset: cui ansam præbuêre *l. Si fundum & l. Domum citt.* quarum priori malæ fidei possessor ad fructus, *Quos eum mala fide percepisse, fuerit probatum:* posteriori, *Quos percepit ac percipere ipse potuit* restituere jubetur; itáque apertè attenditur facultas seu potentia percipiendi fructus, se tenens ex parte spoliatoris, vel alterius malæ fidei possessoris. At, licet ab isto cum re ex ea percepti &, quos communi industriâ potuit percipere, fructus planè omnes restituendi sint, quoad fructus tamen percipiendos industriâ singulari, non ipsius, sed spoliati, aut rei domini potentia attenditur; ut spoliator fructus, quos ejusmodi singulari industriâ non ipse, sed spoliatus percipere potuit, restituere teneatur & compellatur, ut cum Butrio & Bartolo *citt.* defendunt Garzias *de Expens. cap. 23. n. 49.* Sanchez *cit. n.* 114. Haunold. *tract. cit. n. 289.* & alii, permoti claris textibus *c. Gravis, l. 1. §. 31. & l. Si de possessione citt.* quibus diserte spoliati: *l. Si navis §. fin. & l. Generaliter citt.* quibus domini, cujus res malâ fide possidetur, potentia seu fructus restituendi facultas attendenda generaliter asseritur. Ratio est; quia Juris utriusque conditores quoad restitutionem fructuum, sicut eorum qui percipiendi verisimiliter erant & potuerunt percipi, apertè favent ac prospiciunt spoliatis & aliis pro restitutione agentibus adversus rerum suarum malæ fidei possessores, & in fructibus,

57.

58.

ctibus, quos ipsi percepturi erant, & percipere poterant, læsi intelliguntur vel præsumuntur.

Neque cum hac resolutione pugnant *l. Si fundum & l. Domum citt.* quia illa expresse loquitur de fructibus perceptis: ista verò, ut cum aliis Juris textibus in concordiam reducatur, exaudienda est de fructibus industriâ, non singulari, sed communi percipiendis; hos enim respiciens potentia cum utrique communis sit, sicut juxta spoliati, aut alterius domini, sic etiam juxta spoliatoris aut alterius malâ fide possidentis potentiam restituendi, salvâ resolutione, dicuntur.

59 Dubium quartò est, an spoliator aliúsve malæ fidei possessor restituere teneatur fructus, provenientes ex rei vi occupatæ, aut aliter iniquè possessæ melioratione. Percipiendos sive, quos percipere ex ea potuisset, restituendos, ex communi aliorum sententia negant *Menoch. cit. remed. 15. n. 610.* Covarr. *Lib. 1. cap. 8. n. 4.* Garzias *cit. cap. 23. n. 49.* & Barbosa *in l. Divortio 8. §. fin. ff. Soluto matrim. n. 51.* ducti *l. Cæterùm 31. ff. de R. V. ubi* Paulus JCT.^9 de fructibus servi fugitivi à domino petitis respondens, *Improbè*, inquit, *desiderabit petitor*, servi dominus, *fructus æstimari, qui ex artificio ejus percipi potuerunt, quod artificium sumptibus possessoris didicit.* Ratio est; quia, si eos etiam fructus, quos ex hujusmodi sua melioratione percipere potuit, restituere teneretur, sua industria ei damnosa foret, contra Regulam *l. fin. C. de Alluvionibus.* Quæ ratio, cùm, sicut in fructibus percipiendis ex artificio, quod servus possessoris sumptibus doctus est, sic in ejusmodi aliarum meliorationum, à re inseparabilium, fructibus militet, *l. cit.* dispositio ad hos quoque porrigetur.

60. Idem de fructibus ex melioratione perceptis tradunt *citt.* Garzias *n. 50.* Gutierez *Lib. 3. Practic. q. 48. n. 17. arg. l. cit.* &; quòd ejusmodi fructus ex re propria, & non ex aliena percepti sint, hoc ipsò; quòd percepti sint ex melioratione ab ipso facta. Sed meliùs ad fructuum ex melioratione à re sine ejus detrimento non separabili, ut sunt stercoratio agrorum, plantatio, postquam plantæ egerunt radices &c. perceptorum restitutionem spoliatorem aliúmve malæ fidei possessorem, cum Glossa *in l. cit. V. Potuerunt* & Angelo *ibid. in fine*, obligant Menoch, Covarr. *l. citt.* Barbosa *à n. 52.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 725. n. 12.* Ratio est; quia melioratio rei alienæ, quæ ab ista sine detrimento nequit separari, cedit rei domino; ac proinde huic fructificat, ex eâque percepti fructus restitutioni domino faciendæ obnoxii sunt.

Unde corruit pro possessore allegata ratio, cum argumento desumpto ex *l. cit.* quia hæc apertè loquitur de fructibus percipiendis, ut liquet ex textu, & Glossa *cit.* adnotavit.

Atque hactenus firmata fructus etiam percipiendos restituendi obligatio, sicut spoliatorem quoad fructus, quos dominus percepturus verisimiliter fuisset, non solùm in externo, sed & in interno foro urget, sic in isto sive animæ foro non urget quoad eos fructus, quos dominus quidem percipere potuisset, verisimiliter tamen percepturus non fuisset, Medina *de Restitut. q. 6. Ad secundum, citt.* Sanchez *cit. cap. 23 n. 118.* Palao *§. 10. n. 6.* & Haunold. *n. 286.* Ratio est; quia in animæ foro spoliator aliúsve malæ fidei possessor solùm obligatur ad interesse damni, domino emergentis & lucri ei cessantis ex ablatione & retentione rei: damni autem emergentis & cessantis lucri interesse non consistit in eo, quod dominus percipere potuisset, sed in eo tantùm, quod communi vel singulari suâ industriâ adhibitâ percepturus verisimiliter fuisset. Ratio discriminis inter utrumque forum est; quod in

quòd in interno sive animæ foro restituendi obligatio oriatur ex Justitia Commutativa, jus suum cuique tribuere intendente, & attendente æqualitatem; ut scilicet rei domino obveniat omne id, quod habiturus erat ex re sua, si illius possessio vi, aliáve injuriâ ablata non fuisset: In foro autem externo faciendæ restitutio oriatur ex Justitia Legali, etiam intendente satisfactionē Reipublicæ spoliatoris violentiâ & alterius malæ fidei possessoris delictō læsæ; & propterea delicti odiō ultra æqualitatem illam spoliatorem, aliúmve, alienæ rei occupatione & retentione delinquentem, ad aliquid præstandum obliget, in violentiæ, aut alterius injuriæ, domino illatæ, pœnam: quam præstandi obligatio delinquentem in foro animæ ante sententiam judicis condemnatoriam, aut saltem criminis declaratoriam, non urget, ut cum Covarr. *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. & n. 8.* Castro *Lib. 2. de Justa haret. punit. cap. 9.* Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 29. à n. 63.* & aliis statuetur ad *Rubr. de Pœnis n. 18.*

63. Simili modō in animæ foro & ante judicis sententiā spoliator aliúsque malæ fidei possessor restituere non tenetur fructus, perceptos ex rei alienæ melioratione: imò istius æstimationem detrahere potest; cùm, hâc detractâ & illis non restitutis, dominus indemnis servetur, hōc ipsō; quòd nihilominus tantum consequatur, quantum habiturus erat, si rei suæ possessionem non amisisset.

64. Dubium quintò est, quas expensas deducere valeat spoliator aliúsque malæ fidei possessor in rei, vi aliáve injuriâ occupatæ vel detentæ, restitutione.

Sunt autem triplicis generis Expensæ, Necessariæ, Utiles, Voluptuariæ, *l. Impensa 79. pr. ff. de V. S. & l. 1. pr. ff. de Impens. in dot. fact.* Necessariæ sunt, sine quibus res aut peritura, aut deterior futura esset: ut sunt refectio ædificii, cultura agrorum, servorum curatio, alimenta & cura animalium, moles ad aquarum impetum à fundo arcendum in mare aut flumen projecta & similia, *cit. l. 1. §. 3. & ll. seqq.* Utiles, quæ rei commodum & utilitatem augent, fructúsque & proventus annuos auctiores reddunt, sine quibus tamen res non minùs integra esset: ut sunt ædificium in area vacua extructum, impositа prædio pecora, agrorum stercoratio, *l. Impensa cit. §. 1. & l. Quod dicitur 5. §. fin. ff. de Impens. in dot. fact.* Voluptuariæ seu merè voluntariæ, quæ solius voluptatis seu recreationis, vel ornatūs causâ fiunt & proventus seu fructus non augent: ut sunt viridaria, aquæ salientes, incrustatio, picturæ, *l. Impensa cit. §. fin.* Quō præmissō

65. Dubitationis propositæ resolutio est, à spoliatore aliōve malæ fidei possessore in rei & fructuum restitutione fieri Jure posse deductionem necessariarum: non etiam utilium, multóque minùs inutilium & voluptuariarum impensarum.

De necessariis id liquet ex *l. Domum cit.* ex cujus Imperiali rescripto malæ fidei possessor *Eorum*, quæ impendit, *nullam repetitionem habet, nisi necessarios sumptus fecerit.* Imò neque istorum, si eos fecerit in alimenta infantis, servi furtō surrepti, *l. 1. C. de Infant. expos.* Ratio, cur hujusmodi impensas deducere permittatur est partim; quia istarum deductio tribuitur causæ, non personæ malæ fidei possessoris: cujus negligentiæ & culpæ hujusmodi impensarum omissio imputaretur: partim verò; quia aliàs dominus rei locupletaretur cum jactura aliena; cùm tales impensas facere ipse debuisset, si res ab alio possessa non fuisset.

66. Utilium autem deductio ei denegatur *l. Domum cit.* quâ malæ fidei possessori ejus, quod impendit, repetitio disertè

negatur, *Nisi expensæ necessariæ fuerint:* aut, si sint utiles, separabiles, salvâ re principali & sine prioris status læsione: quæ hujusmodi utilium exceptio etiam desumitur ex *l. Utiles 39. in fine ff. de Hæredit. petit. & l. Julianus 37. ff. de R. V.* in cujus fine JCT.s iste in area, quam scivit alienam, ædificanti expensarum retentionem non permissam: *Hoc tamen ei concedendum*, respondit, *ut sine dispendio domini area tollat ædificium, quod posuit.* Ratio est; quia, quod domino non nocet, ædificanti autem prodest, facilè est indulgendum.

67. Non parùm tamen hujusmodi separabilium impensarum deductioni adversatur Imperator §. *Ex diverso 30. Instit. de Rer. divis.* in alieno solo domum ex sua materia ædificanti ne quidem istius dirutæ materiam concedens; quòd eâ ædificatione materia alienata & domino donata intelligatur, si in alieno solo ædificium strui non ignoravit: qui textus DD. adeò torquet, ut non desint, qui domûs dirutæ materiâ perdi, Juris rigore, æquitate autẽ spectatâ, à malæ fidei possessore recuperari, velint cum Gothofredo *in l. Julianus cit.* Verisimilior istius legis cum §. *cit.* conciliatio est; quòd iste spectet casum, quô domus ædificatur in solo alieno, ab ædificante non occupato & possesso; quòd tali casu ejus materia alienata & domino donata præsumatur: contrà *l. cit.* procedat casu, quô domus in solo alieno, sibi adquirendi animô occupato, malâque fide ab ædificante possesso extructa fuit; cùm enim talis donandi animum, si non probetur, non habuisse præsumatur, *arg. l. Si pupilli 6. §. 3. ff. de Negot. gest.* nam domûs non solùm dirutæ, sed etiam stantis, sine istius detrimento & dispendio domini separabilem materiâ non perdit, sed permittitur aufferre; ne dominus cum alieno damno locupletetur, ut aliqui notant apud Salycetum, *in l. Si inferiorem cit. n. 5.*

Voluptuarias & merè voluntarias impensas non deduci, à fortiori desumitur ex *ll. citt.* ex quibus hujusmodi impensarum, ne quidem à re sine istius detrimento separabilium, deductionem permissam, infertur; quòd legibus illis expensarum separabilium, si utiles sint, detractio malæ fidei possessori concedatur, Salycet *in l. Domum cit. n. 1. in fine*, Menoch. *cit. remed. 15. n. 545.* Covarr. *in Reg. Peccatum, p. 2. cap. 6. n. 4.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 725. n. 10. in fine.*

Atque hæc procedunt in externo: in interno autem sive animæ foro etiam malæ fidei possessor illæsâ conscientiâ detrahere ac retinere ante judicis sententiam potest impensas utiles, rei æstimationem & utilitatem augentes: quasque in rem facturus ejus dominus non fuisset; quia in foro isto, ante sententiam etiam iniquus alienæ rei possessor dominum locupletiorem reddere non tenetur, sed satisfacit, si eum servet indemnem juxta dicta *n. 62.* quia rem cum iis, quæ, si dominus possessionem non amisisset, habiturus erat, restituendô, retentis hujusmodi impensis, præstat, *citt.* Covarr. *n. 3.* Molina *n. 13.* & Haunold. *cit. tract. 3. n. 258.*

ARTICULUS IV.

De Restitutione Fructuum, facienda à bonæ fidei successore Spoliatoris, aliôve ejusmodi Possessore.

SUMMARIUM.

70. *Hujusmodi spoliatoris successor & possessor cum re fructus nondum perceptos.*

71.

71. *Et perceptos in se adhuc extantes,*
72. *Et ex consumptis restituit, in quantum factus est ditior, si alienæ hæreditatis:*
73. *Secundùm aliquos etiam, si aliarum rerum bonæ fidei possessor sit.*
74. *Verius hujusmodi successor fructus consumptos indiscriminatim non restituit,*
75. *Sive Jus, sive ratio spectetur.*
76. *Post litem contestatam, si res non evincatur, nullos:*
77. *Si evincatur, omnes fructus perceptos & percipiendos restituit.*
78. *Expensas ejusmodi successor & possessor Necessarias & Utiles,*
79. *Saltem separabiles,*
80. *Et nonnullis casibus etiam inseparabiles:*
81. *Non etiam Voluptuarias deducit:*
82. *Nisi quoad partem aliquam in foro conscientiæ.*
83. *Possessor antè bonæ, pòst malæ fidei, extantes pro bonæ,*
84. *Et pro malæ fidei tempore, omnes fructus restituit.*
85. *Is, cujus malæ bonæ fides supervenit, si Universalis, omnes:*
86. *Si singularis successor sit, habitâ ratione temporis, extantes, vel omnes fructus restituere tenetur.*

70. SPoliato, re, cujus possessione vi dejectus est, ab hujusmodi sive singulari bonæ fidei & antecedentis spoliationis ignaro successore evictâ, an cum illa etiam fructus, & quinam restituendi sint, resolutionis minimè expediræ, multisque difficultatibus involuta quæstio est; quantumvis enim

Certum sit, spoliato cum re evicta restituendos omnes fructus, necdum perceptos, sive adhærentes solo, ac pendentes; cum hujusmodi fructus sint pars fundi, cui adhærent, *l. Fructus 44. ff. de R.V.* & iste cum fructibus necdum separatis pro una eadémque re habeatur, *l. fin. §. 6. ff. Quæ in fraud. credit.* & in eadem Vindicatione fundus & fructus ejus, à solo necdum separati, veniant propter unitatem, *l. Julianus 13. §. 10. ff. de Act. empti*, Barbosa *in l. Divortio 8. §. Interdum 15. ff. Soluto matrim. n. 5.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 3. n. 265.*

Dubium tamen est primò de fructibus, ab ejusmodi singulari bonæ fidei possessore perceptis & adhuc extantibus: de quibus Doctorum varius, & verior sensus est, istum, re à spoliato evictâ, fructus naturales & industriales ex illa perceptos & in se adhuc extantes (quorum dominium revocabile acquisivit) domino restituere teneri, ut cum Sylvestro *V. Fructus, n. 2.* Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 3. n. 6.* Menoch. *Recuper. possess. remed. 15. n. 596.* Medina *de Restitut. q. 10. concl. 2.* & aliis docent Laiman *Lib. 3. s. 5. tract. 2. cap. 3. n. 5.* Palao *Tract. 31. disp. unic. p. 24. §. 7. n. 8.* Haunold. *cit. Tract. 3. num. 268.* Bruneman *in l. Certum 22. C. de R.V. n. 3.* & RR. alii, permoti rescriptò Imperiali *l. cit.* cujus perspicuus tenor est, *Certum est, malæ fidei possessores omnes fructus solere cum re ipsa præstare: bonæ fidei verò* possessores *antè extantes, post litis autem contestationem universos.* 71.

Dubium secundò & difficillimæ resolutionis controversia est de ejusmodi fructibus consumptis: quos à bonæ fidei possessore alienæ hæreditatis, in quantum is locupletior factus est, restituendos, clarè proditum est *l. Illud quoque 40. ff. de Hæredit. petit.* cujus §. 1. JCT.^us ait, *In bonæ fidei possessore hi tantùm fructus veniunt in restitutione quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior est factus.* Consonat. *l. Sed etsi 25. §. 11. ff. & l. 1. C. eâdem Rubr.* 72.

173. Sicut ab hæreditatis, sic & à cujusvis alterius rei evictæ bonæ fidei possessore naturales & industriales fructus, ex re jam perceptos & consumptos, in quantum is locupletior factus est, restituendos cum Panormit. *in c. Gravis* 11. *n. 6.* Bartolo *in l. Et ex diverso 35. ff. de R. V. n. 7.* & Covarr. *cit. n. 6.* communi calculo sentiunt TT. quibus hanc suam Opinionem præter *ll. citt.* contra quoscunq; alienæ rei possessores persuasit Primò *§. Etsi in rem 2. V. Etsi, Instit. de Offic. judic.* ubi Imperator ait, *Etsi hæreditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus de singularum rerum petitione*, scilicet rem cum fructibus consumptis, in quantum possessor factus est locupletior, restituendam. Secundò, *Reg. Jure Naturæ 206. ff. & Reg. Locupletari 48. in 6.* quibus cavetur, ne quis cum alterius detrimento locupletetur: sic autem bonæ fidei possessor locupletaretur, si, re evictâ cum fructibus extantibus domino restitutâ, consumptos, quorum consumptione factus est locupletior, retineret. Tertiò; quòd fructus, quorum consumptione factus est locupletior, licet non in se, æquivalenter tamen in lucro possessoris, consumptione locupletati, extent; ac proinde aliorum fructuum perceptorum & extantium instar ipsi quoque venire debeant in restitutione.

74. Sed verius est, bonæ fidei possessores cæteros rei evictæ fructus consumptos restituere non teneri, quantumvis eorum consumptione facti sint locupletiores, ut *in c. Gravis cit.* Glossa *V. Fructus*, Ant. de Butr. *n. 12.* Imola *n. 4.* Beroius *n. 29.* & *in l. Certum cit.* Cynus *n. 4.* Salicet. *n. 3.* & ex aliis DD. Garzias *de Expens. cap. 23. n. 4.* Pinell. *in l. 2. C. de Rescind. vendit. p. 2. cap. 4. n. 74.* Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 58* Donell. *Lib. 4. Comment. Civil. cap. 24. §. De fructibus*, & plures alii JCT. i moderni & ex TT. *citt.* Palao *§. 7. n. 12.* & Haunold. *Tract. 3. n. 281.* defendunt. Fundamentum, quò nituntur, unicum est; quòd Jura, agentia de rei evictæ fructuum restitutione facienda à bonæ fidei possessore, aliter de hæreditatis, aliter de cæterarum rerum fructibus loquantur; &, sicut illius fructus consumptos non nisi, in quantum ejusmodi possessor eorum consumptione locupletior factus est, *ll. citt.* sic istarum fructus tantùm extantes restituendos decernant *l. Certum cit.* consumptos verò non restituendos asserant *l. Sed & loci 4. §. 2. ff. Finium regund.* & ad istorum restitutionem adversus bonæ fidei possessorem agi & hunc condemnari posse, negent *l. Quæsitum 40. ff. de Adquir. rer. dom. & §. Si quis à non domino 35. Instit. de Rer. divis.* Cui rationi non parùm roboris inde accedit, quòd passim recepta & ab oppositæ sententiæ Assertoribus agnita tribunalium praxi, & Jure quoque nostro Provinciali Landrecht *Tit. 9. art. 10.* consumpti fructus bonæ fidei possessoribus, locupletationis ullâ ratione non habitâ, adjudicentur: quæ praxis & statutum particulare in dubio pro communis Juris interpretatione potiùs, quàm correctione accipienda sunt, *arg. c. Cùm non expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* Panormit. *Lib. 2. Consil. 78.* & Tuschus *Practic. V. Correctio, concl. 1037. num. 1.*

Resolutionem quidem hanc primò occursu difficilem reddit, sed non convellit Imperator *V. §. Et si cit.* quia eadem in hæreditatis & singularum rerum petitione intervenire ait; quòd utrâque petitione agatur pro fructibus: licet pro his non eodem modo eadémque extensione utrâque agatur; cùm petitionem fructuum rerum singularum minùs, quàm petitionem fructuum hæreditatis extendi, si-

di, liqueat ex *ll.* in utramque partem allegatis. Rationem discriminis reddit *cit.* Haunold. *n.* 277. quòd, cùm possessor hæreditatis possideat pro hærede, quidquid ipsi tanquam hæredi accessit, cùm hæres revera non sit, accesserit hæreditati evaseritque pars universitatis bonorum hæreditariorum; atque idcirço in ista comprehensi fructus cum eo, ex quo possessor factus est ditior, eâdem actione, quâ hæreditas, petatur. Alia ratio est fructuum rerum singularum: qui, cùm istarum pars non sint, non eâdem actione, quâ hujusmodi res, scilicet Rei Vindicatione: sed imploratô judicis Officiô, vel Conditione sine causa, vel ex Lege petuntur.

Minùs urget ex *Reg. citt.* petitum argumentum; quia, esto, Naturali Jure spectatô, lucrum, cum alieno detrimento perceptum, obnoxium sit restitutioni, Jus tamen illud, sicut alienam rem subijci præscriptioni bonæ fidei possessoris, sic isti lucrum, ex rei alienæ, bonâ fide possessæ, fructuum consumptione proveniens relinqui, non vetuit legibus: quibus singularum rerum fructus consumptos ejusmodi possessori addictos, est ostensum: & huic addicendi *justissimâ* causam præbuit evitatio & exclusio litium & conscientiæ anxietatum, quæ ex incertitudine & difficultate probandi lucrum, quod fructuum consumptione perceptum est, sæpe nascerentur.

Neque vim habet postremum; quia legum, extantes fructus domino addicentium, verba, cùm sine ullo incommodo possint, accipienda sunt propriè, *arg. l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3.* quô modô sumptô *Extantium* nomine in se & realiter, non æquivalenter tantùm, sive in lucro, ex illorum consumptione proveniente, extantes venire, extra omne dubium est.

76. Dubium tertiò est de restitutione fructuum, perceptorum post litis contestationem. Et quidem, si res non evincatur, ullâ fructuum restitutione bonæ fidei possessorem non gravari, certum est; quòd litis denuntiatio & ipsa etiam contestatio bonam fidem non impediat, nisi quoad fructuum restitutionem & dependenter ab exitu litis reique evictione faciendam, *l. Qui scit 25. §. fin. ff. de Usur. & fruct.*

77. Si verò res evincatur, dubitandi ratio est; quia possessor circa rem, quæ postea evincitur, fidem habere bonam, eámq; esse suam judicare potest: eámque cùm ipse suam esse judicat, indefensam relinquere non debet, *l. Illud quoque 40. pr. ff. de Hæredit. petit.* Cui rationi *citt.* Garzias *cap. 23. n. 25.* & Sanchez *cap. 23. n. 193.* id tribuunt; ut malam fidem litis contestatione tum demum induci asserant, quando ista, vel denuntiatio litis ita facta est; ut possessor prudentis arbitriô judicare debeat, rem, super qua lis mota & contestata est, non esse suam; quòd in actoris libello talia allegata sint argumenta, quæ rem esse alienam, verisimile reddant. Unde casu, quô hujusmodi argumenta in ingressu litis non allegantur, & quousque res evicta sit, aut saltem ejusmodi argumenta & probationes appareant, bonæ fidei possessorem à fructuum restitutioe DD. *citt.* excusant, idque desumunt ex *l. Si fundum cit.* quâ cum fundo evicto restitui jubentur *Fructus, quos eum*, possessorem, *malâ fide percepisse, fuerit probatum.*

Sed licet hæc istorum DD. Opinio non solùm benigna, sed æquitati quoque & rationi naturali valde consentanea sit, ab ipsa tamen litis contestatione perceptos ac percipiendos fructus indiscriminatim omnes à quovis possessore restituendos, liquet ex *l. Certum cit. & l. Sed etsi 25. §. 7. ff. de Hæredit. petit.* ubi ratio red-

tio redditur; quòd *Post litem contestatam omnes incipiant malæ fidei possessores esse: quin imò post controversiam motam*, sive litis denuntiationem; quòd Juris ita præsumentis fictione vel interpretatione scire incipiant, vel intelligantur, rem ad se non pertinentem se possidere. Quæ fructus restituendi obligatio eâ præcipuè nititur ratione; quòd super re conventus possessor, licet revera malæ fidei non sit, à litis tamen contestatæ die & momento à fructuum consumptione abstinere, eósque diligenter custodire debeat, quousque controversiæ motæ exitum cernat: &, si quos ex illis, lite pendente, consumpserit, suô periculô id fecerit: réque evictâ cum extantibus etiam consumptos, licet ditior factus non sit, instar veri malæ fidei possessoris restituere, compellatur, Panormit. *inc. Gravù cit. n. 15. ubi* Beroius *n.* 17. Menoch. *cit. remed. 15. n. 596.* & Haunold. *Tract. cit n. 290.*

78. Dubium quartò est, quas impensas deducere valeat spoliatoris bonæ fidei successor singularis, aliúsve hujusmodi fidei possessor. Necessarias & utiles quoq; si à re sine ejus detrimento ac dispendio domini separabiles sint, deduci ab iis posse, nemo est, qui inficietur; cum tales etiam à malæ fidei possessore deduci posse, dictum sit *n. 65.* utiles autem & à re

79. inseparabiles expensas ejusmodi spoliatoris successor, & bonæ fidei possessor alius deducunt Primò, si dominus eas factas approbavit, aut ipse erat facturus, *l. In fundo 38. ff. de R. V.* ibi, *Finge & dominum eadem facturum fuisse: reddat impensam, ut fundum recipiat usque eo duntaxat, quo pretiosior factus est*; nam consuetudo domini prima eorum, quæ impensa sunt, regula est; ut rectè impendat, qui sumptus fecit, quos ipse dominus erat facturus, Mævius *p. 6. decis. 187.* Secundò, si dominus rem, quæ bonâ fide possessa ab alio & melior reddita est, habeat venalem, & propter factas in eam impensas utiles ex ejus pretio plus sit consecutus, *l. cit. in fine* & *l. Nisi fi venalem 29. ff. eâdem Rubr.* Tertiò, si dominus sit dives & habeat, unde expensas illas absque rei suæ alienatione refundat, *arg. l. In fundo cit.*

Quod si dominus ita sit pauper, ut 80.
expensas solvere nequeat sine evictæ, aut aliarum rerum valdè necessariarum alienatione, possessor eam servare nequit; impensas tamen in eam factas, quatenus utiliter potest, tollere permittitur ita; ut deterior non reddatur, quàm fuit, antequam in eam fierent impensæ; nisi ablatæ domino ad nihil utiles futuræ essent; cùm enim malitiis hominum indulgendum non sit, possessori id, quô ablatô nihil, nisi ut officiat, laturus est, tollere volenti non est indulgendum; cùm ita obesse velit, quin sibi prodesse possit: quod malitiâ non vacat, *l. cit.* Quare tali possessori rem evictam restituenti expectandum est, donec ei ex fructibus satisfieri possit, Haunold. *cit. tract. 3. n. 295.*

Voluptuariarum quoque seu merè 81.
voluntariarum impensarum deductionem bonæ fidei possessori iis saltē casibus, quibus eas ipse dominus erat facturus, aut rem ratione hujusmodi impensarum, vg. incrustationis, picturarum, aquarum salientium, aliarúmque ad solam recreationem & splendorem comparatarum cariùs venditurus, permissā, desumitur ex *l. Utiles cit.* §. 1. & ratio est; ne cum jactura aliena dominus locupletetur, contra *Reg. Jure Naturæ 206. ff.* & *Reg. Locupletari 47. in 6.*

Quin extra hos etiam casus Volu- 82.
ptuariarum impensarum partem aliquam juxta spem lucri, quod ex illis dominus verisimiliter consecuturus est, à bonæ fidei possessore deduci in foro animæ posse, cum Card. de Lugo *de J. & J. disp. 17. n. 63.* cen-

63. censet *cit.* Haunold. *n. 302.* quod dominus quoad spem illam revera aliquam utilitatem consequatur & locupletior evadat.

83. Dubium est quintò, an & quos fructus restituat possessor, cujus fidei bonæ supervenit mala. Non ficta & inducta litis denuntiatione vel contestatione ; de qua jam dictum : sed vera, orta ex superveniente cognitione rei alienæ, quàm an-
84. tè existimavit esse suam. Cujus, donec evicta fuerit, fructus possessori acquiri, & restitutioni ante sententiam judicis obnoxios non esse, voluere Baldus, *in l. Qui scit 25. §. fin. ff. de Usur. & fruct.* & *in c. Gravis cit.* Imola *n. 7.* Anchoran. *n. 11.* & Beroius *n. 36.* ducti *l. cit.* cujus §. *fin.* Julianus JCT.^us ad quæstionem, an fructus perceptione suos faciat emptor, qui post sementem jactam in terram ante messem cognovit, fundum esse alienum, respondit, *Bonæ fidei emptor quoad fructus percipiendos intelligi debet, quamdiu fundus evictus non fuerit*; Quod istius JCT.^i responsum manifestè pugnat cum *l. Qui bona 23. ff. de Adquirend. rer. dom.* quâ Ulpianus magis Christianè de domino, cui servus alienus bonâ fide servit, *Tamdiu*, inquit, *acquirit* ex operis servi, *quamdiu bonâ* domini *fide servit. Cæterum si cæperit scire, eum esse alienum. Videamus, an ei acquirat; Quæstio in eo est. utrum initium spectemus an singula momenta : & magis est, ut singula momenta spectemus* ; ut scilicet ab eo momento, quô dominus notitiam habet rei alienæ, ei tanquam malæ fidei possessori non acquirat, ut etiam Paulus *l. Bonæ fidei 48. §. 1. in fine. ff. eâdem Rubr.* respondit, & disertissimè S. Augustinus *Lib. de Fide & Operib. cap. 7.* ubi ait, *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc mala fidei possessor perhibetur*, ut refertur *can. Si Virgo 34. q. 2.* Ratio est ; quia quoad mores & conscientiam perinde est, injustè retinere, aut consumere, & injustè accipere.

Quare ab eo momento, quô possessor rei alienæ scientiam habet, tanquam malæ fidei possessor fructus nullo modo (etiam revocabiliter) facit suos, eósque restituere tenetur, Covarruvias *Lib. 3. Var. cap. 3. n. 7. citt.* Menochius *n. 592.* Garcias *n. 13.* Molina *Tract. 2. de J & J. disp. 725. n. 1.* & Bruneman, id in Orbe Christiano receptum, asserens, *n. 4. in l. Qui scit cit.* quâ & *l. Qui bona l. Bonæ cit.* relata JCT.^orum responsa ut ab Antinomia, & *can. Si Virgo cit.* à correctione absolverent, Interpp. multo labore desudârunt. Complures de concordia omnino desperârunt. Non etiam *cit* Garcias *à n. 16. l. Qui scit cit.* accipiens de superveniente cognitione rei alienæ solummodo ficta, quæ inducitur litis denuntiatione ; hâc enim possessor quoad fructus percipiendos in mala fide vera non constituitur, quamdiu fundus non fuerit evictus, sive in judicio non exhibita documenta, ex quibus cognoscere potuit, eum esse alienum & evincendum : contrà *l. Qui bona & l. Bona & can. Si virgo citt.* textus de cognitione rei alienæ non ex actu judiciali, sed aliunde orta & vera notitia exaudit. Quam conciliationem etiam probant Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 59. ad finem* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 23. n. 153.* Unde 85.

Dubium sextum oritur de possessore, cujus malæ fidei supervenit bona. Et quidem, si in persona, fictione tantùm juris eâdem, ut est hæres cum defuncto, malæ superveniat bona fides propria hæredis, ista, sicut ad rei præscriptionẽ, *l. Cùm hæres 11. ff. de Diversi. temp. præscript.* sic etiam ad perceptionem fructuum non proficit. 86.

proficit, *l. Litigator 2. in fine C. de Fruct. & lit expens.* quòd, cùm hæres in omne jus defuncti succedat & istius personam repræsentet, ignoratione & bona fide sua defuncti vitia, sive malâ fidem non excludat, & istius instar rem malâ fide possidere intelligatur: licet ipse revera habeat bonam, Panormit. *in c. Gravis cit. n. 10. ubi* Beroius *n. 38.* & Menoch. *cit. remed. 15. num. 168.* quibus locis hi DD. secus esse notant in successore singulari, vg. cui una vel plures res singulares à malæ fidei possessore fuerunt legatæ; cùm enim iste personam defuncti, in cujus possessionem succedit, non repræsentet, rei ab illo malâ fide possessæ sibique legatæ fructus suos faciet, si eam bonâ fide ipse possideat: etsi hodie quoad hujusmodi rerum immobilium præscriptionem aliud constitutum sit, *Auth. Mala. C. de Præscript. longi temp.*

Si verò malæ fidei bona in una eademque persona succedat, & vg. Titius fundum, quem priùs esse alienum existimârat, & malâ fide possederat, nunc possideat bonâ fide & justâ ratione persuasus, credat esse suum, quoad fidem malam bonámque singula momenta spectanda sunt, juxta *l. Si bona cit.* ut talis initiò malæ, postea bonæ fidei possessor, re à domino evictâ, pro tempore anteriori malæ, instar aliorum malæ fidei: & pro bonæ fidei posteriori tempore, aliorum hujusmodi fidei possessorum instar, reputetur, & fructus restituere teneatur, *citt.* Panormit. *n. 10.* Beroius *n. 40.* Menoch. *n. 916.* & Sanchez *n. 156.*

ARTICULUS V.

De Spoliati Restitutione in causis Matrimonialibus.

SUMMARIUM.

87. *Frequens hæc est in Matrimoniis:*
88. *Non tamen ante ejus contractum.*
89. *Eò ratiô spoliatus conjux non ad thorum,*
90. *Sed ad cohabitationem &c. est restituendus:*
91. *Nisi restitutioni opponatur professio Religionis.*
92. *Eò consummatô spoliatus restitui,*
93. *Et spoliantem recipere debet.*
94. *Restitutionem impedimenti objecti parata:*
95. *Non ex intervallo facienda, probatio moratur.*
96. *De impedimento certus debitum etiam reddere nequit:*
97. *Etiamsi urgeat judicis præceptum,*
98. *Impedimentum sit Juris humani,*
99. *Et personæ longissimo tempore fuerint conjunctæ.*
100. *De impedimento dubitans id solum exigere nequit:*
101. *Nisi dubium sit leve, vel adhibitâ diligentiâ possit deponi.*
102. *Mutuum votum Continentiæ restitutioni ad thorum:*
103. *Non etiam ad cohabitationem &c. obstat.*
104. *Eandem objecti adulterii notorietas:*
105. *Non ejus quoque parata probatio moratur.*
106. *Restitutionem etiam impedit sævitia,*
107. *Et quodcunque salutis periculum:*
108. *Quô cessante illa statim facienda est.*

SPoliationum casus non infrequentes in Matrimoniis occurrunt & accidunt, cùm vg. à marito propriâ authoritate recedit uxor, aut hæc ab ille

illo ita expellitur. Cujusmodi Spoliationibus in judicium Ecclesiasticum deductis, quando desertus aut expulsus conjux tanquam spoliatus ante omnem aliam cognitionem, & quâ ratione, restituendus sit, ut plenius constet, frequentius occurrentes spoliationum causas & casus discutere & oculis subijcere juvabit.

88. Primus, quô mulier, in viri domum quidem deducta: sed inter hunc & ipsam matrimonium per verba de præsenti nondum est contractum. Quô casu mulierem, si à viro fugiat, non statim restituendam, *c. Ex parte 14.* aperta decisio, & ratio expedita est; quia ex una, tanquam spoliatus ad restitutionem agere nequit, qui non possedit; cùm, ubi non datur possessio, locum non habeat spoliatio: quam restitutio præsupponit, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Commodo* notat Panormit. *num. 4.* ex altera verò parte, liber homo possideri nequit sine titulo, saltem colorato, per quem jus in eum, sibi personaliter obstrictum, sit quæsitum, *l. Cùm hæredes 23. §. 2. l. Qui universas 30. §. 1. ff. de Adquir. possess.* cujusmodi titulus sunt professio Religiosa & matrimonium, quod mutuô consensu per verba de præsenti expressô: non solâ mulieris in viri domum traductione, accedente etiam carnali copulâ, contrahitur, *l. Quæsitum 9. ff. de Spons. & matrim. & l. Nuptias 30. ff. de R. J.* Glossa *in c. Ex transmissa 8. V. Et ab eo, ubi* Hostiensis *n. 2.* Joan. Andr. *n. 5.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 112. n. 4.*

89. Secundus est, quô mulier à viri domo fugit post matrimonium, inter eos per verba de præsenti contractum, sed nondum consummatum. Quô etiam casu restitutioni locum esse, *in c. Ex transmissa 8.* cum Glossa *V. Et ab eo*, negant Innocentius III. *n. 4.* Hostiens. *n. 11.* & Anchoranus *à n. 1.* Moventur; quòd *c. cit. & c. Ex conquestione 10.* mulieris restitutio concedatur ex ratione; quòd non solùm desponsata, sed etiam cognita fuerit: & *c. Causam. 14. de Probat.* mulieris necdum cognitæ restitutio negetur viro, à quo recessit: sed ea in Monasterio collocari jubeatur. Rationem reddunt; quòd ante carnalem copulam, cùm matrimonium solummodo ratum sit, recessus à viro & Religionis à Sede Apostolica approbatæ ingressus mulieri permittatur, *c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.*

At melius *in c. Ex parte cit.* Panormit. *n. 25.* Imola *num. 11.* eósque secutî Alex. Carerius *Lib. 1. de Sponsal. cap. 3.* Guttierez *de Matrim. cap. 122. n. 10. & cit.* Sanchez *num. 8.* tali casu mulierem viro, quoad cohabitationē & cum ista conjuncta cætera obsequia conjugalia: non etiam quoad thorum restituendam, desumunt ex *c. cit.* cujus casu mulieri in mariti domum traductæ restitutio ab Innocentio III. ex ea ratione denegata est; quòd, propter præcedentium sponsalium & legitimi consensûs defectum, obligatorium vinculum inter eos non sit contractum. Unde argumentô à contrario ductô infertur, casu, quô hujusmodi vinculum præcessit, restituendam saltem quoad cohabitationem & obsequia; quia in cohabitationis & cum ista conjunctorum obsequiorum quasi possessione per traductionem jam fuit constituta.

Neque hujusmodi restitutioni adversantur, *c. Ex transmissa, & c. Ex conquestione citt.* textus; quia his agitur de plena restitutione, etiam quoad thorū: ad quem restitutio tali casu facienda non est; cùm ante carnale commercium quoad illum in possessione, ac proinde spoliata, non fuerit. Neque etiam *c. Causam 19.* 90. *cit.* quia isto secundùm Glossam, *V. Ponatu*, agitur de casu speciali, quô mulier nondum cognita per exceptionem opponebat, se monacham & professam Religi-

onem: cui per vota solennia perpetuo adstrictam vir, etiam quoad cohabitationem & alia jura conjugalia, desiit possidere: etsi eam in domum traductam, quoad ista possederit ante professionē: & aliô, quàm Religionem ingrediendi animô, recedentem repetere possit, *cit.* Sanchez *n. 8.*

91. Tertius est, quô uxorem maritus expellit, aut ab isto illa spontè recedit post matrimonium consummatum: & marito vel uxori, restitutionem petenti, neque impedimentum neque crimen opponitur. Quô casu possessoriô recuperandæ agentem quoad thorum etiam restituendum, patet ex *c. Ex transmissa cit.* quia plena mulieris tanquam uxoris possessio acquiritur per copulam carnalem, quâ conjuges una caro efficiuntur, & matrimonium consummatur; ut propterea conjugem post eam propriâ authoritate deserens aut expellens desertum, aut expulsum, tanquam matrimonii quasi possessione injustè dejectum, redeundô, vel eum recipiendô restituere teneatur, Interpp. & DD. *citt.*

At quid, si conjux restitutiónem petens priùs fuit in culpa, vg. maritus uxorem expellendo, aut hæc ab illa fugiendo? Spoliatorum privilegiô eum non gaudere, ac proinde maritum, vg. si expulsam repetat, non restituendum, sentire S. Thomas *in 4. dist. 14. in fine*, & suadere videtur ratio; quòd possessionem ipse liberè dimiserit: non eâ spoliatus sit ab uxore.

92. Sed meliùs hoc quoque casu maritum, si expulsam repetat, & hæc ad ipsum reverti renuat, restituendum *in c. Literas 13.* cum Glossa, *V. Divertit*, Panormit. *n. 9.* Joanne Andrea *n. 19.* & aliis rectè defendunt *cit.* Sanchez *Lib. 10. disp. 12. n. 9.* & Barbosa *in c. Significâsti 4. de Divort. n. 4.*; quòd, sicut uxor, cùm expelleretur, spoliata est à marito: sic iste ex tempore, quô repetita reverti & marito cohabitare renuit, ab uxore spoliatus censeatur, arg. *l. Si clam. 6. in fine, ff. de Adquir. poss.* Cujus ulterior ratio est; quia nulla temeritas aut culpa conjugis, excepto adulterio, per se directè & perpetuò derogat juri matrimoniali. Unde aliam ob causam conjugum unus ab altero propriâ authoritate recedens, si repetatur, reverti debet: &, si repetitus renuat, alterum spoliare censetur, Laiman. *de Matrim. p. 3. cap. 5 n. 7.*

Neque obstat; quòd expellens animô amittendi possessionem, hanc amittat: nec recuperet, quantumvis habeat animum eam recuperandi, *l. Si quis 17. in fine, ff. de Adquir. possess.* quia possessio in matrimonio specialiter privilegiata est; ut ita, saltem irrevocabiliter, non amittatur; aut amissa solò animô recuperetur eô ipsô; quòd expulsus vel desertus conjux repetatur; cùm tanquam accessoria matrimonio sapiat naturam istius: quæ est, ut solo consensu non dissolvatur, ut *arg. c. 1. de Sponsa duor. & c. Quoniam 2. de Conjug. leprof.* notat *cit.* Panormit. *n. 9.*

Quartus est, quô post matrimo- 93
nium consummatum marito uxoris recedentis: aut huic expulsæ, illius restitutionem petenti, excipiendo opponitur impedimentum dirimens, vg. consanguinitatis, aut affinitatis, indèque proveniens conjugii nullitas. Quo casu plurimùm interest, an excipiens objecti impedimenti probationes paratas in continenti offerat, vel non; cùm si eas ita habeat paratas; ideóque non longi, sed arbitriô judicis, brevis temporis, puta, paucorum dierum, dilationem petat, restitutio, antequam de objecto impedimento cognoscatur, facienda non sit ad thorum; propter periculum animæ & timorem gravissimi incestûs peccati, committendi ab eo, qui impedimenti conscius redde-

us redderet debitum conjugale: sed ad solam cohabitationem & alia jura conjugalia: receptô tamen priùs ab excipiente juramentô, quòd impedimenti objectio non malitiosè fiat, *c. Literas 13.* quia ex tali restitutione nullum imminet 94. periculum animæ & peccati, Panormit, *in c. cit. n. 6.* & Vivianus *in c. cit.* §. 1. Si verò probationes ita paratas non habeat, & propterea longi temporis dilationem petat, restitutio facienda est ad thorum; quia hôc casu præsumptio stat contra eam, quæ à viro sine judicio Ecclesiæ recessit, *c. cit.* quæ per præsumptionem fortiorem, ex paratis probationibus ortam, non eliditur, Vivian. *ibid.* §. *Si verò.*

Neque in contrarium facit; quòd *c. 1. de Ord. cognit.* priùs de objecta consanguinitatis exceptione cognoscendum asseratur, quàm restitutio facienda; quia *in c. cit.* casu non Possessorii recuperandæ, sed Petitorium fuit intentatum; cùm mulier in domum mariti nondum fuerit deducta, ut colligitur ex verbis, *Mulier petebat quendam in virum*, ut *ibi* notant Panormit. *n. 3.* & Gonzalez *n. 2.*

95. Hac tamen resolutione non obstante mulier restituta, si consanguinitatis vel alterius impedimenti dirimentis, quod in continenti probare non potest, inter se & virum intercedentis, certam notitiam habeat, ab isto conjugale debitum exigere, aut exigenti reddere non potest; cùm enim viri talis conjux revera non sit, carnale cum eo commercium rationem habet fornicationis, nullo casu permissæ, Clement. *Ad nostram 3. V. Septimò*, junctâ Glosâ *V. Non est, de Hæreticis*: & prohibitæ Jure non solùm humano, sed Divino; cùm S. Paulus eam fugiendam asserat ex voluntate Dei, 1. Corinth. *cap. 6. V. 18.* & annumeret operibus, quæ qui agunt, Regnũ Dei non consequentur, Galat. *cap. 5. V. 1.* & in isto hæreditatem non habebunt Ephes. *cap. 5. V. 5.* Imò Naturali cùm rectæ, & à Natura per conjugium intentæ prolis educationi adversetur, ut cum *S. Thoma 2. 2. q. 154. art. 2.* docent cæteri TT. & Canonistæ.

Neque, ut Hostiensis in *Summa de* 96. *Conjug. Servor. n. 8.* & Hugo de S. Victore *de Sacrament. p. 11. cap. 6.* voluerunt, ejus redditionem cohonestat præceptum Ecclesiæ, ad eam per excommunicationis censuram compellentis, ut cum eodem S. Doctore *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4.* Turrecrem. *in can. Cujus rei, 29. q. 2.* docent Sylvester *V. Matrimonium 2. q. 15.* Navarrus *Manual. cap. 16. n. 39.* & Covarruv. *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 2. n. 7.* decisúmque est ab Innocentio III. *c. Literas 13.* cujus §. *Porrò cùm* de muliere, consanguinitatis certam notitiam habente, & ad debitum reddendum ita compulsâ; dicitur; quòd *Contra Deum non debet judici in hoc obedire, sed potiùs excommunicationem humiliter sustinere.* Cui consonat *c. Inquisitioni 44. de Sent. excom.* relatum ejusdem Papæ de ejusmodi conjuge rescriptum, *Debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale*; quòd ad non suam accessus fornicarius pro nullo vitæ aut famæ periculo evitando, etiam accedente quacunque authoritate & imperio humano, licitus sit.

Neque etiam illa debiti redditio, Præ- 97. latiEcclesiastici Præcepto urgente, honesta & licita est, quando impedimentum est Juris solùm Humani, ut, quibusdam aliis, sed fere malè allegatis, voluit Henriquez *Lib. 12. cap. 3. n. 2. lit. K.* partim; quia *c. Inquisitioni cit.* Papa de conscio impedimenti loquitur generaliter; ac proinde cujuscunque & quocunque Jure introducti: imò *c. Literas cit.* cùm impedimenti consanguinitatis meminit, addit, *Præsertim in gradibus Divinâ lege prohibitis:*

bitù: quibus verbis non obscurè insinuat, debitum reddi non posse, etiam à conscio consanguinitatis, Jure solùm humano matrimonium dirimentis; quia dictio *Præsertim* implicativa est, & idem juris esse denotat in casu opposito, non expresso, Barbosa *Usufreq. dictione 277. à n. 3.* Partim verò; quia ex una, impedimentum dirimens, quod Jure humano introductum est, conjugium etiam nullum, eóque laborantium personarum carnale commercium fornicarium reddit, antequam in eo ab Ecclesia fuerit dispensatum: ex altera verò parte, judex Ecclesiasticus excommunicationis comminatione, aut sententiâ ad id compellens, eô ipsô in impedimento dispensare non censetur, & ferè semper non potest; cùm, si eô ipsô dispensaretur, impedimentô postea detectô, non essent separandi, vel dispensatio procuranda, ut aliis DD. relatis rectè observat *cit.* Sanchez *Lib. 2. disp. 39. n. 6.*

98. Non denique; quòd personæ bonâ fide & longo, vel etiam longissimo tempore fuerint in conjugii juriúmque conjugalium quasi possessione; quia matrimonium, aut contra ipsum præscribi non potest; ac proinde nulla quanticunque temporis, possessio vim habet efficiendi, ut veri conjuges sint, & verorum conjugum instar licitè copulentur, qui conjuges esse propter intercedens impedimentum dirimens, quocunque Jure prohibente, non possunt, arg. *c. Non debet 8. §. fin. de Consang. & affinit.* aut contrà, qui matrimoniali vinculo legitimè conjuncti & copulati aliquando fuerunt, conjuges esse ante mortem desinant, Matth. *cap. 19. Ubi* Glosa *in c. Lator 7. V. Permanere, de Sent. & re judic.* & Franc. Balbus *de Præscript. p. 1. pr' p. 6. n. 3.*

99. Si mulier restituta impedimenti certam notitiam non habeat, id tamen inter se & virum intercedere credat, huic debitum exigenti reddere tenetur; quiâ ipsum in possessione matrimonii existentem jure suo privare in dubio non potest, ex laudati Innocentii III. decisione, *c. Inquisitioni cit. V. Verùm, cùm relata;* nisi 100
dubium sive latentis impedimenti opinio, vel potiùs suspicio levibus argumentis niteretur; hujusmodi enim dubio & suspicione insuper habitis, sive, ut *c. cit. V. In secundò*, dicitur, *Conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ*, licitè posset non solùm reddere, sed & exigere debitum conjugale, *citt.* Guttierez *cap. 49. n. 23.* Sanchez *disp. 41. n. 42.* & Barbosa *in c. cit. n. 5.* Quin, si, adhibitâ ad 101
veritatem indagandam omni diligentiâ, non leve ac temerarium, sed etiam probabile dubium perseveret, debitum non reddi duntaxat, sed exigi quoque ab eo posse, cum Soto *Lib. 4. de Justit. q. 5. art. ult.* & aliis docent Valentia *Tom. 4. disp. 10. q. 6. p. 2. citt.* Sanchez *n. 46.* Barbosa *n. 5.* & Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 5. §. 9.* cùm; quod talis justè continuet matrimonii possessionem: rem autem bonâ fide possidens, si, an ea sua sit, superveniens dubium, omni diligentiâ adhibitâ, nequeat vincere, non solùm possessionem continuare, sed eâ etiam uti possit: tum verò; quòd, omni diligentiâ adhibitâ, dubium deponere non valens habeat impedimenti ignorantiam invincibilem, matrimonii usum ab omni culpa excusantem. Ut autem huic doctrinæ *V. Verùm cit. & c. Dominus 2. de Secund. nupt.* textus non adversentur, istis conjugi, de impedimento dubitanti, solam redditionem, non etiam exactionem debiti permissam, aiunt, antequam ad veritatem investigandam debita diligentia adhibita sit; ne bonæ fidei possessor ob dubium invincibile in perpetuum à rei possessæ usu debeat abstinere.

Quintus est, quò marito vg. uxo- 10
rem, quæ

rem, quæ ab ipso propriâ authoritate divertit, repetenti ista excipiendô opponit votũ perpetuæ Continentiæ, mutuô consensu ab utroque editum; itáque factam mutuam renuntiationem juris exigendi debitum conjugale: & ad hoc in continenti probandum se offert. Quô casu mulierem, si à viro divertens Religionem ingressa sit, non restituendam, nonnulli *c. Dudum 21. de Convers. conjug.* decisum credunt, & rationem reddunt; quia agitur de periculo animæ & peccati, sive violationis voti, quod uxor statim restituta subiret. Ita in *c. cit.* Vivianus & Barbosa *n. 1.* Quorum sententiæ facilè accedo, si spoliati conjugis restitutionem ad communem duntaxat thorum: non etiam, si eam ad cohabitationem & ob-
103. sequia conjugalia faciendam spectet; quia vi ejusmodi voti conjux uterque ab exactione duntaxat & redditione debiti abstinere tenetur: non etiam à cohabitandi & cætera obsequia exhibendi obligatione liberatur; ut Religionem ingredi valeat, alterô invitô, ut cum Innocentio in *c. cit.* & Turrecremata *in can. Quod Deo, 33. q. 5. n. 1.* & Interpp. aliis rectè observat *cit.* Sanchez *Lib. 9. disp. 37. n. 14.* Quare, hôc invitô aut insciô, illam ingressus ad deserti & ingressu illô spoliati conjugis restitutionem per instaurationem cohabitationis & obsequiorum illorum exhibitionem faciendam obligatur, & compelli potest. Qua de re sermo redibit *Lib. 3. Tit. 32. n. 22.*

104. Sextus est, quô vg. eidem marito, divertentem uxorem repetenti, hæc objicit adulterium. Quô casu, vel adulterium per ejus confessionem, legitimam probationem, aut facti evidentiam, vg. quòd prolem ex alia susceperit, notorium est, vel non? Si prius, uxorem ei non restituendam, patet ex *c. Significâsti 4. de Divortiis*: nisi adulterium commisisset etiam uxor, *c. cit. in fine, c. Ex literis 5. eâdem Rubric. & c. Intelleximus 6. de Adulteriis.* Si posterius, uxoris restitutio statim & plenè, etiam quoad thorum, facienda: eáque jam factâ primùm adulterium probandum: & si legitimè probatum fuerit, ad divortium est procedendum, per ea, quæ plenius tradentur *Lib. 4. tit. 19. à n. 76.* Hic resolvendum est

Dubium, an statim & plena restitutio facienda etiam sit, cùm adulterii objecti probationem paratam uxor in continenti offert; hôc enim casu restitutionem impediri, cum SS. DD. Angelico *in 4. dist. 35. q. Unic. art. 3.* & Seraphico *ibid. art. Unic. q. 3.* volunt Sylvester *V. Divortium, q. 8.* & Gaeta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 216. arg. c. Literas cit.* ex cujus decisione cùm conjugis spoliati restitutionem excipiendô objectæ consanguinitatis in continenti oblata probatio impediat, restitutio etiam differenda erit, si spoliato objecti adulterii probatio in continenti offeratur: neque illa adversus offerentem justè poterit peti; cùm dolô agere videatur, qui petit, quod mox est restituturus, *l. Dolo 59. ff. de R. J.*

Verùm, quia *c. Literas cit.* impedi- 105.
menti consanguinitatis parata, & in continenti oblata probatio restitutionem, aliàs ex generali Regula sine ulla cunctatione, & ante omnem cognitionem faciendam, *l. 1. C. Si per vim, vel aliô modô & c. 1. hâc Rubr.* specialiter & unicè morata est propter periculum peccati mortalis incestûs, ex ea imminens, ut in *c. 1. cit.* Glossa *V. Contentionem*, Hostiens. *n. 4.* Baldus *n. 2.* Beroius *à n. 30.* & *in c. Literas cit.* Glossa *V. In continenti* Panorm. *n. 18.* Imola *n. 13.* atque alii notant: & cum hujusmodi peccati periculo conjuncta non est restitutio mariti, adulterii exceptione gravati; cùm etiam hujus criminis reo, non etiam consanguineo suo

mulier carnaliter conjungi sine peccato possit, ex eo; quòd consanguinitatis aut alterius impedimenti dirimentis excipiendò objecti parata probatio restitutionem moretur, arguere non licet, etiam adulterii objecti paratâ & in continenti oblatâ probatione spoliati conjugis restitutionem impediri. Quare, *c. Literas cit.* decisione non obstante, hôc casu in spoliati favorem & odium spoliantis introducta spolii confestim & ante omnem aliam cognitionem restituendi necessitas urgebit, ut cum *cc. citt.* & aliis Interpp. docent Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 75. à n. 9.* Menoch. *Recup. remed. 2. n. 114. & à n. 139. cit.* Sanchez *Lib. 10. disp. 12. n. 22.*

Neque hanc necessitatem minuit Regula *l. de Dolo cit.* quia ista possessionis adipiscendæ duntaxat, non etiam recuperandæ Interdictô & ex spolio agentibus obstat, quò minùs sine cunctatione, & ante omnem aliam contentionem, restituantur, juxta dicta *n. 3.*

106. Septimus est, quô marito, uxorem recedentem repetenti, ista excipiendô objicit magnam sævitiam, vel odium capitale, indéque sibi imminens grave periculum. Quô casu maritus quidem tanquam spoliatus restituitur: at non antè, quàm is de malo aliquo, uxori non inferendo, per pignora, aut fidejussorem, & aliquando per solum juramentum præstiterit cautionem. Si etiam sic mulieris incolumitati non satis consultum, & à viri nimia sævitia, odióve in furorem abeunte, grave aliquod, præsertim irreparabile, damnum timendum rationabiliter existimaretur, illa apud parentes vel cognatos aut in Monasterio, alióve loco tuto collocanda esset, donec viri sævitia emendetur, *citt. c. Ex transmissa & c. Literas, V. Si verò tanta, ubi* Panormit. *n. 7* & aliis relatis duo Barbosæ, Petrus *in Rubric. ff. Soluto matr. p. 2. n. 26.* Augustin. *in t. cit. num. 8.*

Octavus denique est, quô conjux, vg. 107
uxor à marito divertit propter aliud grave corporis vel animæ periculũ, vg. quòd vir ipsam inducat ad idololatriam, hæresin, veneficium, sui prostitutionem, vel aliud flagitium, quod aliâ viâ averti facilè non potest. Quô casu, sicut illi recessus, tanquam medium necessarium ad ejusmodi peccatum evitandum, permissus est jure Naturali & Divinô, juxta illud, *Si oculus tuus scandalizat te &c.* Matth. *cap. 18. v. 9. & can. Idololatria, 28. q. 1.* ut, aliis DD. relatis, docet Palao *Tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 3.* sic etiam maritus possessorium recuperandæ intentans non audietur, antequam hujusmodi periculum cesset, *arg. c. ex Transmissa cit.* Hôc autem 108
cessante, omnino erit restituendus, ut *arg. c. Quæsivit 2. de Divortiis*, docent *cit.* Sanchez *disp. 17. n. 13.* Pontius *Lib. 9. de Matrim. cap. 23. n. 2.* & Palao *§. cit. n. 4.* Ratio est; quia propter hujusmodi periculum divortium licitum duntaxat est ad tempus, quô id perseverat, hôc ipsô; quòd perpetui divortii causa ferè nulla sit præter fornicationem, juxta explicationem textûs Matth. *cap. v. 32.* tradendam infrà *Lib. 4. Tit. 8. n. 5. & Tit. 19. n. 96.*

ARTICULUS VI.

De Restitutione Spoliati Beneficiô Ecclesiastico vel Pensione.

SUMMARIUM.

109. *Etiam beneficiô spoliatus restituitur:*

110. *Non tamen, si ei objectus defectus proprietatis notorius sit.*

111. &c.

111. *Secundùm multos, cùm ei Juris præsumptio adversatur,*
112. *Imò semper titulus est exhibendus,*
113. *Verùs iste semper necessarius non est,*
114. *Sive Jus, sive ratio spectetur:*
115. *Et beneficium sine titulo possideri potest,*
116. *Idem non exigitur, cùm spoliato obstat præsumptio Juris:*
117. *Nisi ista fundet intentionem opponentis,*
118. *Aut cum Possessorio Petitorium cumuletur.*
119. *Spoliati restitutioni beneficij renuntiatio ante,*
120. *Non post spoliationem, facta obstat.*
121. *Neque etiam renuntiationi adjectum juramentum;*
122. *Nisi istô non ante,*
123. *Sed post spoliationem præstitô, etiam actio spolij sit remissa.*
124. *Metus non irritat juramentum.*
125. *Restitutioni obstat renuntiatio post spoliationem coram judice:*
126. *Per procuratorem ante spoliationem constitutum,*
127. *Aliquando in favorem tertij facta:*
128. *Imò quacunque, quam sponte factam, certò constat.*
129. *Etiam pensione spoliatus restituitur:*
130. *Licet possessionem non justificet tituli exhibitione.*

109. REgulæ de Spoliatorum restitutione traditæ, sicut in incorporalibus aliis, sic in Dignitatibus quoque & cæteris Beneficiis Ecclesiasticis est locus. An autem istorum quasi possessione indebitè dejectorum restitutionem objectus proprietatis defectus non moretur, dubitandi ansam præbent varii, huic præsertim Rubricæ subjecti textus.

110. Et quidem, si beneficiô spoliato excipiendô objectus proprietatis defectus notorius sit; quòd id obtinuerit ab eo, qui non habet potestatem instituendi: vel; quòd ille laicus & possessionis beneficii incapax: quòd hæreticus, ac proinde beneficii proprietate & ipsa etiam possessione privatus: quòd conjugatus, vel beneficium simoniacè, aut aliàs non canonicè consecutus sit: & horum aliquid, vel ex ipsiusmet confessione aut sententiâ, quæ in rem judicatam transiit, vel ex legitimis probationibus in judicio constet, eum non restituendum, magnô DD. consensu & Curiarum stylô receptum est, cùm; quòd notoriô proprietatis defectu, rerum etiam corporalium possessione spoliatorum, restitutionem aliquando impediri, dictum sit *n. 40.* tum verò; quòd ejus restitutione vitiosus in beneficium ingressus apertè induceretur, contra *Reg. 1. in 6.* Panorm. *in c. In literis 5. n. 28.* Covarruvias *Practic. cap. 23. n. 4.* Menoch. *Recup. remed. 15. àn. 433.* & Flamin. *Lib. 13. de Resignat. q. 5. àn. 123.*

111. Simili modô, quoties contra spoliatum, beneficii sine titulo, vel cum titulo vitioso obtenti, Juris præsumptio est; quòd vg. beneficium cum eo, quô spoliatus restitui petit, de Jure incompatibile obtineat: quòd ætatis vel natalium defectu laboret, Beroius *in c. In literis cit. n. 87.* Selva *de Benef. p. 3. q. 5.* Menoch. *l. cit. n. 466.* & apud hunc alii, eum authoritate iudiciali non restituendum, docent, antequam suæ possessionis titulum, saltem apparentem seu coloratum, ab eo, qui conferendi potestatem habet, obtentum exhibeat: vel se ab Archidiacono aliôve, cui competit, missũ in ejus possessionem, aut in hâc

in hâc diu & pacificè stetisse, doceat: quòd DD. *citt.* desumunt ex *c. Ad decimas 2. in 6.* quô textu decimis spoliato propter adversantem sibi Juris præsumptionem, antequam de possessionis suæ titulo doceat, restitutio denegatur: idémque Juris esse in beneficiis, liquere aiunt ex *c. Constitutus 8. de Filiis Presbyt.* & *ex c. Si constiterit 12. de Accusat.* quorum textuum priori ad clericum, capellæ possessione dejecti, restitutionem præter probationem spoliationis exigitur; ut ipsius patrem, capellæ perpetuum Vicarium non fuisse, constet; quod beneficium obtinere volenti Jus adversetur, *c. Michaël 11. de Filiis presbyt.* &c. posteriori Ecclesiâ suâ spoliatus Sacerdos restitui tum demum jubetur, si de Canonica ejus institutione seu titulo constiterit; quòd ea ad tempus duntaxat commendata, & propter crimen amissa diceretur. Pro ratione reddunt evitationem vitiosi ingressûs in beneficium, ex restitutione, ante tituli exhibitionem factâ, imminentis.

§ 12. Imò non pauci & magni in Jure nominis DD. clericum, recuperandæ Possessorium super beneficio intentantem, generaliter, etiam cùm nulla Juris præsumptio ei adversatur, restituendum negant: nisi justificet, aut saltem coloret titulum suæ possessionis. Rationem reddunt; quòd possessio beneficii admixtam habeat causam proprietatis, & involvat titulum; cùm sine Canonica institutione (ejus titulum & propietatem clerico afferente) nequeat obtineri, *Reg. cit.* Quando autem possessio proprietatis titulum involvit, ut sine isto alicui competere non valeat, possessoriô recuperandæ agenti, hoc ipso; quòd possessio ei probanda sit, etiam hanc constituens titulus saltem coloratus sit probandus, per ea, quæ *arg. c. Ex parte 14.* dicta sunt *n. 88.* Quam rationem & Opinionem non parùm firmat praxis seu stylus curiæ Romanæ, ab ejusmodi spoliatis exigentis exhibitionem tituli, quô, vel ejus ex diuturna & pacifica detentione & administratione ortâ præsumptione amissa beneficii possessio vel justificetur, vel saltem coloretur. Quod licet in praxi obtinere inficias non eam, hôc tamen casu, quô recuperandæ possessionis Interdictum super beneficio intentanti præsumptio non obstat,

Juri magis, & rationi etiam satis conformem censeo sententiam Panormit. in *c. In literis cit. n. 23.* & Zabarellæ *in Clement. Unic. de Causa poss. Oppos. 9.* Laiman. *in c. In literis cit. n. 2.* & aliorum: qui, licet clerico, ad beneficii restitutionem agenti, tituli saltem colorati exhibitionem à judice ad se informandum ex officio imponi posse, concedant: ejus tamen exhibitionem exigi posse, negant ad instantiam spoliatoris, clerico spoliato per exceptionem Canonicæ institutionis & proprietatis defectum opponentis; quòd id apertè adversetur *c. Accepta 3. pr.* [illegible] *c. In literis cit. c. Conquerente 7. hâc Rubr.* & *Clement. cit.* quorum textuum primi *pr.* spoliatus sine ulla mentione exhibitionis tituli restitui jubetur: alterô prius de beneficiati spoliati violenta ejectione, quàm de ejus Canonica institutione agendum, disertè asseritur pari modô, sine ulla tituli justificandi, vel etiam colorandi mentione: & hujus ratio redditur; quòd secundùm rigorem Juris restituendus etiam sit prædo, qui possessionis justô titulô vel maximè est destitutus: tertiô, clericus beneficio spoliatus antè restitui: restitutione autem jam factâ, quæ contra eum sunt, proponi jubentur. Postremô, si spoliatus petat, procedendum dicitur in solo Possessorio: quòd non fit, cùm titulus probandus est, vel colorandus. Id ipsum suadent ratione; quòd beneficii possessionem habere clericus valeat sine justo

justo titulo; & id obtinens in dubio justè potiùs, quàm injustè possidere præsumatur, præsertim cùm de Jure clericus omni beneficio non debeat carere, *c. Cùm secundùm 16. de Præb. & dignit.*

115. Quòd beneficii possessio vel quasi sine titulo Canonico acquiri valeat, *citt.* DD. ostendunt primò ex §. *Patet* post *can. fin. 3. q. 1.* quò Gratianus, cùm Papatum indebitè occupantem, quòd careat superiore, qui adiri valeat, illò dejici sine judicio posse, asseruisset, eos, qui sedes ac beneficia inferiora quoquò modò, etiam indebitè & per violentiam occupant, si non per judicem, sed violenter ejecti sint, sicut de Civili Jure prædones, ante omnia esse restituendos, ait, luculentò argumentò, sedes seu Prælaturas & beneficia Ecclesiastica, sine titulo possideri, saltem injustè, posse. Secundò; quòd clerici possessionis beneficiorum de Jure sint capaces; ac proinde, si ea etiam sine titulo acquirant, eorum possessionem saltem injustam nanciscantur, & non sint eorum meri detentores; quia tales respectu hujusmodi jurium spiritualium ferè soli laici esse censentur, *c. Ex literis 6. de Transact. & c. In Ecclesia 2. de Institut.* Tertiò; quòd etiam rei, cujus acquisitio quoad proprietatem Jure prohibetur, possessio acquiri de Jure possit, *arg. l. 1. §. 4 ff. de Adquir. possess. & l. 1. §. 9. ff. de Vi armata*, dummodo huic, ut spiritualium possessioni à laico obtinendæ, *cc. citt. & arg. c. Causam 7. de Præscript.* Jus non resistat, hunc reddendò incapacem. Imò ex *Reg. 1. cit.* dum beneficium sine titulo licitè obtineri posse, negat, id sine isto saltem illicitè & quoad possessionem, acquiri posse inferatur; ut istâ indebitè spoliatus, juxta *c. Ex literis & alia cc. citt.* ante omnia restituatur.

Ex his planè corruit fundamentum adversæ partis, clerico Recuperandæ possessorium super beneficio intentanti, etiam cum nulla Juris præsumptio ei adversatur, possessionis suæ exhibitò titulò aliòve modò justificandæ, vel saltem colorandæ necessitatem imponentis; cùm ista nullò Jure aut solidâ ratione fulciatur, ut ait Panormit. *Practic. q. 4. n. 7.*

Neque adversatur; quòd possessoriò Recuperandæ agens super beneficio expresè reservato ante tituli colorationem non restituatur; quia non ista solùm, sed ipsa tituli justificatio necessaria est, ut hujusmodi beneficio spoliatus restituatur; quòd reservatio non titulum tantùm, sed ipsam quoque possessionem inficiat; ut in eum, cui id ab alio, quàm à Papa collatum est, nec proprietas nec possessio, sed nuda detentio tranferatur, propter decretum irritans reservationi annexum; ac proinde ipsam etiam possessionem inficiens & annullans, ut insinuatur *c. Si ex eo 45. de Elect. in 6.* verbis, *ut effectu careant ea, quæ postmodum subsequuntur*, Rota *Decis. 3. in novis*, Navarrus *in c. Acceptæ 3. Oppos. 10. n. 36.* & alii apud Menoch. *cit. Remed. 15. n. 444.*

Quin, spectato Jure, & Curiæ praxi 116.
seclusâ, super beneficii spolio agentem clericum etiam, cùm Juris præsumptionem contra se habet, ante omnia restituendum, non obscurè tradi videtur *c. Ex insinuatione 3. de Procurat.* ubi Archidiaconus, cui de Jure communi aliam præbendam cum Archidiaconatu simul habere non licet, *c. Quia nonnulli 3. de Cleric. non resid. c. De multa 28. de Præb. & dignit. &c.* priùs restitutus: & tum demum probare coactus fuit titulum sive Canonicam institutionem; quòd scilicet ad beneficiorum pluralitatem secum fuerit dispensatum, ut cum Glossa *in c. Ex insinuatione cit. V. Probare*, notat Panormit. *l. cit. n. 29. & q. 4. cit. n. 7.*

Neque in contrarium facit *c. Ad de-* 117.

rimas cit. quia istius decisio procedit de casu, quô Jus commune non solùm, ut *c. Ex insinuatione cit.* adversatur spoliato: sed insuper fundat intentionem spoliatoris opponentis: quô casu restitutionem spoliati, donec suæ possessionis titulum exhibeat, impediri, *in c. In literis cit.* haud ægrè concedit Panormit. *n.* 29. & notant Laiman *n.* 3. & Gonzalez *n.* 13.

118. Neque magis urgent textus *c. Constitutus & c. Si constiterit citt.* Prior, quia eô (ut omittam; quòd, defectum proprietatis notorium fuisse, ex adversariis observet Barbosa *ibi n.* 4.) Petitorio simul & Possessorio judicio actum fuisse, constat ex litera, quâ clericus se capellam canonicè adeptum, eâque pacificè possessâ spoliatum, simul est questus. Casu autem, quô utroq; illo judicio simul agitur, tituli quoque discussio restitutioni præmittenda est, ut *in c. Constitutus cit.* notant Laiman, & Gonzalez uterque *n.* 2. Eadem judicia cumulata verisimiliter aliqui asserunt textu posteriori. Alii & verisimiliùs ejus decisionem niti aiunt, ex confessione vel probatione judiciali ortâ notorietate criminis, ad Ecclesiæ privationem sufficientis & impedientis restitutionē, ut *in c. Si constiterit cit.* notat Panorm. *n.* 8. & Gonzalez *in c. In literis cit. n.* 12. Exhis

119. Aliud, & non minoris difficultatis, quàm momenti, dubium nascitur, an clerici beneficiô spoliati restitutionem, ante omnia faciendam, impediat exceptio renuntiationis. Cui ansam haud sanè levem præbent geminæ in speciem apertè contrariæ Juris nostri decisiones; cùm, sicut renuntiatione illam non impediri *c. Sollicitè* 2. sic renuntiationis examen restitutioni præmittendum, perspicuè decisum sit *c. Accepta* 3. Quibus decisionibus ne Alexandri III. de eodem Juris articulo non eundem semper fuisse sensum, ejúsque Rescripta antinomiæ vitiô laborare videantur, *cc. citt.* in speciem sibi adversantes textus in concordiam reducere, variis expositionibus excogitatis, Interpp. sunt conati. Mihi præ aliis satisfacit distinctio, quâ eos cum Navarro *in c. Accepta cit. Opposit.* 1. *à n.* 12. conciliant Gonzalez *in c. Sollicitè n.* 1. & Pirrhing *ad hanc Rub. n.* 54. vel enim clericus super beneficii spolio ad restitutionem agens, eô spoliatus fuit post, vel ante renuntiationem? Si prius, restitutioni præmittenda est cognitio objectæ renuntiationis, *c. Accepta cit.* Si posterius, ante omnem de ista contentionem est restituendus, *c. Sollicitè cit.*

Ratio prioris est; quia renuntiatio, sponte & in superioris manibus facta, notorium defectum proprietatis beneficii per eam dimissi inducit, *c. Ex transmissa 3. & c. In præsentia 6. de Renuntiat.* cujusmodi proprietatis defectus ad evitandum vitiosum ingressum in beneficiū, istô spoliati restitutioni obstat, juxta dicta *n.* 70.

Ratio posterioris est; quia beneficii renuntiationem, ut defectum proprietatis inducat, & clericum super beneficii spolio agentem repellat, in legitimi superioris, eam admittentis, manibus liberè ac sponte factam esse, necesse est; cùm absque superioris authoritate facta invalida, *can. Denique, 6. q. 3. & c. Admonet 4. de Renuntiat.* vi autem metúve extorta, si non, ut plurium Opinio est, nulla ipsô Jure; infirma tamen & obnoxia sit rescissioni, *c. Super hoc 5. Rubric. cit. c. Ad audientiam 4. de his, quæ vi metúsve causâ:* eam autem, quam spoliatio præcessit, non factam inmanibus legitimi superioris plerumque, & vi metúve fuisse extortam, in dubio semper præsumatur, *c. Sollicitè cit.* quia, ut textus habet, *Non est verisimile, quòd sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus;* cùm beneficium, quod multis fortè impensis & laboribus ad sui sustentationem à clerico quæsitum est, sponte sine magna causa non facilè dimittatur,

c. Super

Super hoc cit. Ita cum *cit.* Navarro & aliis DD multis Flaminius *Lib. 13. de Resignat. q. 5. à n. 1.*

Neque obstat; quòd beneficio renuntians id habere censeatur pro derelicto; itaque amisisse ejus proprietatem, & ipsam etiam possessionem, *arg. l. 1. & c. ff. Pro derelicto.* quia hoc de spontanea, non etiam de metu extorta, renuntiatione procedit, juxta *c. Sollicitè cit.* quod à Rota decisum, idem notat *n. 13.*

121. Dubium tertiò est, an beneficio spôliati restitutioni obstet ejus post spoliationem factæ renuntiationi adjectum juramentum. Cujus resolutio pendet à modo, quô hoc illi est adjectum; cùm juramentô vel renuntiatio solummodò confirmari: vel insuper actioni super spolio renuntiari possit.

122. Priori enim modô adjectum juramentum restitutioni ante omnia faciendæ non obstare, clarè traditur *c. Sollicitè cit.* verbis, *Contra eum*, spoliatum, *testes alterius partis de juramento & renuntiatione sponte facta, antequam restitutus fuerit, non admittat.* Ratio est; quia hujusmodi juramentum solummodo concernit beneficii proprietatem: non etiam possessionem, quæ repetitur super spolio intentatâ actione: cui proinde &, ad quam ista tendit, spoliati restitutioni, sicut simplex, sic etiam jurata renuntiatio non obstat, ut cum Glossa in *c. cit. V. Spoliatum* & aliis advertit Guttierez *p. 3. de Juramento, cap. 19. n. 22.* Accedit; quòd, sicut renuntiationem, sic & juramentum vi metûve extortum ac præstitû esse, præsumptio sit; cùm sequatur naturam actûs, cui est adjectum, *l. fin. C. de Non numerata pec. citt.* Flamin. *n. 17.* & Guttierez *num. 21.*

Posteriori quoque modô præstitum restitutioni non obstaret, si juramentum præcessisset ipsam spoliationem; quia ante hanc præstitum nullum foret; cùm perinde, ut actionis Doli aut Furti committendi jurata remissio, invitet ad delinquendum, & bonis moribus adversetur *arg. l. Si unus 27. §. 4. ff. de Pactis:* de eóque procedat *Reg. Non est 58. in 6.* Panormit. *in c. Sollicitè cit. n. 16. ubi* Beroius *n 44. citt.* Menoch. *Remed. 1. n. 289.* & Flamin. *n. 61.*

Si autem actioni super spolio post hoc jam factum cum juramento renuntietur, hoc observandum, & super spolio agentis restitutioni obstare, notat Glossa in *Summa, 30. q. 1.* casibus, quibus spoliato restitutio denegatur, etiam hunc adnumerans; & defendunt *citt.* Menoch. *n. 294.* Flamin *n. 53.* & Guttierez *n. 21.* ex ratione solenni; quòd juramentum hoc bonis moribus non adversetur, & sine periculo peccati ac tertii præjudicio valeat observari; ut locus sit Regulæ *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* 123.

Ne autem huic Resolutioni *c. Sollicitè cit.* decisio adversetur, hæc, ut jam dictum, exaudienda est de casu, quô renuntiatio eíque adjectum juramentum afficit solam beneficii proprietatem: non etiam ejus possessionem.

Neque obstat; quòd, etiam tale juramentum metu præstitum, ex prævia spoliatione præsumatur; quia, cùm etiam metu præstitum juramentum irritum non sit, *c. Si verò 8. de Jurejurando,* à jurante observandum ex obligatione Religionis: &, si, istâ insuper habitâ super spolio agere præsumat, perjurii timore ex officio à judice repellendus est: nisi juramenti consecutus sit relaxationem, quam petenti facilè concedendam, *arg. c. cit.* cum Bellamera *c. Sollicitè cit. n. 5.* rectè monet Menoch. *cit. n. 294.* 124.

Non desunt tamen varii casus, quibus beneficiô spoliati restitutioni ejus 125.

post spoliationem factæ, etiam simplicis renuntiationis exceptio obstat: & primò quidem, si beneficii renuntiatio facta sit coram judice competente, & de causa cognoscente; quia authoritas judicis, renuntiationem ita admittentis, omnem violentiæ metúsque suspicionem tollit, *arg. l. fin. pr. ff. Quod metûs causâ*; cùm officiò suo fungi: &, quod justum est, agere præsumatur, *arg. l. fin. C. de Offic. Civil. jud.* præsumptione multò fortiori & vim adimente illi, quæ de metu in renuntiatione interveniente orta est ex prævia spoliatione, ut cum Panormit. *in c. Sollicitè cit. n.* 10. Alciato *de Præsumpt. Reg.* 3. *præs.* 9. *à n.* 1. & Rebuffo *in Praxi, Tit. de Vi in Resig. n.* 4. tradit. Flamin. *q. cit. à n.* 21.

196. Secundò, si, antequam spoliaretur, ad resignandum liberè ac sponte constituit procuratorem, qui primùm post spoliationem resignavit; quia ex eo, quòd ad renuntiandum procurator constitutus sit spontè, ipsa quoque renuntiatio spontanea reputatur; cùm procurator renuntiet vi consensûs, non, quem mandans nunc habet, sed ejus, quem habuit, quò tempore mandatum dedit; & propterea renuntiatio quoad hunc effectum ad mandati diem retrotrahatur, Panormit. *in c. cit. n.* 11. Menoch. *Recup. remed.* 1. *n.* 272. & Flamin. *l. cit. n.* 37.

Tertiò, si beneficii renuntiationem, etiam post spoliationem, omnino liberè ac sponte factam esse, certò constet; hoc enim casu super spolio agentem non restituendũ, argumentò à contrario ductò, eruitur ex *c. Sollicitè cit.* verbis, *Quia non est verisimile, quòd sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus:* quibus redditur decisionis ratio: &, si de renuntiatione sponte factâ constaret, eâ spoliati restitutionem impediendam insinuatur, ut in *c. cit.* notant Panorm. *n.* 9. & Beroius *n.* 27. & hanc impediri poscit necessitas vitandi vitiosi in beneficium ingressûs, quem beneficii proprietate post talem renuntiationem notoriè carentis restitutio inducit. Quod etsi verum sit, de Curiæ tamen stylo, quoties renuntiatio facta est in favorem spoliatoris, spoliatum restitui, asserit *cit.* Flamin. *n.* 35.

Quartò, si renuntiatio non in favo- 197
rem ipsius spoliatoris, sed alicujus tertii, qui non spoliavit, facta sit, super spolio agentem restituendum, negare videtur Cassador. *hac Rubric. Decis.* 4. Et verè, si juxta dicta eum, causâ metûs cessante, 198
omnino sponte beneficio & spolii quoque actioni in tertii favorem cessisse constet, Non etiam in dubio, an id sponte factum, vel, si beneficii proprietatem duntaxat abdicatam constet; his enim casibus super spolio agentibus etiam in tertii favorem factam renuntiationem non obstare, negat, communiorem & veriorem sententiam secutus, *cit.* Flamin. *à n.* 63.

Eôdem ferè modô, quô spoliatibe- 199
neficiis, de Jure etiam restituuntur spoliati Pensione: quod contingit, quoties Pensionarius, cùm pensionem de Ecclesiæ vel beneficii fructibus, qui eam debet, solvere recusat, pro ea recuperanda agit; cùm, eò ipsô, quòd interpellatus eam solvere recusset, pensionarium spoliare intelligatur, Innocent. *in c. Suborta* 21. *de Sent. & re judic.* & Gigas *de Pensionibus q.* 47. *n.* 1.

Quantumvis autem à spoliato, Recuperandæ posse florio super Pensione agente, tituli saltem apparentis exhibitionem ferè exigat praxis & in hanc præcipuè intentorum DD. sententia communis, pro se allegans, *c. Querelam* 24. *de Elect.* decisionem, quâ spoliatus pro ea agens restitutus asseritur; *Quia fuit liquidè comprobatum, quòd pensio sedecim denariorum annuatim per multa tempora soluta, & de novo subtracta est.* Ex qua ratione à contrario ductô argumentô infertur, à pensione spoliato, ut restituatur, jo-

tus, juris percipiendi pensionem, super cujus spolio agit, quasi possessionem exhibitione tituli vel saltem diuturnæ solutionis probatione justificandam: vel saltem colorandam. Verùm quia *c. cit.* 130. diuturnam solutionem allegari & probari necessarium solummodo fuit ad probandam quasi possessionem juris percipiendi annuam pensionem, Panormit. *in c. cit. num.* 15. Decius *Consil.* 139. & Vallens. *Lib. 4. de Benef. Tit. 8. n. 3* de Jure Pensionarium, pensionis quasi possessione & spoliatione probatâ, restituendum docent, quantumvis tituli exhibitione aliáve ratione quasi possessionem illam non justificet aut coloret; quòd pensionarii spoliati à communi Regula, de spoliato ante omnia restituendo, exceptio, nec exprimatur Jure communi, nec speciali ratione fulciatur.

ARTICULUS VII.

De Restitutione Spoliatorum Decimis &c.

SUMMARIUM.

131. *His ante possessionis justificationem non restituuntur,*
132. *Quoties Jus ipsis resistens assistit spoliatori.*
133. *Secus est, si huic Jus non resistat.*
134. *Possessio justificatur, cùm legitimè esse acquisita,*
135. *Vel durâsse probatur immemoriali,*
136. *Longissimô, vel saltem longô tempore:*
137. *Elidente contrariam Juris præsumptionem.*
138. *Id in aliis juribus obtinere Neganium Opinio,*
139. *Et fundamenta.*
140. *Verùs possessio justificanda est, quoties Jus spoliato resistit & assistit spoliatori,*
141. *Sive Juris ratio,*
142. *Sive in contrarium allatorum textuum expositiones spectentur.*
143. *Laici non restituuntur ante possessionis justificationem,*
144. *Sive decimas percipiendi jure,*
145. *Sive immunitate ab earum præstatione spoliati sint:*
146. *Eáque re æquô nimiùm non gravantur.*

PEnè quotidie in judicium deducuntur Spoliationes, quæ circa 131.
Decimas, & diversimodè contingunt; aliquando enim earum, ex fundis, intra suæ Ecclesiæ fines sitis, provenientium, quasi possessione Parochus: aliquando Parochiani, vel etiam extranei à Parocho, vel illorum unus ab altero indebitè dejiciuntur. Unde

Dubium nascitur, an de spoliato 132.
ante omnia restituendo traditæ Regulæ etiam in decimarum, & in qua istarum spoliatione procedat. Ansam ei præbet non minùs intricata, quàm famigerata decisio Bonifacii VIII. *c. 2. in 6.* ita rescribentis, *Ad decimas, quas Canonici S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesiæ B. Clerici possedisse aliquamdiu, & eis per eundem clericum spoliatos fuisse, nequaquam debent restitui: nisi evidenter docuerint, quòd earum possessionem legitimè assecuti fuissent; quia eas occupâsse injustè verisimiliter præsumuntur; cùm proveniant ex prædiis intra alienam parochiam constitutis: sitque manifestum, (nisi aliud ostendatur) eas de Jure communi ad eandem Ecclesiam pertinere.* Ex quo Apostolici Rescripti tenore proposita dubitatio distinctionis auxilio ita resolvi solet; ut, licet Parochus decimis ex prædiis, suæ Parochiæ provenientibus, sive à parochianis, sive ab extraneis, vg. ab aliquo Monasterii Abbate, vel alterius e-

rius etiam Parochialis Ecclesiæ Rectore dejectus, earum possessione & spoliatione probatis, ante omnem aliam contentionem cognitionémque restituendus sit: illi tamen & hi, eiusmodi decimis à Parocho spoliati, antè non restituantur, quàm exhibitô titulô, aut aliter docuerit, se decimas justè possedisse.

Ratio discriminis ex *c. cit.* deprompta est; quòd Parochianis & extraneis à Parocho, aut etiam ab alio, vg. Monasterii Abbate decimis spoliatis Jus commune non assistat, imò potiùs ipsis resistat: & contrà assistat Parocho, super decimarum, intra Ecclesiæ suæ fines provenientium, perceptione intentionem suam ac præsumptionem fundatam habenti in SS. Canonibus, illas ipsi attribuentibus, *c. Cùm contingat 29. c. Cùm in tua 30. &c. de Decimis*; ac proinde, sicut à Parocho, Juris pro se militantis assistentiâ munitô, quando super ejusmodi decimarum spolio ad restitutionem agit, ultra possessionis & spoliationis probationem aliquid exigendi nulla: ita Parochianis & extraneis illis à Parocho spoliatis, tanquam Juris super earum perceptione sibi faventis præsidiô carentibus, ultra probationem illam possessionis suæ justificationem injungendi justissima ratio sit.

133. Neque ex eo; quòd etiam extraneis, super decimarum spolio adversus alium, quàm Parochum, intra cujus fines illæ nascuntur, agentibus commune Jus adversetur, possessionis suæ titulum exigendum, legitimè infertur; quia *c. Ad decimas cit.* decisioni locus eô solùm casu est, quô Jus illud spoliato resistit & simul assistit spoliatori: quod, cùm extraneorum nemini, sed soli Parocho assistat, tituli exhibitio eô duntaxat casu necessaria erit, quô Recuperandæ possessorium super decimis adversus Parochum intentatur, ut cum Glossa *in c. cit. V. Eundem*, Franco *ibid. n. 9.* & aliis Interpp. tradunt Navarrus *in c. Accepta 3. Oppositum 10. n. 21.* Covarruvias *Practic. cap. 17. n. 9.* Canisius *in Rubric. de Decimis cap. 16. n. 4. & 5.* duo Barbosæ, Petrus *in l. Si de Vi 37. ff. de Judiciis n. 131.* & Augustinus *in c. Ad decimas cit. n. 6.* id benè notandum utiliter monens. Unde

Dubium secundum oritur, quâ ra- 134
tione decimarum possessio sit justificanda. Ratio dubitandi est; quòd *c. cit.* Canonicis, iis à Parocho spoliatis, restitutio denegetur, *Nisi evidenter docuerint, quòd earum possessionem legitimè assecuti fuissent.* Ex quibus verbis, sicut eam tituli exhibitione satis justificari perspicuum, ita ambiguum est, an, titulô deficiente necessaria sit allegatio & probatio possessionis immemoriali tempore continuatæ; hanc enim omino necessariam, non obscurè insinuat Bonifacius *c. cit.* Canonicorum, super decimarum spolio adversus Parochum agentium, allegationem, quâ, *eas se aliquamdiu possedisse*, asserebant, reijciens: *& c. 1. de Præscript. in 6.* ad præscriptionem ab eo, cui comune Jus resistit, si titulô munitus non sit, exigens possessionem tanti temporis, cujus initii memoria non existit.

Sed, licet à Parocho decimis spolia- 13
tus, quando has immemoriali tempore à se possessas ostendit, restituendus omnino sit; cùm tanti temporis possessio vim habeat tituli & privilegii, à Principe ex certa scientia concessi, *c. Super quibusdam 26. pr. V. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quotid. & æst.* eámque pro se habenti titulum probare; imò allegare non sit necesse, Glossa *in c. cit. V. Titulus, & V. Nisi*, Balbus *de Præscript. p. 2. p. pp 3. q. 7. n. 17.* & Covarruvias *in Reg. Possessor*

136. *Possessor. p. 2. §. 3. n. 8. V. Hinc falsum:* id tamen ad decimarum restitutionem adversus spoliatorem parochum obtinendam minimè necessarium: sed sufficere, quòd spoliatus, se in earum pacifica possessione minori, & quôvis longissimô aut saltem longô tempore fuisse, ostendat, cum Archidiacono *in c. Ad decimas cit. V. Aliquamdiu*, Panormit. *in c. Cùm Ecclesia 9. de Causa possess. n. 25.* junctô *n. 49.* Franco *in c. Ad decimas cit. n. 8. limit. 4.* & aliis apertè docent Ferd. Vasquius *Illustr. controvers. Lib. 2. cap. 89. n. 4.* Laiman. *in c. cit. n. 2.* Barbosa *ibid. n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 42.* eâ permoti ratione; quòd *c. cit.* à Canonicis Ecclesiæ S. Nicolai, decimis à Parochô spoliatis, contra communem Juris Regulam tituli probatio ideò solùm exacta sit; quòd asseruerint, illas à se possessas *Aliquamdiu*, hoc est, aliquantulô, non longissimô, aut etiam longô multorum, sed paucorum duntaxat annorum brevi tempore; quia dictio, *Aliquamdiu* suâ naturâ respicit moderationem, ut loquitur, Archidiaconus *V. eôdem:* & propter hujusmodi aliquantulum duntaxat ac breve tempus possessionem injustè occupatam, verisimiliter præsumitur. Quæ injustæ occupationis sive usurpationis præsumptio si tollatur aut infirmetur, decimis spoliatum etiam adversus parochum restituendum, valdè notabiliter advertunt Panormit. & alii DD. *citt.* Eam autem præsumptionem non solius tituli, aut huic æquivalentis possessionis immemoralis: sed etiam ejusdem possessionis quôvis longissimô, imò & longô tempore pacificè continuatæ probatio vel omninò tollit, vel saltem ita infirmat, ut rationabile dubium sit, ad quem decimæ pertineant: quô dubiô stante possessio, non *Aliquamdiu* tantùm, sed longissimô aut etiam longo tempore continuata, ejus, qui ita possedit, conditionem reddit meliorem: non quidem ad acquirendam & stabiliendam decimarum proprietatem: sed possessionem, quæ vi & propria authoritate ablata est, authoritate publica & officiô judicis recuperandam, ut cum aliis Interpp. *citt.* advertunt laudati Laiman. *n. 2.* & Pirrhing. *n. 42.*

137. Confirmantur ista; quia, si decimarum possessores à Parochis, intra quorum fines eæ proveniunt, spoliati nunquam restituerentur, nisi earum possessionem immemoriali tempore pacificè continuatam, probare, aut justum titulũ exhibere possint, Parochis daretur causa & nimia licentia, eas propria authoritate occupandi, & in horrea sua inferendi. Quô modô valde iniqua redderetur conditio possessorum extraneorum, qui justè acquisito decimas percipiendi jure Parochorum occupatione frequentissimè exciderent, non sine magno rerum suarum dispendio & perturbatione pacis ac tranquillitatis publicæ: cui nihil magis adversatur, quàm violentæ & privata authoritate attentatæ rerum juriúmque invasiones & occupationes: ad quarum proinde licentiam refrenandam, *c. Ad decimas cit.* decisio restringenda est ad casum, quô decimarum possessione à Parochis dejecti, eas non longissimo aut longo, sed aliquamdiu duntaxat, sive tempore, arbitriô judicis brevi, possederunt. Atque hâc ita firmatâ ratione ac discursu planè subruitur, *in c. cit. & c. 1. de Præscript. in 6.* fundatum, & in contrarium allatum argumentum.

138. Dubium tertiò & resolutionis multò difficilioris controversia est, an *c. Ad decimas cit.* dispositio restringenda sit ad decimas: vel ad alia quoq; jura extendenda; ut, quoties circa jus aliquod spoliato Jus commune resistit, & assistit spoliatori, ille adversus istum Recuperandæ possessorium intentans non restituatur, antequam modô

modò explicatò justificet suam possessionem. Eam enim ad possessorium hoc adversus Parochum, & super decimis duntaxat intentatum restringendam, suadet & penè persuadet ratio; quòd *c. cit.* dispositio seu decisio à communi, & in maxima æquitate fundata Juris Regula de spoliato ante omnia restituendo recedat & exorbitet; ac proinde, ne ei nimiùm deroget, atque ad pacem & quietem publicam stabiliendam introducti Juris correctio ultrà, quàm par est, porrigatur, eam ad *c. cit.* casum restringi, conveniat. *arg. c. Cùm expediat 29. pr. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

139 Rationi huic non leve pondus & firmamentum conferunt luculenti textus, non attentâ Juris, pro reo super spolio convento contra actorem militantis, assistentiâ resistentiâque, spoliatum ante omnem aliam contentionem & tituli exhibitionem restitui, præcipientes; sic enim *c. Cùm Ecclesia 3. de Causa possess.* clerici extranei, quasi possessione Juris suffragii ferendi in Episcopi electione ab electoribus Capitularibus dejecti, non probatô aut allegatô ullô titulô restituti sunt: quantumvis ipsis resisteret, & Capitularibus, eorum spoliatoribus, assisteret Jus comune, Prælati electionem Capitulo adstruens, *can. Abbatem, 18. q. 2. c. 1. c. Si de terra 16. &c. de Elect.* Sic post alterius beneficii curati assecutionem, primô, cum illo de Jure incompatibili, ab Episcopo, non servatô Juris ordine, spoliatus, ex ejusdem Bonifacii VIII. Rescripto, *c. Licet 28. de Præb & dignit. in 6.* restitutus est, antequam pro utroque simul retinendo obtenta dispensatio Apostolica exhiberetur: quantumvis Jus, *c. De multa 28. de Præb. & dignit.* ipsi resisteret & assisteret Episcopo, *c. Licet cit.* Sic *c. Literat 13.* conjuge suâ spoliatus eam sibi restitui petit, non obstante exceptione consanguinitatis, etsi hæc impediat, quò minùs eam valeat possidere.

Sed textibus his firmatæ rationis, licet non contemnenda, ea tamen vis non est, ut *c. Ad decimas cit.* decisionem & à communi Regula exceptionem, Parocho duntaxat super decimarum, & non aliis, super aliorum jurium spolio conventis, & Juris, actoribus resistentis, atque ipsis assistentis præsidio munitis, prodesse persuadeat; cùm eam super aliorum quoque jurium, præsertim spiritualium, spolio conventis patrocinari, cùm Franco *in c. cit. n. 8.* Panormit. *in c. In literis 5. n. 24.* & aliis Interpp. agnoscant Covarruvias *Lib. Var. cap. 17. num. 6.* Guttierez *QQ. Canon. Lib. 2. cap. 21. n. 75.* Canisius *ad Rubric. de Decimis cap. 16. n. 5.* Laiman. *in c. Ad decimas cit. n. 2.* Barbosa *ibid. n. 2. & 14.* & Pirhing *ad hanc Rubr. n. 42.* Ratio est; quia, licet *c. cit.* referatur particularis casus parochi, conventi super spolio decimarum, intra ejus Ecclesiæ fines provenientium, ratio tamen, ab eo spoliatis Canonicis restitutionem denegandi, antequam, se earum possessionem legitimè assecutos, docuerint, redditur generalis; quòd, cùm Jus commune ipsorum spoliatori clerico istiúsque Ecclesiæ Parochiali assistat: Canonicis autem & Collegiatæ Ecclesiæ resistat, atque insuper Canonici decimas *Aliquamdiu* duntaxat, & non multorum longo, sed paucorum annorum aliquantulo & brevi tempore possederint, eas injustè occupâsse verisimiliter præsumantur. Quæ generalis ratio, cùm, sicut super decimarum, sic etiam super aliorum præsertim spiritualium jurium spolio agentes afficiat, ad hos quoque porrigitur dispositio *c. cit.* ut, quoties commune Jus pro reo, super eorum spolio convento, militans ipsis resistit, & jus, quo spoliati sunt, longissimo aut saltem longe

longo tempore non possederunt, non restituantur, antequam doceant, se possessionem legitimè assecutos. Quare cùm *c. cit.* ratio, sicut de extraneo super decimarum adversus Parochum, ita de eodem extraneo super Primitiarum vel Oblationum aliquamdiu perceptarum adversus eundem: de Episcopo extraneo super jurisdictionis aliquamdiu exercitæ in Ecclesiam vel Capellam, sitam intra fines alienæ diœcesis, adversus proprium istius Episcopum: & de Ecclesiæ vel Monasterii inferioris Prælato super exemptionis aliquamdiu possessæ spolio & Recuperandæ possessorio agentibus procedat, istos quoque *c. cit.* dispositio comprehendet. Et, si quòd antiqui Juris correctoria sit, ad istos non porrigeretur, non satis congruè applicaretur casui, quò Parochiani aliquamdiu possessâ à decimarum præstatione immunitate à Parocho spoliati agunt ad restitutionem; cùm *c. cit.* casus non sit de his, aut aliis, decimas ex fundis suis non præstantibus, sed eas percipientibus ex fundis alienis, & intra alienam parochiam sitis: quibus commune Jus multò fortiùs, quàm illis, resistit. Atque ex his penè evanescit pro *c. cit.* restrictione allata ratio. 141.

Neque majoris efficaciæ est ad hanc & illam firmandam allegata decisio *c. Cùm Ecclesia cit.* partim; quia non immeritò quis ambigat, an clericis extraneis Episcopum simul cum Ecclesiæ Cathedralis Canonicis eligentibus, Jus commune resistat; cùm secundùm Canones antiquiores, Episcopi electio ad istos & Episcopalis civitatis clericos simul pertineat, *can. Obeuntibus, 33. dist. 63.* & Jure recentiori in Prælati electione extraneis vox in fundationis limine de Episcopi consensu reservari, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* iidémque ad suffragium in electione ferendum à Capitularibus admitti, permittantur, *c. Bona 4. de Postulat. & c. Scriptum 40 de Elect.* eámque ob causam vocis activæ jus extraneis conferentem consuetudinem, potiùs præter, quàm contra Jus esse, asserat Gonzalez *in c. Cùm Ecclesia cit. n. 7.* partim verò; quia præsumptio, si quæ ex Juris resistentia contra clericos extraneos erat, elisa & enervata fuit præsumptione aliâ, pro ipsis militante, & ex diuturna bonæ fidei, tribúsque ipsorum suffragationibus, & Canonicorum ipsos admittentium patientiâ, firmatâ juris eligendi quasi possessione; ut mirum non sit; quòd istò propositæ causæ definitio consentanea non sit decisioni, *c. Ad decimas cit.* cùm hoc textu Canonici decimas aliquamdiu duntaxat possedisse referantur, Panormit. *cit. n. 39.* Imola *in c. Cùm Ecclesia cit. n. 25. & in c. Ad decimas cit.* Francus *n. 8.* Laiman *n. 2.* Barbosa *num. 7.* & *cit.* Pirrhing *num. 44.* 142.

Non magis urget *c. Licet cit.* quia in istius casu Jus commune non, sicut *c. Ad decimas cit.* Parocho, ita quoad primi beneficii obtentionem & retentionem cum altero: sed quoad vacantis duntaxat collationem, Episcopo favebat; ut proinde non immeritò clericus, ab ipso alterò indebitè spoliatus, secundùm *c. In literis 5. & c. Conquerente 7.* Regulam restitutus fuerit, antequam simultaneam utriusque retentionem, exhibitò titulò justificaret contra decisionem *c. Ad decimas cit.* quia in istius casu, secus quàm *c. Licet cit.* Jus commune quoad ipsam decimarum perceptionem resistebat Canonicis & simul Parocho assistebat, *citt.* Barbosa *n. 10.* & Pirrhing *n. 45. in fine.*

Minùs, imò ad rem nihil facit, *c. Literas cit.* partim; quia hôc ipsò, quòd in istius casu, conjuges consanguineos esse, non constaret, an spoliato Jus commune adversaretur, dubium, & non, ut in casu *c. Ad decimas cit.* certum erat:

partim verò; quia, si priori textu dè objecta consanguinitate certò constitisset, mulieris, etiam sine Ecclesiæ judicio, ac proinde indebitè dimissæ, restitutioni ad evitandum peccati periculum procul dubiò obstitisset.

143. Dubium quartò & dissensio inter DD. est, an *c. Ad decimas cit.* decisio etiam laicos recuperandæ possessoriò super decimis agentes afficiat. Ratio dubitandi de Affirmativa est; quòd, si laici decimis spoliati, quoties Jus ipsis resistit & spoliatori assistit, restituendi non essent ante suæ possessionis justificationem, parochis daretur ansa liberè invadendi jura laicorum, eósque decimarum quasi possessione violenter dejciendi: quod neque æquum, neque conforme est Juri, restitutionis privilegium etiam prædoni spoliato indulgenti, *c. In literis cit.* De Negativa autem; quòd Jus commune, quoad decimarum perceptionem pro parocho militans, ipsis multò fortiùs, quàm Clericis, Ecclesiis & Monasteriis extraneis resistat; cum earum possessionis laici de de Jue sint incapaces, *c. Causam 7. de Præscript.* ac proinde, nisi eas privilegiò Apostolico vel infeudatione, ante Concilium Lateranense factâ, obtentas, aut immemoriali tempore possideri, ostendant, nullatenus sint restituendi.

144. Posterior hæc ratio, in contrarium & pro laicis allatæ, ita prævalet; ut, si de propriè dictis, sive ad sacerdotum & Ecclesiæ ministrorum alimenta, & non merè prophano intuitu introductis, aut à spirituali titulo perpetuò & irrevocabiliter abstractis, atque ita quodammodo sæcularizatis decimis, loquamur, intentum omnino evincat & solùmodo discrimen faciendum sit inter decimas percipiendi jus, & immunitatem ab earum præstatione; cùm enim quasi possessionis juris percipiendi decimas incapaces sint laici, secundùm *c. Causam cit.* super ejus spolio Recuperandæ possessorium adversus Parochũ intentantes restituendi non erunt, nisi earum perceptionem justificent, exhibitò titulò, vel istius præsumptionem inducente tanto tempore, cujus initium hominum memoriam excedit, ut cùm Panormit. *in c. In literis cit. num. 24.* & Interpp ac DD. aliis docent *citt.* Covarruvias *cap. 17. n. 6.* Guttierez *n. 57.* Canisius *n. 6.* Laiman. *Lib. 4. tract. 6. cap. 4. n. 3.* Barbosa *n. 20.* Pirrhing *n. 47.* & Engel *ad hanc Rubric. n. 4.*

145. Alia Ratio est immunitatis à præstatione decimarum ex propriis fundis; cùm enim laici quasi possessionis hujus juris incapaces ullo Jure redditi non sint, eâ à Parochis dejecti, ut restituantur, tituli exhibitio eô solùm casu ab ipsis exigetur, quô in ejus immunitatis quasi possessione aliquam diu duntaxat, & non multorum annorũ longo tempore steterunt; cùm, ut Canonicis extraneæ Ecclesiæ quoad decimarum, intra alienæ parochiæ fines provenientium, perceptionem, ita ipsis quoad immunitatem ab earum præstatione Jus resistat & parocho assistat, ut omnino locus sit exceptioni, à Regula, de spoliato ante omnia restituendo, proditæ, *c. Ad decimas cit.*

146. Neque plus evincit pro laicis allata ratio; cùm enim, quoties possessionis capaces sunt, eôdem, quô clerici & Ecclesiæ, Jure censeantur: & majori, quàm hæ, & illi, jurium suorum amittendorum discrimini expositi non sint, de Parochorum injuriis querendi causam non habent; quia isti, si quando ipsos dictæ immunitatis quasi possessione, aliquamdiu duntaxat & ex Juris præsumptione injustè obtenta & retenta dejiciant, non temerè, sed ex permissione Juris saltem tacita agere videntur, ut insinuat Canisius *l. cit. n. 8.*

TITU-

TITVLVS XIV.

De Dolo & Contumacia.

NOn rarò Spolium, aut aliud quidpiam petens, id non consequitur ob Dolũ & Contumaciam partis adversæ, judicium subterfugientis: in quam proinde, ut à Contumacia recedat, procedendi ratio ad hanc & sequentes aliquot Rubricas declaratur.

ARTICULUS I.

De Dolo.

SUMMARIUM.

1. *Dolus alius Bonus, eóque acta justa:*
2. *Alius Malus est:*
3. *Qui vel in contractum incidit: vel eum causat:*
4. *Et irritat, cùm circa ejus substantiam versatur.*
5. *Non etiam, quando dolus versatur circa accidens.*
6. *Contractus, vel sunt Bonæ fidei, vel stricti Juris:*
7. *Quorum neutros irritat dolus solùm incidens:*
8. *Et de Jure Naturali iis causam dans, si versetur circa aliquid accidentale.*
9. *Jure etiam Positivo conjugium tam spirituale, quàm carnale,*
10. *Et stricti Juris contractus subsistunt.*
11. *Eô obtenti contractus bonæ fidei secundùm multos irriti sunt.*
12. *Probabiliùs in Theoria;*
13. *Et in Praxi veriùs subsistunt;*
14. *Et obligant saltem decipientem:*
15. *Initi dolô tertij, si in substantiam; irriti:*
16. *Si accidens afficiat, validi sunt.*
17. *Dolô deceptus, ante contractûs impletionem, Exceptionem:*
18. *Post illam, Actionem de Dolo habet:*
19. *Quæ subsidiaria est.*
20. *De maleficiis dolô commissis remissivè.*

DOli nomen significationis ambiguæ est; cùm in bonam & malã partem accipi valeat; veteres enim dolum quendam dicebant Bonum, eóque denotabant solertiam, sive industriam, adhibitam in fraudibus & malis artibus repellendis, seque aut rebus suis vel alienis tuendis: maximè eam, quâ adversus hostem latronémve quis machinaretur, *l. 1. §. 3. ff. de Dolo.* Quem dolum nullo Jure improbatum, eóque acta justa esse, nemo est, qui ambigat, postquam eô, ut homines ab errorum tenebris ad Evangelicæ Veritatis lucem deduceret, se usum professus est S. Gentium Doctor, *Ego*, inquiens, *Cùm essem astutus, dolô vos cepi* 2. Corinth. *cap.* 12. *V.* 16. & in se hostiliter insurgentes à Deo, qui suprema justi honestique Regula est, supplantatos Regius Vates prædicavit, *Psalm.* 17. *V.* 40. Id ipsum docet perspi- 1.

perspicua ratio; quia hujusmodi dolus fraude & injuriâ vacat; cùm sit pars Prudentiæ, S. Thomas 2. 2. q. 55. art. 4. eóque utentis intentio non ex malitia consilium capiat, alterum ut decipiat: sed potiùs, ut sibi, alteríve, aut Reipublicæ prosit, *can. Dominus*, 23. q. 2. Tholosan. *Syntag. Lib.* 22. *cap.* 13. *n.* 2.

2. Alium, usu multò frequentiorem, & hâc Rubricâ propositum, quòd ex mala fide procedat, vocabant Dolum Malum, qui *l.* 1. *cit.* §. 2. à Labeone JCto esse dicitur *Omnia calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* Quæ definitio, licet ad eum præcipuè dolum pertineat, qui in negotiis & contractibus admittitur, eum tamen, quô committuntur maleficia, non excludit; nam & apertâ vi perpetratæ cædes ac rapina fallaciam & machinationem præviam, aut comitem adjunctam habent; non minùs, quàm fraude gesta negotia, etiam ipsa ex nocendi animo facta dolô censeantur. Comitti ergo talis dolus in & extra contractus aliósque similes actus potest.

3. In contractu commissus, vel hunc præcedit, eique causam dat, alterum, si dolus abesset, eum non initurum, dolosô consiliô, & persuasionibus inducendô ad contrahendum: vel in contractum incidit, hunc inire aliàs volentem in pretio, aut alio quopiam circumveniendô.

4. Dolus contractui causam dans aliquando versatur circa ipsam ejus substantiam, sive aliquid, ad quod contrahentes intentionem suam restringunt, aut saltem ex communi hominum, Jurisve præsumptione vel dispositione restringere creduntur: sicut contingit, cùm emptori à venditore vitrum obtruditur pro gemma: cujusmodi error undecunque proveniat, contractum omni Jure irritû reddit; quia ex parte contrahentis, circumventi ac decepti, inducit errorem circa ipsam rei, vg. emptæ, substantiam: circa quam versans error consensum, ad contractûs cujuscunque valorem essentialiter requisitum, excludit, *l. Si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. & l. Non idcirco* 9. *C. de J. & F.* Lessius *Lib.* 2. *de J. & J. cap.* 17. *n.* 27. Palao *tract.* 14. *disp.* 2. *p.* 5. *n.* 6. & Haunold. *Tom.* 3. *de J. & J. tract.* 8. *n.* 67.

5. Aliquando in contractu admissus versatur circa ejus circumstantiam, vel qualitatem solummodo accidentalem, sive tale aliquid, ad quod contrahentium intentio non restringitur, nec restringi usu communi solet, aut Juris præsumptione dispositionéve censetur: sicut contingit, cùm emptori hornum seu novum vinum à venditore malitiosè obtruditur pro veteri: cujusmodi dolus aliquando contractum præcedit, eique causam dat; aliquando in eum incidit. De Accidentali hoc dolo

6. Dubium & satis latè patens controversia est, an eô initi contractus de Jure subsistant. Pro cujus resolutione probè notanda est, Jure prodita & magno DD. consensu approbata distinctio inter contractus; horum enim quidam sunt Bonæ fidei, ut Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Permutatio, Commodatum, Depositum, Pignus, Mandatum, Societas: qui eorúmque & alia quædam Judicia bonæ fidei nuncupantur; quòd in iis judex ad rigorem conventionis non adstrictus, ex æquo & bono pro una parte contra alteram pronuntiandi, & quantum ab una alteri præstari oporteat, æstimandi decernendique habeat facultatem, licet in conventione non sit expressum; dummodo id exprimi æquitas postulâsset, vel permisisset, §. *In bonæ* 30. *Instit. de Actionibus & l. Quia tantundem* 7. *ff. de Negot. gest.* Alii contractus sunt stricti Juris, ut

Juris, ut Promissio liberalis, Stipulatio, Donatio, Mutuum, Feudum, Emphyteusis: qui eorúmque *& §. Actionum 28. Instit. de Action.* non enumerata judicia pleraque stricti Juris vocantur; quòd in iis judex non ita liberam æstimandi habeat facultatem, sed pronuntiare debeat secundùm rigorem & verba conventionis, ut reum conventum in id, quod expressè conventum est, nec in plus, vel aliud valeat condemnare, *arg. l. Quia cit. & l. Si ita stipulatus 126. §. 2. V. Superest, ff. de V. O.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 259. n. 2.* Harprecht §. *Actionum cit. n. 15. & 16.* Manzius *in §. In bonæ 30. Instit. de Actionib. n. 1.* & Haunold. *Tom. 3. de J. & J. Tract. 8. n. 54.* Hôc præmissô, de contractu dolô celebrato

7. Convenit inter DD. primò, neque bonæ fidei, neque stricti Juris contractus Jure etiam Positivô irritatos ob dolum, in eos solummodo incidentem, Sylvester *V. Culpa, n. 9.* Molina *Tract. cit. disp. 352. n. 10. citt.* Lessius *n. 28.* Palao *n. 25.* Zœsius *in ff. de Dolo, n. 12.* & alii, id desumentes ex *l. Si quis 9. pr. ff. de Dolo & l. Julianus 13. §. 4. & 5. ff. de Actionib. empti:* secundùm quos textus in bonæ fidei contractum incidente dolo circumventus actionem habet ex ipso contractu. Unde, hunc Jure validũ esse, legitimè infertur; quia, invalidus esse nequit contractus, ex quo ipsi propria actio descendit. Ratio est; quia, cùm talis dolus non afficiat intentionem contrahentis, eô absente contractum inituri, non modò consensum non tollit, sed neque contractûs causa dici potest, ut ratio non fuerit eum irritandi vel rescindendi: etsi dolô deceptus, ut dictum, ex ipso contractu actionem habeat adversus decipientem ad præstandum, quanti suâ interest, dolum non interveniisse, *l. Julianus cit. pr.*

In contractum stricti Juris incidente dolô circumventus, licet actionem ex ipso contractu descendentem non habeat, agere tamen de dolo & petere potest; ut deceptor ad illius, quod suâ interest, refusionem compellatur, *l. Et eleganter 7. §. 3. ff. de Dolo, ubi* Bruneman. *n. 9.*

Convenit inter eos secundò, nullo dolo circa circumstantiam & qualitatem accidentalem commisso, ullum, tam bonæ fidei, quàm stricti Juris, contractum irritum esse Jure naturali, *citt.* Lessius *n. 28.* Palao *n. 8.* & Haunold. *n. 83.* quia dolus eóque inductus error circa qualitatem aut aliud quidpiam accidentale, cui contrahentis intentio non adstringitur, consensum voluntarium non tollit; cùm, si hunc tolleret, pro irritis habendi essent innumeri contractus & plurima matrimonia, vg. quæ inita sunt cum persona, dolosè fingente se nobilem, divitem, virginem, cùm talis revera non sit: quæ illatio adversatur communi sententiæ plerorúmque alicujus nominis ac notæ DD. magnô numerô congestorum à Sanchez *Lib. 7. de Matr. disp. & n. 18.* 8.

Convenit tertiò, Jure etiam Positivo, irritos non esse, dolô circa aliquid accidentale commissô celebratos contractus matrimonii Carnalis, & Spiritualis, initi per professionem Religionis à sede Apostolica approbatæ, vg. si sponsa se nobilem, vel opulentam mentiatur, aut novitius occultum corporis vitium, vel morbum dolosè tegat; quia, hôc ipsô, quòd ad hujusmodi qualitatem vel circumstantiam contrahentium intentio non restringatur, dolosa ejusmodi jactantia vel occultatio consensum non excludit, ut de aliis DD. magnô numerô relatis ostendit Sanchez de Matrimonio Carnali *Lib. 7. disp. & n. 18.* de Spirituali verò seu professione Religiosa *Lib. eôdem disp. 37. n. 53.* & statuetur infra *Lib. 4. tit. 1. n. 214.* 9.

Convenit inter eosdem quartò, etiam 10.

alios saltem stricti Juris contractus ipso Jure irritos non esse, quantumvis ejusmodi dolus præcesserit eisque dederit causam, ut deducitur ex *l. Dolo 5. C. de Inutil. stipul.* & §. 1. *Instit. de Exceptionibus:* quô locô utroque ex stipulatione dolô obtenta obligationem & actionem nasci, disertè habetur, luculentô indiciô valoris; cùm ex actu nullo ad agendum efficax obligatio nasci non possit.

Ex Stipulatione tamen agens exceptione doli mali submoveri potest, *l.* & §. *citt. Ubi* Interpp. & cæteri DD. nemine, quod sciam, discrepante.

11. Dissensio autem maxima inter eos est de contractibus bonæ fidei; hos enim, si præcedat, eisque causam det à contrahente commissus ejusmodi dolus, ipso Jure irritos esse, cum Bartolo *in l. Et eleganter cit. pr. n. 9.* & Panormit. *in c. Cùm dilecti 3. de Empt. & Vendit. n. 6.* defendunt Sylvester *V. Culpa n. 9.* Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. & n. 6.* Molina *cit. disp. 352. n. 2.* Gaill. *Lib. 2. Observat. 2. n. 6.* Harprecht *in §. Actionum cit. n. 20.* Perez *in C. de Dolo n. 6.* & RR. Legistarum sententia communis, fundata palmaribus in speciem textibus *l. In causa 16. ff. de Minorib.* cujus §. 1. à minore, dolo circumvento contracta societas nulla pronuntiatur: cui consonant *l. Et eleganter cit.* minoris dolo circumventi venditionem, & *l. Ea verò 3. §. 3. ff. Pro socio,* eandem societatem ipso Jure nullius momenti esse pronuntiantes, si dolo malo, aut fraudandi animo inita sit: & ratio redditur; quia fides bona contraria est fraudi & dolo.

12. Sed, licet textibus his bonæ fidei contractuum, prævio dolo initorum, nullitas non solùm reddi probabilis, sed planè evinci videatur, in Theoria tamen etiam probabile, & in Praxi verius est, eos, quando insolubiles non sunt, rescissioni quidem obnoxios: at ipso Jure non omnino, saltem ex parte decipientis, irritos esse, ut cum Glossa *in §. 1. cit. V. Efficax, de Except.* sustinent Igneus *in Reg. Contractus 85. in 6. n. 150.* Lessius *cit. cap. 17. n. 31.* Laiman, *Lib. 3. tract. 4. cap. 5. n. 6.* Palao *cit. p. 5. n. 19.* Haunold. *cit. Tract. 8. n. 86.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 6.* suum hunc sensum fundantes in Jure & ratione. Ex illo allegant *l. Si dolo 5. C. de Rescind. vendit.* ubi dolô obtenta venditio rescindi jubetur, non obscurô argumentô valoris; cùm, quod nullum est, nequeat rescindi: ex *l. Rem alienam 28. ff. de Contrah. empt. & l. Qui vas 48. ff. de furtis:* quarum priori rei alienæ, utique venditoris dolô obtrusæ, emptio tenere: posteriori §. *fin.* fur pretii pro re furtiva accepti dominus fieri asseritur. Rationem pro Praxi potissimùm militantem adornant; quòd, cùm etiam bonæ fidei contractus prævio dolô obtenti, etiam adversâ parte statuente, irriti non sint Naturali, & ab isto Positivum Jus aperte non divertat, sed propter textus, non minùs pro, quàm contra ipsorum valorem militantes, ambiguum sit, ad evitandum à primævo Jure recessum & correctionem, id, quod Naturali obtinet, etiam statuendum sit de Jure Positivo, *arg. c. Cùm expediat 29. pr. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine, C. de Appellat.*

Neque hanc rationem infringit, quòd in rem hanc adducti textus commodam patiantur expositionem; cùm *l. de Dolo cit.* de Rescissione de facto tantùm, & de la traditionis retractatione: *l. Rem alienam cit.* de hujusmodi re, ab ignorante bonâ fide venditâ, valeat exaudiri, & *l. Qui vas cit. §. fin.* de venditionis valore aut nullitate nihil: sed solummodo rei furtivæ pretium furtivum non esse, asseratur; quia nihilominus ratio illa vim habet; cùm, quia elaboratis hisce planior & veritati-

verisimilior est antè redditus earum intellectus: tum verò, quia etiam non desiderantur expositiones, quibus in contrarium adductarum legũ vis debilitetur; quia imprimis istis non exprimitur, an qui intervenit dolus, contractûs substantiã afficiat, vel circa aliquid accidentale versetur. Deinde; 14. quia ad expositionem, quàm adversarii *l. de Dolo cit.* objiciunt, referri & dici potest, *ll.* pro talium contractuum nullitate adductis, istos quoad effectum duntaxat irritos censeri; cùm, licet deceptor etiam invitus ad contractûs, dolo suo obtenti observantiam, si deceptus velit, adstringatur, eô tamen non obligetur iste: & propterea, oppositâ à decepto doli exceptione, vel actione adversus decipientem institutâ, judicis authoritate valeat ac debeat rescindi; ut contractus perinde, acsi ab initio irritus fuisset, nullius momenti evadat, ut præter alios DD. *citt.* advertunt laudati Lessius *n.* 31. Haunold. *n.* 92. & Pirrhing *n.* 7. quorum hac de re sensus non solùm Juri Naturali magis consentaneus, sed etiam publico bono expediens est, ad coërcendam improbitatem deceptorum: qui ita aliquando astutiâ suâ &, quô alios circumvenerunt, dolô capti, in eo, in quo delinquunt, puniuntur.

15. Dubium secundò est de valore contractûs, cui causam dedit prævius dolus, non à contrahentium altero, sed utroque ignorante, ab aliquo tertio commissus. Qui, si afficiat ipsam substantiam contractûs, istum procul dubio irritum reddet, propter defectum consensûs, quem 16. hujusmodi dolus in contrahente eo decepto inducit. Si verò circa qualitatem aut aliud quidpiam accidentale versetur, eô initus & ab utraque vel altera solùm parte impletus contractus neque irritus ipso Jure, neque etiam ad decepti libitum obnoxius est rescissioni: sed deceptus de dolo adversus decipientem agere poterit ad id, quod suâ interest, sive ut ex dolosa ejus ad contrahendum persuasione emergens damnum & lucrum etiam cessans resarciat, *citt.* Molina *n.* 14. Lessius *n.* 33. Palao *n.* 22. & Haunold. *n.* 95. id desumentes ex *l. Et eleganter cit. pr. & l. Si proxeneta 2. ff. de Proxeneticis.* Ratio est; quia contrahentium neuter sibi reservare præsumitur jus resiliendi à contractu, ad quem, utriusque bonâ fide initum, dolô vel culpâ alicujus tertii est inductus; cùm, si hoc præsumeretur, etiam suómet errore deceptus pro hoc casu resiliendi jus reservatum prætendere posset, & recedere à contractu, magnô præjudiciô commercii humani; quia, si hoc liceret, plurimi contractus expositi essent discrimini rescissionis; & ad commercium illud stabiliendum plurimùm conferens contrahentium securitas vacillaret.

Etsi verò hæc ita sint, casu tamen, quô contractus à contrahentium neutro impletus & res adhuc integra est, etiam dolô tertii circumvento ab illo recessum permittunt DD. *citt.*

Porro ei, qui dolosâ persuasione, 17. aliáve machinatione deceptus ad contractum sibi damnosum inductus est, antequam contractus impletus & executioni mandatus est, competit exceptio Doli mali, quâ deceptorem ad contractûs implectionem agentem submoveat, *l. fin. ff de Dolo, l. Si quis 36. ff. de V. O. & l. Dolo 5. C. de Inutil. stipul.* quæ exceptio perpetua est & semper competit, §. *Perpetuæ 9. Instit. de Except.* etsi actio de Dolo certo tempore, scilicet biennió, à doli commissi die computando, finiatur, *l. fin. C. de Dolo & l. Purè 5. 5. fin. ff. de Doli mali except.* ubi hujus inter exceptionem & actionem discriminis ratio redditur; quòd in actoris potestate sit, quando jure suo utatur: is autem, quocum agitur, sive reus,

reus, non habeat potestatem, quando con-
18. veniatur. Si verò contractus jam sit impletus, adversus decipientem ei competit Actio de dolo, *l. 1. pr. ff. de Dolo*, quâ petit; ut deceptor restituat rem ipsam dolô obtentam: vel, si hanc nequeat, ejus æstimationem & interesse: quæ Actio à Prætore prodita est in subsidium, hoc est, defectum alterius Actionis, puta in integrum restitutionis, Actionis in factum, Redhibitoriæ &c. cùm, si alterius dolô
19. circumventus rem, illiúsve æstimationem & interesse consequi valeat aliâ speciali actione, Actioni de dolo regulariter locus non sit, *l. 1. §. 4. ff. & l. De dolo 2. C. de Dolo*; quia actio de dolo gravis est ac famosa; cùm reo ob dolum condemnato perpetuæ ignominiæ nota inuratur. Quæ etiam causa est, cur Actio hæc sine prævia causæ cognitione non sit indulgenda, *l. Et eleganter 7. §. 3. ff. de Dolo* ubi ea & doli exceptio à LL. Interpp. latè declaratur.

20. Extra contractum & similes actus commissus dolus distinguitur in varia Maleficia: quorum, quæ Ecclesiastici aut Mixti fori sunt, ad *Lib. 5.* rejectâ explicatione, hôc locô de eo duntaxat dolo, qui actoris aut rei contumaciâ in Judicio committitur, agemus.

ARTICULUS II.

De Doli Mali Probatione.

SUMMARIUM.

21. *Dolus alius Verus, alius Præsumptus est,*
22. *Et diversi utriusque effectus.*
23. *Dolus non præsumitur, sed probandus est,*
24. *I. Ex actu illicito:*
25. *II. Ex mendacio:*
26. *III. Ex actis contra Jura:*
27. *IV. Ex omissione ejus, quod ex officio*
28. *V. Vel alia obligatione præstari debet:*
29. *VI. Ex læsione, præsertim enormissima:*
30. *VII. Ex nimia cautela & insolitis clausulis:*
31. *VIII. Ex actûs occultatione:*
32. *IX. Ex locupletatione cum damno alieno:*
33. *X. Ex emptione in fraudem creditorum:*
34. *XI. Ex emptione vel mutuo dato malè pecuniam consumpturo:*
35. *XII. Ex instrumenti non plenatitione, &c.*
36. *Præsumptiones doli contrariis præsumptionibus tolluntur.*

DOlum Malum DD. partiuntur in Verum & Præsumptum. Verum Menochius *Lib. 5. præsumpt. 3. num. 7.* & Tuschus *Practic. V. Dolus, concluſ. 574. n. 11.* esse dicunt, quem Jus ipsum statuit; quòd verum ac manifestum censeatur id, quod ex legis vel canonis præsumptione habetur; Præsumptum autem, quem prudens judex desumit ex indiciis & conjecturis, quæ Jure expressæ non leguntur. Aliam utriusque doli explicationem dant Bartolus *in l. Quod Nerua 32. ff. Depositi n. 14.* Corrasius *Lib. 4. Miscell. cap. 1. n. 2.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 293. n. 4.* & Verum aiunt, quando fallaciam & machinationem ad decipiendum alterum scienter & de industria adhibitam ex propria confessione vel manifestis & indubitatis indiciis constat, *l. Dolum 7. C. de Dolo:* quando verò ejusmodi fallaciæ & machinationis indicia urgentia quidem, sed non ita

non ita manifesta apparent, dolum Præsumptum vocant.

22. Atque hæc Doli partitio, licet Jure prodita non reperiatur, probè tamen notanda est propter notabiles & diversos utriusqus effectus; cùm in futurum remitti nequeat dolus verus, valeat autem præsumptus *l. Si unus 27. §. 3. ff. de Pactis & l. Illud 5. ff. de Pact. dotal.* Felinus *in c. Fraternitatis 17. de Test. & attest. num. 7.* Minor adversus dolum verum in integrum non restituatur, *l. Si ex causa 9. §. 2. ff. de Minoribus*, restitui autem valeat adversus dolum præsumptum, Oddus *p. 2. de Restit. in integ. q. 2. n. 12.* Justa causa non excuset à dolo vero, *l. Si is qui 2. C. Si minor se major. dix.* licet excuset à præsumpto. Menoch. *Recup. possess. remed. 5. n. 49.* ad rei condemnationem sufficiat dolus verus, non sufficiat autem præsumptus: nisi ex vehementissimè urgentibus & delicto proximis indiciis sit præsumptus, iuxta dicenda *hôc Lib. tit. 23. n. 24.* Menoch. *præs. 3. cit. à n. 10.* & Corras. *cap. 1. cit. n. 2.* His præmissis

23. Explorati Juris Regula est, Dolum in dubio non præsumi, sed indiciis, conjecturis ac præsumptionibus probandum ab allegante, *l. Dolum cit. & c. fin. de Renuntiat. in 6.* Ratio obvia est; quia quilibet naturâ suâ bonus præsumitur, *c. fin. de Præsumpt. & l. Meritò 51. ff. Pro socio*; ac proinde dolô proximum suum non circumvenisse; cùm enim dolus consistat in fallacia & machinatione, ad alterum decipiendum tendente, *l. Jurisgentium 7. §. 9. ff. de Pactis & l. 1. §. 2. ff. de Dolo*, in delictum & crimen vergit, *l. Tutor 3. §. 5. ff. de Suspect. tutor. & l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* delictum autem & crimen non præsumitur, sed ab allegante probari est necesse; &, quia latet in animo, cuius cogitationes & intentiones soli Deo cordium Scrutatori cognitæ sunt, *Clement. Exivi 1. §. Rursus, de V. S.* deficiente confessione eius, qui doli arguitur, probatio desumenda ferè est ex indiciis, conjecturis ac præsumptionibus, *l. Dolum & c. fin. citt.* Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 58. n. 10.* & Farinacius *Prax. Criminal. q. 89. n. 16.* Cui Regulæ vel maximè locus est, quando is, qui doli arguitur, valde probus & honestus, atque adversus hominê frugi & benevolum, vel sanguine, aliáve necessitudine coniunctum dolus est commissus: uti &, cùm dolum committenti damnum & incommodum, aut nullum vel exiguum lucrum & emolumentum affert, nullâque doli causa apparet, Cravetta *Consil. 8. n. 4. & 19. Consil. 319. n. 6. & 13.* & Menoch. *præs. 3. cit. à n. 17.*

Permulta autem sunt & magnô numerô à DD. referuntur indicia & conjecturæ, ex quibus dolus à lege vel homine præsumi ac probari solet: quarum singulæ, quantâ vi in occurrentibus casibus polleant, arbitrio iudicis, actuum circumstantias ponderantis, committendum, cum Farinac. *q. cit. n. 25.* ait Bruneman. *in l. Dolum cit. n. 3.* Earum nonnullas notatu digniores & in praxi frequentiùs occurrentes attingere iuvabit.

A propositâ itaque Regulâ excipitur & dolus præsumitur Primò ex actu naturâ suâ illicito; cùm enim quis hominem vulnerat, vel occidit: cùm verbô factóve naturâ suâ iniuriosô proximum lædit, dolô id fecisse, præsumitur, si contrarium non probetur, *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sic. & l. Si non convicij 5. C. de Injuriis, citt.* Mascard. *de Probat. concl. 551. n. 10.* Menoch. *n. 45.* & Tusch. *Concl. 573. n. 29.* Ratio perspicua est; quòd, cùm dolus & proximum lædendi vel iniuriandi animus à sensu & intellectu nostro in se & directè non attingatur, sed coniectura de eo sumenda sit ex actibus externis, istorum qualitate ac circumstantiis, quoties hu- 24.

jusmodi actus ad læsionem & injuriam tendit, lædendi injuriandíve animus dolúsque non abesse intelligatur, *l. 1. l. Si non convicij citt.*

25. Secundò, dolus præsumitur ex mendacio, *l. Et eleganter 5. §. fin.* si id lucri causâ quis dixerit, & vg. ad hæreditatis repudiationem alterum induxerit, illam vilem, aut valde onerata m ære alieno asserendò, aut se vel alterum quasi idoneum commendârit, *l. Quod si 8. & l. Si quis affirmaverit 9. §. 1. ff. de Dolo*, aut falsis qualitatibus scienter expressis impetrârit rescriptum, *c. Super literis 20. de Rescript.* Ratio est; quia mendacium prohibitum est Jure naturali & Divino, *Os, quod loquitur mendacium, occidit animam*, Sapient. *cap. 1. V. 7.* & *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, Psalm. *5. V. 7.* Eadem ferè, quæ mendacii, ratio est veri ad negotium pertinentis reticentiæ; quòd asserere falsum & verum reticere paria reputentur, *l. Presbyter 8. C. de Episc. & cleric.* Anchoran *in c. Cùm dilectus 20. de Accusat. n. 10.* sic enim, sicut expressione falsitatis, sic & veritatis, de Jure & stylo Curiæ exprimendæ, scienter factâ suppressione fraudem præsumi & rescripta vitiari, liquet ex *c. Super literis cit.* ibi, *Per fraudem & malitiam*: & cùm altero contrahens, dolò eum circumvenisse, intelligitur, si taceat & occultet aliquid vg. quòd res feudalis, subjecta restitutioni &c. sit: quod si expressisset, contractum alter verisimiliter non iniisset, Alexand. *Lib. 4. Consil. 109. à n. 10.* & *cit.* Mascard. *n. 32.*

26. Tertiò ex actis contra Jura, *Reg. Qui contra 82. in 6.* hoc est contra legis vel canonis prohibitionem: ut, cùm rem, quam scit prohibitam alienat: à pupillo sine authoritate tutoris, *l. Pro emptore 2. §. 15. ff. Pro emptore* vel prædium à minore emit sine decreto judicis, *l. Omnes 2. C. de His, qui ven. ætat.* Si Ecclesiæ rem immobilem vel pretiosam sine justa causa vel canonicis solennitatibus compareat vel distrahat, *c. 1. c. Tua nuper 8. &c. de his, quæ à Prælat.* si beneficium Ecclesiasticum accipiat de manu laici, *can. Deinceps, 16. q. 7. & c. Præterea 4. de Jure patronat.* vel pro collatione exigat vel exhibeat pecuniam, *c. Non satis 8. c. Cum in Ecclesia 9. &c. de Simonia:* si notarius in testamento, vel instrumento alio, Jure præscripta solennia omittat, *l. Jubemus 29. C. de Testam.* in his enim, sicut & in eo, qui in contractu alióve actu loci statutò præscriptas formulas non observat, dolus præsumitur; quòd, cùm actiones suas ad Juris, hoc est, legum, canonum, statutorum normam conformare omnes teneantur, *c. 1. de Constitut. & l. Leges 3. C. de LL.* qui suas his non conformant, fide non bonâ, sed dolò agere videantur, Alciat. *de Præsumpt. Reg. 30. præs. 3. n. 2.* Menoch, *l. cit. à n. 76.*

27. Quartò, ex omissione ejus, quod facere quis officii & muneris sui ratione tenetur, *l. Dolo 41. ff. ad L. Falcid.* ut servus domino suo, cùm posset, auxilium non ferens adversus occisores, *l. 1. §. 14. ff. ad S. C. Syllan.* emptor litem sibi motam venditori denuntiare in tempore negligens, *l. Si fundo 51. §. 1. ff. de Evict.* tutor pupilli bona in inventario non describens; quòd rem pupilli non, ut ratio muneris sui poscebat, diligenter ac fideliter gerere & administrare videatur, Beroius *Lib. 1. consil. 141. n. 18. citt.* Mascard. *n. 24.* & Menoch. *n. 66.*

28. Quintò, si quis non præstet, quod promisit, & non faciat, ad quod se novit obligatum, *l. Si procuratorem 8. §. 9. & l. Dolus 44. ff. Mandati*, non solummodo negligenter: sed ex proposito & consilio animi, ut, cùm implere promissionem, reddere depositum, aut alteri obligationi satisfacere requisitus, nullâ justâ causâ recusat.

cusat, *l.* 1. §. 22. *ff. Depositi*; quòd hoc periniquum sit & naturali Juri adversetur, *c.* 1. *& l.* 1. *ff. de Pactis, citt.* Mascardus *n.* 38. & Menoch. *n.* 63.

29. Sextò, ex læsione enormi sive ultrà justæ æstimationis dimidium, *l. Si superfluite* 5. *V. Sane, C. de Dolo*; quòd ea adversetur legi naturali ac divinæ; caventi, *Nè quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum*, 1. Thessal. *cap.* 4. *v.* 6. *& c.* 1. *de Empt. & vendit.* Quarè non solùm in contrahentibus, si alter alterum, sed in arbitris quoque, etiam iis, quibus *Prout videbitur* pronuntiandi potestas facta est, si partium alteram enormiter læserint, dolus præsumitur, *citt.* Cravetta *Consil.* 142 *n.* 22. Mascard. *n.* 30. & Gaill. *Lib.* 2. *observat*, 147. *n.* 8. Si verò læsio enormissima sit, puta, si fundus, cujus justum pretium bis mille trecenta sunt, millenis: domus, cujus justa æstimatio sunt ter mille quingentæ; mille & quingentis empta fuisset: si quis ad fideicommissò valde amplò pro exigua quantitatè cedendum inductus ab aliquo fuisset, dolus verus seu manifestus, ac notorius commissus intelligeretur; quòd, quando læsio cum excessu tam immodico facta appareret, omnis bona præsumptio cesset, *citt.* Mascard. *n.* 28. Menoch. *n.* 70. & Bruneman. *in l. Si superstite cit. n.* 7.

30. Septimò, ex nimia cautela & diligentia, quæ actui adhibetur, *l. Si quis sub conditione* 7. *ff. de Condit. instit.* sic enim, licet aliàs superflua cautela non nocere dicatur, quando tamen ea, & clausulæ omnino insolitæ in contractuum aliorumque actuum instrumentis adhibentur, fraudem ac dolum arguunt contrahentis, earum adminiculò sibi prospicientis, *arg. can.* 1. *pr. dist.* 41. Baldus *in l. Si quis cit.* & Menoch. *cit. præs.* 3. *n.* 103. sicut contrà dolus non præsumitur in eo, qui solitum quid facit, *l. Quid sit* 17. §. 12. *ff. de Ædil. Edict.* Sic etiam venditioni aut mutuo appositæ pactæ insolitæ contractus illos de iniquitate usuraria suspectos reddunt, *c. Ad nostram* 5. *de Empt. & vendit. & c. Illo vos* 4. *de Pignorib.* ut, si pecuniam mutuanti rei frugiferæ oppignoratæ fructus donentur, vel mutuo in favorem creditoris adjiciatur juramentum, cum promissione non petendi ab illo absolutionem, Decianus *Lib.* 1. *Consil.* 2. *n.* 37. Tuschus *V. Usurarius, conclus.* 346. *n.* 5. *& seq.* Menoch. *Lib.* 3. *præs.* 122. *n.* 67.

31. Octavò, ex negotii occultatione, puta, cùm quis clam sive in loco occulto vel tempore nocturno facit, quod palam & interdiu fieri debet, aut solet, *arg. l. fin. ff. de Ritu nupt.* sicut contrà bona fides præsumitur in eo, quod publicè & interdiu est factum; nam, *Qui malè agit, odit lucem*, Joan. *cap.* 3. *v.* 20. sic enim beneficium Ecclesiasticum, quod proximè vacaturum expectabatur, clam permutans, id fraude ad viam expectanti præcludendam fecisse, præsumitur; Glossa *in c. Unic. V. Occulta, Ut benef. sine diminut. & in c. Unic. V. Fraude, de Rer. permut. in* 6. Sic in eo, qui viâ non rectâ, sed inconsuetâ, per anfractus & diverticula ad negotium tractandum accedit, dolus præsumitur *l. Si fiscales* 7. *C. de Navicular.* nisi rectam viam declinandi probabilem habeat causam vg. ut insidias sibi structas &c. evitet, Perez *ad Rubr. cit. & ad l. cit.* Bruneman. uterque *n.* 3. cujusmodi causâ seclusâ hanc doli præsumptionem in mulieribus, minoribus, rusticis procedere, *citt.* Mascard. *n.* 46. & Menoch. *n.* 109. observant.

32. Nonò, si quis locupletari scienter quærat cum jactura & damno alieno, *l.* 1. §. 15. *ff. Depositi & l. Si quis mancipia* 17. §. 4. *ff. de Instit. act.* ut, si quis aliena occupet, præsertim si id vi faciat: vel, si consumat res alienas, ut in suam vertat utilitatem, *l. Nesennius* 41. §. 1. *ff. de Re judic.*

judic. Ratio est; quia id adversatur Juri Naturali *l. Jure naturæ 206. ff. de R. J.* exceptis casibus, quibus jure suo quis ob utilitatem publicam privatur, ut in usucapione seu præscriptione contingit, Decius *in l. Jure cit. n. 6.*

33. Decimò, si quis à debitore, ad fraudandos creditores vendente, emat, postquam, ne emeret, ei denuntiatum fuit à creditoribus, aut hos ei denuntiaturos, aut venditionem eorum fraudem spectare scivit, *l. Ait Prætor 10. §. 3. ff. Quæ in fraud. credit*; quòd etiam hujusmodi emptio Juri naturali repugnet, *citt.* Mascard. *n. 57.* Menoch. *n. 81.* & Bruneman *in l. cit. n. 5.*

34. Undecimò, si quis emat, aut mutuum det ei, quem scit pecuniam malè consumpturum, hoc est, alearum alióve simili lusu perditurum, donaturum scortis, in popinis absumpturum &c. *l. Si verò 12. §. 11. ff. Mandati & l. Si quis, cùm sciret 8. ff. Pro emptore*; quòd hujusmodi emptione & mutuò perversis moribus ansa & fomentum præbeatur; ideo enim, si quis prodigo, etiam nondum declarato, sciens illum malè consumpturum, quid credat, repetitionem non habet *arg. §. 11. cit. & l. fin. §. 1. ff. Quarum ver. act. non dat.* & contractus inter colluſores & in prohibito lusu celebrati irriti sunt, *l. Alearum 3. & l. fin. C. de Aleator.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 109.* & Bruneman *in l. Alearum cit. à n. 6.*

35. Duodecimò, si quis non edat totum instrumentum, quod edere debet, *l. Ubi exigitur 8. pr. ff. de Edendo*, Lud. de Penna *in l. Quemadmodum 7. C. de Agricol. & censit. n. 27.* & *cit.* Mascard. *n. 94.* ut, si quis solam ejus præfationem, omissâ parte ejus substantiali, & aliquando etiam, si, istâ editâ, omitteret præfationem; quòd sicut judex non nisi lege tota, sic etiam non nisi instrumenti, vel saltem articuli, si id plures habet, negotium, de quo agitur, concernentis, toto tenore inspecto, pronuntiare debeat, *l. Incivile 24. ff. de LL. & ibi* Bruneman *n. 1.* quia sæpe priora sequentibus dant intellectum, & à posterioribus præcedentia declarantur, aut limitantur: & proœmia frequenter aperiunt legis vel dispositionis causam finalem vel impulsivam, *l. fin. ff. de Hæred. instit.* Plura indicia & conjecturas, doli præsumptionem fundantes, dabunt *citt.* Penna *in l. cit.* Mascard. *à n. 10.* Menoch. *à n. 45.* & Tuschus *à n. 2.*

Relatæ tamen aliæque doli præsumptiones non rarò tolluntur & purgantur 36
præsumptionibus contrariis, illum excludentibus: ut vel maximè est, quæ desumitur ex honestate, probitate, dignitate personæ, quam ad enervandam fraudis præsumptionem multùm operari, nemo est, qui inficias eat, præsertim in actibus prohibitis lege solùm humana, & nemini ullum, vel solum leve inferentibus nocumentum, Baldus *in l. 1. C. Locati, in fine*, & Menochius *cit. præs. 3. n. 15.*

ARTICULUS III.

De Contumacia.

SUMMARIUM.

37. *Etymon & definitio Contumaciæ:*
38. *Quæ diversimode ab in jus vocatis,*
39. *Et, cessante justâ impedimentô, non comparentibus, verè aut fictè committitur.*
40. *Et à judice ad partis instantiam punitur,*
41. *Condemnatione in expensis:*
42. *Præviâ tamen taxatione judicis,*
43. *Et juramentô petentis earum refectionem,*

44. *Modus*

44. *Modus procedendi contra actorem ad simplicem,*
45. *Et ad peremptoriam citationem contumaciter absentem.*
46. *Actor contumax gravius punitur, quàm reus,*
47. *Et isto gravius delinquit.*
48. *Modus, quô contra actorem post litem contestatam,*
49. *Et contra reum ante eam contumacem proceditur.*
50. *Reus aliquando personaliter in jus ducitur:*
51. *Aliquando coërcetur Censuris:*
52. *Aliquando absens condemnatur.*

37. COntumacia, à *Contemnendo* nuncupata, in genere est quæcunque inobedientia, commissa erga judicem, vel alium superiorem, aliquid jubentem, Hostiens. *in Summa ad hanc Rubric. n. 1.* veluti, si quis, à judice satisdare, respondere, aliquid in judicio exhibere, juramentum præstare jussus, dolô id facere recusat, Speculat. *Tit. de Contumacia, §. & n. 1. in fine.*

38. Specialiùs autem, & in propositæ Rubricæ sensu accepta est Inobedientia ejus, qui juridicè, hoc est, propositis tribus edictis, vel unô peremptoriô pro tribus citatus & in judicium vocatus, nulláq; justâ causâ impeditus, nec per se, nec per procuratorem comparet, *c. Cùm dilecti 6. V. Quapropter & l. Contumacia 53. §. 1. ff. de Re judicata:* vel dolô facit, aut procurat, ne citatio ad se valeat pervenire, arg. *l. Ad ea 157. §. 1. ff. de R. J.* vel comparet quidem, sed judicis jussui obtemperare renuit, aut sine ejus licentia, infectô negotiô, recedit, nec revertitur, *can. Certum est, 11. q. 3. c. Causam 3. hîc & l. Unica ff. Si quis jus dicenti &c.*

Dixi imprimis, *Tribus vel unô peremptoriô*; quia ad unam alterámve simplicem citationem non comparens, saltem reus, etsi propter inobedientiam possit puniri, in eum tamen, tanquam verè contumacem, nequit procedi, arg. à contrario ductô ex *l. Contumacia cit. §. 2.*

Deinde dixi, *Nullâ justâ causâ impeditus*; quia contumaciæ pœnis obnoxius non est citatus, qui ob adversam valetudinem, ob majoris momenti negotium, vel occupationem, *l. In contumacia §. 2.* ob maris tempestatem, aut vim fluminis, ob incarcerationem, violentam detentionem, vel imperium superioris, *l. Non exigimus 2. §. 6. & 9. ff. Si quis caut. in jud. sist.* ob locum non tutum propter inimicorum insidias, bellum, vel grassantem pestem, *Clement. Pastoralis 2. de Sent. & re judic.* vel ob aliud simile impedimentum non comparet, Menoch. *de Arbitr. jud. casu 153. à n. 2.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. memb 2. àn. 2.* & Berlich. *Practic. p. 1. conclus. 17. à n. 48.* 39.

Potest autem litigator contumax esse duobus modis, verè aut fictè. Verè contumax dicitur, qui non comparet, cùm peremptoriæ citationis mandatum ei intimatum, vel ad ejus notitiam pervenisse, & comparere, si voluisset, potuisse, constat: qui, si insuper se comparere nolle contestatus sit, evidenter & notoriè contumax appellatur à Glossa *in Clement. Unic. V. Manifestè.* Fictè sive fictione, vel potiùs præsumptione & interpretatione Juris contumax dicitur, qui non comparet, cùm dubitatur, an citatio ad ejus notitiam pervenerit; quòd non personaliter præsenti: sed, eô absente, vel non inventô, ad domum, vel per edictum seu proclama, vel programma publicum sit facta; hujusmodi enim citatione factâ, si in termino præfixo per se, vel per procuratorem non compareat, contumaciter abesse præsumitur: nisi postea justâ cau-

sâ allegatâ moram purget, Glossa *cit.* & Hostiens. *cit. n.* 1.

40. Porrò ut, qui juridicè citatus non comparet, in contumaciæ pœnas incidat, necesse est; ut pars præsens ejus absentis contumaciam accuset, & in eum tanquam contumacem procedi petat, *l. Ad peremptorium 68.* ibi, *Ut primò quis petat, ff. l. Properandum 13. §. 2.* ibi, *Parte absentiam insusante, C. de Judiciis & l. Consentaneũ 8. C. Quomodo & quando judex*; quia in causis & negotiis civilibus de Jure adversus contumacem ad actum aliquem non proceditur, nisi ad instantiam & petitionem alterius partis, ut ex *ll. cit.* desumunt *cit.* Maranta *n.* 15, Gaill. *Lib.* 1. *observat. 55. n. 6.* & Petr. Barbosa *in l. Ad peremptorium cit. n.* 139. adeò; ut, si absentis contumaciam à præsente non accusatam constet, sententiam adversus absentem latam Interpres iste *num.* 142. pro nulla habeat cum Alexand. *in l. Unic. C. Ut, quæ desunt advocat. n.* 10. & Jason *in l. Properandum cit. §. 2. n. 5.*

41. Variæ autem sunt pœnæ, quibus litigatoris in jus vocati contumacia coërcetur: & imprimis quidem, tam actor, quàm reus, contumax parti adversæ in expensas & omnia damna, propter ejus absentiam ab emissæ vel insinuatæ citationis tempore illata, condemnatur, *c. Ex literis 2. & c. Cùm dilecti 6. utrobique in fine*: &, donec illorum restitutionem fecerit, à judiciali audientia removetur, *l. Sancimus 13. C. de Judiciis*: cujus dispositionem in contumace etiam minore & Prælato, imò ipsa Ecclesia vel Monasterio procedere, cum Menoch. *de Arbitr. Lib.* 1. *q. 36. n.* 1. & aliis *in l. cit.* notant Barbosa *n. 8.* & Bruneman. *n. 3.* & desumitur ex *c. Ex literis cit.* ubi Canonici, sive istorum collegium in expensas ob contumaciam est condemnatum.

42. Quantumvis autem ob contumaciam factas expensas designare debeat is, qui earum refectionem petit, judex tamen, ne fortè alteram partem plus æquò gravet, non nudâ istius assertione stare; sed eas taxatione, juxta negotii & circumstantiarum qualitatem moderatâ, ad æquitatem reducere &, priùsquam petenti adjudicet, deferre ei de Jure debet juramentum: quò, se ita moderatis non minores expensas fecisse, aut damna passum fuisse, confirmet, *l. Sancimus cit.* cum *Auth.* subjecta, *l. Si quando 9. C. Unde vi, & c. Super eo 7. de Ui, quæ vi metúve.* 43. Quod juramentum, cùm non Affectionis, sed Veritatis, seu veræ æstimationis sit, non ut, quod de affectione præstatur, præcedere: sed ut cætera veræ æstimationis juramenta, judicis texationem subsequi debet; ne, si istam præcedat, & eò, quod petitum est, minùs parti adjudicetur, vel is, qui majorem sibi deberi juravit, perjurii; vel injustitiæ arguatur judex, qui majorem quantitatem ei adjudicârit, Panormit. *in c. Super eo cit. n. 3.* Bartolus *in l. Si quando cit. n. 4.* & Covarruvias *Practic. cap. 17. n. 6. De Jure*, inquam; quia tribunalium Praxi expensas, judicis moderatione texatas, alicubi sine juramento adjudicari, monet Berlich. *Practic. p. 1. conclus. 78. n. 69.* etsi id alibi, hodie etiam, usu receptum testetur Wesenbec. apud *cit.* Bruneman. *n.* 12.

44. Deinde Actor, si post oblatum libellum, eóque propositam actionem, in jus vocatus, etiam in primæ & secundæ citationis termino, cessante legitimô impedimentô, per simplicem citationem in jus vocatus non compareat, præterquam quod reo præsenti in expensis condemnetur, ad ulteriorem citationem non admittitur; nisi de comparendo impostérum in judicio præstiterit idoneam cautionem, *c. 1.* junctâ Glossâ, *V. Ad terminum in 6. & l. Eum quem temerè 79. ff. de Judiciis.*

Quod

45. Quod si ad trinam, vel huic æquivalentem unam citationem peremptoriè factam, contumaciter absit, à judice ordinario vel delegato peti potest, ut adhuc tribus vicibus, triginta dierum spacia complectentibus, citetur: eáque citatione factâ, ad prosecutionē causæ exspectandus est per annum: intra quem comparens, priùsquam audiatur, expensas, ob contumaciam à reo factas, exsolvere & per pignora, fidejussores &c. cautionem præstare debet, quòd se impostérum in judicio sistere velit, *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando judex*, *Auth. Et qui jurat. C. de Bonis*, *Auth. jud. possid. &c.* 1. *in 6.* Si verò toto hoc tempore (imò de Jure & in foro Ecclesiastico, in quo hujusmodi dilationes non solent concedi, ad primum terminum peremptorium) actor vel ejus procurator non comparent, judex, ad rei petentis instantiam, testes, aliásque probationes recipere; &, si de causæ meritis liqueat, ad sententiam definitivam procedere: vel, si de iis non satis liqueat, ipsum ab observatione judicii & ejus actionis instantia absolvere debet.

Si demum actor intra anni spatium non compareat, ab actione omnino cadit; ut perpetuum ei silentium imponatur, *Auth. Qui semel cit. & Novell. 112. cap. 3. in fine*, Rosbach. *Prax. Civil. Tit. 30. n. 18. & 19.* Berlichius *Practic. p. 1. conclus. 17. num. 7.* Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 3. num. 90. & 19.* & Bruneman. *in Auth. cit. à n. 5.*

46. Sed ista adversus contumacem procedendi ratio justô difficilior actori, & reo minùs, quàm ejus conditio exigit, favorabilis videri primô intuitu potest; quòd ex una, actor in judicio comparere non teneatur; cùm invitus agere nemo cogatur, *l. Unica, C Ut nemo invitus:* & propterea actoris absentia immeritò plectatur, præsertim graviùs, quàm rei: qui, etsi in judicio conveniri etiam invitus possit, *l. Judicium 58. ff. de Judiciis*, nihilominus post legitimam citationem contumaciter absens punitur Missione in possessionem ex primo decreto, adversario rerum, non veram possessionem, sed solummodo detentionem & custodiam tribuente, *c. 1.* junctâ Glossâ, *V. Custodie & c. fin. De eo, qui mitt. in poss.* ex altera verò parte, actore non probante, reus, etiamsi nihil præstiterit, sit absolvendus, *c. & §. fin. de Jurejurando & l. Qui & accusare 4. C. de Edendo*; ac proinde, cùm actor contumaciter absens nihil probat, reum judex non tantùm absolvere ab observatione judicii: sed pro eo, etsi nihil probet, definitivè debeat pronuntiare.

Sed revera justô non minùs favet reo: aut actorem magìs gravat; quia Imprimis §. *& l. cit.* proditæ quasi Regulæ locus non est, quando actor omnino nihil agit: sed quando in judicio per se vel procuratorem præsens, legitimis dilationibus ad intentionem suam probandam datis, in ejus probatione defecit, ut cum Glossa *in can. Decernimus 9. V. Manifestum*, *3. q. 9.* advertit Vivianus *in c. Causam 3. cit. pr.* Deinde; quia etiam actor, licet ab initio à judicio abstinere ferè possit, secundùm *l. Unic. cit.* nihilominus, postquam obtulit libellum &, ad ejus instantiam citatio ad reum pervenit, ad actionem ad finem usque prosequendam cogi potest; ne reus inaniter vexetur, per *c. Causam, Auth. & Novell. cap. 3. citt.* textus, Vivianus *ibid.* Demum; 47. quia non immeritò graviùs actoris, quàm rei contumacia plectitur, cùm; quia multò minor, quàm actoris, est contumacia rei; iste enim, ut dictum, invitus & sæpe non paratus in jus vocatur: contrà actionem intentare vel omittere in actoris est potestate: tum verò; quia, ut insinuatum, favorabiliores rei sunt, quàm actores,

actores, *l. Favorabiliores 125. ff. de R. J.* & Jura ad absolvendũ, quàm ad condemnandum proniora, *l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Glossa *in c. Causam, cit. V. Ad domum, ubi* Panormit. *n. 15.* & Gonzalez *n. 3.*

48. Si idem actor post litem jam contestatam emaneat, & tempus instantiæ à facta litis contestatione usque ad ultimum semestre lapsum jam sit, ad petitionem ipsius rei tribus edictis, quorum quodlibet olim decem (hodie triginta *Auth. Qui semel cit.*) dierum spatium contineat, citandus: &, si in contumacia perseveret, causæ ab eo contra reum propositæ merita discutienda: &, si de alterius jure liqueat, definitivè pronuntiandum est; ut actori ad eandem causam & litem instaurandam in posterum omnis aditus præcludatur, arg. *l. Properandum 13. §. 3. C. de Judiciis.* Si verò de alterius jure non satis constet, reus ab observatione judicii sive instantiæ est absolvendus; ut actor expensis refusis litem instaurare denuo possit, *l. Properandum cit.* §. 2. nisi postea denuo contumax fiat, ut omni jure suo cadat, juxta *cit. Novell. cap. 3.* Zoesius *in l. cit.* §. 2. *n. 34.* & *ibi* Bruneman. *à n. 20.*

49. Reô ante litis contestationem contumaciter absente, aliquando actor, ut insinuatum est, mittitur in ejus bonorum possessionem: aliquando eadem ejus bona sequestrantur: de quorum contra eum procedendi modorum priori 15. de posteriori 17. Tit. ex instituto agemus.

Quod si reus post litem contestatam ita absens sit, multùm interest, an de meritis causæ & litigantium jure liqueat, vel non; si enim, testibus aliisque probationibus receptis, de meritis causæ liqueat, actore petente, contra illum, vel etiam pro ipso ferenda est sententia definitiva, *c. A nobis 4. & l. Consentaneum 8. in fine, C. Quomodo & quando jud.* cùm; quia judex, de qua re cognovit, de ea etiam debet pronuntiare, *c. Cùm super 4. de Causa possess. & l. De qua re 74. pr. ff. de Judiciis:* tum verò; ut liti imponatur finis, & partis malitiosè absentis improbitate ultra modum, & ipsam hominis vitam non extrahatur, *l. Properandum cit.* Si autem de causæ meritis non liqueat, rei litigiosæ vera possessio adjudicabitur actori, quæstione solùm proprietatis reo absenti reservatâ, *l. Consentaneum cit.* quod tali casu judex nondum plenè cognoverit, ac proinde definitivè super ea pronuntiare non possit. *Vera*, inquam, *possessio*, non sola detentio causâ rei servandæ, sive istius custodia: quomodo in rei, ante litis contestationem contumacis, bona actorem mitti, dicemus *ad Rubricam proximè sequentem*; cùm enim post litis contestationem contumacia major sit, majorem, quàm ante eam commissa, pœnam promeretur, Panormit. *in c. Prout cit. num. 3.* & Vivianus *in c. cit.*

50. Idem reus aliquando ob minimam contumaciam, saltem si bona, in quorum possessionem actor mitti possit, non habeat, & de fuga suspectus sit, vel ejus in judicio præsentia ob qualitatem causæ necessaria judici videatur, personaliter apprehenditur, & in judicium ducitur invitus: quod ex *l. Consentaneum cit.* desumi solet: sed hoc, licet etiam asserat, inde tamen rectè desumi, negat Bruneman. *in l. cit. n. 17.*

51. Aliquando suspensione ab officio & beneficio punitur: &, contumaciâ crescente, omnino excommunicatur, *c. Veritatis 8. hic & c. Pastoralis 11.* §. *Præterea, de Offic. Ordin.* Ad hanc tamen excommunicationis pœnam hodie non facilè, sed tum demum devenitur, quando adversus contumacem fieri nequit alia executio realis vel personalis, ex decreto S. Synodi *Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformat.* quòd experien-

experientia doceat, temerè, & levibus ex rebus inflictam contemni potiùs, quàm formidari.

52. Demum aliquando, ut, cùm per viam inquisitionis contra contumaciter absentem proceditur, testes aliæque probationes recipiuntur, & per sententiam ei infligitur pœna, quæ locum habet in absentem: cujusmodi est privatio dignitatis, vel alterius beneficii, & depositio, *c. Veritatis cit. in fine*; ne per contumaciam ejus delicta maneant impunita, contra textum *c. Ut fama 35. de Sent. Excommunicat. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. V. Ejusdem. ff. ad L. Aquil.* Zoesius *ad hanc Rubric. n. 4.*

TITVLVS XV.

De Eo, qui mittitur in Possessionem, causâ Rei servandæ.

SUMMARIUM.

1. *Istâ proceditur contra Reum contumacem:*
2. *Et Actor ex primo decreto,*
3. *Præviâ summariâ causæ cognitione,*
4. *Si actio Realis, in rei petitæ,*
5. *Si Personalis intentata est, mittitur in aliorum Rei bonorum possessionem.*
6. *Eâ missione Actor solam detentionem in Personali,*
7. *Et in Reali etiam actione consequitur de Canonico:*
8. *Secundùm aliquos DD. etiam de Civili Jure.*
9. *Reus intra annum comparens recuperat possessionem.*
10. *Sin', annô lapsô Actor verus rei possessor evadit,*
11. *In actione Reali sine novo decreto:*
12. *Quô tamen in Praxi, secundùm aliquos, de Jure est opus.*
13. *Idem interponendum est in actione Personali,*
14. *Præmissâ pleniori causæ cognitione.*
15. *Aliquando vera possessio primô decretô transfertur.*
16. *Actor, ab apprehensione rei dolô prohibitus, pro possessore habetur,*
17. *Fictione Juris, & quoad effectu.*
18. *Reus, negans se rei dominum, hunc nominare debet.*
19. *Si non nominet, quasi dominus convenitur.*
20. *Missio hæc locum habet in omni Actione,*
21. *Si ipsi, aut rei non repugnet.*
22. *Locum tamen non habet in Matrimonio,*
23. *Et beneficiis Ecclesiasticis,*
24. *Quando super his Petitoriô agitur.*
25. *Et locus est, cùm super beneficio Recuperanda:*
26. *Non etiam cùm Adipiscenda Possessorium intentatur.*

COntumaciter à judicio absentem reum compescendi, usu non infrequens & cæteris efficacius remedium 1.

dium est, in ejus rerum vel bonorum possessionem missio: quæ aliquando ex primo, aliquando ex secundo etiam judicis decreto contingit.

1. Ex primo decreto fit, quando, reô legitimè in jus vocatô, & contumaciter absente, itáque litis contestationem impediente, judex actorem petentem in rei petitæ, vel aliorum ejus bonorum possessionem custodiæ causâ immittit; ut ille, hunc in earum possessione videns, tandem tædiô victus compareat ad respondendum, *c. Tua 3. c. fin. §. In aliis, Ut lite non contest. c. Contingit 9. de Dolo, c. cùm venissent 3.* aliisque textibus præsenti *Rubrica* subjectis

2. Huic tamen immissioni, antequam decernatur, præmittere judex debet exactionem juramenti calumniæ ab actore, Panormit. *in §. In aliis cit. n. 13.* & summariam negotii cognitionem, *§. cit.* ibi, *Negotium summatim examinans in possessionem actorem mittere non tardabit, Auth. Et qui jurat, C. de Bonis auth. jud. possid.* Imprimis de contumacia rei, an scilicet citatio ipsi legitimè insinuata, & tamen ad præfixum terminum peremptorium, nec per se, nec per procuratorem comparuerit, Bartol. *in l. Si finita 15. §. Julianus 16. ff. de Damno infecto, n. 18.* Deinde de jure actoris, si Realis: vel de debito ipsius rei, si Personalis actio sit intentata; ut de hoc per testes vg. vel instrumenta, saltem semiplenè constet, *citt.* Bartol. *n. 36.* Panormit. *n. 31.* & Oliva *de Foro Eccles. p. 3. q. 26. à n. 30.*

4. Præterea hæc in bona immissio aliter in Reali, aliter in Personali actione fieri solet; si enim reus Reali conventus per contumaciam absit, actor præviâ summariâ cognitione & calumniæ juramentô mittitur in possessionem ipsius rei petitæ, sive ejus, super qua lis est mota, *§. In aliis cit. l. Fulcinius 7. §. 17. ff. Quibus ex can. poss.* quia actio realis in ipsam rem petitam dirigitur, ejúsque possessionem avocare intendit ratione dominii, quod in actore præsupponitur, *l. In rem 23. pr. ff. de R. V. & l. Actionum 25. ff. de O. & A.* Personali autem actione conventus si absit, actor in ejus bonorum primò mobilium, si talia reus habeat: &, si talia non habeat, vel, quæ habet, non sufficiant, in immobilium etiam bonorum, pro modo debiti declarati, *§. In aliis cit. V. Si autem:* & demum, his non existentibus, vel non sufficientibus, in jura & actiones immittitur; quia hic modus ordinariè observatur in executione sententiæ, quæ transit in rem judicatam, *l. A. D. Pio 15. §. 2. ff. de Re judic. l. Præsenti 6. §. 4. C. de Hæ, qui ad Eccles. confug.* cujus speciem quandam refert immissio in bonorum seu rerum possessionem, Glossa *in §. cit. V. Vel immobilium* & *ibi* Panormit. *num. 34.* nisi rem certam & determinatam sibi debeat actor prætenderet; hoc enim casu in istius potiùs, quàm aliorum rei bonorum possessionē illum immitti, æquitas suaderet.

5. Eâ verò immissione ex primo decreto actor rerum, in quarum possessionem missus est, non dominium: neque etiam, si Personali actione reum absentem convenit, veram possessionem; sed nudam detentionem & custodiam consequitur, *l. Possideri 3. §. fin. ff. de Adquir. poss.* ac proinde rerum detentarum fructus non lucratur, *l. Prætor ait 9. pr. & §. 1. ff. de Reb. auth. Jud. possid.* neque Interdicta possessoria aliáque veræ possessionis commoda habet, *l. Si duo 3. §. 8. ff. Uti possid.* Nisi judex ex gravi causa, vg. ob nimis magnam & notoriam contumaciam rei, cùm in jus vocatur, & diserte, præsertim cum contemptu, negantis se comparaturum, immissionem in rem petitam primò decernens exprimat, in pœnam nimiæ contumaciæ actorem

actorem in veram possessionem immitti, ut etiam fructus percipere &c. valeat; tali enim casu actorem vi immissionis, ex primò decreto factæ, verum possessorem evadere, ex *l. Fulcinius cit. §. fin.* cum Panormit. *in c. Contingit 9. de Dolo, num. 10.* Baldo *in l. Consentaneum 8. C. Quomodo & quando jud. num. 35.* desumunt Menochius *Retin. remed. 3. à n. 185.* & Oliva *cit. q. 26. n. 62.*

7. An in actione etiam reali ex primo decreto in rei petitæ possessionem missus, veram ejus possessionem consequatur, dubium & controversia quædam est inter DD. Eum enim hanc consequi, volunt Bartol. *in §. Julianus cit. n. 45.* Decius *in c. Consultationibus 18. de Offic. deleg. n. 11.* apud *cit.* Menoch. *n. 20.* quòd *l. Si quis 8 §. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* ita in possessionem missus Possessor nucupetur, in eúmque possessio transferri, *l. Consentaneum cit.* & hæc à reo, quando à contumacia recedit, recuperari, dicatur, *§. In aliis cit. & c. Pastoralis 11. in fine, de Offic. Ordin.* argumentô minimè obscurô, eam, priùsquam recuperetur, fuisse penes actorem.

Sed, etsi hoc Legibus Imperialibus esset sancitum, Ecclesiasticum tamen Jus etiam in reali actione actori, ex decreto primo in rei petitæ possessionem misso, intra annum, sicut dominium, ita veram possessionem, vi cujus fructus lucretur & cæteris possessorum commodis gaudeat, non concedit; ideóque reo intra annum comparenti cum re etiam fructus sunt restituendi. Ita in *§. In aliis cit.* cum Glossa, *V. Possessionem*, Ant. de Butrio & Panormit. *n. 20.* cæteri Canonistæ plerique: quos post *cit.* Menoch. *à n. 210.* LL. Interpp. non pauci secuti sunt propter hanc nostram *Rubricam*, eique textus subjectos, ita in possessionem misso rerum duntaxat conservationem & custodiam adstruentes, præsertim *c. 1. §. Ideoque & §. In aliis cit.* ubi actor ita in possessionem missus, verus possessor constitui dicitur primùm post annum. Unde, eum intra annum verum possessorem de Jure Canonico fuisse, rectè negant Interpp. & DD. *citt.* & *c. Pastoralis* in contrarium allegati textu Possessionis nomen largè accipi, atque à reo meram detentionem recuperari, notant apud *cit.* Olivam *n. 46.* qui, ad evitandam Jurium antinomiam & correctionem, legibus etiam Civilibus in contrarium adductis possessionis nomen eodem modo accipiendum ait; quòd judiciali authoritate in possessionem ex primo decreto missis vera possessio clarè denegetur, *l. Possideri cit. §. fin. & l. Cùm legatorem 12. ff. Quibus ex caus. in poss.* Quare hac in re Jus Civile à Canonico non dissentire, ipsum Menochium secutus Gonzalez censet, *in c. Tuæ 3. Ut lite non contest. à n. 15.* alias leges, quibus contrarium suaderi videtur, eruditâ interpretatione in suam sententiam trahens. 8.

Actore ex primo decreto in possessionem misso reus, si intra annum per se, vel procuratorem compareat, & refusis expensis, prævia judicis taxatione & actoris juramentô moderatis, de judicio sisti, sive parendo Juri per pignora aut fidejussorem sufficientem cautionem præstiterit, salvam, hoc est, ab aliena detentione liberam rei suæ possessionem cum fructibus recuperat, *§. In aliis cit. c. 1. c. Cùm sicut 2. hâc Rubr. l. Si quis cit. §. 3. & l. Si pupillus 33. §. 1. ff. de Reb. auth. jud. possid.* Pirrhing *ad hanc. Rubr. n. 3.* 9.

Si autem obstinatô animô compare- 10.
re, vel comparens expensas refundere, & cautionem præstare noluerit, actor rerum, in quarum possessionem ex primo decreto missus est, veram possessionem consequitur. Qua in re tamen iterum

opus est distinctione inter actionem Realem & Personalem.

11. Et illâ quidem, sive Reali actione, si actor reum convenit, de Jure post annuam istius contumaciam rei, vi primi decreti solùm detentæ, verus & incommutabilis possessor evadit: etiamsi novum decretum non interponatur; ut in posterum ejus fructus percipiat, aliáque possessionis commoda consequatur; & reus post annũ non audiatur, nisi super proprietate. Super hac autem, si postea comparens Petitoriũ instituat, propter verâ possessionẽ in adversariũ jam translatam, ex reo fit actor, & subire debet onus probandi, quod adversario tanquam actori, antè incumbebat, §. *In aliis cit. & l. Consentaneũ* §. ibi, *Et reum petitorem*, hoc est, actorem *constituere*, C. *Quomodo & quando jud.* ubi Glossa, *V. Transferre*, Panormit. *in* §. 12. *cit. n.* 20. *& cit.* Oliva *n.* 57. *De Jure*, inquam, & secundùm communem istius intellectum; quia in praxi, ut actor verus possessor constituatur, secundum decretum interponi solet; & interpositum non ita pridem vidimus in gravi controversia, inter duos Comites in Consilio Electorali Aulico agitata.

Non desunt DD. imò, si Wurmsero *Practic. forens. Lib. 1. Tit. 7. observat. 16.* credimus, communis illorum sensus est, de Jure etiam secundô decretô opus esse in actione Reali; id enim non obscurè tradi volunt, *l. Si finita 15. §. Julianus 16. cit.* & præsertim §. *In aliis cit. V. Si verò*, verbis, *Dominum possessionis judex tribus edictis legitimè evocabit: & tunc ipsô in eadem voluntate manente, negotium summatim examinans in possessionem ipsarum rerum actorem mittere non tardabit, omni allegatione absenti super principali quæstione reservatâ:* quem textum de secundo tantùm decreto (in actione Reali, de qua ibi sermo est) cum Cuiacio *in Rubric. hîs* intelligit *cit.* Gonzalez *n.* 32. Ne autem huic suo sensui obstent textus ejusdem, §. *pr. & l. Consentaneum cit.* quibus actorem post annum verum possessorem constitui, simpliciter asseritur, id contingere, aiunt, intervenente altero judicis decreto, ut Jura Juribus concilientur. Alii contrà §. *Julianus cit.* de actione Personali sermonem esse: & *V. Si verò cit.* verba, de primo decreto, sed casu ibi relatô veram possessionem transferendi vim habente, accipienda volunt. Sed utcunque res se habet in Reali,

Istâ sive Personali actione, si reum 13
convenit actor, ut post annum rei, in cujus possessionem ex primo decreto missus est, veram possessionem consequatur, indubitatè requiritur decretum secundum: quòd, priùsquam ad instantiam actoris, absentis rei contumaciã denuo accusantis, judex interponat, necessaria est nova citatio: ad quam si reus compareat, &, refusis expensis, de judicio sisti idoneam cautionem præstet, immissio ex secundo decreto impeditur. Si verò non compa- 14
at, ad hoc decretum devenitur, præmissâ denuo summariâ cognitione: per quam judici imprimis de primi decreti executione & lapso ab illo integro anno: deinde de nova citatione personaliter, vel, si latebat, ad ipsius domum facta: & demum de debito per testes, instrumentum, aliáque argumenta, non semiplenè duntaxat, ut in primi decreti interpositione: sed, si potest, plenè constet; propter majus præjudicium, quod reo contumaciter absenti hæc immissio affert; cùm per hanc vera rei possessio & istius comoda ab ipso transferantur in actorem: qui ab ipso, ex secundo decreto factæ, in rei bona immissionis tempore, si malam fidem non habeat, eorum fructus suos facit, eáque longo tempore præscribit; si eorum pos-

sessione

sessione vi dejiciatur, Interdictô *Unde vi* ante omnia restituitur: &, quia ex actore fit reus, super iis conventus, debiti probandi onere relevatus, indebiti probandi onus in adversarium transfert, Glossa *fin. in* §. *In aliis. cit.* ubi Panormit. *à n. 40.* Bartolus *in* §. *Julianus cit. n. 51.* & alii, quos refert & sequitur *cit.* Oliva *à n. 84.*

15. Quin aliquando, præsertim, si ex primo decreto in res & bona immissio facta est pro mensura debiti, & hoc plenè probatum est, decernitur eorum venditio, & venditorum pretium adjudicatur actori: vel, si emptor non inveniatur, ei in solutum dantur, *l. Fulcinius cit.* §. 1. ibi, *Ejus bona possideri vendique jubendô*, & *l. Vetustissimam 3.* §. 2. *C. de Jure dominij impetr. citt.* Bartol. *in l. Fulcinius cit.* §. *Cùm hoc, n. 2.* Panormit. *n. 40.* & Oliva *n. 91.*

16. Sed quid Juris inquies, si actor ex primo vel secundo decreto in rei petitæ, vel aliorum adversarii, contumaciter absentis, bonorum possessionem missus, ea realiter apprehendere, detinere & possidere nequeat propter istius potentiam vel dolum? Eô casu illum perinde, acsi rem vel bona post primum decretum realiter detineret, ut interpositô post annum secundô decretô, vel in actione reali etiam sine isto, verè possideret, utriusque Juris fictione haberi, patet ex *c. Contingit 9. de Dolo & l. Quamvis 13.* junctâ Glossa, *V. Perinde. ff de Reb. Auth. jud. possid.* Quod statuendi justissima ratio fuit; ne reus ex malitia sua commodum reportet, & justum imperium atque authoritatem contemnenti inobedientia prodesse: & vicissim reverenti atque observanti obesse videatur, juxta *can. Quanto, 2. q. 4. c. 1 de Postul. Prælat.* & *l. Hæc ratio 3.* §. 1. ibi, *Ne melior sit conditio eorum, qui delinquunt, de Donat. inter vir. & uxor.*

Neque obstat, quòd ad possessionem acquirendâ non sufficiat solus animus, sed etiam corporalis apprehensio requiratur, *l. Possideri 3.* §. 1. & 3. & *l. Quemadmodum 10. ff. de Adquir. possess.* quia ex *c. Contingit & l. Quamvis citt.* dispositione actor verus possessor non evadit physicè: sed 17.
fictione quadam Juris, realis detentionis & veræ possessionis effectus & commoda ipsi non minùs tribuentis, quàm illi, qui rei vel bonorum realem detentionem & possessionem physicè est consecutus, Glossa *cit.* & Vivianus *in c. Contingit cit.* & *ibi* Barbosa *n. 2.*

Quid etiam Juris, si super aliqua re 18.
immobili conventus, se non dominum nec possessorem illius esse, dicat; quòd eam non suo, sed alieno nomine, ut commodatarius, depositarius, conductor rem comodatam, depositam, conductam, possideat? Casu isto, reus conventus, ut judicium evitet, intra terminum ipsi assignandum, nominare debet dominum, aut verum ejus possessorem; ut iste per se, vel per alium responsurus in jus vocetur, §. *In aliis cit. V. Quod si super & l. Si quis alterius 2. C. Ubi in rem actio exerc.* Si verò in re, super qua est conventus, jus in re habeat, ut usufructuarius, Emphyteuta, Vasallus, multùm interest, an super hujusmodi jure, vel ipsa re conveniatur; priori enim casu, dominô non nominatô, suo nomine respondere ipse 19.
debet: &, si contumaciter renuat, missionem patietur; quia per hoc domino proprietatis non præjudicatur, & obtinetur finis immissionis; ut reus eâ fatigatus à contumacia recedat, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 115.* Casu autem posteriori, & quoties de interesse seu præjudicio domini agitur, hunc nominare debet, Panormit *in* §. *cit. num. 23.* & Bartol. *in l. Si quis cit. n. 6.* Qui, si non compareat, tribus edictis legitimis

in jus est vocandus: eóque contumaciter absente, actor, examinatô summariè negotiô, in rei possessionem veram ex secundo, ut vult Gonzalez *l. cit.* vel, ut existimant, qui in actione reali secundô opus esse negant, ex primo quidem decreto, sed instar secundi, aliis casibus interpositi, veram possessionem transferente, est mittendus, quæstione tantùm proprietatis reo reservatâ, juxta *§. cit.*

Si verò rem alieno nomine possidens dominum non nominet: itáque suo nomine litem contestetur, pro eo habetur, acsi liti se obtulisset: sententia tamen contra eum lata ipsi tantùm, non etiam domino, aut vero possessori, nocebit, per *Rubric. & text. C. Res inter alios acta &c.* Panormit. *cit. n. 23.* Bartol. *in l. Si quis cit. n.* 17. & Oliva *q. cit. n. 97.*

20. Atque hactenus declaratæ in res & bona rei, contumaciter à judicio absentis, immissioni locus est in omnibus actionibus Realibus & Personalibus, motis super rebus etiam incorporalibus: nisi eam actionis vel rei, super qua reus in judicio conventus est, natura excludat, Bartol. in *§. Julianus cit. n. 41.* & Baldus *in Auth. Si omnes C. Si minor ab hæredit. se abstin. num. 10.*

21. Eam autem natura actionis excludit, quoties in causis Civilibus actor nihil petit: sed, se ab aliquo tantùm vult excusare, vel liberare: sicut contingit, quando minor adversus aditam hæreditatem restitui petit, & creditores legitimè citati intra tres menses non comparent; hôc enim casu non mittitur in possessionem hæreditatis, quam fugit: sed ab ea solùm cupit, & lite non contestatâ, permittitur abstinere, secundùm *Auth.* & Interpp. *citt.* Oliva *q. cit. n. 7.*

22. Eandem missionem res non patitur, quando in judicium deducitur causa matrimonialis; ne illicitæ copulæ cum non sua occasio præbeatur: in qua proinde reus contumax, ut compareat, per censuras Ecclesiasticas est compellendus, *c. Tua* 3. &, si in contumacia perseveret, procedendum ad sententiam definitivam, *c. fin. § Porro, lit lite non contest.* ut *ibi* dictum *à n. 7.*

Eidem, ne contra *Regulam* 1. *in 6.* 23 vitiosus in beneficia ingressus facilè pateat, locus non est in causis Beneficialibus, *c. Unico in 6.* cujus dispositio, ne ultrà, quàm par est, à communis Juris Regula abstrahatur, ad hanc beneficiô distinctionis inter judicia Petitorium & Possessorium, quàm propè vitiosi ingressus declinandi necessitas patitur, à DD. in exorbitantibus extensionem fugientibus, reduci solet & commodè potest.

Et quidem, si beneficii Ecclesiastici 24 possessor, Petitoriô super ejus proprietate conventus & legitimè citatus, contumaciter absit, missioni in possessionem ex primo decreto minimè locum: sed potiùs rei contumaciam censuris flectendam: &, si istæ non proficiant, lite non contestatâ, ad sententiam definitivam procedendum, à Bonifacio VIII. *c. Unico cit.* decisum & ratio est; quòd, etsi de possessoris contumacia constet, non tamen liqueat de jure seu titulo actoris: ac proinde, si iste, ante examinationem tituli, ex primo decreto mitteretur in possessionem, periculum esset vitiosi ingressûs in beneficium, contra *Reg. cit.* quia actor post annum evaderet verus possessor beneficii, Glossa *fin. in c. Contingit cit. ubi* Panormit. *n.* 11. Francus *in c. Unico cit. n. 4.* & Selva *de Benef. p. 3. q. 21. n.* 11.

Neque huic decisioni adversatur, quòd, *c. 1. hic & c. Dilectus 2. de Sequestr. possess.* ex primo decreto in possessionem missio facta sit in causis, in quibus agitur de Ecclesia; quia *cc. citt.* agitur de Ecclesia, non quatenus est beneficium: sed quatenus est

nus est proprietas quædam, à spiritualis officii titulo separata: in cujus possessionem immissio, cum vitiosi ad beneficium Ecclesiasticum ingressûs periculô non est conjuncta: sicut cum isto conjuncta est immissio in alicujus Prælaturæ Rectoratû, vel alterius beneficii possessionem ita decreta, Gonzalez *in c. Tuæ cit. n.* 11.

Quando autem agitur judiciô Possessoriô ad obtinendam possessionem beneficii jam obtenti, reô absente, actorem in ejus possessionem ex primo decreto mitti posse, tradit Glossa in *c. Unic. cit. V. Obtinendu*; quòd *c. cit.* constitutio exorbitet à Jure communi, propter contumaciam immissionem regulariter permittente; & propterea, cùm de obtinendis expressè loquatur, ad beneficia jam obtenta non sit extendenda, *arg. c. Cùm expediat 29. pr. de Elect in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* Contrà ad beneficii jam obtenti possessionem agentem, reô contumaciter absente, in ejus possessionem ita mitti posse, negat Franc. *cit. n. 4.* quòd *c. Unico cit.* allegatum vitiosi ingressûs periculum non leve etiam oriatur ex immissione in possessionem beneficii jam obtenti: si non discutiatur titulus, ex quo id competat actori.

Mihi, utrique Opinioni aliquid tribui posse, videtur beneficiô alterius distinctionis, inter ipsa judicia Possessoria; vel enim agitur Possessoriô Recuperandæ, vel Adipiscendæ?

25. Si prius, & pro recuperatione beneficii, cujus possessione actor est spoliatus, agatur, iste (nisi notorius proprietatis defectus obstet, juxta dicta *Tit 13. n. 110.*) sicut præsente, ita etiam per contumaciam absente adversariô, in possessionem, etiam non probatô (imò nec exhibitô) titulô de Jure est restituendus: dummodo possessionem & spoliationem probet, juxta *can. Restituenda, 3. q. 1. c. Literis 5. & c. conquerente 7. de Restit. Spoliat.* Laiman *in c. Unic. cit. n. 2.* Si 26.
posterius, & pro adipiscenda possessione, vg. Prælaturæ per electionem jam confirmatam, aut aliam provisionem canonicè obtentæ. contra ejus possessorem (quòd ejus possessionem per laicorum intrusionem, vel Simoniam obtinuerit) agatur, actor in ejus possessionem etiam custodiæ tantùm causâ non mittendus: sed procedendum est ad receptionem testium & sententiam definitivam: quâ pro actore latâ iste veram vg. Prælaturæ possessionem consequetur, partim; quòd hôc casu, si non examinetur titulus, vitiosi ingressûs periculum afferat immissio ex primo decreto; quia immissus post annum evaderet verus possessor: partim verò; quòd intra annum non posset exercere actus, vg. jurisdictionis in foro utroque; cùm isti, tanquam fructus beneficii, non competant, nisi vero ejus possessori: qualis non est, qui in rei possessionem missus est ex primo decreto; quia talis, juxta dicta, rei solam detentionem & custodiam habet, Panormit. *l. cit. n.* 11. Speculat. *Tit. De Secundo decreto §. 4. n.* 12. & Laiman. *l. cit. n.* 3.

Neque obstat; quòd *c. Unic cit.* textus loquatur de beneficiis obtinendis; quia per electionem confirmatam, aut aliter provisus de Prælatura, vel alio beneficio, in cujus possessione alius existit, agere debet pro eo obtinendo: non quidem quoad proprietatem, sed quoad possessionem, in quam alter est intrusus, *citt.* Glossa *V. Obtinendu*, & Panormit. *n. 17.*

TITU-

TITVLVS XVI.

Ne, Lite pendente, aliquid innovetur.

SUMMARIUM.

1. *Ratio Ordinis.*
2. *Lis olim pendebat ab ejus contestatione: hodie à citatione.*
3. *Ad litis pendentiam tria requiruntur.*
4. *Eâ pendente circa rem litigiosam mutari jus,*
5. *Supplicari Principi,*
6. *Ab eóve privilegium impetrari nequit:*
7. *Nisi litis, super eâ motæ, mentio fiat.*
8. *Lite super adulterio, usu conjugij,*
9. *Et super alio crimine pendente, Prælaturæ possessio reo non adimitur.*
10. *Ad novam electionem procedi, dum super electione,*
11. *Et dum super provisione priùs facta lis pendet, nova provisio,*
12. *Et à patrono laico variatio fieri nequit:*
13. *Nisi in favorem præsentati à collitigante.*
14. *Idem est, si lis pendeat super beneficio jam possesso.*
15. *Alienatio rei,*
16. *Possessionis & actionis litigiosæ,*
17. *Etiam in personam conjunctam, Ecclesiam &c. prohibita est.*
18. *Et facta revocatur ac punitur:*
19. *Nisi facta sit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias,*
20. *Transactionis, vel divisionis rerum hæreditariarum,*
21. *Voluntate ultimâ,*
22. *Vel consentiente collitigante, aut permittente Principe,*
23. *Vel in casum, quo litigiosa esse desinet,*
24. *Et nonnullis aliis casibus.*

NE ex eo, quòd ob rei contumaciam in ejus rerum possessionem immissio decernatur, Litis inter actorem & reum pendentis status in alterius præjudicium mutari facilè posse videatur, *præsenti Rubricâ* traditur generalis Regula, *Ne, lite pendente, aliquid innovetur.* 1.

Lis autem pendere hodie censetur, 2. non solùm à litis contestatione, sicut de Jure Civili, *l. Amplius 15. ff. Rem ratam haberi:* & Canonicò Jure antiquiore, *c. Ex parte 30. in fine, de V.S.* sed à tempore, quò libellus, clarè in eo expressâ actoris intentione, oblatus judici competenti, & ab isto ejus insinuatio reo facta est per citationem: vel saltem per hunc stetit, quò minùs ad se citatio perveniret, *Clement. 2.* usque ad sententiam definitivam, *c. 1.* sub *hac Rubrica:* imò etiam post hanc, si ab ea sit appellatum, *c. Non solum 7. de Appellat. in 6.* Barbosa *in Clement. cit. à n. 4.* & Gonzalez *in c. Laudabilem 2. n. 4.* Unde

Ad Litis pendentiam tria necessaria 3. sunt.

sunt. Primò quidem; ut citatio emanârit à judice competente, & non suspecto; si enim declinari posset, ad illam inducendam litis quoque contestationem, præter alios, exigit Bruneman. *in l. Ubi 30. ff. de Judic. n. 2.* Deinde; ut ea parti legitimè sit insinuata; neque enim, ut ad perpetuationem jurisdictionis, *c. Gratum 20. de Offic. deleg.* sufficit, eam à judice emanâsse, seu esse mandatam: sed ad citatum perveniisse, necesse est, vel saltem per hunc stetisse, ne ad se perveniret; cùm enim fraus sua & dolus nemini debeat patrocinari, *c. Sedes 15. de Rescript.* & melioris conditionis esse non debeat contumax, quàm obediens, *c. Contingit 9. de Dolo*, malitiosè impediens, ne citatio ad suam notitiam perveniat, perinde habetur, ut cui ea legitimè innotuit, ut in *Clement. cit.* cum Anchorano *n. 5.* Barbosa *n. 2.* observat. Demum; ut reus ex citationis tenore plenè cognoscere possit, qua de re lis sibi moveatur *Clement. cit.* propter quam causam, ut actor citationi copiam libelli inferi curet, consultum monet & suadet Glossa *fin. in Clement. cit.* His præmissis

4. Regulæ in *Rubrica* traditæ sensus est, Ab eo tempore, quô citatio reo est intimata, usque ad sententiam definitivam, & istius in rem judicatam transitum circa rem, de qua agitur, vel ejus possessionem, vel etiam circa Jus, quod eô tempore viguit, nihil innovandum, quô litis pendentis qualitas & status causæ, in actoris vel rei præjudicium, aliquô modô immutetur: sed omnia relinquenda in eo statu, in quo fuerunt tempore litis inchoatæ, Hostiens. *in Summa hîc n. 1. §. Et qualiter.* Quod statuendi ratio justa fuit; ne litigantium alter conqueri valeat, se injustè privatum jure suo, & in re controversa in suum præjudicium aliquid attentatum, Zœsius *ad hanc Rubric. n. 2.* & Pirrhing *n. 3.* Quam Regulam Imperiales & propositæ Rubricæ subjecti textus, hísque relatæ summorum Pontificum decisiones illustrant & confirmant; sic enim Lite pendente

Primò, sibi supplicari pro litigantibus vetuit Imperator: nisi acta edi, litem terminari & sententiam ferri, aut judicem adjungi petatur, *l. 1. & l. Supplicare 2. C. Ut lite pend. & Novell. 113. cap. 1.* 5.

Secundò, subreptitium & irritū est Rescriptum, quô conceditur privilegiū percipiendi Decimas Novalium, quod, lite super Decimis pendente, litigantium pars una in alterius præjudicium à Papa impetravit, si in eo super his motæ litis mentio non fiat, ex decisione *c. fin.* 6. Cui consona decisio refertur *c. 1.* ubi Archiepiscopo Eboracensi usus privilegii Crucem, etiam extra Provinciam suam, in Anglia sibi præferendi, ademptus non est per Rescriptum ejus revocatorium, à sede Apostolica impetratum; quòd litis, super illo inter ipsum & Archiepiscopum Cantuariensem pendentis, mentionem, ut de Jure oportebat, non fecerit. Ratio utriusque decisionis est; quòd Princeps privilegium concedens non præsumatur alteri jus suum velle aufferre, & litis pendentis statum in ejus præjudicium immutare, si hoc non exprimat, *l. Nec avus 4. C. de Emancip. liber.* 7. Quod confirmatur; quia etiam Constitutio Juris communis de novo emanans non extenditur ad causam litis pendentis adeò; ut hæc secundùm Jura antiquiora sit decidenda, *Novell. cit. cap. 1. pr.* Ergo multò minùs privilegium à Jure communi exorbitans, eique derogans, juri alterius, præsertim possessoris; quia hoc strictæ est interpretationis, *arg. Reg Odia 15. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine, C. de Appellat.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 8. ubi* Lauman *n. 1.* & aliis relatis Barbosa *à n. 4.*

8. Tertiò, maritus adulterii ad divortium accusatus, pendente super illo lite, privandus non est commodô possessionis juris conjugalis, sive commerciô carnali, *c. Laudabilem 2.* non solùm à conjuge ipsum accusante, sed etiam à judice, de causa illa cognoscente, antequam accusatio sit probata: sicut in matrimonio spirituali Prælatus accusatus, antequam crimina ipsi objecta legitimè probata sint, ab Ecclesia sua non est removendus, *can. Nonne 8. q. 4.* Imò conjugalis thori possessione privari conjux accusatus non debet, probationibus etiam perfectis, antequam divortii sententia contra ipsum lata transierit in rem judicatam; cùm enim post accusationem jam probatam & latam sententiam locus sit appellationi: eáque interpositâ, lis ad huc pendeat, in ejus præjudicium nihil est innovandum, *c. Non solùm cit.* Panormit. *in c. Laudabilem cit. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 3.*

Neque cum hac decisione pugnat; quòd *c. Cùm locum 14. de Sponsal.* matrimoniô propter metum accusatô de nullitate, mulier, lite pendente, deponi jussa sit apud honestas matronas: neque etiam, *c. Tenor 10. de Sent. & re jud. & c. Veniens 19. de Regular.* quorum textuum utroque, & priori sub pœna excommunicationis conjux carnalis commercii usu, lite pendente, privatus est, donec causa decideretur. Non, inquam, hi textus cum decisione illa pugnant, eámque infringunt; quia *c. Cùm locum cit.* maritus nondum fuit in matrimonii possessione; ac proinde mulieris apud honestas matronas depositione in ipsius præjudicium nihil fuit innovatum. Reliqui autem duo textus *c. Laudabilem cit.* decisionem firmant potiùs, quàm ei adversentur; quia iis carnale commercium interdictum non est cum muliere, quacum matrimonium primò contractum & consummatum fuit; sed cum secundâ, quæ, lite cum priore pendente, fuit superinducta, ut *in c. cit.* cum Cuiacio notat Gonzalez *n. 8. & 18.*

Magis in speciem, re ipsâ etiam non urget decisio *c. Literas 13. de Restit. Spoliat.* quâ conjugum alterô, alteri consanguinitatem opponente, & in continenti probare parato, postulata restitutio adthorum, ac proinde per matrimonii consumationem acquisitæ plenæ possessionis præcipuum commodum est denegatum; quia hoc specialiter exigebat ex restitutione imminens periculum incestûs, indubitatè committendi, casu, quô dicti aut alterius impedimenti dirimentis notitia certa habetur, & paratæ probationes in continenti offeruntur. Quale periculum cùm thori conjugalis cum adultero continuata possessio & usus non afferat, conjugem istius commodô & carnali commerciô, pendente causâ divortii, etiam cùm adulterii probationes paratæ & perfectæ sunt, non privandum, *arg. Rubricæ nostræ* cum Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 12.* & Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 12. n. 22.* rectè docet *cit.* Gonzalez *n. 9.*

Quartò, etiam in spirituali matrimonio Prælatus accusatus, antequam crimina ipsi objecta probata, & sententia lata sit, neque à subjecto populo deserendus, neque ab Ecclesiæ administratione removendus est, per *can. Nonne cit.* textum & *c. Laudabilem cit.* integram lectionem, à Gonzalez relatam. 9

Neque istorum decisionem evertit quòd de crimine Simoniæ ab officio & beneficio, *c. Accusatum 4. & c. Quoties 5. de Simonia*, & de Ecclesiæ suæ rerum dilapidatione accusatus ab administratione ante criminis probationem & sententiam suspendatur, *c. fin. de Accusat.* quia iste non suspenditur ab administratione tota, sed à sola alienandi potestate; propter ipse

pter ſpeciale periculum damnificationis, ex ea imminentis Eccleſiæ, *c. fin. cit. & c. Venerabili 37. de Offic. deleg.* Simoniacæ autem labis odiô, ſicut contra Juris Regulas alia permittuntur, *c. Tanta 7 de Simonia*, ita etiam de ea accuſati ſuſpenſio, ob criminis atrocitatem, ſpecialiter infligitur ante ejus probationem, Gonzalez *l. cit. n. 7.* à ſpeciali autem diſpoſitione ad infringendam generalem Juris Regulam non rectè ducitur argumentum, Tuſchus *Practic. V. Speciales, conclus. 362. num. 12.*

10. Quintò caſu, quô duo litigant ſuper Prælatura, ad quam in diſcordia ſunt electi, ſi unus moriatur, vel juri ſuo renuntiet, aut à cauſæ perſecutione excludatur, ad novam electionem validè procedi non poteſt, priusquam, lite ad finem perductâ, conſtet de ſuperſtitis legitimâ electione, ex diſpoſitione *c. Diſpendiù 1. in 6.*

Neque obſtat; quòd *c. Ex parte 10. de Arbitris*, hujusmodi nova electio invalida ſolùm pronuntietur, ſi ſuperſtiti, priùs electo, jus competat. Unde, argumentô ductô à contrario, infertur, eam validam fore caſu, quô ei nullum jus competit ex electione; quia, licet antiquo Jure, & *c. cit.* argumentô, hoc poſteriori caſu nova electio probabiliùs ſubſtiterit, cum tempore tamen irritata eſt à Bonifacio VIII. *c. 1. cit.* ut, ex Verbo *Statuimus*, novam diſpoſitionem denotante, deſumitur, & *ibi* cum Gloſſa *V. cit.* notant Laiman. & Barboſa *n. 6.* ne multiplicatio electorum proroget litem, indéque orta diutina vacatio in Eccleſiæ, ejúsque rerum diſpendium cedat.

11. Eadem, quæ duorum ad unam Prælaturam electorum, ferè ratio eſt aliorum, quibus eadem dignitas, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum à diverſis eſt collatum: vel à diverſis Patronis Eccleſiaſticis ad idem præſentatorum; quia, etiam horum alterô mortuô, vel renuntiante, cum ſuperſtite inchoata lis ad finem priùs perducenda eſt, quàm ad beneficii adhuc litigioſi collationem vel præſentationem novam procedi poſſit, Franc. *in c. 1. cit. n. 3.* & *ibi* Laiman. *n. 1.* Quod licet ſatis receptum

Dubium tamen controverſúmque 12.
eſt, an tali caſu ſaltem patronus laicus variare, & à ſe prius præſentato, poſt ipſi collitigantis obitum, vel renuntiationem, alium ſuperaddere novâ præſentatione poſſit. Hoc enim cum Joan. Andr. *in c. 1. cit.* aſſerit Lambertinus *de Jure Patronat. Lib. 2. p. 1. q. 6. art. 12.* quòd ex una, hujusmodi patrono variandi jus, *c. Quod autem 5. c. Cùm autem 24. &c. de Jure Patronat.* adſtruatur indiſtinctè: ex altera verò parte, eorum textuum diſpoſitioni derogatum non ſit *c. 1. cit. & c. fin. in 6.* cùm iſtorum priori ſermo ſit de electione & collatione, in quibus locus non eſt variationi: poſteriori verò agatur quidem de præſentatione, ſed caſu, quô collitigantium alter inſtitutus & in poſſeſſione jam fuit: &, quia antiqui Juris contrarius eſt, trahendus non ſit ad caſum, quô neuter fuit inſtitutus.

Sed meliùs cum Rocho de Curte *de Jure Patronat. V. Honorificum. q. 23. n. 53.* Covarruvias *Practic. cap. 36. n. 7. V. Tertiò* & Garcias *de Benef. p. 5. cap. 9. n. 217. & 220.* propoſitam dubitationem reſolvunt auxiliô diſtinctionis: &, licet duobus collitigantibus à laico variante tertium ſuperaddi poſſe, negent ex ratione, ob quam *cc. citt.* electio & præſentatio, lite pendente, facta, irritatur; ne ſcilicet novô adverſatio per variationem litigantibus ſuperadditô, lites cum Eccleſiæ diſpendio multiplicentur & prorogentur: 13.
pro valida tamen habent præſentationem, quâ patronus laicus variando à ſe præſentato ſuperadderet huic collitigantem, ab

tem, ab alio suo compatrono præsentatum; quia tali casu collitigantibus non additur novus adversarius, & cessat, *cc. citt.* ratio; cùm hujusmodi variatione pluribus votis in eundem collatis, lis potiùs abbrevietur & finiatur, quàm augeatur, vel protrahatur. Atque ita à Rota pluries decisum, testis est laudatus Garcias *n.* 120.

14. Sextò, pari modo, si Prælatus vel alius beneficiatus, cui lis mota est super dignitate, vel alio beneficio, quod jam possidet, moriatur vel renuntiet, ad novam electionem, collationem, vel præsentationem procedi, & valida provisio fieri nequit, antequam lis cum superstite sit finita, ut idem Bonifacius VIII. statuit, *c. Si bi 2. in 6.* quia, decedenti alium non substitui, interest superstitis collitigantis actoris: qui, probans in beneficio ius sibi competere, faciliùs obtinebit vacuam possessionem, si decedenti novus successor non substituatur. Unde tali casu locus est Regulæ traditæ in *Rubrica.*

15. Septimò, denique prohibita, & ipso Jure irrita, vel saltem irritanda est alienatio rerum aut actionum litigiosarum, *can. fin. 11. q. 1. & cc. Ecclesia 3. & 4. hic.*

Litigiosa autem, sive vitiò litigii affecta dicitur res mobilis & immobilis, etiam incorporalis, vg. jurisdictio, super cujus proprietate, sive dominio, vel quasi, tam utili quàm directô, lis inter petitorem & possessorem mota pendet, *Auth. Litigiosa*, junctâ, Glossâ *V. Dominio, C. de Litigiosis, & Novell.* 112. *cap.* 1. *pr.* Non etiam, si lis pendeat super possessione vel quasi; super hâc enim motâ lite, non ipsa
16. res, sed sola ejus possessio, sicut, quando circa eam actio Personalis, aut etiam Hypothecaria, Serviana vel quasi, intentatur, non ipsa res, sed sola hujusmodi actio evadit litigiosa; ut sola possessio vel hujusmodi actio, non ipsa res alienari, & in alium transferri, Jure non possit, Glossa *V. Dominio cit.* Menoch. *Lib. 2. Præsumpt. 97. à n. 7.* & Farinac. *Fragment. Criminal. p. 2. V. Litigiosa, à n. 276.*

Hujusmodi ergo res, quamdiu de eo- 17
rum dominio vel quasi mota lis pendet, litigiosa earum possessio & in judicium deductæ actiones à reo vel actore in alias, tam conjunctas, quàm extraneas, personas: imò etiam in Ecclesias, Monasteria, aliave loca, aut causas pias, & præsertim in alium potentiorem per donationem, venditionem, permutationem, aut aliam viam alienari & transferri Jure prohibentur: earúmque translatio, etiam cùm accipiens litigiosi vitium ignoravit, irrita ipsô Jure, vel saltem irritanda est, *l. 1. l. Lite pendente 2. C. & l. fin. ff. de Litigiosis*: quarum l. Imperialis dispositio sanctionibus Ecclesiasticis approbata est *can. fin. & cc. Ecclesia citt.* ne judicia elusoria, vel saltem deterior reddatur conditio actoris, substitutô novô & fortassis potentiore adversariô, à quo res alienata esset repetenda, Farinac. *l. cit. à n. 235.* & Gonzalez *in cit. c. Ecclesia 4. n.* 11.

Quare, præterquam quòd lis cæpta 18
nihilominus peragatur, Imprimis alienans rem alienatam repetere, aut si eam recuperare nequeat, aliam alienatæ æquivalentem subrogare debet, quæ etiam ipsâ nequeat alienari, textus & Glossa *in cc. Ecclesia citt.* quorum textus, quia idem utriusque est casus, conjungendos, rectè notat Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 13. Deinde emptor, aut alius, qui rem alienatam recepit, eam alienanti confestim reddere debet, *l. fin. pr. C. de Litigios.* Multùm tamen refert, an eam emerit, vel aliô contractu scienter, aut ignoranter comparârit; si enim litigiosi vitium scivit, in prænam perdit pretium, applicandum fisco: cui improbus alienator tantundem de suo præstare debet, *pr. cit.* Si autem vi-

tium

tium hoc, cùm eam emeret, ignoravit, pretium à venditore recuperabit, atque insuper tertiam ejus partem, sibi ab eodem præstandam, ob dolum & sui deceptionem, *l. fin. cit.* §. 1. ubi Interpp. & Panorm. *in cit. c. Ecclesia 3. n. 10.*

19. Suadent tamen hæc, de rerum & actionum litigiosarum alienatione prohibitâ, doctrina patitur exceptiones; quia ejusmodi res in alios transferri variis casibus permittuntur: & Primò quidem ex causa dotis, vel propter nuptias donationis, §. *cit. in fine*; quòd hæc propter justam affectionem nuptiarum videatur esse causa necessaria; cùm fortassis, quæ eô nomine dari possint, res aliæ non suppetant: & propterea adversarii divexandi præsumptio cesset. 20. Secundò, causâ transactionis, aut divisionis rerum hæreditariarum, §. *cit.* nisi omnia ejusmodi bona litigiosa essent inter hæredes eorúmque adversarium; hoc enim casu in istius præjudicium dividi inter illos non possent, Cephal. *Consil. 64. n. 28.* & cum eo *cit.* Farinacius 21. *n. 266.* Tertiò, per ultimam voluntatem, seu viam institutionis, aut etiam legati, §. *cit.* & *Novell. cit. cap. 1.* §. *Et hoc autem.* Casu tamen, quô res litigiosa legatur, hæres litem cum defuncto cæptam periculô & commodô, sive damnô & lucrô legatarii prosequitur; cùm iste, si hæres vicerit, legatum: si autem vincatur, nihil consequatur; ut adeò nihil, quàm eventus seu exitus litis relictus videatur, §. *Et hoc autem cit. & Auth. fin. C. de Litigiosis*, Sichardus *in l. Censemus 4. ibid. n. 23.* Quartò, cum consensu collitigantis, 22. vel gratiâ Principis, imò aliquando ex justa causa, puta; quòd res alioquin esset peritura, ipsius judicis permissione, Farinacius *l. cit. n. 270.* Quintò, si alienatio fiat ab aliquo tertio, cui ea cum collitigante est adjudicata; cùm enim respectu tertii vitiô litigiosi affecta non sit, ab isto facta ejus alienatio Jure valet, Menoch. *cit. Præsumpt. 97. n. 45.* Sextò, si ab 23. ipso collitigante alienetur, vel obligetur in eum casum, quô litigiosa desinet esse, Sichardus *in l. Censemus cit. n. 20.* & *ibi* Bruneman. *n. 6.* Septimò, si, pendente 24. lite, adversarium injustè & calumniosè agere, & de ejus non jure, evidenter constet, Menoch. *l. cit. n. 48.* & aliis casibus, relatis ab isto & Haunoldo *Tract. cit. n. 718.*

TITVLVS XVII.

De Sequestratione Possessionum & Fructuum.

CUm, lite pendente, nihil sit innovandum, regulariter interdicta est sequestratio: per quam res litigiosa, à possessore ablata, deponitur apud sequestrum.

ARTICULUS I.

De Sequestrationis Natura, Decreto & Effectu.

SUMMARIUM.

1. *Sequestri etymon.*
2. *Ejus & Sequestrationis definitio.*
3. *Sequestrari res litigiosa quacunque,*
4. *Et apud quemcunque, etiam Judicem:*
5. *Non tamen apud invitum possunt.*
6. *Sequestratio species quædam est Depositi latè sumpti:*
7. *A quo strictè accepto variè differt.*
8. *Eâ non transfertur possessio:*
9. *Nisi etiam ipsa sit litigiosa.*
10. *Arresti differentia à Sequestratione:*
11. *Qua vel Voluntaria est, vel Necessaria.*
12. *Ista ferè non nisi ad instantiam,*
13. *Parte adversâ citatâ,*
14. *Ex justa causa,*
15. *Et previâ summariâ cognitione decernitur.*
16. *Sequester gerit curam rei apud se sequestratæ:*
17. *Cui annexam beneficii collationem &c. aliqui Necessario:*
18. *Alij etiam Voluntario Sequestro negant.*
19. *Melius adstruitur utrique,*
20. *Juris conferendi capaci:*
21. *Qui illud confert, litigantium voluntatem exquirendo.*

1. SEquester sic dicitur, quòd litigantes, vel potiùs ejus fidem isti sequantur, *l. Sequester* 110. *ff. V. S.* Gellius *Noct. Attic. Lib.* 20. *cap.* 10. Tholosan. *Syntag. Lib.* 23. *cap.* 3. *n.* 5.

2. Est enim Sequester tertia quædam persona, ad quam plures, puta, Actor & Reus, rem, de qua controversia est, sive mutuò consensu, sive præceptò judicis custodiendam, & victori restituendam deponunt, ut desumitur, ex *l. cit. & l. Licet* 17. *pr. ff. Depositi*; ac proinde sequestrare seu Sequestratio possessionũ & fructuum, de qua *Rubrica* nostra, aliud non est, quam illius & istorum ex manibus seu potestate Rei & Actoris depositio in manus alicujus tertii, à quo custodiantur, & lite finitâ ei, qui in causa vicerit, restituantur, Hostiensis *in Summa, num.* 1 & Barbosa *in cit. Rubric. n.* 7.

3. Hujusmodi autem apud tertium depositionem, sive sequestrationem, de jure admittunt res, quæcunque sub controversiam & custodiam cadunt, non solùm temporales & immobiles, ut villæ, prædium & similes possessiones, *Rubric. cit.* sed etiam spirituales, hisve annexæ, ut Ecclesiæ, Capellæ, Dignitates & Beneficia Ecclesiastica, *c. Examinata* 14. *de Judiciis, c. Dilectus* 2. *&c. Clement. Unicâ hic:* & mobiles, seque moventes, ut possessionum fructus, servus &c. *Rubric. cit. & l. Si hominem* 7. *ff. Depositi:* imò & liberæ personæ, ut fœmina, viro, se in matrimonium, aut ejus à se divertentis restitutionem petenti, excipiendo opponens metum, quò id contractum, *c. Cùm locum* 14. *de Sponsal.* Professionem Religiosam editam ante ejus consumationem, *c. Causam* 14. *de Probat.* capitale odium, aut sævitiam viri, *c. Ex transmissa* 8. *&c. Literas* 13. *§. fin. de Restit. Spoliat. &c.* Tholosan. *cit. cap.* 3. *n.* 15. & Tuschus *Practic. V. Sequester conclus.* 201. *an.* 3.

4. *Sicut* res quæcunque, ita apud quemcunque deponuntur, qui fidelem ejus custodiam ac diligentẽ curam habiturus existimatur, unum tantùm, vel etiam plures, saltem duos, ut Romæ consueviſſe, testis est Vestrius apud *cit.* Tholos. *n.* 12. qualis tamen neuter litigantium, & istorum neutri ob singularem in alterum affectionem suspectus esse debet; ut facilius componatur lis: &, istâ finitâ, res victori sine fraudis aut violentiæ periculo restituatur. Judicem etiam sequestrum esse posse, idem negat *n.* 13. quòd id non congru-

congruat honestati. Sed, etsi ad præcavendam omnem suspicionem, officiò sequestri ferè meliùs abstineat, rei tamen inter partes coram se litigiosæ curam & custodiam admittere, Jure nuspiam prohibetur; imò eam admittenti non obscurè favent textus, *l. Litigatores* 11. §. 2. ibi, *Si res apud arbitrum deposita sunt, ff. de Arbitr.* & clariùs *l. Si fidejussor 7. §. 2.* ibi, *Apud officium deponi debebit, ff. Quis satisd. cog.* Jason. *in §. fin. cit. n. 2.* & Curtius Jun. *in l. Unic. C. de Prohib. sequestr. q. 4.*

5. Si verò rem litigiosam sequestret apud alium, iste ejus curam & custodiam, sicut admittere non tenetur, arg. *l. Si hominem 7. pr. ff. Depositi;* neque ordinariè ad id compelli potest; cùm sequester ex contractu vel quasi obligetur, *l. Si quis §. 3. ff. de Dolo;* contrahere autem invitus nemo cogatur, arg. *l. Nec emere 16. C. de Jure deliberandi;* sic eam semel voluntariè admissam, ad libitum & sine authoritate judicis, ex justissima causa permittentis, dimittere non potest, *l. Et apud 5. §. fin. ff. Depositi.* Bartol. *in hanc l.* & Jason *in §. fin. cit. n. 3.* Ex hactenus dictis

6. Patet primò, Sequestrationem voluntariam speciem quandam esse Depositi latiùs accepti, *l. Et apud §. 1. & l. Propriè 6. ff. Depositi*, Tholosan. *cap. cit. num. 3.* Ab eo tamen strictiùs accepto non in uno

7. duntaxat: & Imprimis quidem differt; quòd hoc de re inter alios non litigiosa: sequestratio autem nonnisi de re, inter aliquos in, vel etiam extra judicium, controversa esse possit, *pr. cit.* Deinde; quòd res apud aliquem deponi etiam ab uno tantùm: ejus autem sequestratio non nisi à pluribus litigantibus fieri queat, *l. Propriè. & pr. citt.* Neque aliud rectè desumitur ex *l. Si quis 9. §. 3. ff. de Dolo*, ubi res à litigantium altero sequestrata perhibetur; quia hoc factum intelligi debet cum collitigantis consensu, ut textus cum *pr. cit.* concilietur, Haunold. *Tom. 4. de J. & J. Tract. 10. n. 792.* Præterea; quòd rei pluribus communis depositum non in solidum, sed à singulis pro parte, quam in ea quisque habuit, *l. 1. §. 44. ff. Depositi;* rei autem litigiosæ sequestratio ab unoquoque in solidum: non pro parte tantùm facta intelligatur, *pr. cit.* Et demum; quòd res deposita repeti ad libitum possit, §. *Præterea 3. Instit. Quib. mod. oblig. re contrab.* sequestrata autem non nisi controversiâ decisâ, *l. Et apud cit. §. 2.* imò hâc decisâ cedat victori, *cit.* Hostiens. *n. 2.*

8. Non desunt graves DD. qui hanc inter ea differentiam statuant, quod depositione sola rei detentio & custodia, *l. 1. pr. ff. Depositi;* sequestratione autem, saltem communi partium consensu factâ, ejus etiam possessio in tertiam personam transferatur, propter *l. Licet §. 1.* ibi, *Rei depositæ non sola proprietas, sed & possessio manere* dicitur *apud deponentem: nisi apud sequestrum deposita* sit; *nam tum demum possidet; id enim agitur ea depositione, ut neutrius possessioni id tempus procedat.* Contrà alii frequentiori calculo possessionem in sequestrum etiam voluntarium transferri: & ex *l. cit.* desumptam inter Depositum & Sequestrationem differentiam negant; propter textum, *c. Examinata 15. de Judiciis*, quò rei quasi possessionem in sequestrũ translatam non obscurè negatur. Quod DD. 9.
dissidium, *l. Interesse 39. ff. de Adquir. poss.* insinuata distinctione RR. componunt; vel enim, inquiunt, inter partes expressè actum est; ut ipsa rei possessio sequestretur, seu apud tertium deponatur; quòd fortassis ea ipsa sit litigiosa: vel simpliciter & custodiæ causâ in tertium translata est? Si priùs, eam in sequestrum

volun-

voluntarium transferri ; ac proinde à priori ejus possessione inchoatam præscriptionem interrumpi , eíque remedia possessoria aufferri,concedunt: & contrà negant casu posteriori,sive,quô de possessione transferenda actum non est , Felinus *in c. Examinata cit. n.* 10. Laiman. *in c. Dilectus 2. n. 3.* Gonzalez *in c. Ab eo 3. hic n. 5.* & Haunold.*Tract. cit. n. 794.* ex *l. Interesse cit.* desumptam distinctionem firmans eâ ratione; quòd, cùm possessio *jus* valde æstimabile, ejúsque commoda minimè levia sint, eam facilè dimittere, aut temerè abijcere velle , nemo facilè præsumatur. Ne autem distinctioni , *l. Licet cit.* §. 1. adversetur , hunc ad prius ejus membrum & casum , quô sequestrata est ipsa possessio litigiosa : aut, ut ista apud litigantium neutrum sit , specialiter convenit inter litigantes , *citt.* aliíque DD.

10. Patet secundò , eandem sequestrationem,licet commune aliquid habeat cum Arresto, ab isto tamen multùm differre; cùm istud , non species depositi , aut alterius contractûs vel quasi,sed manûs quædã injectio sit : & contrà , quàm sequestratio,ab uno tantùm , de re etiam non litigiosa , & non tam causâ custodiæ , quàm impediendæ translationis rei , vel personæ soleat exerceri , Hunnius *in Treutl. disp. 26. q.* 11. & Haunold. *l. cit. n. 801.*

11. Porrò Sequestratio valde celebri , & jam insinuatâ partitione , alia Voluntaria seu Conventionalis dicitur , alia Necessaria seu Judicialis ; quarum illa mutuô utriúsque litigantium consensu : ista ferè

12. utrôque , vel saltem illorum alterô invitô , fit authoritate & mandato judicis , eam ordinariè & extra casum , quô,ne ad manus & arma deveniatur, periculum est , non decernentis , nisi ad instantiam partis. Quâ petente,ut ad hujusmodi sive judicialem sequestrationem procedatur.

13. Primò citari à judice debet pars adversa , contra quam ea est decernenda ; notissimi enim Juris est , in omnibus actibus , qui cum causæ cognitione decerni solent , citandam partem , cui iis præjudicatur,*l. De unoquoque 47. pr. ff. de Re judic.* Nisi adversa pars suspecta de fuga & periculum esset, ne ad eam capiendam ipsa citatione instruatur & animetur ; hôc enim casu ad rei controversæ sequestrationem , parte non citatâ, procedi posse , cum Baldo *in l. Si fidejussor cit. §. 2.* docet Curtius *de Sequestr. q. 7. num.* 40.

14. Secundò ; ut sequestrationem pars non calumniandi & adversarium vexandi, sed rei conservandæ & , quod suum aut debitum est , conservandi animô petat, Panormit. *in c. Dilectus 2. n. 28.* & propterea eam petendi justam,vg. fugæ,dissipationis , deteriorationis causam subesse , præstitô , si hujusmodi causa manifesta non sit , & adversarius exigat, calumniæ juramentô,judici ostendat,*arg. l. Quibonæ 13. §. 13. ff. de Damno infecto*, Vincentius Caroc. *1. de Sequestr. p. 3 q. 2.* & Harprecht *in §. Præterea 3. Instit. Quib. mod. re contrah. n. 136.*

15. Tertiò ; ut , qui eam petit,de Jure suo,sive id , quod petit , suum aut sibi debitum , judicem saltem summariè doceat; cùm enim, lite pendente , in præjudicium partis aliquid innovari nec Jus, nec ratio permittat , sicut ad missionem in possessionem ex primo decreto , sic etiam ad sequestrationem,non ad simplicem petentis assertionem procedendum , sed priùs ab isto de jure judici fides facienda est; quod non solùm per instrumentum publicum , ut aliqui volunt , sed etiam per alias probationes , vg. per testes , fieri potest,*arg. l. Si fidejussor §. 2. cit.* ubi sequestratio permittitur, si persona sit suspecta. Ratio est ; quia hujusmodi probatio sufficit ad mil-

ad missionem in possessionem ex primo decreto, & ipsam rei personæ apprehensionem, quæ majoris prædjudicii sunt, ut cum Panormit. *cit. n. 28.* docent & rectè arguunt *citt.* Curtius *q. 12. n. 51.* & Caroc. *q. 2.*

Quartò; ut ejus decreto præmittatur cognitio causæ, quâ judex, citatis & auditis partibus, accuratè discipiat, an jus actoris saltem summariè sit probatum, & adversarii defensiones non relevantes: an sequestrationis petitæ causa sufficiens & Jure approbata, vel ab isto expressè approbatis gravior sit, Harprecht §. *cit. n. 137.*

16. Porrò Sequester, sive Voluntarius, sive Necessarius sit, rem sibi commissam diligenter custodire, ne quid ipsius dolô latâve culpâ incommodi patiatur, ipsius curam gerere, ejus fructus colligere, &, si servandô servari nequeant, pretium inde collectum, & lite finitâ cum ipsa re victori restituendum, servare debet, *c. Ex literis 11. Clement. Unic. l. Et apud §. 2. cit. & l. Si in Asia 12. §. 2. & 3. ff. Depositi.* Ipse verò omnia damna, ex re sequestrata accepta & sumptus, omnéque id, quod in eam necessariò, vel utiliter impendit, repetere potest; ne officium, quod alieni, non sui, commodi causâ accepit, ipsi sit damnosum, *l. Si servus 61. §. 5. ff. de Furtis.* Unde

17. Dubium oritur & non modica controversia inter DD. est, an Sequester, vg. castri Jus Patronatûs, vel Prælaturæ aut alterius dignitatis, conferendi, eligendi &c. jura annexa habentis, lite & sequestratione pendente, ad beneficia vacantia clericos præsentare, illa his conferre &c. valeat.

Quidam enim cum Selva *de Benefic. p. 2. cap. 9.* & Tholosano *similiu Tractatûs cap. 38. n. 18.* eam potestatem sequestro Voluntario concedunt, & negant Necessario; quòd illi, non etiam isti, competat possessio rei sequestratæ, *l. Interesse 39. ff. de Adquir poss. & l. Unica C. de Prohibita sequest.*

Alii cum Panormit. *in c. Examinata 15. de Judic. n. 15.* eam negant utrique. 18.
Primò; quòd rem sequestratam neuter possideat: eámque ex una, non administret nomine proprio *l. cit.* ex altera verò parte, præsentatio, collatio &c. alieno nomine fieri non possit, eò ipsô; quòd, cujus nomine facienda sit, nesciatur, & litigetur. Secundò; quòd rei sequestratæ fructus, qualis respectu Patronatûs & conferendi jurium præsentatio & collatio sunt, servare teneatur victori, *c. 1. & Clement. Unicâ hic &c.* Tertiò; quòd sequester comparetur creditori, detinenti pignus: cui, in re oppignoratâ, præsentandi aut conferendi jura annexa habente, jurium istorum exercitium non competit, *c. Cùm Bertholdus 18. de Sent. & re judic.*

Demum & meliùs alii præsentandi, 19.
&c. potestatem sequestro utrique, istius capaci, adstruunt & Rotæ *Decis.* firmant Gonzalez *ad Reg. 8. Glossam 23. num. 17.* Garcias *de Benef. p. 5. cap. 6. à n. 1.* & Vallensis *Lib. 1. de Benef. tit. 12. num. 3.* eâ permoti ratione; quod ad sequestrum spectet administratio rei sequestratæ, quoad spiritualia & temporalia, & executio jurium ipsius, ut patet ex *cit. Clement.* ubi illi plena istius cura conceditur: imò expressè exercitium jurium beneficio sequestrato annexorum, & ipsa collatio Episcopatui annexa tribuitur à Glossa, *ibi, V. Beneficium.*

In contrarium allatæ rationes non urgent. Prima; quia sequestro administratio, ac proinde etiam præsentatio, collatio &c. non competit ratione possessionis, sed ratione sequestrationis: & ista facit nomine alienô judicis, sive superio-

ris, à quo non tantùm custodiam, sed etiam curam, & cum ista jurium rei sequestratæ annexorum, exercitium accepit, *Clement. cit.* Altera; quia, victori eos duntaxat fructus servare debet, qui servari possunt, & ditiorem efficiunt: quales non sunt præsentatio, collatio beneficii &c. quarum dilatio & diutina istorum vacatio affert damnũ Ecclesiæ & periculũ animarum: præterquam, quòd nullum temporale lucrum afferat præsentanti, vel conferenti, Palao *Tract. 12. disp. 2. p. 28. n. 6.* Postrema; quia sequester creditori non æquiparatur, quando non est eadem ratio utriusque: sicut contingit in præsenti; cùm sequestro exercitium jurium rei sequestratæ & præsentatio &c. solùm permittatur propter incertitudinem domini vel possessoris: qui certus est respectu rei oppignoratæ, Pirrhing *Lib. 3. Tit. 5. n. 89.*

80. Dixi tamen, *Istius potestatis capaci*, qualis laicus respectu juris eligendi, conferendi, seclusô privilegiô, non est: etsi talis sit respectu juris patronatûs seu præsentandi, Garcias *cit. cap. 6. n. 13.*

81. Conveniens etiam est; ut, quod à se visum asserit Rebuffus apud Tholos, *l. cit.* sequester castri vel Prælaturæ super præsentatione vel collatione facienda collitigantium voluntatem exquirat, & ad beneficium præsentet eum, in quem uterque consentit: aut, si dissentiant, eum, qui ex duobus per eos nominatis dignior apparet: nisi tertii alicujus præsentationem suadeat ratio specialis.

ARTICULUS II.

De Sequestratione Jure prohibita & permissa.

SUMMARIUM.

82. *Sequestratio Voluntaria Jure licita:*
23. *Necessaria prohibita est:*
24. *Ut eâ generaliter non pecunia duntaxat,*
25. *Sed alia quoque res nequeant sequestrari.*
26. *Permittitur specialiter I. Cùm reus de fuga &c.*
27. *II. Aut maritus de dotis dissipatione &c. est suspectus:*
28. *III. Cùm periculum est, ne partes veniant ad arma:*
29. *IV. Cùm non sit, quod debetur ratione rei litigiosæ:*
30. *V. Cùm appellatum est contra modum executionis:*
31. *VI. Cùm missionem ex primo decreto rei,*
32. *VII. Vel personæ qualitas non admittit,*
33. *Quamdiu contumacia durat:*
34. *VIII. Cùm ita missus in possessionem dissipat fructus.*
35. *IX. Cùm possessor à sententia appellavit:*
36. *Atque insuper periculum est dissipationis.*
37. *X. Si contra possessorem definitiva in Curia lata sit super beneficio,*
38. *Hoc tamen sequestrari nequit, cùm illa contra actorem:*
39. *Vel contra reum super solo onere beneficii:*
40. *Vel super isto non in sed extrà contra Curiam Romanam:*
41. *Aut in Curia contra triennalem possessorem est lata:*
42. *Vel ante sequestrationis mandatum à Curia acceptum.*
43. *Casus sequestrationis à Pio V. permissæ,*
44. *Aut præceptæ.*

REgula est, rei litigiosæ Sequestrationem ordinariè prohibitam: non quidem Voluntariam; hanc enim generali-

generaliter permissam DD. uno ore affirmant,& evincit clara ratio;quòd,cùm rerũ suarum quilibet moderator & arbiter sit, *l. In re mandata* 21. *C. Mandati*, contractum,cujus hæc sequestratio species quædam est, de ea inire, *l. Sicut* 4. *C. de O. & A.* & pro se introducto juri,eam, donec controversia finita sit, ipsi invito auferri & transferri in alium, ut mox statuemus, prohibenti, renuntiare liberè possit, *c. Si de Terra 6. de Privileg. & l. fin. C. de Pa-*
23. *ctu.* Sed Necessariam sive judicialem: quam regulariter illicitam esse, desumitur ex proposita *Rubrica*, quæ est *De Possessionum & Fructuũ sequestratione*, subintellige, *Generaliter prohibita*, juxta *Rubric. C. de Prohibita sequestratione pecunia*,ut *in Suma n. 4.* advertit Hostiensis & suadet ratio; partim, quia lite pendente nemo deijciendus est à propria possessione, & istius commodo privandus, *Rubric. & text. Ut lite pendente & l.* 1. *C. de R. V.* partim verò; quia hujusmodi sequestratio refert speciem executionis, à qua judicium non est inchoandum, *l.* 1. *C. de Execut. rei judicatæ*, sed, probato potiùs debito, reus condemnandus: & tum demum ad solutionem vel rei traditionem est compellendus, *l. Negantes 9. C. de O. & A.* Panormit. *in c. Dilectus cit. n.* 16. Jason *in l. Si fidejussor cit.* §. *fin. n.* 27. Harprecht *in* §. *Præterea 3. Instit. Quibus mod. oblig. contrah. n. 74.* Hunnius *in Treutl. disp. 26. q.* 12. Haunold. *cit. Tract.* 10. *n. 796.* & frequentiori calculo cæteri DD.

24. Neque huic Regulæ in sola pecunia locum esse,evincitur; quòd ex una, allegata Codicis *Rubrica*, & huic subjecta lex non generaliter de rerum quarumcunque,sed expressè *de Pecuniæ sequestratione prohibita* loquatur:ex altera verò parte, textibus Juris Imperialis, & Ecclesiastici etiam, *c.* 1. *c. Dilectus* 2. *& Clement. Unica citt.* aliarum rerum necessaria sequestratio permittatur: & propterea eam generaliter non prohibitam,ut nos Communem secuti, sed permissam, Cuiacius *In cit. Rubric. C.* & quidam alii DD. velint. Sed perperam; quia Imprimis nomine Pecuniæ in Jure non sola pecunia numerata, sed etiam corpora quæcunque, & quandoque omnis res mobilis & immobilis, etiam incorporalis, quæ in patrimonio nostro esse, & ad pecuniam reduci potest, venire solet, per expressos textus, *ll. Pecuniæ 178. pr. & 222 ff. de V. S.* imò in dubio in hac latissima significatione nomen illud accipi oportere, & *cit. Rubricâ textúque* accipi posse,volunt *citt.* Hunnius *q.* 12. Harprecht *n. 87.* & Haunold. *n. 798.* Deinde; quia ratio,quòd ordo Juris & ipsa æquitas persuadeat,reum priùs conveniendum, dein ad solutionem pulsandum: & non incipiendum ab executione, ob quam pecuniæ sequestratio *cit. Rubricâ.* eíque subjectâ *lege unicâ* prohibita est, generaliter militat adversus quarumcunque rerum litigiosarum sequestrationem: quâ, antequam suam intentionem probet actor, & reus, tam Reali, quàm Personali actione conventus, convictus sit, res, de quibus lis est, ab ipso invito in tertium transferuntur. Et demum; quia alii utriusque Juris textus, hujusmodi rerum sequestrationem permittentes, non continent Regulam: sed ab ista exceptiones & singulares casus, quibus sequestratio rei litigiosæ, generaliter prohibita, ex justis causis specialiter est concessa, ut notant, & argumenta,quæ in contrarium afferuntur, latè dissolvunt DD. *citt.* 25.

Casus autem,quibus rerum tam immobilium,quàm mobilium, etiam incorporalium, sequestratio Jure specialiter permissa est, à Panormit. *in c. cit. à n.* 8. Harprecht *in* §. *cit. n.* 107. Haunold. 26.

l. cit. à n. 799. & aliis varii referuntur. Præcipui, & silentiò non prætermittendi sunt

Primò, si petatur res mobilis, & possessor, immobilia non habens, de fuga, dilapidatione, dissipatione sit suspectus, nec satisdet, *c. Dilectus cit. c. fin. hîc & l. Si fidejussor cit. §. fin.* Imò, si hujusmodi suspicio vel dissipationis periculum legitimè probetur, rei, etiam actione Personali conventi, rem quamlibet, ex obligatione petitam, sequestrari posse, communis doctrina & ratio perspicua est; ne judicium elusorium reddatur: & actor, quantumvis intentionem suam legitimè probet & victoriam reportet, in executione sententiæ à reo nihil, vel parùm consequatur, *l. Nam is 6 ff. de Dolo, cit.* Panormit. *n. 6.* Gaill. *Lib. 1. observat. 148. n. 2. & 3.* & Haunold. *l. cit.*

27. Secundò, si maritus, constante matrimonio, bona dotalia dilapidare, aut labi facultatibus incipiat, & uxori de indemnitate sive conservanda dote sufficientem cautionem non præstet, istius sequestratio concedi potest; ut soluto matrimonio uxori superlit, *c. Per vestras, 7. de Donat. inter vir. & uxor. & l. Si cùm dotem 22. §. 8. V. Sin verò ff. Soluto matrim.* Panorm. *l. cit. n. 10.* & Bald. Novell. *de Dote, p. 6, privileg. 70.*

28. Tertiò, quando litigantium pars utraque se possidere contendit, & præsens periculum est; ne veniatur ad arma & possessio ab una vi occupetur; tali enim casu judex, non solùm ad alterius instantiam, sed etiam ex officio & motu proprio rem inter eos controversam, donec possessio uni adjudicetur, sequestrare potest, arg. *l. Si cujus, 13. §. 3. ff. de Usufructu, ubi* Glossa *V. Jurisdictione,* & Panormit *n. 12.* cùm enim sequestratio ob metum & suspicionem dissipationis aut fugæ adversarii permissa sit, multò magis licita erit, ad rixas, cædes, aliáque ejusmodi incommoda evitanda; quia priori agitur de privato: posteriori autem hoc casu de publico favore Reipublicæ, cujus tranquillitas & felicitas adducitur in discrimen; *Cur enim*, inquit, *Julianus §. cit. ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest sua jurisdictione componere:* cujus sententia à JCT.is aliis §. *cit.* Gordiani Imp. rescripto, *l. Si super possessione 9. C. de Transact.* Caroli V. & Ferdinandi I. Impp. *Constitutionibus super litigiosa & momentanea possessione*, in Comitiis Augustæ ac Wormatiæ superioris seculi anno 22. 48. & 55. promulgatis approbata & Imperialis Cameræ usu recepta est, teste Mynsingero *Cent. 2. observat. 11. in fine.*

29. Quartò. si reus ratione rei litigiosæ, vg. beneficii Ecclesiastici obligatus est ad aliquid præstandum, quod etiam admonitus non præstat, vg. si Canonicus vel Parochus non resideat, vel non compareat in Ecclesia, aut non gerat curam animarum &c. ejus beneficii fructus usque ad litis decisionem deponi apud sequestrum possunt, arg. *c. Pervenit. 28. de Appellat. cit.* Panormit. *n. 13. & in c. Dilectus cit.* Laiman. *n. 2.*

30. Quintò, si à sententiæ executione appellatū, non quidē sit: ut ista non fiat; cùm ab ea, postquam sententia in rem judicatā transiit, appellationē Jura non permittant, *l. Ab Executore 4. ff. de Appellat. & l. Ab executione 5. C. Quorum appellat. non recip.* sed; quòd in ea excedatur modus judicationis, puta, eam in majori quantitate faciendo, & plus, quàm judicatum est, restituendo. A cujus excessu, interposita provocatione, res, si mobilis, ipsa possessori detracta: si verò immobilis sit, ejus fructus ab ipso appellationis tempore capti natique apud idoneū sequestrum deponuntur, *l. cit. Ubi* Glossa *V. In depositio* Bruneman. *n. 3.* & Laiman *in c. fin. cit. n. 3.*

Sextò,

31. Sextò, eadem sequestratio Jure permissa est, cùm reus contumax, & in ejus bonorum possessionem missioni ex primo decreto non est locus, propter periculum peccati vel scandali; sic enim, lite super matrimonio pendente, sequestratur uxor profuga, quando ei à sævitia viri aliter satis caveri non potest, *c. Literas 13. de Restit. Spoliat.* & sponsa vel uxor accusans matrimonium; quòd à se id non liberè, sed gravi & injustò metu sit contractum, honestis personis custodienda traditur, quando periculum est; ne vi corrumpatur à viro, *c. Cùm locum 14. de Sponsal.* ubi Glossa, *V. Timere*, & Barbosa *n.* 4. Eòdem modò super beneficio litigantibus duobus, quorum neuter est in possessione, aut, si ejus possessor legitimè citatus, contumaciter absit; quòd propter vitiosi ingressûs periculum ex primo decreto in possessionem mitti præsens actor non possit, *c. 1. de Eo, qui mitt. in poss. in 6.* beneficium cum fructibus apud sequestrum, qui id, lite pendente, administret, deponi à judice potest, *arg. c. Olim 25. de Rescript. & l. Si qua 5. ff. Famil. herciscit.* Panormit. *n.* 14. & 17. & Laiman. *n.* 2. *in fine.*

Casu tamen, quò, locò missionis in possessionem, res litigiosa sequestratur, sequestrum revocatur, si reus, à contumacia recedens, expensas moderatas adversario præstet, & de judicio sisti sufficientem præstet cautionem, ut desumitur ex *c. 1. hîc & c. Cùm venissent 3. Ut lite pend.* & ratio est; quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, *arg. l. Si eum 10. §. 2. ff. Si quis caution.* Unde, sicut tali casu revocaretur immissio in possessionem, *c. fin. §. In aliis, Ut lite non contest.* ita etiam revocabitur sequestratio ei substituta, Panormit. *in c. 1. cit. n. 18.*

32. Septimò, simili modò, cùm in rei petitæ possessionem ex primo decreto mitti actor de Jure posset, judex aliquando æquitatem sequi: &, si attentis circumstantiis, præsertim qualitatis personarum litigantium, quòd vg. utraque, vel saltem actor, persona, vel locus Religiosus sit, expedire judicaverit, mitiùs procedere, & immissionis locò rem sequestrare potest, *c. Ex literis 2. de Dolo:* non quidem usque ad exitum causæ, sed donec reus à contumacia recedat; ut, si iste post factam sequestrationem hujus tædiò affectus compareat, & refusis expensis de parendo juri, seu sistendo in judicio, cautionem præstet, sequestratio cesset, & ipse recuperet possessionem: sicut hanc recuperat, si intra annum compareat post missionem in possessionem, *§. In aliis cit.* in cujus locum sequestratio subrogatur, Panormit. *in c. Ex literis cit. n. 13.* & Laiman. *n.* 1. 33.

Hòc autem modò sequestratio, si fiat, actor clericus, Ecclesia vel Monasterium non nimis avidè inhiare videtur possessioni rei: & iste, quod actorem clericum vel Ecclesiam maximè decet, benigniùs habetur; quia minùs præjudicii affert sequestratio, quàm ex primò decreto facta missio in rei petitæ possessionem; cùm istâ, non etiam sequestratione factâ, actor post annum veram rei possessionem & istius commoda consequatur, Curtius *de Sequestrat. pr. n.* 12. Laiman. *cit. n.* 1. & Harprecht. *in §. Præterea cit. n.* 128.

34. Octavò, quando actor, lite pendente, fructus rei, in cujus possessionem ex primo judicis decreto missus est, pro arbitrio distrahit & dissipat, *c. Dilectus 2.* cùm enim tali casu actor non verus possessor, sed detentor tantùm & custos rei sit, & fructus non faciat suos, juxta dicta *Tit. 14. n.* 7. hi meritò sequestrantur: quod fieri etiam, saltem quoad fructus, debet casu, quò reus ad petitam possessionem actori

reddendam condemnatus à sententia contra se lata appellavit, si periculum sit; ne, appellatione pendente, dissipentur, ex decisione *c. fin. & l. Imperatores* 21. §. *fin. ff. de Appellat.* quia, si sententia confirmetur, cum re litigiosa actori restituendi sunt etiam fructus, à litis contestatæ tempore percepti, *l. Certum* 22. *C. de R. V.* Unde

35. Dubium oritur, an rem litigiosam aut ejus fructus sequestrandi sufficiens causa sit, quòd contra ejus possessorem lata sententia, & ab ista sit appellatum, etiamsi fructus non dissipentur. Ratio dubitandi desumitur partim ex §. *Quoties* 11. post *can. fin.* 2. *q.* 6. quô tali casu fructus sequestrandi facultas datur indistinctè, & nullâ factâ mentione dissipationis: & ex *Clement. Unic. hîc*, etiam sine distinctione statuente, casu, quô sententia contra beneficii possessorem lata, & ab ea appellatum est, beneficium sequestrandum: partim; quòd, juxta dicta, in casu dissipationis fructuum, si sequestrari possint, etiam isti antesententiam sequestrentur. Unde nihil speciale statutum fuisset, §. *cit.* si post appellationem fructus sequestrari non possent extra casum dissipationis.

36. Nihilominus ordinariè, neque ipsam rem, neque istius fructus extra dissipationis periculum sequestrandos, passim receptum est apud Interpp. & DD. quòd regulariter & extra casus Jure expressos, lite pendente, nihil innovandum, etiam post interpositam appellationem, *l. Unica ff. Nihil innovari appell. interp.* &, si quid innovatum fuerit, revocandum sit, *c. Non solùm 7. de Appellat. in 6.* Unde §. *Quoties cit.* textus interpretationem accipit à *c. fin. & l. Imperatores citt.* ad sequestrationem requirentibus dissipationem aut saltem periculum, Gonzalez *in c. fin. cit. num.* 11.

Neque hinc sequitur *c. fin. cit.* nihil statui speciale; quia casu, quô post appellationem fructus dissipari incipiunt, hi secundùm ejus decisionem sequestrantur, etiamsi possessor possit satisdare: non item, si eos antea dissipans idoneus sit ad satisdandum, *arg. l. cit. Ita in c. fin. cit.* Panormit. *n.* 7. Vivianus *in ejus Ratione* & Laiman. *n.* 2.

Neque obstat *cit. Clement.* quia ei 37
continetur Jus omnino novum, quô statuitur, casu, quô, duobus super beneficio, personatu, vel dignitate Ecclesiastica litigantibus, una vel plures sententiæ definitivæ in Curia latæ sunt contra possessorem, qui illud nondum integrô triennio pacificè possedit, beneficium &c. litigiosum per Ordinarium loci, in quo illud est situm, sequestrandum apud idoneam personam: quæ, dum lis pendet, plenam ejus curam habeat & administrationem, ut constat ex textu: quô etiam hujusmodi sequestrationem impedientes, aut fructus sequestratos occupare præsumentes, ipsô factô excommunicati pronuntiantur. Quod statuendi justa ratio *cit. Clement. pr.* insinuatur; ut malitia litigantium, præsertim reorum, compescatur, sive; ne beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum possessores, ut fructus diu percipiant, super iis motas lites in multos sæpe annos protrahant, magnô damnô collitigantium, qui ita laboribus & expensis fatigantur & exhauriuntur, & maximô animarum periculô detrimentôque Ecclesiarum, quibus diuturna vacatio in rebus tam spiritualibus, quàm temporalibus, gravia damna afferre solet, *c. Finem 5. de Dolo*, Barbosa *in Clement. cit. num. 4.*

Etsi verô nova hæc Clementis V. Con- 38
stitutio locum habeat, quando in Curia sententia definitiva, etiam una tantùm, sive in Petitorio, sive in solo Possessorio, lata est contra ejus possessorem, eâ tamen

contra

contra supra traditam antiqui Juris Regulam decretæ beneficii aut dignitatis Ecclesiasticæ sequestrationi locus non est.

Primò, si sententia non definitiva, sed interlocutoria duntaxat: vel definitiva quidem, sed tantùm contra petitorem, vel unum ex pluribus petitoribus: non contra beneficii possessorem lata fuisset, Glossa *in Clement. cit. V. Definitiva & V. Possessorem, ubi* Panormit. *n.* 3. & Barbosa *n.* 34. & 35.

39. Secundò, si definitiva quidem etiam contra possessorem, at non super ipso beneficio, vel dignitate: sed tantùm super aliquo onere, illi annexo, vg. solvendi ex eo censûs, vel super obligatione beneficiati, vg. ad præstandum aliquod obsequium, esset lata, *citt.* Glossa, *V. Super Beneficio*, & Panormit. *n.* 3.

40. Tertiò, si definitiva contra possessorem, & super ipso beneficio lata esset, non *in Curia*, intellige, *Romana*, sive apud sedem Apostolicam per Rotæ vel quemcunque alium à Papa deputatum Auditorem: sed extra illam, sive dein ab alicujus diœcesis Ordinario, sive à Legato, vel delegato Papæ esset lata, Glossa *cit. V. Duntaxat.*

Quartò, si etiam in Curia Romana lata esset sententia definitiva, una pro possessore, altera verò contra eum pro petitore sive actore, Glossa, *V. Possessorem cit.* quia, cùm tali casu possessor & petitor unius sententiæ definitivæ, in Curia latæ, præsumptionem pro se habeat, ambo sunt pares: in pari autem causa melior est conditio possidentis, *Reg. In pari 65. in 6.* & causa rei favorabilior, quàm actoris *l. 125. ff. de R. J.* Zabarella *in Clement. cit. n.* 3. & Barbosa *n.* 6.

41. Quintò, si possessor, contra quem lata est sententia, beneficium litigiosum trienniô completô pacificè, hoc est, nullâ interim lite super ea sibi motâ, possedisset, Glossa *cit. V. Triennium*; quia gravis præsumptio pro triennali possessore est; quòd bona fide & jure nitatur, & non præcisè ad protrahendam litem & gaudendum fructibus appellârit: & contrà adversus actorem, qui integrô trienniô tacuit, gravis præsumptio est; quòd, si non iniquam, saltem valde ambiguam litem habeat, *citt.* Zabarella *n.* 13. & Barbosa *n.* 15.

Sextò demum, etiam latâ in Curia super beneficio vel dignitate contra possessorem sententiâ definitivâ, ad ejus sequestrationem Ordinarius loci, in quo id situm est, procedere non potest, antequam de eo sequestrando mandatum à Curia expeditum acceperit: quod Curiæ stylo & praxi receptum, monet Jordanus Lucubrat *Lib. 14. Tit. 15. n. 9.* 42.

Laudatæ Clementinæ affines sunt Recentiores dispositiones Pii Papæ ejus nominis etiam V. Imprimis judicibus concedentis facultatem, lite Beneficiali extra Curiam pendente, decernendi sequestrationem super fructibus beneficiorum, sedi Apostolicæ reservatorum, sive affectorum, & ordinariâ vel aliâ authoritate nulliter collatorum, *Constitutione*, quæ incipit *Sanctissimus*, publicatâ *26. Octob. 1560.* 43.

Deinde præcipientis; ut quando inter eum, qui à Papa vel Ordinario de dignitate, vel beneficio alicujus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ provisus est, ex una, & Capitulum seu Canonicos, ad quos ad beneficium receptio, sive in istius possessionem missio spectat: & quibus ejus, possessorem non habentis, fructus & distributiones accrescunt, ex altera parte litigatur: ut, inquam, lite inter eos pendente, fructus, reditus, distributiones, cæteráque emolumenta penes personam idoneam deponantur: eáque finitâ illi, cui de jure postea fuerint debita, restituantur, 44.

antur, *Constitutione*, quæ incipit *Cordi nobis est*, editâ 3. *Calend. Aprilis 1568.* quas refert Quaranta *Summæ Bullar. V. Sequestrum* & latè explicant Gonzalez *ad Reg. 8. Proëm. §. 7.* & Jordanus *cit. Tit. 15. à num. 7.*

TITVLVS XVIII.

De Confessis.

EXpeditis, quæ circa varia Judiciorum incidentia sanctionibus Ecclesiasticis constituta sunt, progredimur ad causam Principalem sive intentionem actoris, cuus isti probatio ferè incumbit: nisi adversarii, sive rei confessione à probandi onere relevetur.

ARTICULUS I.

De Confessione Judiciali.

SUMMARIUM.

1. *Confessio alia Judicialis, alia Extrajudicialis est.*
2. *Ad illam requiritur; ut à mentis compote,*
3. *Et pubere,*
4. *Liberè ac sponte,*
5. *Et ex certa scientia,*
6. *De re certa,*
7. *Naturaque & Juri non repugnante,*
8. *In judicio, coram Judice competente,*
9. *Et parte adversâ, ejúsve procuratore præsente:*
10. *Secundùm aliquos etiam, expressâ causâ, fiat.*
11. *Confessio judicialis plenè probat contra confitentem;*
12. *Qui tamen per sententiam in Criminalibus,*
13. *Et in Civilibus etiam causis est condemnandus.*
14. *Positioni respondere recusans pro confesso, non in Criminalibus,*
15. *Sed in Civilibus causis habetur:*
16. *Neque in his, si recusandi justam habeat causam.*
17. *Confessio procuratoris domino:*
18. *Prælati Ecclesiæ vel Monasterio:*
19. *Et authoris successori aliquando, non semper, nocet.*
20. *Crimen confessus de sociis interrogandus non est:*
21. *Nisi in specialiter exceptis,*
22. *Et quibusdam aliis criminibus:*
23. *Vel, cùm interrogationem permittit consuetudo.*
24. *De sociis nunquam rei fides suspectæ,*
25. *Et alij de certis personis in specie interrogandi:*
26. *Neque eorum dictis, non confirmatis credendum,*
27. *Aut in denuntiatum specialiter inquirendum est:*
28. *Nisi denuntiatio sit adminiculata.*
29. *Crimen incidenter confessus Ordinariâ,*
30. *Vel arbitrariâ pœnâ plecti potest.*

Confes-

1. CONfessio in genere est Ejus, quod ab adversario intenditur, facta asseveratio seu affirmatio: quæ à loco bifariam dividitur: &, si in Jure judicióve, id est, in loco, in quo judex judicandi causâ solet consistere, Judicialis: si verò extra eum locum & jus fiat, Extrajudicialis appellatur, Mascardus *de Probat. Proëm. q. & n. 7.* Ad eam, ut veræ Judicialis Confessionis effectus habeat in præjudicium confitentis, DD. passim exigunt; ut facta sit

2. Primò ab eo, qui est sanæ mentis, pubes, imò major 25. annis, *l. Certum 6. §. 5. ff. hîc:* inter quos tamen multùm interest; ab eo enim, qui mentis non sanæ, aut infans, vel infantiæ proximus est, etiam præsente tutore, facta confessio nulla est; cùm non intelligat negotium, de quo interrogatur, *§. Furiosus 8. & §. Sed quod*

3. *10. Instit. de Inutil. stipul.* Eôdem modô non valet, quæ facta est sine tutoris authoritate à pupillo, infante majore; cùm discretionem non habeat, *l. Pupillus 9. ff. de Adquir. hæred.* séque nequeat obligare, *pr. V. Unde in his, Instit. de Auth. tut.* Facta autem cum authoritate tutoris Jure quidem subsistit, sed eâ læso succurritur beneficiô in integrum restitutionis, *l. Certum, & §. 5. cit.*

Minor etiam, curatorem habens, confitendô sibi non præjudicat, nisi iste intervenerit, *arg. l. Si curatorem 3. C. De in integ. restit.* Curatorem autem non habentis, etsi extrajudicialis confessio valeat, sed obnoxia sit restitutioni, *§. 5. cit.* in judicio tamen facta, regulariter nulla est; cùm, per se loquendô legitimam personam standi in judicio non habeat, *l. In rebus 2. C. Qui legit. perf. & l. In universis 9. C. Qui dare tut. poss.* Panormit. *in c. fin. n. 8.* & Lanfranc *de Confess. n. 4. Regulariter*, inquam, propter casus, quibus agitur de momentanea possessione, vel rebus spiritualibus, hisve annexis; cùm enim in hujusmodi causis stare in judicio possit, *l. fin.* junctâ Glossâ, *V. Quamcunque, C. Qui legit. perf. standi & c. fin. de Judiciis in 6.* super iis in judicio facta ab hujusmodi minore confessio valebit, sed læsus in integrum restituetur, ut iidem monent.

Secundò, sponte ac liberè; quia vi 4.
metúve extorta fidem non facit, &, cessante metu, revocari potest, *can. Si quandoque, 15. q. 6. & l. 1. §. 27. ff. de Q. Q.* sæpè enim vi metúve quis contra se ipsum testificatur: & propterea ex confessione, etiam legitimis indiciis præcedentibus, per tormenta extortâ, quòd satis libera non sit, reus non condemnatur: nisi altero die, extra tormentorum conspectum, in loco publici tribunalis interrogatus, in ea perseveret, *citt.* Panormit. *n. 11.* Lanfranc. *n. 8.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. memb. 10. actu 14. n. 15.*

Tertiò, ex certa scientia: & non ex pro- 5.
babili errore facti alieni, *c. fin. cit. l. Error 8. l. Regula 9. ff. de J. & F. J.* cùm, qui erat, non fateatur, nisi Jus ignoret, *l. Non fatetur 2. ff. hîc;* ac proinde circa alienum factum in judicio facta erronea confessio non solùm à minoribus & Ecclesiis, qui eâ læsi in integrum restituuntur, *c. fin. De in Integ. restit. in 6.* sed à majoribus quoque revocari usque ad conclusionem in causa potest, ostendendô rem aliter se habere.

Alia ratio est erroneæ confessionis circa factum proprium, vg. à se initum contractum; circa hoc enim admissum errorem si revocare confessus velit, probare debet causam, ex qua error ille promanârit, vg. se alterius dolô vel suasione deceptum, vel propter longinquitatem temporis, aut negotii valde intricati perplexitatem: etsi ante litem contestatam (vel post hanc, si confessio extra judicium, aut in isto ab eius procuratore facta

sit) sufficiat probare, rem aliter, quàm confessus est, se habere, *citt.* Panormit. *n.* 23. & Lanfranc. *n.* 52.

6. Quartò, eadem confessio iudicialis esse debet de re, quoad substantiam & quantitatem certa; ut ex ea constet, quid & quantum litigans confiteatur, *l. Certum cit. pr. & §.* 1. cùm enim confessio pariat sententiam, sicut hæc, de re vel quantitate incerta prolata, invalida est, §. *Curare* 32. *Instit de Actionibus*, ita etiam confessio, nisi de re & quantitate certa, subsistere non valebit, Glossa *in l. & V. Certum cit.* & propterea, qui debitum confessus est, ut rem vel quantitatem certam exprimat, urgeri potest, Perez *in C. hîc n.* 8. & Bruneman. *in l. Certum cit. n.* 1.

7. Quintò, de re, quæ Naturæ & Juri non repugnat, *l. Si is* 14. §. 1. *ff. de Interrogat. in jure fac.* Quare non præiudicat & nulla est confessio fatentis, se esse filium eius, qui ætate minor, *l. Confessionibus* 13. *pr. ff. ad L. Aquil.* occidisse hominem, qui adhuc est in vivis, *l. Inde* 23. §. *fin. ff. Ad L. Aquil.* commisisse adulterium, qui castratus, vel aliunde impotens est, *arg. c. Quod sedem* 2. *de Frigid. & malef.* possidere beneficium Ecclesiasticum, qui laicus est, *c. Ex literis* 6. *de Transact.* se esse conjugem mulieris infidelis, consanguineæ, vel affinis, *can. Cave, 28. q.* 1. *c.* 1. *& c. Non debet* 8. *de Consang. & affinit.* Panormit. in *c. fin. cit. n.* 16.

8. Sextò, in judicio & coram judice competente, *c. At si clerici* 4. *de Judiciis*: ob cujus defectum clerici, conventi coram laico, & coram Civili magistratu Studiosi Academici confessio habetur pro extrajudiciali, ut ex ea confessus ab Ecclesiastico vel Academico judice nequeat condemnari: nisi in confessione sua à judice competente legitimè examinatus persistat: ad quod, eum compelli posse *arg. l. Generaliter* 13. *in fine, C. De non numerata pec.* cum Decio *in c. cit. n.* 17. & Boërio *ibid.* docet Clarus §. *fin. q.* 12. *à n.* 132. Coram arbitro Juris & Compromissario, servatô Juris ordine procedente (non etiam coram arbitratore) factam confessionem, judicialis instar, valere, *arg. l.* 1. *ff. de Arbitr.* cum Bartolo *in l.* 1. *C. hîc, in fine*, tradunt *citt.* Maranta *actu* 5. *n.* 31. & Mascardus *concluſ.* 368. *num.* 15.

Septimò, præsente adversario, vel ejus Procuratore, curatore vel tutore, saltem de jure Civili, *l. Certum cit.* §. 3. instar judicati, quod non tenet, nisi inter præsentes, *l. Ab unoquoque* 47. *ff. de Re judic.* Nisi confessio in scriptis, vg. libellô oblatô, fiat, vel eam judex accepter nomine absentis, & iste postea ratam habeat, in scriptis enim redactam, Zœsius *in ff. hîc n.* 4. & ita acceptatam *arg. l.* 1. §. 15. *ff. de Magistr. convent* alii valere volunt apud *cit.* Perez *n.* 7. Imò ex æquitate Canonica, etiam absente adversa parte, in Jure factas non erroneas confessiones perinde, ut alias judiciales, plenam fidem mereri, cum *cit.* Panormit. *n.* 16. volunt Honorius *hîc n.* 10. & Bruneman. in *l. Certum cit. n.* 4. quòd, cùm reus se debere coram judice sciens prudénsque confitetur, non appareat, quâ fronte id postea præsente adversariô coram eodem inficiari aut revocare: neque etiam, quâ conscientiâ à judice debitum probandi onus imponi actori: & multò minùs, quomodo istô, in probatione deficiente, absolvi reus possit.

Octavò, cum expresione causæ; quam ad judicialem confessionem exigunt Wesenbec. & Perez *ad hanc Rubric.* ille *in ff. n.* 5. iste *1. C. n.* 8. quòd aliàs facta non videatur ex certa scientia, sed potiùs ex abrupto. At veriùs causæ expresionem exigi, cum *cit.* Panormit. *n.* 14. negat Mascardus *l. cit. n.* 8. quòd, facta judice præsente

præsente, deliberatò animò, & non nisi de re certò cognita facta præsumatur. Ita declaratæ

11. Judicialis confessionis vis in judicio maxima est; cùm non tantùm ejus, quod ita confessus contra se asserit, probandi onere adversarium relevet, *l. Generaliter 12. C. de non numerata pec.* sed quascunque, etiam per testes & instrumenta pro confesso factas, probationes, & pro eo militantem Juris & de Jure præsumptionem tollat, ac notorium inducat. *c. Vestra 7. de Cohabit. cleric. & mul.* ut contra se confessus pro judicato & suâmet sententiâ quodammodo condemnato habeatur, *l. Post rem 56. ff. de Re judic. l. 1. l. Certum cit. pr. ff. & l. Unica, C. hic* juxta illud Christi, *Ex ore tuo te judico*, Lucæ *cap. 19. V. 22.* quòd nemo in judicio contra se quid falsi præsumatur confiteri, Maranta *cit. Actu 5. de Confess. n. 21.* & Mascard. *conclus. 344. à n. 1.* & propterea convicti & simul confessi, *l. Observare 2. C. Quorum appell. non recip.* imò confessi tantùm in causis Civilibus & Criminalibus appellatio non recipiatur, Panormit. *in c. Cùm speciali 61. §. Porro, de Appellat. num. 5.* Quam probandi vim non tollit nullitas processûs, ob non servatum in eo ordinem Juris; quantumvis enim in eo lata sententia aliàs non teneat, valida tamen est in eo coram judice competente facta confessio; ut ex ea sententia ferri queat, *citt.* Maranta *n. 24.* & Mascard. *num. 4.* Unde

12. Dubium & non levis in praxi momenti controversia oritur, an contra confessum opus sit sententiâ definitivâ. Hanc in causis Criminalibus necessariam, Panormit. *in c. At si clerici cit. n. 16. cit.* Maranta *n. 26.* & aliorum communis est doctrina, patétque ex *l. Si confessus 5. ff. de Custod. & exhib. reor. & c. Cùm super 2.* ubi Canonicus, simoniam in judicio confessus, ab officio & beneficio per sententiam removetur. Ratio est partim; quia in hujusmodi causis confessus, si alia criminis indicia non adsint, pro judicato & condemnato non habetur; non solùm propter maximum periculum vitæ, quod in iis vertitur: sed etiam propter incertitudinem pœnæ irrogandæ: &, quòd rei aliquando, non tam facinorum conscientiâ, quam mortis cupidine, tædióque vitæ, aut carceris, metúve tormentorum contra se confiteantur, *l. 1. §. 17. & §. Si quis ultro 27. ff. de QQ.* partim verò; quia ad pœnam etiam ipso Jure inflictam (exceptis censuris, irregularitatibus & pœnâ in incestuosum conjugem latâ, *c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit &c.*) ante sententiam obligatio non detur, *arg. c. Cùm secundùm 19. de Hæret. in 6.* Zœsius *in ff. ad hanc Rubric. n. 18.* & *ibi* Bruneman. *in l. 1. n. 3.*

In causis autem Civilibus sententiâ esse opus, indistinctè negat Maranta *l. cit. n. 26.* quòd in his contra se confessus, ut dictum, habeatur pro judicato: & in eum, quasi suâ sententiâ jam condemnatum, nullæ partes sint judicantis per text. *l. Proinde 25. §. fin. ff. ad L. Aquil.* eámque ob causam, debitum, vg. confesso, tempus duntaxat ad executionem, sive solutionem assignetur, *l. Si debitori 21. ff. de Judiciis & Et judicatum 16. ff. Judicatum solvi.* 13.

Sed, licet solvendi duntaxat præceptò opus sit adversus eum, qui actoris intentionem plenè, & ante litis contestationem est confessus, per text. *citt.* adversus eum tamen, qui post litem contestatam primùm confessus est, sententiam condemnatoriam rectè exigunt Panormit. *in c. fin. cit. n. 18.* & Decius in *c. At Si clerici cit. n. 23. citt.* Mascard. *n. 5.* & Perez *n. 2.* propter expressos textus *c. Præterea 10.* ibi, *Ex confessione procedat contra eum*

sententia, de Transact. l. Julianus 3. & l. Qui Stichum 5. ff. hîc: quibus confessum condemnandum disertè asseritur; quòd pro iudicato habeatur. Idem persuadet ratio; quia iudicium semel cæptum sententiâ terminandum est: & judex, qui de causa cognovit, super eadem debet pronuntiare, *l. De quare 74. pr. ff. de Judiciis.*

Neque contrarium evincit *l. 1. cit.* quia eâ confessum pro judicato propriè non haberi, non obscurè insinuat dictio *Quodammodo*, denotans improprietatem, Bartol. *in l. 1. ff. Rerum amot.* & Jason *in l. Scire 29. ff. de V. O. n. 4.* quòd scilicet non sit opus ulteriori probatione & causæ discussione. Neque etiam § *fin. cit.* quia in eo subintelliguntur verba, *In cognoscendo*, Glossa *fin. in c. Cùm olim 15. de Rerum permut.* aut verba, *Nisi in condemnando* seu ferenda sententia condemnatoria, juxta *l. Julianus, & l. Qui Stichum citt.* Glossa *in* §. *fin. cit.*

14. Dubium secundò est, an litigans pro confesso habeatur, quando Positionibus adversarii sui respondere recusat. Pro confesso eum non haberi in causis Criminalibus, communis sensus est DD. quia in hujusmodi causis propter maximum præiudicium, quod afferunt, omnino liquidæ & luce meridiana clariores probationes exiguntur, *l. Absentem 5. ff. de Pœnis, & l. fin. C. de Probat.*

15. In Civilibus autem litigantem, si post litem contestatam & præstitum Calumniæ, sive, ut Practici vocant, *Dandorum* iuramentum, adversarii sui positionibus à iudice iussus, respondere absque rationabili causa recuset, quoad ea, quæ in positionibus sive articulis continentur, pro confesso habendum, decidit Bonifacius VIII. *c. fin. in 6.* cùm propter contumaciam: tum vero; quòd taciturnitas in loco & tempore, quò interrogatus respondere tenetur, Juris præsumptione vel interpretatione pro consensu habeatur; *Reg. Qui tacet 43. in 6.*

Absque causa, inquam; quia pro confesso non habetur casu, quò non respondet ex rationabili causa, *c. cit.* cuiusmodi esset, si in articulis contenta essent superflua & causam, de qua agitur, nullô modô concernerent: si positio esset incerta, dubia & obscura; quia, sicut responsio, sic & positio interrogatoria certa & clara esse debet: si esset calumniosa, impossibilis, vel captiosa, hoc est, respondentem inducens ad perplexitatem, Glossa *in c. cit. V. Rationabili:* si attingeret crimen omnino occultum ipsius rei; tale enim, etsi, ad rem faceret, prodere, séque infamare non tenetur: neque etiam de eo legitimè interrogatur, Glossa in *c. Cùm causa 37. V. De causis, de Test. & attest.* Engel *ad hanc Rubr. n. 11.* Unde præsumptionem, quâ respondere iussus, si taceat, pro confesso habetur, Juris tantùm, non etiam de Jure esse, & probationem in contrarium admittere, notat Laiman *in c. fin. cit.*

Dubium tertiò est, an confessio Pro- 15
curatoris noceat Domino. In quo frequentiori DD. calculô recepta est distinctio inter Procuratorem, instructum mandatô solùm generali, aut omnino voluntariè &, nullâ necessitate cogente, confitentem: & eum, qui mandatum habet speciale, aut generale quidem, sed ad ea, quæ speciale exigunt, expressè se extendens: cujusmodi olim habebant Oeconomi Ecclesiarum & Monasteriorum, *can. Volumus 2. & can. Quia in quibusdam 4. dist. 89.* & ex necessitate officii & iudicii ad adversarii positiones post litem contestatam respondendô confitetur. Et prioris quidem confessionem domino non nocere, ex *l. Si hinc 9. §. 4. ff. de Interrogat. in jure fac.* vel potiùs ex *l. Centum cit. §. 4. ff. hîc:* posterioris verò illi præiudicare desumitur, ex *c. fin. hîc, c.*

Dilectus

Dilectus 2. *in fine de Capell. monach. & c. Suborta* 2. *de Sent. & re judic.* cujus textu procuratoris nomine hujusmodi Oeconomum, ab Episcopo & Capitulo simul designatum intelligi, vult Gonzalez *in c. fin. cit. n.* 11. Ita iste post Bartol. *in l. Certum cit. §. Sed an* 4. *n.* 2. & Zoesium *in ff. ad hanc Rubric. n.* 7.

18. Simili modo confessionem Prælati, si extra judicium, aut omnino voluntariè, nullâque judicii & officii necessitate cogente, facta sit, Ecclesiæ vel Monasterio non præjudicare, arg. *c.* 1. *de In integr. restit.* eam verò, quæ in judicio & ex necessitate fit, his nocere, ex communi DD. sensu tradit, & Rotæ *Decis.* firmat Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 125. *num.* 3. confessionem Archiepiscopi, quæ Ecclesiæ præjudicavit, *c. Si diligenti* 17. ibi, *Cùm secundùm confessionem suam, de Præscript.* non voluntariè factam, sed ex necessitate judicii processisse: vel, si judicii necessitas non urgebat, eam cum Capituli consensu factam, notans *ibid. n.* 7. *& in c. fin. cit. n.* 10. ut Juri sit conformis, arg. *c.* 1. junctâ Glossâ, *V. Ab omnibus, de Constitut.* Casu tamen, quô Ecclesia Prælati confessione esset læsa, ei succurreretur beneficiô in integrum restitutionis, *c. fin. de In integ. restit. in* 6. vel errorem, si quis intervenisset, ante conclusionem in causa posset revocare, Panormit. *in c. fin. cit. num.* 4.

19. Dubium quartò est, an confessio authoris revocari valeat à successore. In quo multùm interest, an successor universalis sit, aut singularis; cùm enim ille in omnia defuncti jura succedat, confessionem, quam author sive defunctus, revocare etiam ipse valet, & non obscurè permittitur, *l. Non idcirco* 9. *C. de J. & F. J.* Alia ratio est singularis: ad quem cùm actiones Personales authori competentes non transeant, ad eum etiam non transibit confessionem revocandi facultas, Bartol. *in l. Si tertius* 6. §. *Si quis prius* 4. *ff. de Aqua pluvia arc.* Jordanus *Lucubrat. Lib.* 14. *Tit.* 16. *num.* 146. & Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. Tract.* 3. *n.* 522.

Dubium est quintò, an judicialis confessio rei præjudicet criminis sociis. Non præjudicare, desumitur ex *l. Non debet* 47. *ff. de R. J.* & propterea reum, crimen de se confessum, de sociis & complicibus, si infamia aut huic æquivalentia indicia non præcesserint, non interrogandum, Regulæ instar tradunt Clarus §. *fin. q.* 21. *n.* 3. *V. Dictum Socii.* Menoch. *de Arbitr. casu* 474. *n.* 18. Farinac. *Prax. Criminal. q.* 43. *n.* 3. & Mascard. *Concluf.* 1318. *n.* 1. propter claros textus *can. fin.* 15. *q.* 3. *c.* 1. *hic, & l. fin. C. de Accusat.* cujus clarus & notatu dignus textus est, *Cùm veteris Juris authoritas de se confessos, nec interrogari quidem de aliorum conscientia finat, nemo de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena.* Non minùs perspicua est ratio; quia socius criminis est criminosus: qui, præsertim si morbô sive crimine simili laboret, idoneus testis non est, *c. Super eo,* 12. *c. Personas* 20. *& c. Testimonium* 54. *de Test. & attest.* quia criminosi plerumque optant socios, tam criminum; ut sua minùs damnabilia videantur, quàm pœnarum: & ex alieno, præsertim superioris vel inimici, consortio in suppliciis levamen quærunt, *l. fin. cit.* Barbosa *in c. Veniens.* 10. *de Test. & attest. n.* 2. & Gonzalez *in c.* 1. *hîc, n.* 6.

Neque obstat; quòd in criminum socios inquiri, interfit Reipublicæ; ne delicta maneant impunita, *c. Ut fama* 35. *de Sent. Excommunicat.* quia, ut judex ad inquisitionem specialem procedat, non sufficit testimonium criminosi: sed requiritur; ut diffamatio, vel huic succedanea criminis indicia præcedant, *c. Qualiter* 14. *de Accusat.*

21. Ista tamen Regula varias & Tribunalium praxi receptas patitur exceptiones in variis criminibus, Jure exceptis: in quibus, sicut à cæteris Judiciarii in criminosos Processûs, sic etiam ab hac Regula recèditur, & crimen de se confessi de sociis sive complicibus interrogantur: cujusmodi sunt

22. Primò, quæ in Reipublicæ perniciem specialiter cedunt, ut crimen læsæ majestatis, *can. fin. c. 1. citt. & l. Quisquis 5. §. fin. C. ad L. Jul. Majestat.* Hæresis, *c. In fidei 5. de Haret. in 6.* Falsationis monetæ, *l. Si quis numero 2. C. de Falsi. monet.* Veneficii seu magiæ, *l. fin. C. de Malef.* Latrocinii & Grassationis viarum, *l. Divus 6. ff. de Custod. reor. & l. Provinciarum 10. C. de Feriis*, Assassinii, Sacrilegii *&c.* Farinac. *q. cit. à n. 56.*

Secundò, delicta occulta & difficilis probationis; ut veritas plerumque per alios, quàm socios nequeat haberi: cujusmodi sunt suppositio partûs, homicidium per venenum, cædes, aut furtum clam & de nocte commissum &c. cùm enim super talibus, ob probationis difficultatem, testes etiam inhabiles recipiantur, & indicia leviora pro sufficientibus habeantur, ea confessi de sociis interrogari permittuntur, Farinac. *cit. q. 43. n. 68. & 103.*

Tertiò, quæ suâ naturâ sine socio seu complice non committuntur: ut conspiratio in Episcopum vel Principem, *can. Si quis 22. in fine, 6. q. 1. & c. fin de Testib. cog.* Sodomiæ, adulterii, stupri; quia etiam hæc ferè occulta & difficilis sunt probationis, Idem *à n. 89.*

Quintò, quæcunque cum publico aut etiam privato damno primùm sunt committenda, vg. machinatio proditionis, incendii, cædis & alia de quibus latè Farinac. Menoch. Mascard. *l. citt.*

23. Demum ex consuetudine, an, & quibus sociis vel complicibus crimina commissa sint, in variarum Provinciarum Curiis, de se confessos, interrogari, advertit *cit.* Farinac. *n. 123.* cui tamen ipse Juris observantiam meritò præfert, arg. *l. Sed licet, 12. ff. de Offic. Præsid.* quâ *Non tam quid Romæ factum, quàm quid fieri debeat, spectandum*, dicitur & observandum.

Ut autem crimen judicialiter confessus de sociis interrogari possit, DD. passim requirunt Inprimis; ut, qui interrogatur, non sit ob perjurium, mendacia, commercium diabolicum, aut similia crimina infamis: neque etiam à se denuntiati inimicus capitalis; cùm talis ab accusando, denuntiando, testificando sit removendus, *c. Repellantur 5. de Accusat. & c. Per tuas 32.* junctâ Glossâ, *V. Inimicitias, de Simonia* Clarus §. *fin. cit. q. 24. n. 5.* & Farinac. *q. 12. n. 39.* neque ob vilitatem, levitatem, vitæ turpidinem, aut aliunde suspectus: neque etiam in dictis & denuntiationibus varius, & sibi contrarius; cùm, qui jam asseverat, quod ante negavit, sicut ante, nunc quoque mentiri possit; & idcirco nullam fidem mereatur, Farinacius *cit. q. 43. n. 185.* & Laiman. *in c. 1. n. 12.*

Deinde; ut, extra casum, quò contra personam aliquam non levis, sed vehemens & ex indiciis multùm urgentibus orta præsumptio est, crimen de se judicialiter confessus, à judice de sociis interrogetur in genere, an, quem, vel quos: non in specie, sive individuo, an complicem habuerit Titium vel Cajum; hoc enim suggerentis potiùs, quàm quærentis esse videtur, *l. 1. §. 12. ff. de QQ. citt.* Menoch. *n. 53.* & Farinac. *n. 132.* cum Claro §. *cit. q. 21. n. 4.* judices salubriter monens; ut ab omni suggestione abstineant; ne iis alios indebitè vexandò proprias animas perdant.

Demum, ut ejus dicta verisimilia, hoc est, personæ, loco, tempori, aliisque circum-

circumstantiis congrua sint, & super socii denuntiatione tortus in ea persistat: & ferè etiam ante vel post torturam juramentô confirmet; cùm enim in alterius præjudicium aliquid affirmanti, etiam omni exceptione majori, non jurato fides non habeatur in causis Civilibus, multò minùs homini sua confessione criminosa socium denuntianti, sine juramento credendum est in Criminalibus, in quibus indicia clariora & pleniores probationes Jure exiguntur, *citt.* Clarus *n. 10.* Menoch. *n. 60.*

27. Dubium sextò oritur de fide, quam facit, seu de vi, quam habet à reo, de se confesso, facta denuntiatio seu manifestatio complicis sive socii criminis: qua in re multùm refert, quomodo ista sit facta.

Et quidem, si confessus in crimine non excepto ad judicis interrogationem socium manifestet, ex ea judex contra denuntiati personam per specialem de eo inquisitionem procedere, de Jure non potest; cùm enim talis interrogatio facta sit contra prohibitionem Juris, *c. cit. & l. fin. C. de Accusat.* ex ea secuta socii denuntiatio, tanquam non legitima, judicem ad inchoandam de persona inquisitionem movere, non concurrentibus aliis indiciis, non potest, *citt.* Menoch. *n. 25.* & Mascardus *n. 11.*

28. Si verò reus, de se confessus, sponte: vel legitimè, hoc est in criminalibus exceptis: vel, ubi Consuetudo loci permittit, etiam in aliis criminibus interrogatus socium denuntiet, opus est distinctione; vel enim ejus denuntiatio est adminiculata sive, quod idem est, uno vel pluribus aliis indiciis & conjecturis, vg. personæ denuntiatæ infamiâ, temporis, loci, aliisque circumstantiis, eam verisimilem reddentibus, adjuvatur vel non? Si prius, eam ad ulteriorem & specialem de persona denuntiata inquisitionem: imò, si indicia valde urgentia & potentia sint, etiam ad personæ, præsertim à duobus vel pluribus denuntiatæ, apprehensionem & torturam sufficere, censent laudati Farinac. *num. 145.* & Mascard. *n. 14.* Si posterius, & denuntiatio non adminiculata, sed omnino nuda est, nullisque indiciis adjuvatur, eam non tantùm ad denuntiati torturam, vel apprehensionem: sed etiam ad hunc transmissô libellô, ut personaliter compareat seque defendat, citandum, imò etiam ad specialem inquisitionem, sive informationem de ejus delicto summendam, non sufficere, cum *cit.* Mascard. *n. 11.* & aliis ab isto *n. 9.* relatis, censet Laiman. *in c. 1. cit. n. 17.* cùm quòd in *Constitut. Criminal.* Caroli V. *art. 31. V.* zum vierdten/ad inquisitionem sumendam de persona, á reo de se confesso denuntiata exigatur; ut sit suspecta, hoc est, iis moribus, ut ejus denuntiatio verisimilis appareat: tum verò; quòd, Gentium & Naturali Jure spectato, accusatori & denuntiatori (qui ratione publici officii, aut juramenti ad id non obligatus, vel omnino integræ & illæsæ existimationis homo non est) in alterius præjudicium non credatur: nisi denuntiati crimen aliquo modo verisimile sit; cùm aliàs cuivis liberum esset, suo arbitratu alterius famam lædere, ejúsque personam adducere in discrimen. Contrarium tamen, & rei de se confessi denuntiationem, etiam non adminiculatam saltem ad informationem de persona & delicto sumendam sufficere, cùm *citt.* Claro *n. 5.* & Farinac. *n. 129.* satis probabiliter existimat, Haunold. *Tom. 6. de J. & J. tract. 3. n. 282.*

29. Dubium est septimò, de pœna ejus, qui crimen in judicio confessus est incidenter. Puniri cum posse, patet ex *c. Cùm super 2.* An autem pœnâ Ordinariâ, dubitandi ratio est; quòd hujusmodi pœnâ quis non

quis non plectatur sine legitimo accusatore, *can. De manifesta, 2. q. 1. & c. 1. de Accusat.* accusator autem planè deficiat, ubi crimen solumodo incidenter &, cùm de eo non ageretur, in judicium venit.

Verùm, licet ob allatam rationem ab solam incidentem ejus confessionem pœnæ Ordinariæ obnoxius de Jure non sit, eâ tamen puniri potest, si judex, institutô novô processu, in criminosum ex officio inquirat, ut, *in c. Cùm super cit.* cum Glossa, *V. Confessus*, sentiunt Panormit. *n.* 7. Barbosa *in Select. num. 11.* & Gonzalez *n.* 4. suũ hunc sensum desumentes ex *c. cit.* ubi Innocentius III. Canonicum, Simoniæ crimen incidenter confessum, privavit officiô & beneficiô: quæ est pœna ordinaria Simoniæ, *c. De hoc 11. & c. Per tuas 37. de Simonia:* utique institutô contra confessum novô judiciô inquisitionis, Glossa *cit.* quàm probat Decius *in c.* 1. *de Except. num.* 4. & amplectuntur cæteri DD. teste Barbosa *l. cit.*

Neque cum ea pugnat; quòd *c. Quam sit 9. de Excess. Prælat.* clericus propter publicam confessionem delicti carnalis ordinariâ pœnâ suspensionis ab officio & beneficio punitus fuerit sine nova accusatione vel inquisitione; quia ita punitus fuit non tam ob delictum illud, quàm ob publicam jactantiam & de illo gloriationem: de quo, utique minimè levi crimine testes deposuisse in judicio, contra ipsum instituto, ex verbis *Si tibi constiterit*, desumunt iidem Barbosa *in c. Quam sit cit. n.* 5. & Gonzalez *l. cit. n.* 11.

30. Neque eidem adversatur, *c. Inquisitionis 21. de Accusat.* ubi relatô Innocentii III. perquam celebri rescripto; cùm per viam Inquisitionis proceditur, Simoniacus: non pœnâ Ordinariâ depositionis, sed arbitrariâ afficiendus asseritur: nisi Simonia commissa esset in Ordine aut Beneficio obtento: cujusmodi non erat Simonia commissa in casu, *c. Cùm super cit.* quia ista commissa fuit circa alterius electionem. Non, inquam, etiam hic textus adversatur; quia eô ordinariæ pœnæ impositio non prohibetur, cùm proceditur per Inquisitionem, præsertim in crimine Simoniæ; Ecclesiæ imprimis pernitioso & invisо, *c. Si dominus 3. c. Tanta 7. &c. de Simonia*, sed solummodo permittitur, ut, spectatis circumstantiis, pœnæ moderatio adhibeatur, Laiman. *in c. Cùm super cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 18.*

ARTICULUS II.

De Confessione Extrajudiciali.

SUMMARIUM.

31. *Natura hujusmodi Confessionis.*
32. *Ea in Criminalibus indicium facit ad torturam:*
33. *In Civilibus, adversariô præsente & expressâ causâ, facta plenè:*
34. *Secus semiplenè, aut minùs probat,*
35. *Nonnullis casibus exceptis.*
36. *Eadem à moribundo facta & probata liberationem:*
37. *Non etiam obligationem in herdum præjudicium plenè semper probat.*
38. *Aliquando vim legati aut fideicommissi habet.*
39. *Confessio Sacramentalis ulli usui non est in judicio.*
40. *In hoc repertam Confessionis schedam usui esse, asserentium,*
41. *Et vera id negantium Opinio.*
42. *Eâ descripta peccata cadunt sub sigillum Sacramentale.*
43. *Vel saltem sub secretum Naturale,*
44. *Ejusmodi Schedæ usum in judicio non permittens.*

Extra-

EXtrajudicialis Confessio est Ejus,
31. quod ab adversario intenditur, asseveratio extra judicium facta: cujus, quòd non ita deliberata esse præsumatur, minor, quàm Judicialis arg. *l. Unicæ C. hîc*: & non eadem semper, sed pro ipsius & causarum, quas concernit & circumstantiarũ varietate, varia vis est.

32. Et in Criminalibus quidem causis extra judicium, sive præsente sive absente adversario, facta confessio non plenæ, & ad confessi condemnationem sufficientis probationis vim habet: sed indicium duntaxat facit ad torturã: si non calore iracundiæ, aut aliàs temerè effusa, sed verisimilis & postea in judicio legitimè sit probata, ut ex *c. Olim 25. de Rescriptis* desumit Felinus *n. 2.* ubi & *in c. At si clerici 4. de Judiciis n. 6.* à Regulari hac doctrina recedentes plures casus refert.

33. In causis autem Civilibus multùm interest an ea, adversario præsente, vel absente, aliquâ, vel nullâ causâ expressâ, sit facta.

Primò enim, illô, vel ejus procuratore præsente, & expressâ certâ causâ, vg. quòd, ex causa emptionis ædium, vel mutui accepti, mille debeantur, facta, & per duos legitimos testes in judicio probata, plenæ probationis vim habet; ut ex ea confessus adversario valeat condemnari, *l. Generaliter 13. in fine, C. de non num. pecun.* nisi ex circumstantiis, eam calore iracundiæ, *l. Quidquid 48. ff. de R. J.* vel errore factam, demonstretur, *c. Si cautio 14. de Fide instrum. & l. Cùm de indebito 25. §. fin. ff. de Probat.* Perez *in C. hâc Rubr. n. 19.* & Pirrhing. *Rubric. cit. n. 36.*

34. Secundò, adversariò præsente, sed sine causa: vel istâ quidem expressâ, sed illo absente facta, & legitimis testibus in judicio comprobata, regulariter semiplenæ probationis vim habet, arg. *l. & §. fin. cit.* Maranta *de Ord. judic. p. 6. memb. 10. actu 5. de Confessis n. 6. & 12. & cit.* Pirrhing. *n. 37.*

Tertiò, sine causa, & parte adversa absente, facta in præjudicium confitentis aliquid probandi vim *regulariter* non habet, Glossa & DD. *in §. fin. cit.* apud Mascard. *de Probat. concl. 345. n. 1. & 10.*

Regulariter, inquam; quia confes- 35.
sioni extrajudiciali juratæ, geminatæ, liberatoriæ ab eo, qui debitum remittere potest: & ab alio in Ecclesiæ, Monasterii, vel alterius piæ, aut specialiter favorabilis causæ favorem &c. adversariô absente, sed nullâ causâ expressâ factæ, majorem quàm semiplenæ, ac proinde plenæ probationis vim adstruunt: &, quando ea sine causa & absente adversario facta est, aliquam saltem semiplenè probandi vim concedunt DD. apud *cit.* Mascard. *concluf. 345. à n. 36. & concl. 347. à n. 37.* ita factarum confessionum vim latè declarantem.

Dubium est de Confessione facta in 36.
testamento. Quam, si istud non revocatum & morte confirmatum sit: uti etiam à constituto in articulo mortis coram duobus legitimis testibus factam, & istorum attestationibus in judicio probatam, in præjudicium confessi, saltem si alterius liberationem spectet, puta, si Titius in testamento, vel in articulo mortis à Cajo sibi debitorum centum solutionem factam, vel debitum remissum, confiteatur, plenam fidem facere, à DD. hodie receptum est, cùm; quòd Jura ad liberandum prona: tum verò; quòd ab eo, qui in supremo vitæ articulo est constitutus, sicut etiam in Testamento, omnia seriò & sincerè agi: & nihil temerè in suum præjudicium asseri, præsumatur, *cit.* Mascard. *concluf. 359. n. 4.* Zoesius *in ff. ad hanc Rubric. n. 18.* Perez *ad eandem, C. n. 20.* & Pirrhing. *ad hanc Rubr. n. 39.*

37. An etiam, si hujusmodi confessio spectet obligationem, vg. si Titius à se Cajo centum deberi profiteatur, in ejus hæredum & creditorum præjudicium plenè probet, dubitandi ratio est; quòd in mortis articulo constituti assertioni in ipsius duntaxat, non etiam in tertii præjudicium credatur, *l. fin. C. de Conven. Fisci debiti.* Sed, licet propter hanc rationem plenè probandi & hæredibus aut creditoribus præjudicandi vis ejusmodi confessioni simplici, si obligationis, sive debiti causa non appareat, meritò negetur: in eorum tamen etiam præjudicium plenè probat Imprimis, quando debiti certa causa est expressa: &, istius expressionem errore factam probari non potest, *l. Lucius 93. §. 1. ff. de Legat. 3.* Deinde, si juramentô sit confirmata, vel saltem testator se jurâsse affirmârit; hujusmodi enim etiam confessionem propter jurisjurandi Religionem servandam, ex *l. Cùm quis 37. §. 5. ff. ibid. & l. Cùm Pater 77. §. 23. ff. de Legat. 2.* iidem desumunt. Et demum, si defunctus quædam injustè possessa, vel malè vg. fœnerando parta confiteatur, & in exonerationem conscientiæ suæ restitui jubeat; hujusmodi enim confessionem etiam non juratam, ex eáque, injustè detenta & malè comparata, tanquam aliena, restituenda, docent *citt.* Maranta *n. 13.* & Mascard. *Concl. 357. n. 13.* & alii passim.

38. Imò in ultima voluntate etiam simplex &, nullâ causâ expressâ vel apparente, facta debitorum vg. centum confessio, etsi debitum contra hæredes probandi vi non polleat, vim tamen habet legati aut fideicommissi; ut, si defunctus circa debitum errâsse non probetur, centum illa tanquam legatum aut fideicommissum peti possint, *l. Aurelius 28. §. fin. ff. de Liberat. Legat.* Cujusmodi legati vel fideicommissi potiùs, quàm debiti vim, an defuncti confessio habeat, illud præter alia interest; quòd centum, si ut legatum vel fideicommissum petantur, detractioni Falcidiæ vel Trebellianicæ obnoxia sint: non item, si ut debitum, illâ confessione probatum, exigantur, Robert. König *ad hanc Rubric. n. 3.*

Etsi verò hæc ita sint, confessio tamen in vim legati non valet; ac proinde, debiti causâ non apparente, ad solvendum non obligat, si personæ, cujus se debitorem confessus asseruit, testamentô aliquid relinquere Jure prohibitum sit, vg. si pater se filio spurio debere confiteatur; quòd confessio ista in fraudem legis facta videatur, *l. Cùm quis cit. §. 6. cit.* Zoesius *n. 23.* Multò minùs, &, sicut inter vivos, ita etiam in ultima voluntate & ipso mortis articulo facta confessio probandi vim habet in favorem ipsius confitentis, *l. Rationes 6. C. de Probat. citt.* Zoesius *n. 22.* & Perez *n. 29.*

Dubium secundò est, an, & quam 39
probandi vim in fori externi Judicio habeat confessio Sacramentalis. Dubitandi ratio est; quòd in uno judicio coram competente judice facta confessio, fidem faciat in alio, *can. Multi 18. V. Nos verò, 2. q. 1.* Sed textus iste expressè loquitur de confessione facta in judicio externo: cujus alia ratio est, quàm interni. Unde illô non attentô, eam, quæ in interno sive Conscientiæ foro facta, & sive alicujus clam auscultantis testificatione, sive sacerdotis sacrilegâ revelatione in judicium externum deducta est, probandi vim nullam habere: & ipsius etiam judicis pro tribunali sedentis auribus exceptam, ad confessi condemnationem, vel instituti adversus istum processûs promotionem, nulli usui esse posse, Orthodoxorum DD. unanimis & constans sensus, ratióque solida est partim; quòd ejusmodi confessio non fiat sacerdoti, ut homi-

homini: sed, ut Vicario Dei, *can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. & c. Si Sacerdos 2. de Offic. Ord.* partim verò; quòd, etsi confessio Sacramentalis vera esse præsumatur, hæc tamen veritas in foro externo adhiberi nequeat sine gravissimo præjudicio Sacramenti Pœnitentiæ: quod odiosum & onerosum redderetur fidelibus, si in eo solo intellecta sine expressa pœnitentis licentia ullo casu revelari, vel quandocunque revelata contra pœnitentem ulli usui esse possent. Unde

40. Dubium tertiò & in praxi non ita pridem agitata controversia est de confessionis Scheda. Quâ, eáque contentâ omnium totius vitæ criminum prolixa & distinctâ enarratione, in cubiculo rei apprehensi à justitiæ ministris repertâ, formatum in eum Inquisitionis processum adjuvari & promoveri posse, nonnulli, iisque graves viri existimârunt ex gemina ratione; una est; quòd ex Navarri *in can. Sacerdos cit. num. 8.* Henriquez *Summæ Lib. 6. cap. 20. n. 2.* Suarez *in 3. p. disp. 3 [illegible] 4. num. 5.* Coninck *disp. 9. de Sigillo dub. 3. in fine*, & aliorum magni nominis TT. Sententia, ejusmodi scriptura Sacramentalis confessio non sit: neque eam, sed præparatam duntaxat ejus materiam, contineat; ac proinde secreti solùm naturalis, & non majorem obligationem inducat, quàm contrahit, qui peccata audit ex ore pœnitentis, ea altâ voce ad confessionem se parando recolentis; quò modò cognita celanda volunt ex obligatione secreti solùm Naturalis, non adstringentis casu, quô agitur de bono & utilitate publica, quam in reum, aliunde graviter diffamatum, institutus Inquisitionis processus spectat, arg. *c. Ut fama 35. de Sent. Excommunic. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Altera; quòd anteactæ vitæ scelera à reo apprehenso alio, quàm ritè peragendæ Confessionis Sacramentalis fine conscribi: & conscripta ad impediendum, tricis implicandum, & calumniis obnoxium reddendum processum contra se formandæ Inquisitionis istius promotoribus malitiosè objici potuerit, & objecta videantur: quô modô conscriptam Confessionis schedam seu libellum supprimendi, eóque descripta flagitia celandi obligationem inventor majorem non habet, quàm alius, cui illa ex ipsiusmet rei, ejúsve complicum relatione innotuerunt.

Sed rationes istæ, quantamcunque vim præ se ferant, ejusmodi tamen peccatorum scriptam relationem ulli adversus scribentem usui in judicio esse, non evincunt; ut proinde, eam à cæteris in rei cubiculo repertis manuscriptis separandam, & ab Actis Judicialibus omnino rejiciendam, iteratò & meritò censuerint, super ea consulti, utriusque tam Theologici quàm Juridici Collegii Doctores & Antecessores, permoti etiam ipsi geminâ & solidâ ratione. 41.

Una est; quòd, etsi Navarri Opinio omnino probabilis, ejus tamen Assertorũ testimoniô, &, sive authoritas DD. sive ratio spectetur, non minùs probabile sit, ejusmodi scriptæ confessionis inventorem ad celanda, quæ eâ descripta [illegible] peccata, obligari vi secreti seu sigilli Sacramentalis; id enim cum Rodriquez *in Summa Tom. cap. 15. n. 4.* Toleto *Lib. 2. de Restit. cap. 4. n. 461.* Maldero *Tract. de Sigillo Conf. cap. 13.* & non paucis aliis TT. tam VV. quam RR. Fagundez *de Præcepto 2. Eccles. lib. 6. cap. 5. n. 16.* eam omnium rectè sententium Opinionem vocans, Diana *p. 3. tract. 5. Resol. 102.* & nuperrimè Matth. Stoz *Tribunal. Pœnit. Lib. 2. q. 4. n. 215.* defendunt, suadétque non contemnenda ratio; quòd propria peccata à reis, etsi absolutè loquendô valeant, vix unquam tamen, imò 42.

nunquam alio fine describi soleant, quàm, ut ad ritè peragendam Sacramentalem Confessionem memoria adjuvetur, ferè sicut, ad supplendum loquelæ defectum, id facere, cùm possunt, solent muti. Unde ejusmodi peccatorum à muto vel alio facta descriptio esse videtur quædam Confessionis inchoatio; cùm non tantùm contineat materiam illius remotam, ut Navarri Sectatores volunt: sed eorum quædam manifestatio sit, & quidem ex scribentis intentione unicè relata ad sui accusationem & Sacramentalem absolutionem: ideóque ea expressa peccata Sacramentali sigillô omnino affici videantur. Ex qua ratione & authoritate, cùm ejusmodi schedam ad sigillum Sacramentale pertinere valde probabile, ut contrariæ Opinionis Assertores ultro fatentur; ac proinde, an ejusmodi peccata ad sigillum hoc revera pertineant, dubium sit, laudati TT. & JCT.[i] etsi Negativæ non parùm tribuant in Theoria, in praxi tamen præferendam meritò censuerunt Affirmantiũ sententiam, propter reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ; ut fidelibus, ad quorum æternam salutem divinitùs institutũ est, ejus usus comendetur potiùs, quàm odiosus & onerosus reddatur.

43. Altera; quia etiam Navarri Sectatores ejusmodi Schedæ inventorem ad peccata, quæ eâ expressa sunt, celanda, etsi non Sacramentalis Sigilli, sed secreti solùm naturalis, tam arctô tamen vinculô adstringi volunt, ut ea extra casum exigentis non cujuscunque, sed, ut ex eorum mente Laiman. *Theolog Moral. Lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 19.* loquitur, maximæ necessitatis Reipublicæ, vel alicujus innocentis, cujus saluti aliter consuli non posset, manifestare non liceat; partim propter reverentiam Sacramenti, ad quod debitè suscipiendũ sunt descripta: partim verò; quòd ejusmodi schedæ ad scribentis non tantùm condemnationem, sed quodcunque præjudicium usu fideles admodum offendi, eúmque tanquam Sacramentalis secreti violationem apprehendere soleant.

Pro ejus usu allata facilè diluuntur. 44

Primum; quòd dictæ schedæ usus, vel omnino nullus secundùm Roderici: vel secundùm Navarri sententiam, eô duntaxat casu, usus sit, quô vel Reipublicæ necessitati vel innocentis graviter periclitantis saluti consuli aliter non potest: cujusmodi non est formatio & promotio Processûs, spectantis unius vel plurium reorum condemnationem; cùm utique unum vel plures nocentes mitioti, quàm eorum crimina legitimè probata mereantur, pœnâ affici, aut omnino absolvi minùs malum sit, quàm violatio sigilli Sacramentalis, imò solùm istius violandi periculum, quòd propter posterioris sententiæ probabilitatem ejusmodi schedæ usu incurritur; vel, quòd eâ utendi licentia Fideles offendantur, & quotidie necessarii Sacramenti usus difficilior reddatur.

Alterum; quòd, cùm schedam illam aliô, quàm Sacramentalis confessionis rectè peragendæ, fine conscriptam, vel inquisitionis promotori malitiosè objectam, non constet ex specie facti, eam non aliô, quàm confessionis, intuitu conscriptam pro certo debeat haberi; cùm ex millenis vix una, imò nec una quidem aliô fine conscribatur.

Confirmantur ista paritate cum scriptura, quâ superiori oblatâ petitur facultas absolvendi à reservatis; cùm enim ista legentes obliget sub sigillo ex mente Card. Lugo *de Pœnit. Disp. 23. n. 49.* sub isto etiam obligabit schedæ eô fine exarata; ut peccata meliùs exponantur sacerdoti ad obtinendam ab eo Sacramentalem absolutionem.

TITU-

TITVLVS XIX.

De Probationibus.

REô non confitente, intentionis suæ probatio exigitur ab Actore: in qua, si deficiat, reus absolvitur, *c. fin. §. Sane, de Jurejurando*; quòd non probata pro non gestis & non existentibus habeantur, *l. In lege 77. ff. de Contrab. empt.* Jure non tam deficiente, quàm non apparente, *arg. l. Sunt duo 30. ff. de Testam. tut.*

ARTICULUS I.

De Probatione in genere.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Probationis:*
2. *Qua plerumque de facto,*
3. *Eóque dubio seu judici non manifesto est.*
4. *Dividitur in Artificialem & Inartificialem:*
5. *In judicialem & Extrajudicialem:*
6. *Plenam & Semiplenam.*
7. *Harum duæ unam plenam non faciunt.*
8. *Nisi in Civilibus & non-arduis causis.*
9. *Probare Actor:*
10. *Imò & Reus, in actoris præjudicium aliquid affirmans:*
11. *In judiciis Communibus,*
12. *Et retinendæ Possessorio uterque debet.*
13. *Probationem, qui negat, aliquando ultro,*
14. *Aliquando judicis præceptô subit:*
15. *Præsertim cùm contra ipsum pro adversario stat præsumptio Juris,*
16. *Aut hic est persona privilegiata.*
17. *Probari potest ac debet Negativa Juris,*
18. *Et qualitatis, quæ communiter & naturaliter inest:*
19. *Ulti & Negativa facti, si sit prægnans,*
20. *Vel ad circumstantias coarctata.*
21. *Non etiam si sit omnino indeterminata.*
22. *Pactum de non utendo certâ probatione,*
23. *Eique adjectum juramentum ferè nullum est.*

PRobationis nomen ambiguum est; aliquando enim alicuius rei experimentum, sive explorationem: aliquando de probitate sive rectitudine iudicium: aliquando veritatis, quæ in dubium vel controversiam vocatur, ostensionem significat. Postremô hôc, & in *Rubrica nostra* sensu, accepta probatio est Actus iudicialis, quô de re aut facto aliquo dubio & controverso per testes, instrumenta, aliáque idonea argumenta iudici fit fides. Ita eam *ad hanc*

1.

2.

Rubricam definiunt Hostiensis *in Summa*, *n.* 1. & Wesenbec. *in ff. hâc Rubr. n. 2. De facto*, inquam, & *Dubio*.

Prius; quia ea, quæ consistunt in facto, iudici ferè incognita sunt, nisi probentur, *c.* 1. *de Constitut. in 6.* Non ea, quæ sunt Juris; quia, ut vulgò loquuntur, Jus, cùm per se notum sit, non indiget probatione; cùm leges, ex quibus causæ decisio pendet, scire & secundùm eas pronuntiare, iudicem oporteat, etiamsi à litigantibus non allegentur: & ab his perperam allegatis se non accommodare, *arg. Rubr. & text. l. Unica C. Ut, quæ desunt advocatis, partium, iudex suppleat:* Nisi, ut hodie non infrequenter, aliquid esse negetur, aut à iudice ignoretur, ut plerúmque usuvenit in Jure non-scripto seu consuetudine; cùm enim hæc, saltem quoad introductionem suam, sit quid facti, *c.* 1. *cit.* atque etiam peritissimos latere possit, *l. In omni 2. ff. de J. & F. J.* si notoria non sit, ab allegante etiam ipsa probanda est, Menoch. *de Præsumpt. Lib. 2. præs. 8. n. 7.* Mascardus *de Probat. conclus. 423. n. 24.* & aliis relatis Barbosa *in c. Cùm dilectus 8. de Consuet. n. 16.*

3. Posterius sive *de Dubio*; quia manifesta non indigent probatione, *cap. Manifesta, 2. q.* 1. saltem ipsi iudici. Non etiam, si manifesta sint soli litiganti; quia huic id, de cuius probatione laborat, manifestum esse posse, liquet ex *l. Cives* 11. *C. de Appellat.* quâ his appellandũ asseritur, ut ad manifestarũ excusationũ probationem admittantur: & ex usu quotidiano, quô à litigantibus sæpe, ad fidem de facto proprio faciendam, produci testes, edi instrumenta, juramenta præstari, videmus. Quin aliquando adstringitur ad probationem facti, ipsi etiam judici manifesti, si huic id, non ex allegatis & in judicio probatis, sed privatim innotuit & adversa pars inficietur, Perez *in C. de Probat. n.* 1. & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n.* 8. sic declarata.

Probatio imprimis, secundùm Aristotelem *in Topicis* alia Artificialis est, quæ arte & industriâ probantis comparatur: ut sunt quæcunque ex ipsa causa & facti circumstantiis desumptæ demonstrationes & præsumptiones: Alia Inartificialis, quam probans ad fidem faciendam extrinsecùs assumit: ut sunt testes, instrumenta, jusjurandum. 4.

Deinde, alia Judicialis, alia Extrajudicialis: quarum illa post litis contestationem in ipso judicii processu: ista extra litem & ante istius in iure contestationem fit, vg. cùm ad perpetuam rei memoriam, aut ne testium morte, absentiâ oblivione probationis copia pereat, illâ non contestatâ, eorum depositiones recipiuntur, juxta dicta *Tit. 6. à n.* 15. 5.

Demum, celeberrimâ apud DD. & in Scholis Foróque usu receptâ partitione, Probatio alia Plena est, alia Semiplena. 6.

Plena & perfecta dicitur, quâ de re controversa tanta fides judici fit, ut eâ solâ instructus controversiam definire & pro probante sententiam ferre possit. Cujusmodi probationes sunt Confessio Judicialis, ad præcedentem *Rubricam* explicata: quæ, quia vi sua cæteras probationes superat, probatio Probatissima & Plenissima vocari solet: licet reipsa à probandi onere relevatio potiùs, quàm vera probatio sit, ut *ad hanc Rubric* notat Decius *n.* 4. & Jason *in l. Cùm te 5. C. de Transact. n.* 10. Evidentia facti, sive hanc inducens inspectio ocularis, de qua infra sermo redibit. Testimonium duorum, sive super uno eodémque articulo consentiens depositio duorum testium, omni exceptione majorum: Instrumentum publicum, & huic quoad probandi vim æquiparata Scriptura Authentica: Præsumptio

sumptio Juris & de Jure, & quandoque etiam aliæ: Juramentum, quod à parte litigante sibi delatum pars adversa præstat: quas quatuor plenæ probationis species declarabimus ad totidem *Rubricas* sequentes.

Semiplena sive imperfecta probatio est, quæ, licet de ejusmodi re aliquam, tantam tamen fidem non facit; ut iudex ex ea sola controversiam definire & pro probante pronuntiare possit. Cuiusmodi probatio est Confessio extraiudicialis, præsente adversariô, sed obligationis causâ non expressâ: vel parte adversa quidem absente, sed illius causâ expressâ facta, duorúmque testimonio in iudicio probata, iuxta dicta *Tit. præcedenti, n. 34.* Huiusmodi sive semiplenæ probationes etiam sunt Depositio unius legitimi sive omni exceptione majoris testis, vel etiam eiusmodi plurium quidem, sed singularium, & duorum, imò aliquando plurium testium non legitimorum, sive omni exceptione non maiorum: Instrumentum sive scriptura privata: Juramentum, quod suppletorium nuncupatur: Præsumptio verisimilis sive probabilis, de quibus ad quatuor *Rubricas sequentes*: Fama, de qua præsenti agemus *à n. 31.*

7. Dubium nunc primò est, an duæ probationes diversi ordinis, vg. unus legitimus testis cum fama publica, scriptura privata cum iuramento, faciant unam plenam. Non facere in causis arduis, ut sunt Criminales, quibus de hominis vita & membris, aut alia valde gravi pœna infligenda: & Matrimoniales, quibus ad matrimonii dissolutionem agitur, satis est receptum; quòd in his propter maximum præjudicium, quod sententia condemnatoria affert, omnino liquidæ & ipsâ luce meridianâ clariores probationes exigantur, ut reus condemnetur, *l. fin. C. hic*, Glossa *in c. Veniens 10. V. Illorum, de Test. & atteſt. ubi* Panorm. *n. 8.* Clarus *§. fin. q. 21. n. 1.* & Menochius *Lib. 1. præsumpt. 98. n. 1.*

An autem unam plenam faciant in 8.
Civilibus & minùs arduis causis, dubitandi ratio est; quòd duo imperfecta non faciant unum perfectum. Sed ratio hæc levis est; quia plura imperfecta unum perfectum constituere possunt, quando ad unum eundémque finem, ut paries & tectum ad unam domum perficiendam, conferunt & tendunt. Cùm ergo unius legitimi testis depositio simul & fama publica, scriptura privata & jusjurandum, quando unam eandémque rem ostendunt, de eâque fidem faciunt, ad unum finem tendant, in Civilibus, & Criminalibus etiam, quibus de pecuniaria, aut alia non gravi pœna infligenda agitur: imò etiam in aliis causis, quæ valde difficilis probationis sunt, plenam fidem judici faciunt de re, quam litigantium alter affirmat; ut adeò locus sit trito, *Quæ non probant singula, plura juvant*, Glossa *in c. Cùm causam 13. V. Adminicula, ubi* Panormit. *n 2.* Felinus *n. 10.* & *cit.* Menoch. *Præsumpt. 41. à n. 1.*

Dubium secundò est, cui incumbat 9.
onus probandi. Videri enim primô intuitu potest, solius actoris, si litem obtinere velit, esse, probare suam intentionem & causam, ex qua agit, puta dominium vel quasi, aut jus in re, si Reali: vel, si Personali actione reum conveniat, istius obligationem & contractum vel quasi, delictum vel quasi, ex quo obligatio & agendi ius est ortum, *l. Frustra 8. & l. Actor 23. C. hâc Rubr.* cùm generale sit, actore non probante, reũ, etsi nihil præstiterit, absolvendum *§. Sane cit l. Accusare 4. C. de Edendo & l. fin. C. de R. V.* Verùm esto hoc ita sit,

Regulæ tamen instar à DD. tradi solet, in quibuscunque, tam Civilibus, quàm Criminalibus causis, probandi onus incumbere

cumbere illi, qui circa rem controversam & in judicium deductam, in alterius præjudicium aliquid asseverat, *l. Ei incumbit 2.* junctâ Glossâ *V. Eodem, ff. hîc.* Actori, quando se fundat in aliquo facto, quod reus negat, vg. donationem, legatum, cùm rei dominium donatione vel legatô quæsitum asserit: numerationem pecuniæ, cùm ex mutuo agit: homicidium, cùm ex eo crimine ad vindictam publicam agit, vel proprium interesse
10. persequitur. Reo, cùm actori exceptionem opponendô, aliquid, quod iste negat, vg. instrumentum donationis falsum, aut nullum esse testamentum, quô res donata dicitur vel legata: solutam pecuniam, quæ ex contractu debita erat: eum, qui occisus est, fuisse aggressorem, *l. 1. l. In exceptionibus 19. ff. hîc*, ubi propterea reus, affirmativam exceptionem opponens, quoad eam pro actore habetur, Speculat. *Tit. de Probat. §. 1. n. 10.* Mascard. *de Probat. Proem. q. 17. n. 5.* & Haunold. *tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 24.*

Neque cum his pugnat; quòd reus probandi onere non adstringi asseratur, *l. Actor cit.* quia hoc verum est de eo, quatenus est reus: non etiam, quatenus est actor: cujus rationem habere incipit, quando actori vg. donationem, legatum, pecuniæ numerationem, cædem probanti, ad elidendam ejus intentionem & suam defensionem excipiendô, instrumentum vel testamentum nullitatis arguit aut falsitatis: vel pecuniam solutam: aut, qui occisus est, aggressorem fuisse, asseverat, *l. 1. & l. In exceptionibus citt.* Perez *in C. hîc, n. 8.* & Haunold. *l. cit. n. 26.*

11. Ob eandem rationem in Communibus, sive, *ut §. Tertia 7. V. Duplicia Instit. de Interdict.* vocantur, Duplicibus judiciis, cujusmodi sunt *Familiæ herciscundæ, Communi dividundo* & *Finium regundorum*, probandi onus incumbit utrique, actori & reo, *c. Ex literis 3. & l. Inter 44. §. 4. ff. Famil. herciscund.* cùm enim in his judiciis uterque adversus alterum hæreditatis aut rei communis partem aliquam sibi dari, vel confinium agrorum terminos, si moti, seu mutati fuerunt, reponi, aut, si nunquâ constituti sunt, de novo poni petat: & conveniat simul atque conveniatur, sive actor & reus sit uterque, probandi onus Jure imponitur utrique, eô tamen discrimine; quòd is, qui prior ad judicem provocavit, sicut jurare de calumnia, sic etiam probationes suas tanquam principalis actor priùs debeat afferre, per text. & Glossâ *in l. In tribus 13. V. Videri actorem, ff. de Judiciis, ubi* aliis DD. relatis Bruneman. *n. 2.* ne aliàs causæ & processûs confusio oriatur.

Simili modô, cùm *Uti possidetis*, sive 12
retinendæ possessio Inisnterdictum intentatur; quòd eandem rem in solidum à se possideri, litigantium uterque contendat, & in ea pacificè conservari petat; ac proinde actor & reus uterque sit, probatio eôdem ordine ab utroque exigitur, *c. Licet 9. hîc*, Pacianus *de Probat. Lib. 1. cap. 60. n. 11.*

Regula tamen ista non unam pati- 13
tur exceptionem, & casus, quibus aliquid affirmans probandi onus in adversarium transfert: & Imprimis quidem, si reus negans juris sui fiduciâ id ultro subeat, Glossa *in can. Accusator 2. V. Eodem, q. 4. §.* & Speculat. *cit. §. 1. n. 12.* cùm juri suo valeat renuntiare, *c. 1. de Restit. Spoliat. & l. Circa eum 14. V. Si quis autem. ff. hîc.* Quô tamen casu, si in probatione reus defecerit, non eô ipsô condemnandus, sed potiùs absolvendus est, si in ea defecerit actor, ex generali Regula, quâ *Actore non probante reus, etiamsi nihil præstiterit, absolvitur, §. Sanè cit.* cui reus, ad probationem se offerens, renuntiare non censetur,

ſetur, niſi ad amiſſionem cauſæ expreſsè ſe obligârit, Gloſſa in *l. Circa cit. V. Juris*, Innocentius *in c. Ex conqueſtione 10. de Reſtit. Spoliat. n. 3.* & *cit.* Pacianus *cap. 69. n. 3. & 4.*

14. Secundò, ſi aliquid aſſeverantis adverſario probandi onus ex juſta cauſa imponat judex, propter ſufficientis probationis inopiam ipſi deferens juramentum, quod Suppletorium nuncupatur, & ab eo delatum reus ſi referre nolit, ſuſcipere debet, *l. Manifeſtæ 38. ff. de Jurejurando*, & præſtitum probationis locô habetur: vel Purgationis, quod à reo criminis indiciis prægravatô recuſari, quin illius reus habeatur, non poteſt, *cit.* Speculat. *n.* 12. Præſtitum autem criminis acculationem, & ex iſta ortam infamiam tollit, *can. Habet*, 12. *q. 5. & c. Ex tuarum 8. de Purgat. Canon.* ut *ad hanc Rubric. à n.* 1. pleniùs tradetur.

15. Tertiò, ſi vg. pro actore, in adverſarii præjudicium aliquid affirmante, ſtet præſumptio Juris; quia hujus ea vis eſt, ut eum, pro quo militat, à probandi onere relevet, & hoc transferat in adverſarium, contra quem præſumptio eſt, textus & Gloſſa, *in c. Unic. V. Actore non probante, Ut Benef. ſine diminut. l. Generaliter 24. §. 8. in fine, ff. de fideicommiſſ. libert. & l. fin. pr. ff. Quod metûs cauſâ*, quâ contra hujusmodi præſumptionem apertiſſimæ probationes exiguntur. Sic enim Parochus, decimas ex prædiis, intra Parochiæ ſuæ fines ſitis, tanquam ſibi debitas petens; & Epiſcopus, Eccleſiam vel Monaſterium, intra ſuam diœceſin ſita, ſibi ſubjecta affirmans, probandi onus rejiciunt in adverſarium, hæc Epiſcopo ſubjecta, & illas Parocho debitas negantem, propter præſumptionem Juris, pro Parocho & Epiſcopo militantis, *c. Cùm dilectus 8. de Relig. domib. & c. Ad decimas 2. de Reſtit. Spoliat. in 6.* Sic, quamvis pecuniam indebitè ſolutam aſſerens; quòd ea indebita fuerit, probare debeat, caſu tamen, quô eam ſolutam reus conventus negat, & actor probat, propter præſumptionem inde ortam, & pro iſto contra reum militantem, huic eam ſibi debitam, & non actori, eam indebitam fuiſſe, probandi onus incumbit, *l. Cum de indebito 25. ff. hic.* Sic etiam mulier ea, quæ conſtante matrimoniô acquiſivit, à marito profecta negans, id probare debet, propter favorem Juris, ea ex mariti bonis quæſita, præſumentis, *l. Quintus 51. ff. de Donat. inter vir. & ux. citt.* Gloſſa, Speculat. *n.* 11. & Pacianus *cap. 8. n.* 1.

16. Quartò, ſi actor ſit perſona privilegiata, vg. pupillus, minor, mulier, miles, agricola, aut alius ſimplex & rerum forenſium imperitus; & indebitum ſolutum queratur ac repetat, non id indebitum hujusmodi perſona, ſed is, cui ſolutio facta eſt, quod accepit, ſibi debitum fuiſſe, probare debet, *l. Cùm de indebito cit.* §. 1. Menoch. *de Arbitr. caſu 104. à n.* 41. & Haunold. *cit. Tract. 4. n. 28.* Eôdem modô minor, ſi à rei immobilis venditione majori factâ recedere volens prætendat, non interveniſſe decretum judicis, hujus ſolennitatis, non ipſe defectum, ſed interventum probare major debet, *l. Quæcunque 13. §. fin. ff. de Publ. in rem act. ubi* Bruneman. *n.* 1. & *cit.* Haunold. *n. 29.* Ex dictis oritur

17. Dubium tertium, an ergo probari poſſint negationes. Ratio dubitandi eſt; quia non entis nullæ ſunt cauſæ, differentiæ, proprietates & qualitates: ex quibus, ſicut definitiones, ita etiam probationes deſumuntur: propter quam cauſam, factum negantis per rerum naturam nulla probatio eſſe dicitur, *l. Actor 23. C. hic & c. Bona 23. de Elect.* Cui rationi ne nihil aut nimium tribuatur, cum Gloſſa in *c. cit. V. Per rerum naturam & in l.*

Ei incumbit cit. V. Eôdem, inter tres Juris, Qualitatis & Facti negationes est distinguendum: quarum

Prima sive negativa Juris, quâ aliquid Jure fieri posse, aut factum, vg. aliquem in judicio stare, alienare, vel testari posse: vel clericum, aut rite ordinatum: Religiosum, aut validè professum: Electionem canonicam: alienationem, vel testamentum validum esse, negatur, ab eo, qui eam proponit, probari potest ac debet, *l. Ab ea parte 5. ff. hîc, citt.* Speculat. *n. 6.* & Pacian. *cap. 36. n. 27.* partim; quia negans, aliquid Jure fieri, factúmve, implicitè aliquid affirmat, scilicet Juris prohibitionem, Gloss. *cit.* partim; quia, quæ sunt de genere communiter permissorum, licita & legitimè facta esse præsumuntur, donec contrarium appareat, vel probetur. Secus est in iis, quæ sunt de genere generaliter prohibitorum, ut vg. homicidium; hoc enim licitè factum negans, non ipse: sed, quo Jure permissum sit, ostendere ipsius adversarius debet, ut cum Cyno in *l. Actor cit.* & aliis rectè monet *cit.* Pacian. *n. 28.*

18. Altera sive negativa Qualitatis, quæ homini communiter & naturaliter inest, vg. aliquem mentis compotem, legitimum, sobrium, pacificum, probum, ad coitum potentem esse, probari potest ac debet ab eo, qui eam allegat, & intentionem suam fundat in ejus negatione, *arg. l. Ex persona 3. C. hîc*; quia qualitas, quæ communiter & naturaliter inest, homini adesse à Jure semper præsumitur, nisi contrarium probetur, Gloss. *in c. Si forte, 11. V. Scientia, de Elect. in 6. citt.* Speculat. *n. 7.* & Pacian. *n. 24.* Alia ratio est qualitatis, quæ accidentaliter & non communiter inest, vg. aliquem Nobilem, sacræ Theologiæ, aut Jurium Doctorem esse; istius enim, cùm de promotione, vel admissione agitur, non negativa, sed affirmativa propositio probanda est ab allegante; quòd, si non probetur, adesse non præsumatur *arg. l. Magistros 7. C. de Profess. & l. Unica C. de Prof. Urb. Constant.* Glossa *cit.* Innocent. *in c. fin. de Præsumpt. n. 3. & 6. & ibi* Baldus *n. 11. De promovendo*, inquam; quia, si de eo, qui promotus, aut ad collegium, vel munus admissus jam fuit, removendo ageretur, ejusmodi etiam qualitatis negatio probanda esset; quòd admissus sit in ejus possessione, probandi onus in adversarium transferente, Baldus *cit. n. 11.* & Pacian. *num. 32.*

Tertia, sive negativa Facti, quâ aliquid factum negatur, vel est prægnans: vel coarctata, hoc est, ad loci, temporis & similes circumstantias determinata: vel omnino indeterminata. Quarum prima, sive prægnans dicitur, quòd implicite in se contineat propositionem affirmativam, ut, si quis neget, se liberè matrimonium contraxisse, sponte renuntiâsse beneficio, testatorem sanæ mentis fuisse, in potestate patris esse; hæc enim negans implicitè vim metúmve, furorem, emancipationem affirmat: quæ probari possunt & debent à proponente, *c. Super hoc 5. de Renuntiat. c. fin. V. Nos causam, de Success. ab intest. l. Si filius 8. ff. hîc*, Glossa *in c. fin. cit. V. Compotem, citt.* Speculat. *n. 3.* & Pacianus *cap. 36. à n. 19.* Altera, sive ad circumstantias, in quibus factum negatur, coarctata & determinata &c. à reo, vg. contractum Augustæ celebratum, vel homicidium ibi perpetratum, negante, probari potest saltem indirectè, vg. per testes asseverantes, eum tempore, quo contractus initus, vel homicidium perpetratum Augustæ dicitur, alibi vg. Viennæ fuisse, deponentes, *c. Ex tenore 35. de Test. & atteſt. & l. Optimam 14. V. Ejs inter, C. de Contrab. Stipul.* Glossa *in c. Bona & V. cit.* ubi Panormit. *n. 13. cit.*

Speculat.

Speculat. *n.* 3. & Pacian. *cap.* 37. *n.* 24.

21. Tertiam, sive negativam omnino indeterminatam & puram, vg. mutuum non accepi, non occidi, non sum citatus, hôc ipsô, quòd sub sensus cadere nequeat, per testes aut instrumenta probari non posse, evincit ratio dubitandi adeó; ut testem, qui de pura negativa deponere præsumeret, tanquam falsum, aut de falsitate suspectum, repellendum, velint Panormit. *in c. Cùm Ecclesia 3. de Causa possess. & propr. n. 19.* & Baldus *ibid. n. 7.* Fides tamen de ejusmodi negativa fieri potest per confessionem, *c. 1. de Confess. in 6.* vel jusjurandum ipsius negantis, *c. Quoties 5. de Simonia*, vel per præsumptiones, quod verè negârit, *c. Tertiò 5. hic*, Panormit. *in c. Bonæ cit. n. 13. & ibi* Laiman. *n. 9.*

22. Dubium quartò, & occasione pactorum nuptialium, magnâ partium contentione agitata controversia quondam fuit de valore pacti, non utendi certô genere probationum sive; ut vg. in aureorum annulorum, torquium & aliorum cimeliorum, ab uno conjuge alteri datorum, repetitione, solutô matrimoniô, non aliam, quàm, quæ per instrumenta, vg. inventarium fit, probationem adhibendi. Quod pactum, si ita initum sit, ut superstes illa duntaxat restituere teneatur, quæ in inventario sunt descripta, mihi, salvô meliori judiciô, valere: & ea, quæ in inventario expressa non sunt, superstiti relicta videntur per donationem morte confirmatam.

23. Si autem superstes vi ejusmodi pacti ad omnia, quæ accepit, restituenda obligetur, pactum adversus eum solâ probatione per instrumentum, aliis probationibus vg. testibus, qui de re plenam fidem facere possent, non admissis, utendi invalidum, cum Speculat. *cit.* §. *6. n. 4.* unô ore pronuntiant DD. teste Fagnano *in c. Sicut 2. hic n. 15.* quòd bonis moribus adversetur, & difficiliorem reddat rerum, vg. acceptarum & restitutioni obnoxiarum, probationẽ atque injustã earum retentionem expeditiorem. Juramentum autem, hujusmodi pacto adjectum, illicitum quidem, sed de re licita, ac proinde instar ejus, quod de usuris solvendis fœneratori præstatur, obligatorium esse, *arg. c. Debitores 6. de Jurejurando* contra *cit.* Fagnanum *n. 16.* defendit Haunold. *cit. Tract. 4. n. 74.* quòd, cùm tale juramentum sine peccato & tertii præjudicio valeat observari, in eo locum habeat Regula *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.*

Mihi cum laudato Fagnano, sicut pactum simplex, ita etiam adjectum ipsi juramentum viribus carere, omnino videtur; quòd bonis moribus & bono publico adversetur, cùm; quia ad rei, restitutioni obnoxiæ, injustam retentionem faciliorem reddendam tendit: quod contra bonos mores non minùs est, quàm remissio actionis doli aut furti committendi in aliena administratione: quæ sicut viribus caret, *l. Si unus 27. §. 3. & 4. ff. & l. Pacta 6. C. de Pactis*, ita irritum est adjectum ipsi firmandæ juramentum, per *Reg. Non est obligatorium 58. in 6. & arg. c. Quemadmodum 25. §. Illud, de Jurejurando*, tum verè; quia, sicut pactum simplex, sic adjectum ipsi juramentum spectat occultationem veritatis, quam in judicio elici publicè interest, *arg. c. Caterum 5. de Juram. calumn.* publicæ autem utilitati adversantia pacta, etiam jurata, irrita sunt, *l. Jus publicum 38. ff. de Pactis & c. Si diligenti 12. de Foro compet.* Unde in contrarium allata corruunt, & ejusmodi pacto ac jurejurando non obstante, cùm deficiunt instrumenta, ea, quæ accepta & restitutioni obnoxia sunt, aliis legitimis probationibus, vg. testium non tantùm quin-

que, juxta *l. Testium 18. C. de Testib.* & concedit Haunold. *n. 79.* sed etiam duorum vel trium, omni exceptione maiorum, depositionibus ostendi possunt.

ARTICULUS II.
De Probatione per Inspectionem ocularem.

SUMMARIUM.

24. *Frequens in Judiciis usus est hujus inspectionis:*
25. *Quæ peragenda est authoritate judiciali,*
26. *Citatis partibus, & plerumque adhibitis aliis personis.*
27. *Ritè peracta optima probatio est.*
28. *Humani corporis inspectio fere indecora est, & sæpe fallax.*
29. *In causis tamen Matrimonialibus aliquando adhibenda est,*
30. *Sive Jus, sive ratio spectetur.*

24. AD causarum in judicium deductarum expeditionem non rarò adhibetur, & sæpe plurimùm confert Inspectio rei ocularis & Fama: quarum proinde specialem generali Probationum explicationi subijcere, &, Decretalibus proposito earum quaternario præmittere juvabit.

Inspectio itaque ocularis est Probatio, quâ per ipsam rei, in aut extra judicii locum oculis subjectæ, intuitionem de re dubia & controversa judici fit fides; sic enim, cum cædium, aut vulnerationum causæ in judicium veniunt: cùm, ob novi ædificii structuram, aut veteris immutationem, novi operis nuntiatio fit, aut à ruinosis vicini propriis ædibus damnum timetur, istiúsque infecti petitur cautio; cùm de fundi, Parochiæ, oppidi, territorii finibus, seu limitibus inter aliquos contentio est: cùm, ob conjugum alterius impotentiam, ad matrimonii dissolutionem agitur &c. ad ocularem inspectionem, tanquam veritatis investigandæ, viam cæteris expeditiorem, & aliquando omnino necessariam, recurri solet.

25. Ea autem, ut ad causæ definitionem proficiat, peragenda Imprimis est à judice competente, per se, vel per aliam idoneam personam, quæ ipsius vices gerat, adhibitô judicii notariô. Deinde, 26. citatis partibus litigantibus: quibus etiam priùs auditis plerumque decernitur; quia de Jure ad actum vocandi sunt omnes, quorum interest, *l. De unoquoque 47. pr. ff. de Re judic.* partium autem, inter quas controversia, ocularis inspectionis auxiliô decidenda, vertitur, utriusque, ei præsentem esse ad causæ suæ tuitionem, plerumque interest. Nisi tamen judex, ejusmodi inspectionem tantùm suscipiat ad se informandum instruendúmque; tali enim casu partis citationem non necessariam, cum Felino *in c. In nomine 2. de Test. & attest. n. 2.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Citatione, n. 20.* tradit Gaill. *Lib. 1. observat. 26. n. 10.* Demum, adhibendæ ad eam plerumque sunt aliæ personæ, ut aliquando testes, ad rem judicis oculis & accuratiori examini declaratione aliqua subjicienda, à parte litigante producti: rei specialiter periti, puta medici & chirurgi, ad cadaveris & vulneris, obstetrices & aliæ honestæ matronæ ad muliebris corporis, architecti ad ruinosi ædificii aut novi operis, agrimensores ad fundorum & limitum controversorum inspectionem &c. iisque, de eo, quod verum esse cognoverint, sincerè edicendo, deferendum est iuramentum: nisi hoc generaliter præstitissent in officii susceptione, aut e-

aut ejus, quam profitentur Artis, ut loquimur, jurati sint Magistri, Engel *ad hanc Rubric. n.* 12.

27. Ita factam inspectionem ocularem, ex eáque ortam facti evidentiam aliqui, perinde ut judicialem confessionem, è propriè dictarum probationum numero eliminant; quòd etiam ipsa non minùs, quàm ista, probandi onere relevet; cum judicis oculis subijciat ipsam veritatem, ad quam manifestandam probatio in judicio exigitur & adhibetur. Alii verò, eam non solùm probationem esse, ajunt, sed optimo cuique istarum generi accensent: imò probationum omnium validissimam, uno ore pronuntiant, arg. *l. Si irruptione 8. in fine ff. Fin. regund. & l. Pediculi 32. §. 5. ff. de Auro & arg. legato*, Gaill. *cit. observat. 26. n. 9.* quòd etiam, cùm lege vel statuto aliæ probationes non admittuntur, ex facti evidentia & oculari inspectione desumpta demonstratio non reijciatur, ut cum Baldo ac Saliceto *in l. Si quis* 17. *C. de Testibus* tradunt Mascardus *de Probat. Proem. q. 8. n. 9.* & sententiam, de cujus iniquitate per facti evidentiam constat, in rem judicatam non transire, cum eodem Baldo *in l.* 1. *C. Sent. restindi non posse*, idem notat *num.* 16.

28. Oculari hac inspectione facti seu rei evidentia frequenter, non tamen semper obtinetur; quòd sæpè fallatur oculus, & ejus, quæ investigatur, veritatis certa indicia desiderentur; ut ad plenam de re fidem judici faciendam & ferendam sententiam circumspectione maxima & aliunde adscitis argumentis sit opus; ne fallentis oculi judiciò deceptus, quam non satis providè tulit, se postea prodente & comperta veritate, retractare compellatur. Ubi

Dubium est, an ad matrimonialis causæ faciliorem definitionē humani corporis inspectionem liceat adhibere. Ratio dubitandi est; quòd tales inspectiones non solùm indecoræ, sed dubiæ quoque & incertæ, sæpéque fefelliſse deprehensæ sint, juxta illud S. Cypriani, *Nec aliqua putet, se hac excusatione posse defendi, quòd inspici & probari possit, an virgo sit; cùm & oculus & manus obstetricum sæpe fallantur, can. Nec aliqua, 27. q.* 1. ut non immeritò Syagrius Episcopus, quòd Virginis inspectionem fieri jussisset, à S. Ambrosio acerba correptione fuerit reprehensus, *Lib. 8. Epist. 68.*

Ratio hæc, ad inspectionem illam non facilè deveniendum, omnino persuadet. Ejus tamen usum non aliquando licitum, aut necessarium, non evincit; cùm, licet ei locus non sit, quando impotentiæ signa omnino evidentia certáque, aut saltem verisimilia habentur: neque etiam statim, quando ea sunt dubia; quia his casibus aliquando matrimonium sine ulla alia probatione dissolvendum: aliquando rei veritas delatione juramenti, aut huic accedente triennalis cohabitationis experimentô investiganda est, juxta formam, *c. Laudabilem 5. de Frigid. & malef.* præscriptam & declarandam *Lib. 4. Tit.* 15. *à n. 49.*

29. Ei tamen locus, imò eâ aliquando opus est, quando, cohabitationis & experientiæ triennio exactô, unius impotentiam alter negat, alter affirmat: vel fatetur quidem uterque, sed eam ex viri debilitate alióve defectu mulier, aut ex istius arctitudine provenire vir contendit; his enim casibus ejus, cujus impotentia dubia est, corporis inspectionem: si id muliebre, per obstetrices aliásve honestas matronas: si virile est, per medicos & chirurgos faciendam approbat Jus, *can. Quodsi, 27. q. 1. c. Fraternitatis 6. c. fin. de Frigid. & malef. c. Proposuisti 4. & c. Causam, 14. hîc:* quô & *can. Quod si cit.* textu ejusdem mulieris ite-

rata inspectio est præcepta. Ratio solida est; quia causæ, quibus de conjugio dissolvendo ob alterius impotentiam, & de ista probanda agitur, gravissimæ sunt, propter maximũ præjudicium & periculum animæ, quòd, præter alia haud sanè levia incommoda, matrimonii validè initi dissolutio, aut invalidi approbatio affert: & judicem obligat, ut, quâ veritas investigari & manifestari potest, diligentiam nullam omittat, ut *in c. fin. eit.* cum Glossa *fin.* Hostiensis *n.* 2. Panormit. *n.* 5. Alex. de Nevo *n.* 15. & Interpp. cæteris observant Brunellus *de Sponsal. conclus.* 28. *n.* 2. Pacianus *de Probat. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 28. & alii apud Sanchez *Lib.* 7. *de Matrim. disp.* 107. *n.* 1. rectè monentem, in matrimonii valore & nullitate investiganda, propter singularem negotii arduitatem, cautelam maximam & quascunque possibiles probationes adhibendas. Cùm ergo, an fæmineum corpus post diu continuatam experientiam integrum, violatúmve: an id, aut virile ad actus conjugales habile, aut secus, sive impotens sit, ejus inspectione & contrectatione etiam deprehendi sæpè possit, deficientibus, quæ rei veritatem patefaciant, probationibus aliis, ad obstetricum, medicorum, chirurgorum peritiam & explorationem recurrere, est necesse.

30. Neque in contrarium urget ratio dubitandi; quia inspectionis indecentiam tollit necessitas & periculum animarum, imminens ex conjugii non satis circumspecta dissolutione, approbationéve: &, licet medicorum peritia, obstetricum oculus, manúsque aliquando fallantur, earum tamen exploratione impotentiam frequenter detegi, & probabilia saltem ejus indicia deprehendi, communis DD. sensus & usus docet. S. Ambrosio, si contrarius sit, prævalet in contrarium allegati D. Cypriani aliorúmque PP. & SS. Pontificum Authoritas atque Ecclesiæ perpetua Praxis. Sed nec ipse adversatur, quia *l. cit.* de inspectione Monialis, non conjugis: eáque non ad impotentiam & ex ista provenientem matrimonii nullitatem detegendam, sed alio fine adhibita agit, Gonzalez *in c. Proposuisti cit. n.* 10.

ARTICULUS III.

De Probatione per Famam.

SUMMARIUM.

31. *Fama alia Hominis dicitur, alia Inter homines:*
32. *Qua, ut in dubio probet, ipsa probanda est,*
33. *Per duos testes legitimos,*
34. *De publico & communi sensu deponentes,*
35. *Vel per instrumenta.*
36. *In Criminalibus ferè neque ad panam, neque ad torturam:*
37. *Ad inquisitionem tamen & purgationem Canonicam sufficit.*
38. *In Civilibus plerumque probationis semiplenæ:*
39. *Aliquando istâ majorem,*
40. *Aliquando minorem vim habet.*

FAma alia Hominis, alia Inter homines esse dicitur. Illa concernit & auget hominis honorem: &, si bona, opponitur infamiæ: si mala est, minuit existimationem, & infamem reddit. Ista, cùm de re aliqua inter homines est, de ea fidem, aliquando etiam in judicio, faciendi vim habet. Posteriori hôc sensu accepta 31.

Fama est Populi sive alicujus provinciæ vel loci hominum commune, constans &

stans & publicum judicium, & assertio de re aliqua, Speculat. *Tit. de Notor. crim. §. 3. in Addit ad n. 1.* cui affinis est Rumor, sive de re aliqua opinio & sermo: non communis, ut Fama: sed particularis sive paucorum. Idem *§. 4.* & Jordan. Lucubrat. *Lib. 14. Tit. 17. n. 117.*

32. Ut fama fidem in judicio faciat, non allegari duntaxat, sed & probari debet, & potest per testes: de quorum numero & qualitate DD. variè admodum sentiunt & loquuntur. Frequentiori tamen eo-
33. rum calculô receptum est. Primò, eam per duos testes legitimè probari; quòd, licet inducatur communi & publicâ assertione plurimorum, de istorum tamen assertione perinde ut, quod instrumentum plurium testium subscriptione, & sigillis munitum fuerit, duorum testimoniô judici plena fides fieri possit, Haunold. *Tom.*
34. *5. de J. & J. tract. 3. n. 333.* Secundò, de ea testimonium perhibentibus deponendum esse, se id, de cujus fama deponunt, audivisse dici publicè & communiter, hoc est, à majori parte populi: neque, saltē in magni momenti negotiis & causis, sufficere, si deponendô solumodo asserant, se id audivisse publicè, vel se ab aliquibus, hanc famam esse, audivisse; quia testes allegare debent scientiæ suæ causam: quæ est sermo de re aut facto publicus & communis, hoc est, majoris partis communitatis. Contrarium tamen, & sufficere, si testes deponant, id à se auditum publicè & à multis asserentibus id communiter, sive à majori parte asseri & credi, sustinet Baldus *in c. Literas 14. hîc, num. 2.* cujus hac de re Opinio sectatores non paucos habet, & Romanæ aliarúmque Curiarum praxi observatur, ut varii testantur apud *eit.* Mascard. *Conclus. 750.* Tertiò, in rebus minoris præjudicii ac momenti: uti & in factis antiquis, quæ hominis ætatem ac memoriam excedunt, deponentes, dicti sui causam sufficientem reddere censeri, si asserant, se à majoribus suis intellexisse, de iis publicum & communem populi sensum ac sermonem fuisse; quia in talibus minus accuratæ probationes admittuntur. Quartò, ab ipsis, saltem si à judice interrogentur, aliquas honestas ac providas personas nominatim: cæteras autem saltem generatim exprimi oportere, post aliquas nominatas addendô, se id ab aliis quoque audivisse. Quintò, de ea deponentium testificationes esse debere concordes: nec sufficere, si variæ & contrariæ sint, &, quod aliqui affirmant, alii inficientur; quales tamen & sibi adversari non censentur depositiones, quibus testium unus, se id ab his & illis nominatis, alius se id ab aliis nominatim expressis audivisse, asserunt; quia tales depositiones se mutuò adjuvant, ut fama, quam unius depositio sola semiplenè non probat; quòd de populi parte majori non deponat, ita probet juncta cum depositione alterius; quòd personæ ab utroque expressæ simul sumptæ constituant partem populi majorem. Qua de re latè Mascardus *cit. Conclus. tota*, Haunold. *cit. Tract. 4. à n. 333.* & Engel *ad hanc Rubric. à n. 14.*

35. Eadem fama etiam probatur per privilegia antiqua & instrumenta, per scripturas authenticas & literas virorum probatorum: non tamen unicas, sed plures & diversorum: nisi privilegium esset Papæ, aut alterius summi Principis, vel ejusmodi instrumentum super ipsa fama confectum fuisset, Mascard. *de Probat. conclus. 752. à num. 1* junctâ *Additione*, quâ fama hujusmodi per instrumentum meliùs, quàm per testes, dicitur probari.

36. Fama legitimè probata in causis Criminalibus nec plenæ, nec semiplenæ probationis vim habet, ad effectum pœnæ infligendæ; quòd ad hunc effectum liquidæ & luce cla-

luce clariores probationes exigantur, *l. fin. C. de Probat.* Solam etiam, si indiciis & adminiculis aliis non adjuvetur, aut valde vehemens non sit, ad personæ eâ gravatæ torturam non sufficere, Felini *in c. Veniens 10. de Test. & attest. n. 11.* Baldi *in l. Testium 3. ff. de Testib.* Clari §. *fin. q. 12. num. 1.*

37 & aliorum communis est doctrina. Non tamen etiam in hujusmodi causis omni caret effectu; cùm ex ea procedi valeat ad inquisitionem specialem in personam diffamatam: imò huic indici valeat purgatio canonica, *can. Presbyter, 2. q. 4.* & ante hanc suspensioni ab officio & beneficio sit locus, *c. Inter 5. de Purgat. Canon. citt.* Felinus *num. 14.* Mascard. *Conclus. 755. à n. 19.* & Haunold. *n. 354.*

38. In Civilibus causis legitimè probata plerumque vim obtinet probationis semiplenæ, ut colligitur ex *l. Testium cit. §. 2.* verbis, *Consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem:* quibus semiplenæ probationis vis denotatur; ut fama, licet sola rei fidem regulariter non faciat, unius tamen de veritate deponentis testimonio vel scripturæ privatæ accedens, eam ad plenam fidem faciendam confirmet, *citt.* Mascard. *Conclus. 754. n. 11.* & Haunold. *n. 354.*

39. Quibusdam, licet minùs frequentibus, casibus plenam fidem facit, vg. cùm alicujus loci Consuetudo, populi Opinio, communis loquendi usus sive significatio est probanda: quando agitur de vitando peccato vg. ut impediatur matrimonium, propter consanguinitatis, vel aliud impedimentum dirimens inter personas contrahentes intercedens: in factis antiquis: in rebus occultis &, quæ valde difficilis sunt probationis: in rebus modici præjudicii, & in nonnullis aliis causis, à *cit.* Mascardo *à n. 7.* relatis.

40. Semiplena probatione minorem vim etiam in causis Civilibus habet, quando istæ valde arduæ & magni præjudicii sunt, aut fama à malevolis, maledicis, aut levibus hominibus orta est, vel propagata: quando testes de ea deponentes non sunt omni exceptione maiores, aut ipsa verisimilis non est; quòd non solùm aliis adminiculis non adjuvetur, sed argumentis & præsumptionibus in contrarium militantibus infirmetur: de cujusmodi fama loqui videntur DD. qui ei semiplenè probandi vim in Civilibus quoque causis negant apud *citt.* Mascard. *n. 4.* & Jordanum *à n. 138.*

ARTICULUS IV.

De Probatione Ætatis.

SUMMARIUM.

41. *Ætatem probat, qui eam pro se in adversarii præjudicium allegat:*
42. *Sive pro aliquo consequendo,*
43. *Sive pro alio impediendo,*
44. *Sive actum impugnando eam allegat:*
45. *Nisi præsumptionibus pro se militantibus adjuvetur.*
46. *Probatur testium depositionibus,*
47. *Fide instrumentorum,*
48. *Juris vel hominis præsumptionibus.*
49. *Computanda ætas est, non à conceptionis,*
50. *Vel Baptismi suscepti,*
51. *Sed à nativitatis die.*
52. *De ætatis annis lege præscriptis pugnantes DD. Regula.*
53. *Verba admittentia ultimum annum inchoatum,*
54. *Eumque exigentia completum,*
55. *Qualis in dubio fere exigitur.*
56. *Ultima tamen ejus dies inchoata in favorabilibus sæpe pro completa habetur.*

Frequen-

41. FRequens in & extra judicium mentio aut controversia est Ætatis, de cujus probatione agendi occasionem præbet, *c. In præsentia 8.* sui rerúmque suarum Monasterio facta oblatio, minoris ætatis prætextu impugnata, & ob legitimæ probationis defectum per sententiam confirmata. Unde

Dubium oritur primò, cui ætatis probatio incumbat. Qua in re variæ & inter se pugnantes sunt DD. opiniones, quarum confutationi, aut in concordiam reductioni immorari cùm à propositæ brevitatis studio alienum sit, à doctrina *n. 9.* tradita & *c. cit.* decisioni consentanea non recedendum, & statuenda

Regula generalis est, ætatem tam majorem, quàm minorem, probandam ab eo, qui sive agendò sive excipiendò eam tanquam suæ intentionis fundamentum allegat, ut cum Panormit. *in c. cit. n. 28.* Beroio *ibid. num. 201.* Bartolo *in l. De ætate 43. ff. de Minor. n. 12.* & Saliceto *in l. Cùm te 9. C. de Probat. n. 1.* tradunt Oddus *de Restit. in integ. p. 1. q. 37. n. 3.* & Mascard. *de Probat. conclus. 666. num. 1.* & alii, eam desumentes ex *c. In præsentia cit.* in cujus textûs casu in minoris ætatis probatione deficientes succubuêre: ex *l. De ætate cit. l. Si minorem 4. C. de In integ. restit. min. & l. Eam te cit.* quibus locis ejusdem ætatis probatio imponitur in integrum restitutionis auxilium imploranti. Ratio est partim; quia quilibet probare tenetur fundamentum suæ intentionis, sive id, quod circa rem in judicium deductam in alterius præjudicium asseverat, *l. Ei incumbit. 2* junctâ Glossâ, *V. Eodem, ff. de Probat.* ut dictum *àn. 8.* partim verò; quia, ætatem in judicio allegans, allegare in eo dicitur tempus: quod, cùm intentionis vel exceptionis est fundamentum, probari est necesse, *l. Eum autem 17. ff. de Negot. gest.* Antonell. *Lib. 1. de Temp. Legali, cap. 12. n. 1.*

Quoniam verò, sicut cæteræ pleræque, sic & hæc Regula perpetua non est, sed quandoque fallit, pro ejus declaratione referre juvabit nonnullos casus, ætatis probationem exposcentes.

Primò ergo ætas aliquando allegatur ad ostendendam habilitatem ad alicujus consecutionem: quò casu illius probatio incumbit, id consequi volenti; sic enim ad sacros Ordines vel professionem Religiosam admitti, aut beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam consequi volens, ætatem Canonicam se impleviſse, vel attigisse, probare debet: ut Apostolicæ aliarúmque Curiarum Ecclesiasticarum nota praxis docet. Sic etiam, si ex voluntate testatoris Titio restituenda hæreditas, aut legatum præstandum sit, *Cùm impleverit annum vicesimum primum*, Titius, si illius restitutionem, vel istius præstationem petat, eam ætatem exactam probare tenetur, *l. Ex his 5. C. Quando dies Leg. ced.* eodémque modò impuberi, *Si in ætate pupillari decesserit*, substitutus, si ex substitutione ad hæreditatem admitti velit, institutum in ætate pupillari decessisse, probandi onere gravatur, Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. & num. 7.* & Menoch. *Lib. 2. præsumpt. 50. num. 33.* quia his casibus ætas fundamentum est intentionis & rationem habet conditionis: suæ autem intentionis fundamentum, & conditionis eventum, qui hunc asserit, probare tenetur, *l. Ei incumbit & l. Ex his citt.* 42.

Secundò, aliquando ætas allegatur ad impediendam admissionem ad officium vel munus vg. judicis, procuratoris: quò casu non, ad hoc admittendus ætatem, Jure requisitam, sed minorem, sive Jure præscriptæ ætatis defectum probare tenetur, qui hunc opponit; cùm in hoc ejus 43.

intentio fundetur, *citt.* Mascard. *n.* 44. Menoch. *n.* 30. Secus est, quando ætas minor sive, Canonicæ ætatis defectus, opponitur ad impediendam alicujus electionem, istius confirmationem aut, alicujus beneficii, vel officii Ecclesiastici collationem; quia in hujusmodi spiritualium consecutione à sacris Canonibus requisita ætas semper, eóque etiam casu probanda est, quò nemo se opponit, ad detrimenta Ecclesiarum & animarum pericula facilius excludenda; Salicet *l. cit. n.* 5.

44. Tertiò, ætas aliquando allegatur ad actum jam perfectum impugnandum, aut irritandũ, vg. ad ostendendum testamentum, vel collationem Jure non subsistere, aut esse obnoxium rescissioni: quò casu actum ex ætatis defectu impugnantibus probationem incumbere, certum & non obscurè proditum est, *c. In præsentia cit.* ubi oblationem sive donationem Monasterio factam minoris ætatis allegatione impugnans succubuit; quòd defecerit in ætatis illius probatione. Idem apertè traditur, *l. Si minorem cit.* quò loco adversus contractum aliúmve actum in integrum restitutionis auxilium imploranti minoris ætatis probatio imponitur. Ratio est non solùm; quòd ætas illa fundamentum sit ejusmodi implorationis: sed etiam; quòd actum jam perfectum impugnans, sive eum ob ætatis defectum invalidum, vel restitutioni obnoxium asserens, contra se habeat præsumptionem, quòd actus, debitam formam habens, cum persona legitima etiam quoad ætatem celebratus præsumatur, *l. Ab ea parte* 5. *pr. ff. de Probat.* Decius *in c. cit.* n. 10. Salicetus *in l. Cùm te cit. n.* 8. Mascard. *Conclus. cit. n.* 8. & Menoch. *cit. præs.* 50. *n.* 22. hinc rectè inferens, electionem confirmatam & institutionem in beneficio, testamentum vel contractum ex defectu ætatis impugnanti istius suæ allegationis probationem incumbere.

Quartò, ætas allegari potest ad actûs perfecti justificationem, ut cùm tutor pupillo, vel minori curator datus est, & datio arguitur nullitatis; quòd is, cui tutor vel curator datus est, jam sit major; quò casu non ei, qui tutorem vel curatorem dedit, minoris: sed majoris ætatis probatio incumbit dationem illam impugnanti, *l. Seiæ 26. ff. de Tut. & curat. dat.* Ratio est, quòd ejus intentionis major ætas sit fundamentum, & ex ipsa tutoris vel curatoris datione & in hac interveniente judicis decreto minoris ætatis orta præsumptio majorem probandi onus transferat in contradicentem, juxta dicta *n.* 15. & tradita à *citt.* Saliceto *n.* 6. Mascard. *n.* 10. & Menoch. *n.* 28.

Illud etiam probè notandum est, ætatis probandæ onere à Jure gravatum, istò aliquando liberari beneficiò præsumptionis, pro ipso militantis; quòd vg. ipse habitus corporis majorem vel minorem ætatem aspicientibus exhibeat, *l. Minor 32. pr. ff. de Minoribus:* quòd ei tanquam minori curator, non respectu alicujus causæ duntaxat, sed simpliciter sit datus, *l. Cùm te cit.* quòd pro ipso super ætate lata sit sententia; hanc enim quoad illius temporis ætatem fidem etiam in alio judicio facere, cum Bartolo *in l. De ætate cit.* notat *cit.* Menoch. *n.* 42. 45.

Dubium secundò est de modis probandi ætatem: qui tres præcipuè sunt Testimonia, Instrumenta, Præsumptiones.

Et imprimis quidem, ipsam testimoniis probari, liquet ex *l. Omnes* 2. *C. de Hù, qui ven. æt.* puta, parentum, consanguineorum, domesticorum; quia filii fere nascuntur intra secreta domorum: ea autem, quæ domi & in secreto fiunt, personarum in domo habitantium, eamque frequentantium testimoniis probantur, *l. Ea*

l. Ex consensu 8. §. 6. V. Super plagiis C. de Repud. citt. Mascard. *Conclus. 688. n. 7.* & Menoch. *præs. 5. n. 14.* ubi uterque testimonium patris, super ætate filii deponentis, regulariter semiplenam, & alterius testimoniô, vel adminiculis aliis accedentibus plenam probationem facere docet: idémque de obstetricum, nutricum & similium depositionibus tradit Oddus *p. 1. cit. q. 37. à n. 39.*

47. Deinde instrumentis ætatem probari, desumitur à paritate testimoniorum; quòd instrumentis eadem probandi vis, quæ testium depositionibus, adstruatur, *l. In exercendis 15. C. de Fide instrum.* ut, si super ætate publicum vel authenticum instrumentum producatur, fidem de illa faciat plenam, *c. Scripta 2. de Fide Instrum. & l. Cùm precibus 18. C. de Probat.* Eâdem authoritate & probandi vi pollent Liber & Acta publica civitatis vel oppidi ab Actuario aliôve officiale publico descripta, *arg. l. Etiam 16. ff. de Probat. citt.* Mascard. *Conclus. 671. num. 7.* & Menoch. *præs. cit. n. 4.* & non minor, quàm hujusmodi actis, solet adstrui libro Parochiali, in quo sacro fonte lustratorum nomina, cognomina, nativitatis, aut saltem Baptismi tempus ab ipso parocho adnotantur; quòd, cùm ista in libro illo describere ad ejus officium pertineat, ex decreto S. Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. matr.* consuetudo in eo descriptis eandem vim contulerit, quam libro alterius publici officialis, *citt.* Mascard. *Conclus. 672. num. 18.* & Antonell. *de Temp. Legal. Lib. 2. cap. 13. num. 9.* Minorem, & filii sui ætatem semiplenè duntaxat probandi vim libris parentum, sive adhuc superstitum, sive ab humanis exemptorum, tribuit communis sententia DD. apud *citt.* Menoch. *n. 10.* & Oddum *n. 90.* adhibitâ distinctione tali libro in præjudicium tertii extranei modicam: in istius autem favorem contra filium suum, uti & pro isto in præjudicium ipsius patris scribentis plenè probandi vim non malè adstruentium.

Demum præsumptionibus fundatis 48.
in indiciis & conjecturis per aspectum ocularem ex habitu corporis, specie vultûs, colore capillorum &c. *l. Minor 32. ff. de Minoribus:* ex quibus de ætate, ob modicum excessum non ab omnibus cognoscibili, solus judex coniicit; quòd, si personam oculis ipse non contempletur, facilè decipiatur: nisi, qui de hujusmodi ætate ex aspectu testificatur, etiam non interrogatus dicti sui reddat rationem, Bartol. *in l. De ætate cit. n. 9.* & Menoch. *Præsumpt. cit. num. 58.* De ætate verò propter magnum excessum ab unoquoq; facilè cognoscibili judex non ex suo tantùm aspectu pronuntiabit: sed aliis quoque ex illo deponentibus & dicti sui verisimilem rationem reddentibus fidem habere debet; quòd de his, quæ sensu corporeo communiter percipiuntur, testes deponere & ex aspectu desumptæ præsumptionis suæ verisimilem rationem reddere facilè possint, *citt.* Mascard. *Conclus. 667. n. 11.* & Menoch. *n. 63.* quis modicus, aut magnus excessus sit, cum Bartolo *in l. De ætate cit. n. 10.* latè declarans.

Dubium tertiò est, à quo, Concepti- 49.
onis, Nativitatis vel Baptismi die ætas sit computanda. Ab ipso conceptionis die, si id utile sit ei, de cujus ætate quæritur, eam computandam, cum Glossa *in Cancell. Apostol. Reg. 17.* existimat Oddus *de Restitut. in integ. p. 1. q. 2. n. 48.* quòd is, qui in utero est, in favorabilibus pro nato habeatur, *l. Et servorum 5. §. 2. & l. Qui in utero 7. ff. de Statu hom.* At, licet hoc ita sit, & fœtus in utero quoad privilegia libertatis, ingenuitatis &, ut ita dicam, legitimitatis pro jam nato re-

putetur: & ex vivo testatore conceptæ proli successio ab intestato deferatur, §. *Sui 2. & §. Et licet 8. Instit. de Succes. ab intest.* quoad ætatem tamen aliósque Jure non expressos effectus eam, etiam in favorabilibus, præsertim quoad Ordinum & beneficiorum Ecclesiasticorum collationem pro jam nata habentium Opinio à vero adeò deviat, ut eâ nihil falsius esse asserant Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 2. num. 3.* & Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 35. n. 4.* quòd conceptionis dies omnino incerta; atque idcirco generali usu receptum sit, ætatem à Nativitatis die computandam, *juxta l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus.*

50. Idem cum his quoad temporalia sentit: quoad spiritualia verò ab ipsis divertit Corradus *Prax. Benefic. Lib. 4. cap. 6. n. 22.* & cum Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. Gloss. 9. §. 1. n. 108.* ætatem in spiritualibus à Baptismi susceptidie computandam, ait; quòd illius susceptione homo spiritualiter renascatur, *c. Debitum 4. de Baptismo:* & ætatis ad Ordines, beneficia & professionem Religiosam requisitæ probationem ex libro Baptismali peti, & à proprio parocho desumi consueviſſe, ex variis Rotæ decisionibus con-

51. stet. Sed, estohoc plerumque fiat; quòd infantes, si commodè valeant, fere ipsô, quô in lucem editi sunt, die sacro fonte abluantur: & ætatis probatio ex libro illo depromptâ expeditior plerumque non sit: casu tamen, quô de die natali, baptismalem antecedente, sive ex libro illo, sive aliunde legitimè constat, canonicæ ætatis computationem ab ipso nativitatis die inchoatam, sicut in temporalibus, sic etiam in matrimonio tam spirituali, quàm carnali, in Ordinum susceptione & collatione beneficiorum & spiritualibus quibusvis attendendam, cum Baldo *in c. Cùm in cunctis 7. pr. de Elect. n. 5.* Mandosio *de Ætat. minor. cap. 1. n. 25.* Garcia *p. 2. de Benefic. cap. 4. n. 89.* & aliis docet Fagnanus *in pr. cit. n. 133.* id firmans declaratione S. Congregat. Cardinal. Trid. Interpp. quæ super casu provisi de Canonicatu, annexum habente Ordinem Presbyteratûs, ad quem is intra annum promoveri poterat, si ætas à natali, non etiam si à baptismali die computaretur, consulta & interrogata, à qua die ætatis computatio facienda sit, respondit, à natali, non à baptismali. Ratio est partim; quòd, cùm ab ætatis computandæ Regula Jure prodita, *l. Denique 3. §. 3. cit.* & generali usu approbata in spiritualibus recedendum, ullô canone expressum non sit, neque efficaci ratione suadeatur, ei in his quoque sit inhærendum: partim verò; quòd à nativitate facta ætatis computatio accommodata sit omnibus: non etiam, quæ sit à die collati baptismi; cùm iste plerumque tardiùs, non rarò post aliquot dies, & post complures vitæ annos suscipiatur à Neophytis: quibus ad Religionem, sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica aspirantibus à baptismali die inchoata ætatis computatio æquô durior foret.

52. Dubium quartò est, an, si canone, lege, statuto, aliáve dispositione ad dignitatem, munus, vel actum aliquem certorum annorum ætas exigatur, ultimus annus esse debeat completus, vel sufficiat inchoatus. Qua in re pugnantes Regulas statuunt DD. quibusdam completum exposcentibus cum Decio *in c. Cùm in cunctis 7. de Elect. n. 48.* Navarro *de Temp. Ordin. consil. 9.* Steph. Gratiano *Discept. forens. cap. 946. n. 31.* & Flamin. *Lib. 12. de Resignat. q. 8. n. 2.* Aliis inchoatum admittentibus cum Zerola *Prax. Episc. V. Ordo*, §. 1. Cævall. *Commun. Opin. q. 523.* & aliis relatis à Barbosa *de Offic. Episcop. alleg. 16. num. 1. in fine.* Quarum Regularum vel Opinionum altera re-

tera respicienda tunc demum est, quando certum ætatis annum exposcentis mentem non satis produnt verba legalis vel alterius dispositionis; quæ non rarò annum solummodo inchoatum perspicuè admittunt vel excludunt.

53. Et inchoatum quidem ferè admittunt verba, *Si attigerit annum, c. Cùm in cunctis cit. §. Inferiora: Si venerit ad annum*, & aliquando etiam, *Si pervenerit ad annum*; cùm, qui annum vg. vigesimum attigit, aut in eo est, ad eum pervenisse videatur, saltem in favorabilibus *l. Si Filium 78. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. & l. Ad Rempublicam 8. V. Annus, ff. de Muner. & honor.* licet aliàs *Perveniendi* verbò regulariter perfectio significetur, *l. Non putabam 48. ff. de Condit. & demonst.* Bartol. *in l. Si filium cit. n. 1.* Tuschus *Pract. V. Dictio, concl. 328. n. 1.* & Bruneman *in l. cit. n. 5.* Inchoatum etiam annum denotant verba, *Si sit in anno, Clement. fin. de Ætat. & qualit.* ubi Glossa *V. In decimo octavo*, Panormit. *n. 6.* & Barbosa *n. 8.* Si annus exprimatur cum dictionibus *Ante, Ad, Intra* vel *Infra, Juxta*; quia præpositionibus istis denotatur tempus imperfectum, Surdus *decis. 178. n. 3.* & Antonell. *Lib. 4. de Temp. legal. cap. 1. n. 13.* quod fere etiam importatur, si annus exprimatur ablativò singulari, *citt.* Bartol. *n. 1.* Surdus *n. 4.* & Antonell. *n. 14.* Nisi verbò aliquò adjunctò vg. *Si anno vixerit, fleterit, perseveraverit*, completum tempus significetur.

54. Completum autem ultimum annum exposcunt verba, *Si expleverit, excesserit, exegerit, c. Cùm in cunctis cit. pr.* Trid. *Sess. 25. cap. 7. & 15. de Regular. Si major.* vel etiam, *Si non minor sit 20. annis, cap. 7. cit. Sess. 24. cap. 12. de Reformat. & l. Denique 3. §. 3. ff. de Minoribus*, Garcias *p. 7. de Benef. cap. 4. n. 67.* Si anno præponatur dictio *Post*, quâ extremitas & lapsus totius temporis significatur, Bartol. *in l. Mutuum 2. §. 3. ff. de Reb. credit.* vel dictio *Per*; quia hæc præpositio totius temporis continuationem & perfectionem denotat, *l. Urbana 166. in fine, ff. de V. S.* Tuschus *V. Dictio cit. concluf. 324. à n. 1.* uti & præpositiones *A, Ab*, vel *Ex*, quando ponuntur pro *Post*, pro qua dictione sumptæ separant & expressum tempus excludunt, *l. Pater 30. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. & l. Neminem 64. ff. de Decurionib.* Tiraquell. *de Retract. §. 1. gloss. 11. à n. 4.* Si certorum annorum mentio fiat in genitivo numeri pluralis, vg. *Si sit 20. annorum, l. Is cui 49. pr. ff. de Legat. 1. can. Subdiaconus 4.* junctâ Glossâ, *V. Non minor, dist. 77.* & *cit.* Gloss. *V. In decimo octavo*, Bartol. *in l. cit. n. 1.* & ferè quoties certi anni præscribuntur in numero plurali vg. *Si habeat annos, Si vixerit, aut fleterit annis* Trid. *citt. cap. 7. & 15. citt.* Surdus *n. 7.* & Antonell. *n. 16.*

55. Si certum annum præscribentis mens & verba sint ambigua, recurrendum est ad allegatas DD. Regulas, & præferenda prior; ut, licet in favorabilibus aliquando annus inchoatus pro completo habeatur, *arg. §. 1. l. Si filium & V. Annus l. Ad Rempublicam citt.* Regulariter tamen in plurium annorum termino ultimus annus ad extremum diem completus exigatur; cùm; quòd Regula prior in multò pluribus casibus verificetur: tum verò; quòd annus in rerum natura non sit, nisi sit integer & perfectus, *citt.* Surdus *num. 12.* Gratian. *n. 31.* & Antonell. *n. 7.*

56. Iis autem casibus, quibus annus completus exposcitur, ultimum diem inchoatum pro completo in favorabilibus: non etiam in odiosis regulariter habendum, cum Bartolo *in l. Denique cit. §. Minorem n. 2.* Baldo *in l. Is cui cit. Oppos. 3.* Duareno *in l. cit. §. Dixi*; advertunt laudati Gra-

dati Gratian. *cap. 161. n. 27.* & Antonell. *n. 2.* sic enim matrimonium à mare 14. & à fœmina 12. anni die ultimò contractum, eôdémque conditum ab illis testamentum, propter specialem utriusque favorem, *c. fin. de Sent. & re judic.* Jure subsistunt, *l. A qua ætate 5. ff. Qui test. fac. poss.* ut *in c. fin. de Despons. impub.* Panormit. *n. 6.* & Joan. Andr. *n. 3.* & *in l. cit.* Bartol. & Bruneman. uterque *n. 1.* advertunt: & contrà sponsalia casu, quò prudentia ætatem non supplet, septimi, & Professio Religiosa decimi sexti ætatis anni ultimò die contracta vel emissa valore destituuntur, ex doctrina Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 16. n. 4.* & aliorum ut infrà suis locis statuetur.

ARTICULUS V.

De Probatione Filiationis.

SUMMARIUM.

57. *Celebris casus controversæ filiationis.*
58. *Matris probatio certa:*
59. *Patris ferè præsumptiva tantùm habetur.*
60. *Filius mariti esse præsumitur in ejus domo natus ex uxore.*
61. *Etiam adulterio pollutâ ab alio,*
62. *Et prolem ex adulterò conceptam asserente:*
63. *Imò &, si maritus uxori non semper cohabitârit,*
64. *Et proles adultero similior sit, quàm marito.*
65. *Prolem ex concubinario potiùs, quàm alio conceptum, hominis duntaxat præsumptio est.*
66. *Filius quis ex nominatione cum tractatione & educatione conjuncta;*
67. *Non ex sola nominatione præsumitur.*
68. *Fama aliis adminiculis accedentibus:*
69. *Non sola filiationem plenè probat.*
70. *Filiatio etiam ex Actis publicis &c. probatur.*

ETiam hujus articuli discussioni ansam dedit propositæ Rubricæ *c. Per tuas 10.* subjectum percelebre Innocentii III. Rescriptum super casu, quò Bertha à Titio post septem annorum concubinatum, nullâ prole susceptâ, divertens, ad eúmque, non multò tempore exactò reversa peperit Cajum, eúmque ex Titio susceptum, constanter asseruit: & ab isto multis precibus devicto obtinuit, ut Cajum filium suum publicè recognosceret, nominaret, ísque pro tali communiter ab utroque haberetur, donec Cajum Sophiæ Titii ex sororenepti matrimonio conjungendi occasio esset; hâc enim oblatâ varians Bertha Cajum non ex Titio, sed ex alio viro susceptum, ullâque consanguinitate Sophiæ non conjunctum, publicè & cum juramento est confessa. Super quo casu ad se delato laudatus Papa rescripsit, Cajum pro Sophiæ consobrino, & ad matrimonium cum ea ineundum de Jure inhabili habendum, ex præsumptione orta ex præmissis: &, quòd secundùm leges etiam Civiles, *l. Generaliter 13. C. de non numer. pec. Nimis indignum sit, quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonióque propriore sistere.* Pro cujus Apostolicæ & in praxi utilissimæ decisionis declaratione 57

Dubium & quæstio est, an filiatio & quomodo probari valeat. Est autem probatio alia Vera & certa, alia solummodo Præsum- 58

Præsumptiva. De vera receptum ob omnibus latissimúmque discrimen est inter patrem & matrem; cùm certa istius semper, *l. Quia semper 5. ff. de In jus voc.* illius autem sive patris probatio certa haberi nunquam possit, *L. Lucius 83. ff. de Con-* 59. *dit. & demonstr.* extra casum, quô mulier cum viro carcere alióve loco, in quem ingressus omnibus aliis est præclusus, integrô annô, duobúsque fidissimis custodibus adhibitis, detenta imprægnatur & prolem suscipit; hanc enim ex viro secum concluso à muliere conceptam, certa & indubitata probatio habetur, si duo custodes totô annô neminem alium in locum ingressum &, quem ipsi non viderent, ingredi potuisse, jurati in judicio deponant, ut cum Bartolo in *l. 1. C. Quorum bonor. n. 2.* observant Mascard. *de Probat. conclus. 787. n. 9.* & Menoch. *de Arbitr. casu 89. n. 18.* Extra hunc ergo casum filiationis probationem veram certámque respectu patris haberi, uno ore inficiantur omnes, juxta illud Homeri de Telemacho canentis,

Ex illo natum mater me dicit: At ipse
Nescio; nam certum quis possit ferre parentem.

Quare respectu patris filiatio probanda est conjecturis ac præsumptionibus, quæ ex variis indiciis, causis & circumstantiis nascuntur.

60. Et primò quidem filius alicujus Jure præsumitur, qui in mariti domo natus est ex uxore, cui is generationis potens cohabitavit, *l. Filium 6. pr. ff. de His, qui sui vel alien. jur. & l. Si vicinis 9. C. de Prob.* ut, licet uxorem fuisse adulteram, & conceptæ prolis tempore consuetudinem cum adultero habuisse, legitimè probetur, proles tamen ex marito potiùs, quàm adultero concepta intelligatur, Baldus *in Rubr. C. de Probat. n. 6.* & Menoch. *Casu cit. n. 23.* Imo etiam, si mater ipsa filium ex adulterio susceptum in ipso vitæ exitu 61. profiteatur, *l. Si instituta 27. §. 1. ff. de Inoffic. testam.* cùm; quòd, licet eo tempore salutis suæ immemor nemo præsumatur, in alterius tamen præjudicium, ad eúmque à filiationis possessione dejiciendum, fides ei non habeatur, *l. Si quis in gravi 3. §. 1. ff. ad S. C. Silan.* tum verò; quòd mater testis sit singularis & propriam turpitudinem alleget; ac proinde in alterius præjudicium non probet, *c. Licet 23. de Test. & attest. & c. Inter 8. de Donat.* ut adeò nec filius, se ex adulterino concubitu procreatum, asserenti matri 62. suæ credere, neque ut à paterna successione vel majoratu abstineat, vel restitutionem faciat, suadenti morem gerere in conscientia teneatur, Glossa *in c. Officij 9. V. Deneganda, de Pœnit. & remiss.* Panorm. *in c. Per tuas cit. n. 5.* Covarruvias *in Reg. Peccatum p. 1. §. 1. n. 3.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 10. n. 51.* ut pluribus tradetur *Lib. 5. tit. 38. n. 142.*

Extendunt hanc Juris præsumptio- 63.
nem DD. primò, & prolem ex marito potiùs, quàm ex adultero susceptam haberi volunt, etiamsi uxor habitârit extra domum mariti, qui tamen ad generationem habilis & ad uxorem (aut hæc ad ipsum) accedere solitus fuit. Ratio est; quòd, cùm matrimonio cum tali cohabitatione sive accessu viri ad mulierem concurrente prolis ex ipsis procreatio facilè sequatur, favor matrimonii, & prolis prævaleat; ut benignâ interpretatione proles ex Jure approbato potiùs, quàm damnato coitu suscepta reputetur & tanquam filius aut filia marito potiùs, quàm adultero addicatur, Palæotus *de Noth. & Spur. cap. 24. n. 1.* Menoch. *l. cit. n. 25.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 46.*

Extenditur eadem præsumptio se- 64.
cundò & proles ex marito potiùs, quàm ex adul-

ex adultero susceptа creditur, licet huic similior sit, quam illi. Neque id immeritò; quia ea nati similitudo paternæ originis fallax est argumentum; cùm foetus imaginem & lineamenta vultûs post aliquot à conceptione menses primùm induat, & plerumque accipiat ex imaginatione materna: & gemellorum ex duplici adulterio conceptorum utrumque patri, & neutrum adulteris, similem fuisse: & contrà procreatos à marito ei sæpissimè dissimillimos esse, compertum sit, testibus Plinio *Histor. Nat. Lib. 2. cap. 11.* Menoch. *l. cit. n. 98.* & Zacchia *Q. Q. Medico legal. Lib. 9. consil. 60.*

65. Extenditur eadem tertiò, & æquè in filiis ex concubina uxoris locô domi retenta, quàm ex uxore natis procedere, asseritur à non paucis & magni nominis Interrpp. ac DD. ductis textu *c. Per tuas cit.* Sed malè; quòd, licet in istius *c.* casu mentio fiat prolis natæ in concubinarii domo, Apostolica tamen Innocentii Papæ decisio *V. Quia verò*, quâ proles pro communi utriusque concubinarii filio habetur, non nitatur prolis in viri domo nativitate: sed matris constanti assertione, hanc ad ejusdem instantiam secuta viri recognitione nominationéque filii, & utriusque prolem pro communi suo filio publicè habentium tractatione. Quare verius est, prolem, quæ in concubinarii domo à concubina in lucem edita est, ex concubinario potiùs, quàm alio viro esse susceptam, non Juris, sive à lege vel canone approbatam, sed hominis duntaxat præsumptionem dari. Ratio est; quòd in natis ex concubina cessent causæ, quibus ea Juris præsumptio nititur, scilicet favor matrimonii, quem Jura maximè considerant, *c. fin de Sent. & re judic. & c. Tanta 6. Qui filij legit.* favor prolis, ut sit legitima, *c. Ex tenore 14. eâdem Rubr. & l. Nuper 11. C. de Natural. lib.* & evitatio præsumptionis adulterii Jure approbata, *l. Meritò 51. ff. Pro Socio & l. Quintus 51. ff. de Donat. inter vir. & ux.* Ita Arias de Mela *Lib. 2. Var. cap. 39.* & Gonzalez *c. Per tuas cit. n. 11.*

Secundò, filius quis præsumitur ejus, & à quo filius nominatus, aut filius tractatus & educatus fuit *c. Per tuas cit.* his enim actibus concurrentibus constituitur in filiationis possessione vel quasi; ut verus filius credatur, nisi probetur contrarium, eúmque esse filium alterius, vel solius pietatis causâ filium nominatum & filii instar tractatum & educatum, *arg. c. Transmissa 3. Qui fil legit.* vel eum, postquam aliquot annis ita fuit habitus, tanquam extraneum rejectum acquievisse & in alterius domum se contulisse; itáque filiationis possessione non ejus duntaxat, à quo rejectus est, sed suómet etiam rejectioni acquiescentis factô dejectum, ostendatur, Felin. *in c. cit. n. 14. citt.* Palæotus *cap. 25. n. 7.* & Menoch. *n. 75.* Hujusmodi autem probatione cessante eius, à quo filius nominatus, & ut talis tractatus atque educatus fuit, quis verè filius esse ita præsumitur; ut, si ex talibus actibus orta filiationis possessione fretus illius defuncti hæreditatem sibi adjudicari petat, tituli probandi onere relevetur, idque transferat in adversarium, *arg. l. Circa cum 14. ff. de Probat.* Decius *in c. cit. n. 9. citt.* Palæot. *cap. 22. n. 5.* & Menoch. *n. 70.* Quin etiam, si quis aliquem domi suæ ita tractet, ut pro filio haberi videatur, eum, qui ita tractatur, in filiationis possessione constitui, communis est doctrina; ut, licet filii nominatio non accedat, filius tamen verè credatur: &, si hæreditatem petat, intentionem suam super filiatione habeat fundatam, illáque ipsi adjudicetur, si contrarium adversa pars non probet.

An nominatione, cum tractatione & illa & educatione non coniunctâ, filiatio probetur,

probetur, dubium est facilis resolutionis; cùm, filii nominatione, si adminiculata non sit, illam non probari, Regulæ instar desumatur ex *l. Non epistolis 14. & l. Non audit 15. C. de Probat.* quòd ejusmodi nominatio multoties ad alium finem & blandiendi potiùs, quàm veritatis inducendæ animô soleat proferri. Si verò cum ea alia adminicula concurrant, ut si ea fiat in actu, naturâ suâ cum solis filiis solito exerceri, ut emancipatio & exhæredatio sunt: si quis aliquem filium suum nominet in instrumento publico, vel in judicio sit confessus: si extra judicium datâ operâ præsentem filium suum dicat: si ejus nativitatis annum & diem in libro privato adnotavit &c. si, inquam, hæc & similia adminicula cum filii nominatione concurrant, filiationem probari, cum Panormit. *in c. Per tuas cit. n. 8.* Decio *ibid. n. 7.* & aliis tradunt *citt.* Palæotus *cap. 23. n. 2.* & Menoch. *n. 78.*

68. Tertiò quis filius probatur ex fama, sive communi opinione viciniæ: quâ aliis adminiculis, puta, filii nominatione, unius testimonio &c. corroboratâ, aliquem in filiationis possessione constitui, exploratum est; cùm fama ita corroborata in cæteris causis civilibus plenè probet, juxta dicta *n. 36.*

Eâ etiam, aliis adminiculis non concurrentibus, filiationem plenè probari, cum Ant. de Butrio *in c. Transmissæ cit.* sustinent *citt.* Palæot. *cap. 23. n. 2.* & Menoch. *n. 86.* Moventur Jure & ratione: & ex illo quidem allegant *c. Per tuas cit.* Verba, *Filius nominatus communiter fuit: c. Transmissæ cit.* quô locô viciniæ fama in filiationis probatione ab Alexandro III. rejecta est, propter contrariam ei viri & mulieris negationem. Unde à contrario ductô argumentô inferunt, negatione illâ semotâ, filiationem per famam legitimè probandam fuisse: & *l. Si mater 6. C. Ne de Statu defunct.* quâ relatô Imperiali rescriptô famæ seu communi opinioni adstruitur vis aliquem constituendi in quasi possessione ingenuitatis, probandi onus in adversarium transferentis. Rationem reddunt; quòd fama, legitimè probata, fidem faciendi vi non modicâ polleat in iis, quæ difficilis sunt probationis.

His tamen nihil moti Panormit. *in c. Transmissæ cit. n. 10.* & *in c. Per tuas cit.* Felinus *n. 15.* Decius *n. 8.* Gonzalez *n. 14.* & aliis DD. relatis Mascard. *Conclus. 791. n. 5. & 8. suprà n. 36.* traditæ, & famæ, aliis adminiculis non suffultæ, semiplena probatione majorem vim non adstruenti Regulæ, etiam, cùm filiatio probanda est, inhærendum, defendunt, eáque ducuntur ratione; quòd, cùm de Jure fama rei fidem solummodo confirmet, *l. Testium 3. §. 2. ff. de Testibus, & can. Testium 3. §. Sæpe, 4. q. 3.* non ejus fidem sola faciat ut dictum *n. 38.* & filiationem plenè probandi vis ei collata ullô Jure non reperiatur, à communi Regula non sit recedendum. 69.

Neque enim ab ista recessum persuadent Primò *c. Per tuas cit.* Verba, *Filius communiter nominatus fuit*; quia ista non ad viciniæ communem opinionem ac sermonem, sed ad concubinarios, virum ac mulierem, referenda sunt; ut is, de cujus filiatione agebatur, *Cõmuniter*, hoc est, ab ambobus illis, plerumque aut frequenter filius nominatus & habitus intelligatur.

Neque secundò, argumentum ductum ex *c. Transmissæ cit.* cùm; quia à contrario ad restringendam Juris Regulam non rectè arguitur: tum verò; quia, si eô allegata viciniæ fama, vel potiùs credulitas, filiationem plenè probandi vim obtineret, tanquam indicium illius certum viri ac mulieris in liberorum causa factæ inficiationi debuisset prævalere.

Neque tertiò, textus *l. Si mater cit.* quia in istius casu ingenuitatis quasi possessionem non induxit fama sola, sed conjuncta cum quinquennii præscriptione, de qua totô titulô agitur; ut adeò huic propositæ dubitationis resolutioni utriusque Juris definitiones patrocinentur potiùs, quàm adversentur.

Non magis cum ea pugnat ratio; quia de famæ vi proditam Juris Regulam etiam in his, quæ difficilis probationis sunt, procedere, liquet ex *c. Præterea 27. de Test. & attest.* quô locô de carnali copula, quæ difficilis est probationis, plenam fidem judici fama non sola, sed alteri, se solâ etiam non sufficienti, probationi accedens facere asseritur, *citt.* Felin. *n. 15.* & Menoch. *n. 6.*

Quartò, filium quem alterius esse, aliquando probari potest ex civitatis vel oppidi Actis, si in his, quinam prolium in lucem editarum parentes sint, ab Officiale publico adnotetur: ex libris Parochorum, patrinorum & parentum etiam nomina describentium: ex instrumentis antiquis, licet verba enuntiativè sint concepta, &c, *citt.* Mascard. *concluſ. 794. n. 11.* & Gonzalez *n. 14. infine.* 7

TITVLVS XX.

De Testibus & Attestationibus.

USu frequentissima &, post Confessionem judicialem atque ex oculari inspectione ortam facti evidentiam, cæteris potior Probationum species est, quæ fit per Testes, eorúmque vivâ voce factas Attestationes, *c. Joannes 10. §. Porro, de Fide instrument.* Quæ causa est, cur post generalem illarum pertractationem probationibus aliis ipsa præmittatur.

ARTICULUS I.

De Personis, testificari Prohibitis generatim.

SUMMARIUM.

1. *Quid Testis & Attestatio sit.*
2. *Testificari possunt omnes, Jure non prohibiti.*
3. *Prohibentur infantes, furiosi, impuberes:*
4. *Servi, quibus in hoc Religiosi non æquiparantur;*
5. *Surdi & muti simul.*
6. *Infames, de Civili Juris:*
7. *De Canonico Jure etiam Facti infamiâ:*
8. *Excommunicati vitandi:*
9. *Perjuri.*
10. *Homines valde inopes ac viles.*

TEstis est Persona, quæ ad fidem de re aut facto aliquo dubio & controverso vivâ voce faciendam adhibetur: Attestatio verò sive testimonium est ejusdem super tali re, aut facto assertio, seu depositio, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 1.* 1

Debet autem Testis, qui in judicio deponi, 2

ponit, ut de re aut facto fidem judici faciat, esse idoneus, hoc est, major omni legitima exceptione, sive, qui à testimonio dicendo Jure, hoc est, Lege vel Canone non prohibeatur, *c. 1. l. 1. §. 1. ff. hîc & Novell 90. pr. V. Licere.* Non prohibiti autem censentur omnes, de quibus contrarium non probatur; quia Edictum de Testibus est Prohibitorium, Panormit. *in c. 1. cit. n. 1.* Lanfranc. *de Testib. n. 55.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 53. n. 1.* quô ad testificandum habiles generaliter denotantur omnes, qui specialiter non prohibentur, Glossa *magna in c. 1. pr. de Procurat. in 6.* ut ad *hanc Rubr.* dictum *n. 10.*

3. Porro Jure quidam in totum: alii pro vel contra certas personas: alii in certis tantùm causis à testificando repelluntur. In totum sive omnino ordinariè repelluntur

Ob defectum Judicii mente capti, furiosi, infantes, *l. Qui testamento 20. §. 4. ff. Qui test. fac. possunt:* nisi tempore dilucidi intervalli, *§. cit.*

Ob ejusdem judicii Imbecillitatem impuberes, *can. Testes, 4. q. 2. & l. Testium 3. §. 5. in fine, ff. hîc.* Ex consuetudine tamen, in causis etiam Criminalibus, examinari etiam impuberes solent, non tam ut probent, quàm ut indicium faciant ad indagandam veritatem, teste Claro *§. fin. quæst. 24. n. 17.*

4. Ob defectum Statûs servi propriè dicti, *c. Forus 10. de V. S. & l. Servos 8. C. hîc.* Manumissi tamen de iis, quæ in servitute viderunt, testificari possunt, *arg. l. Notionem 9. §. 2. ff. de V. S.* Unde

Dubium oritur, an testes in judicio esse queant Religiosi. Ratio dubitandi est; quia quoad actus legitimos & judiciales æquiparantur servis: & a Forensibus negotiis expresse removentur, *c. Ex parte 2. de Postulando.* Sed Religiosos, consentientibus suis Superioribus, testes esse posse: &, his etiam invitis, saltem validè testificari, defendit Panormit. *in c. Cùm nuntios 12. n. 4.* & ab aliis Interpp. ac DD. receptum est; quòd testificari sit de genere communiter permissorum: Religiosi autem nullô Jure repellantur: imò *c. Tuis 39. c. Cùm nuper 51. &c. hîc c. Veritatis 8. de Dolo & c. Etsi Christus 26. in fine, de Jurejurando* expresse admittantur.

Neque obstat *c. Ex parte cit.* textus; quia eô ferè solũ prohibentur procuratores agere vel advocatos: & quidem in casibus, in quibus id non exposcit utilitas Monasterii, & abest consensus superioris, ut ex textu liquet. Neque refert; quòd à testimonio dicendo repellantur servi; quia his non universaliter, sed in casibus duntaxat Jure expressis æquiparantur; aliàs enim contra *c. Ex parte cit.* textum, etiam consentiente Prælato, in judicio stare non possent, *arg. l. Quod attinet 32. ff. de R. J.*

Ob defectum Corporis surdi & muti simul, *§. Item surdus 10. Instit. Quib. non est permiss. test.* quia imbecillis judicii esse, & propterea animi sensa non satis exprimere posse, censentur, *l. Discretis 10. C. Qui test. fac. poss.* Si tamen hujusmodi homo judiciô valeret, & per scripturam, nutus, aliáve signa intentionem suam satis declarare posset, ejus testimonium admitti posse, *arg. l. Servo 65. §. 3.* ibi, *Sibi interrogati nutu possint significare, ff. ad S. C. Trebell.* censet *cit.* Farinac. *q. 61. n. 46.* Surdi etiam tantùm de rebus, quæ auditu: & cæci de iis, quæ visu percipiuntur, testificari non possunt, Idem *n. 24. & 45.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n. 267.* 5.

Ob Infamiam & turpitudinem vitæ, publicô judiciô condemnati, *l. Testium & §. 5. cit.* vel convicti, *can. Statuimus 3. q. 5. & c. Super eo 13. hîc,* aut rei alicujus criminis, cui infamia à Jure est irrogata, vg. homicidii, raptûs, adulterii, lenocinii, 6.

incestuosarum nuptiarum contractarum, sacrilegii, veneficii & aliorum criminum Capitalium, *can. Infames, 6. q. 1.* Imò de Jure Canonico rei cujuscunque criminis, facti tantùm infamiam afferentis, hoc est, rei existimationem & opinionem apud viros honestos & prudentes lædentis & gravantis, *can. cit. c. Licet 47. & c. Testimonium 54.* ibi, *Aut gravata sit ejus opinio.* 7. De Jure autem Civili hujusmodi infames à testimonio dicendo in causis tantùm Criminalibus, in quibus plenissimæ & omnino indubitatæ probationes exiguntur, repelluntur, Panormit. *in c. Testimonium cit. n. 6.* Felinus *ibid. n. 12.* & Farinac. *q. 56. n. 115.* cùm priùs *n. 112.* cum Lanfranco *de Testib. n. 74.* monuisset, eos, si de crimine emendati sint, in causis saltem Civilibus, aut cum de crimine, Civiliter agitur, non repelli juxta *c. Testimonium cit.*

8. Dubium est, an testificari valeant excommunicati. Contra Hæreticos ob favorem Fidei eos admitti, disertè habetur *c. In fidei 5. de Hæret. in 6.* In aliis verò causis multùm refert, an tolerati sint, vel vitandi; illi enim, quòd testis depositio alterius favorem spectet, licitè producuntur & admittuntur, per *Extravag. Ad evitanda scandala* Martini V. etsi per exceptionem partis, aut à judice ex officio valeant repelli. Istos autem seu vitandos, ut hodie sunt notorii clericorum percussores, & publicè ac nominatim denuntiati, non admittendos, patet ex *c. Decernimus 8. de Sent. Excommunicat. & c. Veniens 38. in fine, hâc Rubr.* ubi, priusquam testimonium dicant, ad cautelam dicuntur absolvendi. Validum tamen etiam hujusmodi excommunicati, parte non opponente testificari præsumentis, testimonium esse, Ugolinus *de Censur. Tab. 2. cap. 17. §. 1.* Suarez *de Censur. disp. 16. s. & n. 6.* & Palao *tract. 29. disp. 2. p. 14. n. 18.* desumunt ex eò; quòd specialiter irritetur testimonium Hæretici, *c. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæret.* de aliis verò excommunicatis id nusquam sit expressum.

Ob Fidem à Jure reprobatam à testi- 9.
monio in judicio ferendo repelluntur perjuri, *can. Quicunque, 6. q. 1. can. Parvuli, 22. q. 5.* etiam postquam, actâ de perjurio pœnitentiâ, resipuerunt, *c. Testimonium cit.* ibi, *Fraterquam pro reatu perjurij;* quod, qui semel ausus est Deum in testem rei falsæ adhibere, iterum hoc ausurus timeatur: imò præsumatur, *can. Non potest, 2. q. 7.* cùm semel malus semper in eodem genere malus esse præsumatur, *Reg. Semel 8. in 6.* Panormit. *in c. Testimonium cit. n. 7.* Felin. *ibid. n. 19.* & *cit.* Lanfranc. *n. 77.* adeò; ut etiam in læsæ Majestatis aliisque criminibus exceptis, in quibus alioquin testes inhabiles admittuntur, ipsi repellantur: præterquam in hæresis crimine, *c. Accusatus 8. §. Licet, de Hæret. in 6.* Farinac. *q. cit. à n. 196. & n. 203.*

Ob Suspicionem corruptionis, per- 10.
sonæ valde inopes & viles, *can. Imprimis 7. V. Sed & de personis, 2. q. 1. & l. Testium cit. pr.* Quidquid autem sit de rigore Juris, in praxi, æquitate suadente, pauperes, si probatæ vitæ & famæ illæsæ sint, ad testimonium dicendum admittuntur, Clarus §. *& q. cit. n. 11.* quòd ex inopia certam corruptionis suspicionem vitæ honestas & probitas excludat, Farinac. *q. 15. n. 82. in fine.*

ARTICULUS II.

De Prohibitis testificari pro vel contra certas Personas.

SUMMARIUM.

11. *Idonei testes non sunt pro conjuge conjux*

12. Et

12. *Et Parentes pro liberis:*
13. *Exceptis nonnullis casibus,*
14. *Et causis Matrimonialibus,*
15. *Cùm de conjugio impediendo,*
16. *Et aliquando, cùm de eo dissolvendo agitur.*
17. *Consanguinei & affines,*
18. *Uti & domestici aliquando,*
19. *Non semper repelluntur.*
20. *Subditus pro suo Principe testis idoneus est.*
21. *Liberi contra parentes &c.*
22. *Contra inimicum inimicus capitalis:*
23. *Contra Fideles Judæi & Pagani:*
24. *Uti & de Jure Hæretici,*
25. *Et laici contra clericos:*
26. *Nisi in defectum probationis, non admittuntur.*

11. PRo certis personis Testes idonei de Jure non sunt Imprimis maritus pro uxore: hæc pro illo, Glossa *in can. Si testes 2. §. Ne liberto, V. Imperari, & l. Etiam 3. V. Eodem, C. hîc*; cùm propter magnam affectionem, quâ in se mutuò ferri præsumuntur; quòd una caro sint, Genes. *cap. 2. V. 24. & c. Debitum 5. de Bigamis:* tum verò; quòd uxor viro subdita sit, *can. Femina, 3. q. 5.* & de istius domo ac familia esse dicatur, *l. Adversus 4. C. de Crim. expil. hared.* ejúsque domicilium ac forum sequatur, *l. Cùm quædam 19. ff. de Jurisdict. & l. Exigere 65. ff. de Judiciis*, Speculat. *Tit. de Teste, §. 1. n. 15.* & Farinac. *Prax. Criminal. cit. q. 54. n. 210. & 224.*

12. Deinde parentes pro liberis & hi pro illis, *can. Si testes cit. §. Parentes, l. Testis 9. ff. & l. Parentes 6.* junctâ Glossâ, *V. Adversus, C. hîc* propter naturalem amorem & magnam affectionem, quam inter se gerunt, Farinac. *q. cit. àn. 145.* uti etiam fratres & cæteri consanguinei, atque etiam affines: quos usque ad quartum gradum exclusivè, cùm pro se mutuò, non in quibuscunque, sed in criminalibus & civilibus valde arduis causis, adversus extraneos producuntur, repelli posse, desumitur, ex *can. 1. can. Accusatores 12. & can. Absens, 3. q. 5. & 9.*

Excipiuntur tamen varii casus & 13.
causæ, in quibus pro liberis suis testificari parentes possunt: ut, cùm agitur de eorum ætate, *l. Etiam 16. ff. hîc*, aut animô profitendi Religionem, *can. Præsens, 20. q. 3.* cùm ipsi liberi inter se, non cum aliquo extraneo, litigant, vel extraneus, quocum litem habent, eos ad testificandum admittit &c. Farinac. *q. cit. àn. 185.* Uti & causæ matrimoniales, 14.
in quibus parentes, fratres & cæteri consanguinei ad testimonium dicendum aliquando præ aliis admittuntur, *c. Super eo 22. hîc & c. Videtur 3. Qui matrim. accus.*

Multùm tamen interest, an agatur 15.
de matrimonio contrahendo, impediendo, vel dissolvendo; primô enim casu, quô de ejus contractu probando agitur, parentes idonei testes non sunt contra eum, qui nobilitate, divitiis, potentia, honore ipsorum filiam, aut filium superat, *c. Super eo cit.* ubi tali casu à testimonio repulsa est mater; quòd ejus fides propter desiderium incrementi & honoris filii sui esset suspecta. Contra eum verò, qui nobilitate, opibus &c. par aut inferior est, parentes de matrimonio contracto cum aliis testari permittuntur, *c. Videtur 3. Qui matr. accus.* quòd hôc casu cesset suspicio: & contractûs notitiam habere præ aliis præsumantur, Panormit. *in c. Super eo cit. n. 8.* & Menoch. *de Arbitr. casu 102. n. 3.* Alterô, quô de matrimonii contractu propter consanguinitatis, affinitatis, aut etiam publicæ honestatis impedimentum impediendo agitur, parentes & consanguinei

non solùm legitimi, sed præ aliis idonei testes reputantur, *c. cit.* ubi tali casu, quòd de peccato vitando ageretur, solius matris testimonium habetur pro sufficienti, *cit.* Panormit. *num. 7.* & Barbosa *in c.*

16. *cit. n. 9.* Postremò casu, quò agitur de matrimonio jam contracto propter ejusmodi impedimentum dissolvendo, iterum præ aliis admittuntur consanguinei, præsertim parentes, *c. Super & c. Videtur citt.* Ratio utriusque est; quòd isti dictorum impedimentorum notitiam præ aliis habere præsumantur. Hôc tamen posteriori casu, ad plenam probationem & matrimonii dissolutionem non sufficit unius etiam parentis, sed necessarium est testimonium saltem duorum omni exceptione majorum, *c. 1. de Consanguinit.* quia agitur de maximo præjudicio conjugum & ipsius Sacramenti, Guttierez *de Matrim. cap. 14. à n. 3.* & Barbosa *in c. 1. cit. n. 6.*

Neque obstat, *c. In literis 24.* quia imprimis ejus textu à testimonio, non parentes & consanguinei, sed alii domestici repelluntur. Deinde; quia etiam domestici illi erant participes & socii criminis; ac proinde fidei omnino suspectæ, ut *ibi* notant Barbosa *num. 21.* & Gonzalez *n. 8.* Et demum; quia, cùm agitur de matrimonio, non ob consanguinitatis, aut ex justis nuptiis ortæ affinitatis, vel publicæ honestatis, sed propter aliud ex impotentia, illicito concubitu, aliòve crimine ortum impedimentum dissolvendo, ad testimonium parentes & consanguinei, nisi valde honesti & probatæ fidei sint, non admittuntur, *c. In literis cit.* ut notat Gonzalez *cit. n. 8.*

17. Pro consanguineis etiam & affinibus suis deponere testis potest in causis Civilibus non magni præjudicii: & in gravioribus, quando sanguine, aut affinitate conjunctus est litigantium utrique: vel erga litigantium alterum ita sibi conjunctum non magna, aut non major, quàm in ejus adversarium affectio est: vel, cùm deponens religiosus magnæ apud omnes existimationis, aut etiam notæ probitatis & fidei laicus est: vel, cùm ad consanguinei aut affinis innocentiam detegendam, vg. quòd occiderit aggressorem ad necessariam sui defensionem &c. deponit, Farinac. *q. cit. n. 16.*

18. Demum domestici, sive ii, qui sunt de domo ac familia ejus, pro quo producuntur, *can. 1. in fine, 14. q. 2. l. Testes 24. ff. & l. Etiam 3. C. hic:* verbò quicunque, quibus producens ratione patriæ, dominicæ, vel gubernativæ potestatis privatæ imperare potest: de quibus latè & accuratè Farinac. *cit. q. 54. totâ.*

19. Domesticorum etiam seu famulorum, commensalium & similium testimonia pro domino seu patrefamilias recipiuntur, cùm de rebus domesticis: vel inter duos, quorum utriusque domesticus testis est, controversis: vel ad ostendendam domini innocentiam, aut in favorem Ecclesiæ deponunt: cùm propter eximiam probitatem & honestatem vitæ fide digni specialiter censentur, & aliis casibus ab eodem JCT.° *q. 55. à n. 29.* relatis.

20. Dubium est, an subditi & vasalli testificari valeant pro suo Principe. Ratio dubitandi est; quòd reverentia & observantia, quam huic debent, ejúsque gratiam sibi conciliandi & offensæ evitandæ studium, illorum fidem non parùm reddat suspectam. Communis tamen Curiarum praxis etiam illos à Principe productos admittit: &, quando de proprio eorum interesse non agitur, admittendos evincit necessitas probationum, quarum inopiâ Principes sæpe coarctarentur, si vasallos & cæteros subditos suos producere non possent. Accedit; quòd rerum & jurium Princi-

Principum suorum, & ab his gestorum actuum notitiam præ aliis habeant eorum vasalli & subditi, præsertim ministri; ac proinde ad testimonium de iis perhibendum isti non minùs, quàm domestici de rebus domi & secretò gestis, sint admittendi. Ita ad hanc *Rubricam* Engel *n. 29.* & Rob. König *num. 17.* exigentes, ut eorum depositioni juramenti, quô Principi suo adstricti sunt, ad eum actum relaxatio præmittatur: nisi eô ipsô, quòd à Principe producti sint, relaxatum censeri possit.

21. Contra certas personas testari prohibentur, liberi contra parentes, propter reverentiam, quam his debent; hi contra illos, propter naturalem affectionem, cui ejusmodi testificatio adversatur, *can. Si testes 2. §. Parentes, 4. q. 2. & l. Parentes 6. C. hic.* Liberti contra Patronos, *can. cit. §. Liberti, & l. Libertorum 12. C. hic.* Reus criminis contra suum in eo socium, *c. Veniens 10. l. Quoniam 11. C. hic & l. fin. V. Nemo, C. de Accusat.*

22. Inimicus capitalis contra suum inimicum, *c. Cùm oporteat, 19. de Accusat. l. Testium 4. pr. ibi, An inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, ff. & l. Si quis 17. hic,* adeò; ut etiam in exceptis, puta, læsæ Majestatis, hæresis, Simoniæ aliisq; gravissimis criminibus, & in occultis, cæterísque difficilis probationis factis & delictis non admittatur, Menoch. *de Arbitr. q. 28. n. 2.* & Farinac. *q. 53. à n. 3.* quòd, propter odium & ex isto ortum nocendi desiderium studiúmque, de falsitate suspectum sit ejus testimonium, *arg. l. 1. §. 24. ff. de QQ. Capitalis,* inquam, ut, qui de capitali crimine aliquem accusat, eive minatus est, aut in ejus consanguineum machinatus est mortem, aut simile malum, arbitriô judicis grave, Panormit. *in c. Accedens 4. Ut lite non contest. n. 3.* Non inimicus qualiscunque; cùm ob levem inimicitiam testis in causis saltem Civilibus, etsi ejus fidem aliquô modô minuat, non repellatur, Clarus §. *fin. q. 24. n. 5.* Imò etiam admittatur inimicus capitalis, qui, antequam in testem producatur, non omnino recenter, sed ab aliquo tempore itáque reconciliatus fuit; ut, odium & nocendi animum in eo extinctum, præsumi possit; etsi etiam talis omnino integer testis non sit, Gomez *Tom. 3. Var. cap. 12. n. 14.* & *cit.* Farinac. *à num. 25.*

Dubium hic duplex moveri solet. 23.
Unum de Judæis & Paganis, an testificari valeant contra Christianos. Ratio dubitandi est; quòd contra ipsos testes esse queant Christiani, *c. Judæi 12. & Clement. 1. hic.* Cùm igitur in judiciis servanda sit æqualitas, *c. Significantibus 2. de Mut. petit.* etiam contra hos recipiendi erunt Judæi &c. Sed ratio hæc levis est; quia æqualitas, quæ in judiciis servanda dicitur, *c. cit.* concernit personas actoris & rei, *Reg. Non licet 32. in 6.* non etiam testium, *Clement. cit. V. Juri;* quia, si hos etiam spectaret, contra periuros, excommunicatos, infames & cæteras personas à testimonio remotas testificari nemo posset, ut cum *cit.* Glossa rectè notat Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 4. n. 271.* Quare, eâ non obstante, Judæos & cæteros infideles à testimonio adversus Christianos dicendo, idem cum Panormit. *in c. Judæi n. 3.* Speculat. §. *cit. n. 59.* & Farinacio *q. 54. num. 205.* non admittit, propter textus *can. 75. Apostol. can. Non potest 24. can. Pagani 2. q. 7. & can. Ipsa pietas, 23. q. 4.* Quibus id statuendi ratio fuit partim justa suspicio falsitatis; cùm utique credendum non sit eis, qui Veritatis à se fidem abiecerunt, *can. Non potest cit.* partim verò odium perfidiæ, & favor Fidei Christianæ: cui, quia à privatis renuntiari non potest, *c. Si diligenti 12. de Foro compet.* eos adversus

versus Christianos etiam consentientes deponere, Jure prohiberi, volunt Felin. *in c. Quam sit 17. de Judæis n. 1. citt.*

24. Speculat. *n. 9.* & Farinac. *n. 225.* Eadem ferè, quæ Judæorum ac Paganorum, ratio est Hæreticorum; cùm à testimonio in judicio dicendo contra Orthodoxos, utroque Jure etiam ipsi removeantur, *l. Quoniam 21. C. de Hæreticis, can. Si hæreticus 25. §. Orthodoxis, 2. q. 7. & c. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæret.* Ex Consuetudine tamen in Germania & Provinciis, in quibus Catholicis permixti degunt, si aliunde inhabiles & suspectæ fidei non sint, eorum perinde ut Orthodoxorum depositiones recipiuntur; quòd vi Pacis & Pactorum publicorum non solùm tolerati, sed quorumcunque munerum & officiorum publicorum sint capaces. Cujusmodi Consuetudinem non damnat Farinacius *cit. q. 56. n. 237.*

25. Alterum dubium est de laicis, an contra clericos valeant testificari. Certum est, deponere contra hos posse in causa Civili, aut, cùm de crimine agitur Civiliter tantùm, arg. à contrario ductô ex *c. De cætero 14.* Cùm autem de crimine Criminaliter conveniuntur, laicos admittendos, desumi videtur ex *c. Quoniam 3.* ubi tali casu etiam admittitur mulier; ac proinde multò magis laicus vir, arg. *c. Forus 10. de V. S. & c. fin. de Testib. 6og.* ubi civium testimonium admittitur in causa conspirationis in Episcopum, utique Criminali.

Sed, in talibus clericorum causis laicos regulariter non admittendos, clarè expressum, *can. Testimonium, 11. q. 1. can. Ipsi, 2. q. 7. & c. De cætero cit.* partim ob reverentiam, quam clericis, tanquam Dei vice in terra fungentibus, cæteri fideles debent: partim verò; quòd laici sint diversæ conversationis, Ordinis inferioris, & non rarò à clericis alienioris affectionis, *can. Laici, q. cit. & c. Clericis 3. de Immunit. in Eccles. 6.*

Neque aliud desumitur ex *cc.* in contrarium allegatis; quia iis mulier & & laici ad criminis probationem admissi sunt, propter defectum aliarum ejus probationum, aut etiam propter sceleris enormitatem: quibus casibus, & in criminibus exceptis, uti etiam ad probandam criminis enormitatem, aut famam mulieres, laicos & alios de Jure aliàs inhabiles recipi posse: &, si non plenam probationem, saltem indicium ad torturam facere, *in c. De cætero cit.* cum Glossa notat Panormit. *n. 3.* Barbosa *num. 4.* & Farinac. *cit. q. 61. an. 104.*

Eôdem modô, quando crimen aliter probari potest, testimonium clerici non admittitur contra laicum, *can. Testimonium cit.* ut æqualitas servetur; quòd maximè procedit in causis sanguinis, propter periculum contrahendæ irregularitatis, Panormit. & Felin. *in c. De cætero cit.* uterque *n. 1.* & *cit.* Farinac. *n. 57.*

ARTICULUS III.

De Iis, qui in certis Causis non admittuntur.

SUMMARIUM.

27. *Mulier in Feudali,*
28. *Et, Jure saltem Canonico, in Criminali:*
29. *Quivis in eâ, cui similem habet,*
30. *Et in propria causa idoneus testis quis non est:*
31. *Etsi talis sit legatarius in testamento.*
32. *In causa suæ Ecclesiæ Clerici & Religiosi aliquando,*
33. *Non semper repelluntur:*
34. *Et cùm admittuntur, integri testes ferè non sunt,*

35. Pro-

35. *Præsertim in causis valde præjudiciosis.*
36. *Eadem fere ratio est Prælati.*
37. *Criminis testis est, qui id, non Civiliter,*
38. *Sed Canonicè denuntiavit.*
39. *Testes minùs idonei in Criminibus exceptis,*
40. *Cùm de peccato vitando agitur,*
41. *Et in nonnullis aliis causis admittuntur.*
42. *Admissi tamen integri non sunt:*
43. *Nisi eorum fides aliunde fulciatur.*

27. EX iis, qui in certis causis testificari nequeunt, est Imprimis mulier in causa Feudali, *Lib.* 2. Feud. *Tit.* 32. *V. De veteri*: uti etiam in causa Cirminali criminaliter intentata. Non quidem Jure Civili; hoc enim earum testimonium generaliter, solò testamentò exceptò, admittit, *l. Qui testamento* 20. §. 6. *ff. Qui test. fac. poss.* sed Canonicò, eas à causis, quibus de crimine ad vindictam publicam agitur, removente, *can. Mulierem, 33. q. 5. & c.* 28. *Forus* 10. *de V. S.* Ratio est; quòd naturâ suâ sint infirmæ, fragiles, inconstantes; & propterea sibi non constans, sed varium ac mutabile testimonium semper fœmina producere dicatur, *c. Forus cit.* Unde *can. Ex eo*, 15. *q* 3. cum *l. Ex eo*, 18. *ff. hic*, unde *can. cit.* à Gratiano in Decretum translatus est, vel Jure Decretalium posteriori correctus, vel ad causas Civiles restringendus est cum Glossa *ibi, V. Testimonium* & Barbosa *in c. Forus cit. n.* 9. Nisi de crimine agatur civiliter; ad damni illati resarcitionem: vel per modum exceptionis, ad aliquem removendum, opponatur, secundùm textum & Glossam *c. Tam literis* 33. *V. Fœminas*: vel adversus criminosum per Denuntiationis aut Inquisitionis viam procedatur, *c. Quoniam* 3. his enim casibus, &, cùm probationes aliæ deficiunt, etiam mulierum de crimine testimonium recipi, cum Glossa *in c. cit. V. Mulieres*, & Panormit. *ibid. n.* 2. tradunt Speculator *Tit. de Teste. §.* 1. *n.* 83. & Farinac. *Prax. Criminal. q.* 59. *n.* 5. & 9.

Deinde quilibet in causa, cui consimilem ipse habet, *c. Personas* 20. Sic enim vg. Parochianus, immunitatem à solvendis decimis adversus Parochum prætendens, in causa alterius, super eadem immunitate cum Parocho litigantis, idoneus testis non est: sicut legitimus controversiæ judex non est, qui similem illi causam habet, *c. Causam* 18 *de Judiciis*; quòd uterque meritò sit suspectus; cum Jure testimonium non aliter dicturi præsumantur, quàm quomodo id sibi dici, ipsi optant, Gonzalez *in c. Personas cit. n.* 2. 29.

Et demum multò magis quilibet in propria sua causa, *can. Si testes* 2. §. *Nullus*, 4. *q.* 3. *l. Testis* 10. *ff.* & *l. Omnibus* 10. *C. hâc Rubr.* 30.

Propria autem causa dicitur, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem proprio nomine pertinet, *l.* 1. §. 11. *ff. Quando appell. sit*; ut, si testimonium in ea perhibeat, commodum percipiat: vel, si id non faciat, damnum patiatur. Hinc non solùm Actor vel Accusator & reus in causa inter ipsos litigiosa, *can. Nullus utroque*, 4. *q.* 4. sed etiam Procurator, & Advocatus in ea, quam agendam vel defendendam susceperunt, *can. Si testes cit.* §. *Patroni, c. Insuper* 6. *c. fin. in* 6. & *l. fin. ff. hic*: Syndicus, Tutor, Curator in controversia, super suæ administrationis rebus & juribus mota, *cit.* Farinac. *q.* 60. *n.* 272. Socius bonorum communium pro socio in causis Societatem concernentibus, Glossa *in l. Quoniam* 1. *C. hic*, Farinac. *ibid. n.* 386. Hæres in

testamento, in quo est institutus, *l. Qui testamento 20. pr. ff. Qui test. fac. poss.* Judex in causa, de qua cognovit & sententiam tulit, vel est arbitratus, *can. Statutum, 2. q. 9. c. Dilecto 40. hîc.* Ratio est; quòd hi omnes, iisque similes alii, emolumentum, commodum, aut saltem honorem habeant ex victoria, vel damnum aut existimationis suæ jacturam patiantur ex condemnatione.

31. Neque adversatur; quòd testis esse queat legatarius & fideicomissarius, non obstante commodô, quod ex testamento valido in eos redundat, *l. Qui testamento 20. pr. ff. Qui test. fac. poss. & §. Legatarii 11. Instit. de Testam.* quia negotium successionis, de quo agitur in testamento, non inter testatorem & legatarios, sed inter illum & hæredem geritur; & propterea istius non illorum proprium negotium esse censetur. Quòd autem, non obstante commodô in se redundante, testes esse possint legatarii, specialiter introductum est favore testatorum, quorum ultimæ voluntates sæpe corruerent ob defectum testium, si istorum nemo legatarius esse posset, Minsinger *in §. cit. num. 4.* & Manzius *ibid. num. 9. & 16.* Unde

32. Dubium & frequentis in praxi usûs controversia oritur de Clericis & Religiosis, an testes esse valeant in causa suæ Ecclesiæ vel Monasterii. Affirmativam suadent clari textus, *c. Cùm nuntius 12. c. Veniens 38. in fine, c. Tuis 39. c. Nuper 51. hîc, & c. Etsi Christus 26. in fine, de Jurejurando.* Negativam ratio; quia Clerici, præsertim Religiosi, sunt domestici suæ Ecclesiæ vel Monasterii; cùm in isto refectorium & dormitorium habeant, *can. Necessaria, 12. q. 1.* & istius victoria in ipsorum commodum redundet; ideóque propter singularem affectionem à testimonio, in ejus, tanquam propriâ suâ, causâ, perhibendo videantur repellendi.

Hujus sententiæ utriusque conciliationem utcunque expeditam reddet distinctio, *c. Insuper 6.* insinuata. Et quidem, si clericus vel religiosus Ecclesiæ vel Monasterii sui causam agat per se ipsum: vel ad hanc agendam tuendámve procuratorem solus constituat: uti &, si causa concernat rem, in religiosorũ vel clericorum singulorum utilitatem immediatè redundantem, vg. prædium, ex cujus annuis proventibus singuli aluntur & vivunt, nemus vel pascua, in quibus singuli de universitate ligna cedunt, eorúmve animalia pascuntur: hôc, inquam, casu testimonium dicere propter allatam rationem non possunt; cùm vel procuratores sint, vel litigantes principales, quorum maxima affectio est ad talem causam, Panormit. *in c. Super cit. n. 4.* Farinac. *ibid. n. 6.* Menoch. *de Arbitr. casu 169. num. 13.* & Farinac. *cit. q. 6. n. 495.*

33. Si autem causa, in qua non de propriæ Mensæ, sed de ipsius Ecclesiæ, Monasterii, sive ejus fabricæ rebus agitur, per solum procuratorem à Prælato & tota communitate simul constitutum agatur, testis esse clericus aut religiosus non prohibetur, propter textus allatos pro Affirmativa: cujus ratio est partim; quia causa communitatis non est propria singulorũ, *l. In tantùm 6. §. 1. ff. de Rer. divis. & l. Sed si hac 10. §. 4. ff. De injus vocando*; ac proinde non censetur nimia eorum affectio ad illam; cùm ferè communiter negligantur, quæ communiter possidentur: &, quod collegio datur, nemini datum dicatur, post *can. Episcopus 58. §. Qui manumittitur, 12. q. 2.* partim verò; quia, qui sunt de Collegio vel Ecclesia, melius quàm alii, imò ferè soli sciunt ea, quæ ad illud, aut hanc spectant. Unde in eorum causa admittendi videntur perinde, ut de his, quæ intra domûs secreta contingunt, istius iniquilini, *l. Quoties*

Quoties 3. C. de Naufragiis, præsertim, cùm admitti nuspiam expresè prohibeantur, *citt.* Panormit. *n.* 2. Felin. *n.* 1. Menoch. *à n.* 4. Farinac. *à n.* 450. & Gonzalez *in c. Super cit. n.* 6.

34. Rectè tamen hôc locô DD. duo notant. Primum est, singulos de Monasterio, Collegio, aliáve universitate, etsi in istius causa, singulorum commodum, vel damnum non concernente, admittantur, tamen ob affectionem, quâ in collegium, vel universitatem ferri præsumuntur, testes omni exceptione majores, ut duo plenam, unus semiplenam fidem faciat, non censeri, *citt.* Menoch. *n.* 3. & Farinac. *n.* 536. nisi de actu ab ipso collegio gesto, puta de electione, tractatu vel consensu Capitulari in alienationem &c. agatur, *c. Tertiò 5. de Probat. & c. Veniens 38. citt.* Felinus *n.* 3. & Farinac. *n.*

35. 539. Alterum in causis Criminalibus, non intra membra, sed ipsum collegium vel universitatem, atque extraneos agitatis: imò in causis Civilibus valde arduis & præjudiciosis, vg. si de magna jurisdictione vel prærogativa collegii vel universitatis agatur, singulos, qui illud, aut hanc constituunt, ad testificandum in eorum favorem contra extraneos non admitti; quòd in talibus causis ordinariè probationes exactissimæ; ac proinde testes omni exceptione majores, & minimè suspecti exigantur, *citt.* Panormit. *n.* 3. Felin. *n.* 4. Menoch. *num.* 17. & Farinac. *n.* 508. & 521.

36. Dubium secundò est, an in Ecclesiæ, vel Monasterii sui causa testis esse valeat ejus Prælatus. Ratio dubitandi est, quòd istius mentio non fiat *c. Insuper cit.* textu: & meritò; cum Ecclesiæ vel Monasterii sui procurator sit & administrator, *c. Edoceri 21. de Rescript. & c. Fraternitatem 2. de Donationib.* quos à testimonio removeri, est dictum. Sed revera, *c. Insuper cit.* sicut de religiosis, & clericis subditis, ita de istorũ quoq; Prælato procedere, insinuat inscriptio, *Priori & Fratribus:* quorum, in suæ Ecclesiæ causis, testimonium subjectus textus admittit, ut ibi notant Panormit. Felinus & Barbosa *pr. aut n.* 1. Unde casu, quò non agitur de rebus ad Prælati Mensam spectantibus: neque de rebus ipsius Ecclesiæ seu fabricæ, ipse judicium subit: neque ad agendum pro iis vel defendendum procuratorem solus constituit, testificari in Ecclesiæ suæ causis Prælatum posse, cum *citt.* & aliis Interpp. docent Speculat. *Tit. de Teste*, §. 1. *n.* 23. & Farinac. *q.* 60. *n.* 544. Quod etiam suadet ratio; quia Prælatus in suæ Ecclesiæ causa potest esse judex, *can. Si quis, 2. q. 7. & c. Cùm persona 7. de Privileg. in 6.* quantumvis judex faciliùs, quàm testis repellatur, Glossa *in c. Cùm R. 35. V. Cùm sint, de Offic. delegat.*

Majorem quàm textus, Prælatum tamen à testimonio in Ecclesiæ vel Monasterii sui causis omnino removendi vim non habet ratio; quia Ecclesiæ suæ procurator & administrator *cc. citt.* vocatur, non ratione alicujus mandati, ab aliquo principali accepti ad agendum & defendendum: sed; quia rerum Ecclesiæ suæ ratione sui tituli curam habere tenetur: quam habens, si ejus causam in judicio ipse non tractet, neque ad eam pertractandam procuratorem solus constituat, à testimonio in ea non removetur; cùm favore Ecclesiæ: tum; quòd ad eam specialem & testimonii fidem diminuentem affectionem habere, non præsumatur, Barbosa *l. cit.* & Gonzalez *in c. Insuper cit. n.* 7.

Dubium tertiòest, an denuntians testis 37.
esse queat criminis à se delati. Ratio dubitandi est; quòd non minorem ad denuntiationis negotium affectionem habere censeatur, quàm accusator ad accusationẽ.

Propter quam rationem differentia ſtatuenda eſt inter eum, qui Judicialiter: & eum, qui Evangelicè aut etiam Canonicè alterum denuntiat; cùm enim denuntiatio judicialis, ſi privata, proprium deferentis intereſſe perſequatur; &, ſi publica ſit, ad pœnam & vindictam publicam de eo, qui defertur, ſumendam, ferè ut accuſatio, tendat, ut *Lib. 5. tit. 1. n. 69.* dicetur, ille,
38. ſive judicialiter aliquem denuntians, à ſe delati criminis teſtis eſſe Jure prohibetur, *can. Nullus cit.* etſi iſte, ſive Evangelicâ, imò etiam Canonicâ, denuntiatione utens, quòd à ſe delati bonum, ſcilicet peccati, ab eo committendi evitationem aut emendationem, Chriſtianæ charitatis ſpiritu potiùs, quàm Zelô juſtitiæ intendat, omnino admittatur, *c. In omni 4.* tanquam non ſpecialiter affectus ad cauſam; quia hæc propria cenſetur, non ipſius, ſed denuntiati, cujus utilitatem ſpecialiter intendit, Barboſa *in Select. in c. cit. n. 5.* Accedit; quòd Evangelicè denuntians, teſtis ſit non tam commiſſi criminis, quàm fraternæ correptionis, juxta præceptum Chriſti Matth. *cap. 18. V. 18.* à ſe præmiſſæ: ſicut nuntius ad citandũ miſſus teſtis eſt à ſe factæ citationis, ut *cit. c.* textũ explicat Gonzalez *n. 5.*

39. Dixi ſuprà *n. 3. Ordinariè*; quia ex perſonis, de Jure ad teſtimonium dicendum inhabilibus, pleræque admittuntur Primò, in læſæ Majeſtatis, hæreſis, Simoniæ, Sacrilegii, veneficii, latrocinii, falſationis monetæ, aliſque criminibus exceptis, *c. 1. de Confeſſ. c. fin. hîc c. In fidei 5. de Hæret. in 6. &c.* in quibus, propter enormitatem, &, quòd ad Reipublicæ perniciem ſpecialiter tendant, Jure præſcriptus in criminoſos procedendi Ordo & Regulæ non ita accuratè obſervantur, Farinac. *q. 62. à n. 81.*

In crimine Simoniæ ſpecialiter ejus ſocium ad teſtificandum admittere videntur Boërius *Deciſ. 319. n. 2.* Redoanus *de Simonia p. 4. cap. 5. num. 28.* & Menoch. *de Arbitr. caſu 474. num. 31.* qui tamen non ita, ut verba ſonant, generaliter ſunt exaudiendi; cùm hac in re diſcrimen in terminis ſtatuat ipſum Jus, *c. 1. hâc Rubric. in 6.* ubi, relatô Concilii Lugdunenſis decretô, hujus criminis ſocii teſtimonium eô ſolùm caſu admittitur, quô is ſolius criminis, non etiam muneris & emolumenti, ſive rei temporalis pro beneficio obtinendo datæ, particeps fuit; atque inſuper de crimine agitur civiliter, ſive ad privationem ſeu potiùs ablationem beneficii, re temporali mediante, ac proinde non canonicè, obtenti. Unde iis caſibus, quibus de crimine illo criminaliter, ſive ad Simoniæ commiſſæ rei depoſitionem ab Ordine aliámve punitionem publicam agitur: vel Simoniamde ſe confeſſus, non ſolius criminis, ſed muneris quoq; & emolumenti temporalis accepti reus fuit, criminoſus de ſocio non interrogandus, neque ejus teſtimonium eſt admittendum, Farinac. *q. 62. n. 55.*

Secundò, cùm ad impediendum peccatum probanda eſt vg. conſanguinitas, affinitas, vel aliud ſimile impedimentum, inter perſonas matrimoniô conjungendas intercedens, *c. Super eo 22. cit.* Farinac. *num. 99.*

Tertiò, quando, idoneis teſtibus aliiſque legitimis probationibus deficientibus, difficilis probationis rei, aut actûs, præſertim occulti, veritas aliter, quàm ejuſmodi perſonarum depoſitionibus, omnino vel ita bene cognoſci non poteſt, *arg. c. Veniens 38. in fine hîc, l. Divus 1. pr. ibi, Sed ſi aliter veritas, ff. de QQ.* Farinac. *n. 50.* Quartò in cauſis, in quibus proceditur ſummariè, & exactæ probationes non requiruntur, vg. cùm, duobus de ejusdem rei poſſeſſione contendentibus, ne ad arma & manus veniatur, proce-

proceditur ad seqüestrationem: & generaliter in omnibus judiciis, in quibus leves & apparentes probationes sufficiunt, Farinac. *n.197.* Quintò, si litigans ad productionem testium legitimè citatus, productis contra se inimicis suis, vel adversarii consanguineis, affinibus, domesticis, sociis & similibus in sui favorem à Jure inhabilitatis, cùm posset, nihil opponat, itáque in eorum receptionem tacitè consentiat: & alios ob infamiam, crimen, statum vel conditionem non idoneos, neque ipse excipiendò, neque ex officio judex repellat, Farin. *à n. 171.*

42. His tamen & aliis etiam casibus, legitimas probationes exigentibus, ad testificandum admissæ minùs habiles personæ, non integræ fidei censentur; ut adversus eum, contra quem producuntur, neque singulæ semiplenam, neque duæ conjunctæ plenam, sed aliqualem duntaxat faciant probationem, & præsumptionem sive indicium, in criminalibus sufficiens ad torturam, Farinac. *q. cit. n. 73.* Contra eum verò, à quo producuntur in eâdem, imò etiam in diversis, tam Criminalibus, quàm Civilibus causis, singulæ semiplenè, ac proinde duæ plenè probant, *can. Si testes* 2. §. *Si quis 4. q. 3.* &, ex qua canon iste desumptus est, *l. Si quis 17. C. hic*, Baldus *ibi in Summa*, Regulæ instar tradens, personam ab aliquo firmatam in actu uno, firmatam censeri in omni causa; ut ab eo nequeat reprobari, Farinac. *q. cit. n. 211.*

43. Ejusmodi tamen minùs habilis & exceptionibus obnoxiæ personæ fidem, in causis non valde arduis ad condemnationem: & in Criminalibus saltem ad torturam supplere potest non tantùm magna fides, & excellens habilitas contestis, omni exceptione majoris, sed etiam minùs idoneorum numerus; ut, vg. si de eodem actu unus integræ & valde excellentis fidei & duo minùs habiles, vel hujusmodi quatuor aut plures testes deponant: uti etiam, si ejus dicta adminiculis & præsumptionibus verisimilibus adjuventur, plenèprobent, *cit.* Farinac. *à n. 328.*

ARTICULUS IV.

De Productione & Juramento Testium.

SUMMARIUM.

44. *Testes producendi in Judicio, si possunt.*
45. *Secus, per alios sunt examinandi.*
46. *Citanda ad productionem est pars adversa:*
47. *Pauca casibus exceptis.*
48. *Testi objecti defectûs probatio statim admittitur, si parata est.*
49. *Secus differtur.*
50. *Ei Juramentum Veritatis deferendum,*
51. *Et super tribus præstandum est.*
52. *Testes non conducendi pretiò:*
53. *Eis tamen præstanda alimenta,*
54. *Damna & neglecta lucra sunt resarcienda.*
55. *Juramentum depositionem debet præcedere:*
56. *Non sequi ex intervallo.*
57. *Id Nobilibus alicubi remisit consuetudo:*
58. *Et aliis remitti à partibus potest.*
59. *Nisi causa sit Criminalis vel Spiritualis.*
60. *Testium productio tertia locum habet:*
61. *Nisi ei sit renuntiatum.*
62. *Quarta non nisi cum solennitate Legali:*
63. *Quinta nunquam admittenda est.*

44. PRoductio testium, extra casus ad *Tit. 6.* declaratos, facienda est post litem contestatam, præstitúmque à partibus, si exactum fuerit, Calumniæ juramentum: intra terminum, quem ad intentionem actor, & reus ad exceptionem suam probandam accepit: atque apud eum judicem, coram quo lis agitur, *l. Testium 3. §. 3. ff. & c. fin. hic*; regulariter enim testes in conspectum judicis venire debent; ut, quò vultu, quâ constantiâ vel trepidatione singuli jurent, & testificentur, cognoscere valeat, §. 3. *cit.* Panormit. *in c. De testibus 29. n. 10.*

45. Sed hoc, ut dictum, regulare: non perpetuum est; quia, si testes non ejus, sed alienæ jurisdictioni sint subjecti, *l. fin. ff. de Jurisdict.* si personæ constitutæ in dignitate, magistratu, vel alio munere honorifico conspicuæ, aut Nobilitate, Religione, aut Doctoratu insignes, *l. Ad personas 15. ff. de Jurejur.* si mulieres honestæ, præsertim Moniales, *c. Mulieres 2. de Judiciis, in 6. & Novell. 124. cap. 1.* Si senes, valetudinarii, vel paupertate pressi, *c. Si qui testium 8.* si milites, vel causâ Reipublicæ sint absentes, aut in loco remotiori degant, *l. Testium cit. §. 6. & l. Inviti 8. ff. hic:* vel, quò minùs personaliter coram judice compareant, aliter impediti; si, inquam, testes hujusmodi personæ sint, quòd in ipso judico, in quo lis agitur, produci non possint, per judicem ordinarium loci, in quo degunt, ad id requisitum, vel per notarium, aut aliam personam discretam & peritam, ad hoc specialiter delegatam, examinari, eorúmque depositiones seu testimonia scripta & obsignata ad causæ judicem referri aut remitti debent, *c. Constitutus 3. de Fide jus. l. Judices 18. Auth. Apud eloquentissimum C. de Fide instrument. & Novell. 90. cap. 5.* ubi excipiuntur causæ Criminales: in quibus tamen aliisque causis arduis ex consuetudine, ne contrà, quàm utilitas, imò necessitas publica exigit, crimina maneant impunita, examen testium, ex relatis causis absentium, aut impeditorum, imò etiam propter multitudinem negotiorum, quibus ipse judex distringitur, aliis committi posse, cum Baldo *in Auth. cit. n. 1.* docent Farinac. *Prax. Criminal. q. 77. n. 198.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 96. n. 10.*

Ad testium autem productionem 46
citanda est pars adversa: non; ut illorum interrogationes & depositiones intelligat: sed; ut ipsos videat, & audiat eorum juramenta: &, si quid fortè eorum personis, quò minùs ad testificandum idoneæ sint, objici possit, id proferat ante eorum receptionem & examen, vel saltem ante attestationum publicationem, *c. Præsentium 3.* Ubi

Dubium est de hujusmodi citationis necessitate: quod oritur ex *c. Præterea 12. de Sponsal. & c. fin. de Haret. in 6.* quorum textuum priori ad unius, occultè & parte non citatâ deponentis, testimonium matrimonium contrahendum impeditur: posteriori personæ & nomina testium reo celari jubentur.

Nihilominus ad productionem & juramentum testium partis adversæ citationem necessariam: eáque omissâ illorum examen ac receptionem nullam esse, clarè habetur *c. In nomine 2.* ut, parte non citatâ, eorum attestationes non solùm plenè probandi non habeant vim: sed neque indicium aut præsumptionem faciant adversus eum, contra quem sunt receptæ: quod desumitur ex *c. cit.* verbis, *Attestationes eorum, parte non citatâ receptorum, nullius momenti esse oportere*, ut cum Panormit. *in c. cit. n. 14.* Felino *n. 3.* & aliis Interpp. observant Gomez *Var. Tom. 3. cap. 12. n. 20.* & *cit.* Farin. *q. 72. àn. 87.* Ratio est partim; quòd generaliter, ubi de ali-

de alicujus interesse agitur, semper is citandus sit, *l. De unoquoque 47. ff. de Re judic.* partim verò; quòd, si una tantùm pars præsens sit, aut citetur, testes, qui in utriusque partis præjudicium probandi vim habent, in favorem solius præsentis, & in absentis odium producti videantur; itáque iste jure excipiendi contra testes sibi concessô *c. Ex parte* 7. privetur.

47. Neque aliud evincunt in contrarium allegati textus; quia priori de vitando peccato agitur: posteriori autem de favore Fidei ac Religionis Catholicæ: propter quæ, sicut alia, aliàs non permissa, conceduntur, sic etiã fides habetur testibus deponentibus, parte non citatâ, eorúmque nominibus suppressis, Panormit. in *c. Præterea cit. n.* 7. & Gonzalez *in c. In nomine cit. n.* 10.

Præter hos casus testes, parte non citatâ, recipi etiam possunt, quoties judex ex officio per viam Inquisitionis procedens, quis delictum commiserit, generaliter, nullâ certâ personâ expressâ, indagat: quando periculum est in mora; quòd vg. debitor suspectus de fuga, vel testes in remotas partes sint discessuri: quando adversarius in receptione testium aliàs est præsens; quia ejus in judicio præsentia supplet defectum citationis, *Auth. Si quis C. hic*: quando adversarii potentia timetur, & aliis casibus relatis à *cit.* Farinac. *n.* 36. & 103.

Si pars adversa, ad testium productionem citata, compareat: uti &, si citata & legitimè non impedita absit; quia contumaciter absens in sui præjudicium pro præsente habetur, *l. Properandum* 13. §. 2.
48. *C. de Judiciis:* si, inquam, hoc contingat & testibus productis excipiendô objiciatur aliquid, quod probatum eos à testimonio repellat, multùm interest, an objectus defectus notorius sit, aut secus; si enim notorius sit, uti &, si in continenti probari possit, ante omnia ejus probatio admittenda, & testium, quorum defectus probatus fuerit, receptio omittenda est, adeô; ut nihilominus examinati & recepti nihil probent, atque ex eorum depositionibus lata sententia rescindenda, imò rescissa sit *c. Ex parte cit.* Panormit. *ibi n.* 8. Menoch. *de Arbitr. casu 239. n.* 12. & *cit.* Farin. *q. 62, n. 358.* Si objectus defectus notorius 49.
non sit, ejus probatione ad finem litis reservatâ, examen & depositiones testium ordinariè non impediuntur, vel differuntur, *Auth. Si testis C. hic*; Glossa in *c. cit. V. Infames*, Panormit. *l. cit.* Lanfranc. *de Testib. n.* 49. & Farinac. *q. cit. n.* 350. quia fortassis actoris intentionem vel rei exceptionem aliunde probari, & judici ad sententiam ferendam ejusmodi testium depositionibus opus non esse, apparebit.

Si autem productis testibus, quòd eo- 50.
rum testimonia enervet, nihil objiciatur, in examinis limine ab ipsis judex exiget juramentum Veritatis, *can. Imprimis* 7. §. *Quia igitur*, 2. *q.* 1. *c. Fraternitatis* 17. *c. Nuper* 51. *l. Juràjurandi* 9. & *l. Testium* 18. *C. hîc*: quod à testibus exigendi ratio est; ut juramenti Religione, eóque invocati Divini Numinis timore moveantur ad dicendam veritatem: quæ ut eliciatur in judiciis, maximè curandum est; ne per sententiam litigantium alterius jus facilè lædatur.

Jurare autem testes debent Inpri- 51.
mis, se super omnibus, de quibus interrogabuntur, veritatem, quam sciunt, pro litigantium utroque dicturos, *c. Quoties* 5. Glossa *in c. Fraternitatis cit. V. Juramentis.* & *l. Jurisjurandi cit. V. eôdem.* Deinde, se nec pretiô, nec amore, nec timore, nec odiô, nec pro alio commodo, sed solius veritatis studiô ad testificandum inductos, *c. Quoties cit.* junctâ Glossâ *fin in c. Fraternitatis cit.* Et demum, se depositiones suas ante earum publicationem

neutri

neutri parti revelaturos, *can. Si testes* 2. §. *Qui falsò*. 4. *q.* 3. Speculat. *Tit. de Teste*, §. 4. *n.* 1. & 2. *citt.* Lanfranc. *n.* 6. & Farinac. *q.* 74. *à n.* 16. Unde

52. Dubium nascitur primò, an ergo testes pretiò nequeant conduci. Ratio dubitandi desumitur à paritate advocatorum, qui pretiò conduci permittuntur, *can. Non licet*, 11. *q.* 3. *& can. Non sanè*, 14 *q.* 5. quia, sicut isti de Jure, sic testes de facto testimonium perhibent.

Sed ita conduci testes non posse, *c. Licet* 9. *de Probat. & c.* 1. *& c. Quoties cit. hic* apertè decisum, & ratio est; quòd pretium accipiens in dubio falsum deponere præsumatur, cùm; quia pretium excæcat oculos etiam justorum, Deuter. *cap.* 16. *V.* 19. & Ecclesiastici *cap.* 20. *V.* 31. Unde, id pro testimonio accipiens, pretium potiùs, quàm justitiam respicere videtur: tum; quia acceptô pretiô deponens est perjurus, *c. Sicut* 9. priusquam enim deponat, jurat; quòd neq; pro amicitia, neq; pro alio cõmodo &c. testimonium dicat, *c. Quoties cit. & c. Licet* 47. *V. Testes:* perjurii autem à testimonio repelluntur, *c. Ex parte & c. Licet citt.* Accedit; quòd hujusmodi pecuniâ corrupti testis à Jure non solum reprobata sit fides, *cc. citt. & l. Testium* 3. §. 5. *ff. hic* sed ipse quoque crimine & pœnâ falsi teneatur, *l.* 1. §. *Si quis ob testimonium dicendum vel non dicendum pecuniam acceperit, pœnâ Legis Cornelie tenetur, & l. Falsi* 20. *ff. ad L. Cornel. de Falf.* Glossa *in c.* 1. *cit. V. Pretiô, ubi* Panormit. *n.* 2. *citt.* Speculat. §. 1. *n.* 43. & Farinac. *q.* 67. *n.* 236.

Neque par ejus ratio est & advocati; quia advocatis salaria permissa sunt, propter laborem & industriam, quam addiscendo & allegando Juri impenderunt: cujusmodi labor & industria, cùm in dicendo testimonio non reperiatur, nulla est ratio salarii pro eo constituendi vel exigendi, Gonzalez *in c.* 1. *cit. n.* 10.

Alimenta tamen & sumptus, tam in accessu ad judicii & testimonii dicendi locum, quàm in recessu factos juxta conditionem personæ: damnum quoque acceptum, mercedes & lucra, si à domo & rebus suis non abfuisset, percipienda, & testimonii ferendi causâ neglecta tesli præstare debet is, à quo est productus, *c. Statutum* 11. §. *Pro ferendo, de Rescript. in* 6. *l. Quoniam* 11. *& l. Constitutio* 16. *C. hic*; cùm stipendiis suis, etiam in Foro, militare nemo cogatur, *c. Cùm ex officii* 16. *de Præscript.* &, Naturali æquitate dictante, officium, quod præcisè in alterius gratiam suscepit, alicui non debeat esse damnosum, *c. Cùm non deceat* 30. *de Elect. in* 6. *& l. Sed si quis* 7. *ff. Test. quemad. oper.* Menoch. *de Arbitr. casu* 310. *n.* 10. Gaill. *Lib.* 1. *observat.* 99. *à n.* 1. & Petr. Barbosa *in l. Eum quem* 79. *ff. de Judic. n.* 223. Sicut autem ad cæteras litis expensas, ad sumptus quoque, in testium productione factos, victori postea refundendos victus condemnandus est, *c. Finem* 5. *de Dolo, & l. Properandum* 13. §. 6. *C. de Judiciis:* nisi; quòd non temerè, sed justâ causâ litem susceperit & prosecutus sit, expensarum compensatio fiat. Ita in *c. cit.* Panormit. *n.* 22. alter Barbosa *n.* 6. *& in l. Eum quem cit.* Bartol. *n.* 1. Barbosa *n.* 170. & Bruneman. *n.* 1.

Dubium secundò est de valore depositionum, receptarum à testibus non juratis: quas cujuscunque isti dignitatis & quantumcunque religiosi sint, non valere, desumitur *ex c. De testibus* 29. *c. Nuper* 31. *l. Jurisjurandi & l. Testium citt.* quibus textibus juramentum omnino exigitur; ut depositionibus, per quas alteri præjudicatur, fides habeatur, *citt.* Lanfranc. *n.* 4. Gaill. *observat.* 101. *n.* 1. & Farinac. *q.* 74. *à n.* 1. Quod adeò verum est; ut, si duo vel plures omni exceptione majores

majores & integerrimi testes sine juramento deponant, in alterius præjudicium non plenè probent: sed aliquando duntaxat faciant præsumptionem, Idem *n. 65. & 109.*

56. Neque sufficit; quòd juramentum ex intervallo sequatur depositionem, *c. Fraternitatis* 17. *in fine, & l. Testium cit.* quibus textibus, juramentum hoc priùs recipiendum, diserte habetur. Ratio est; quòd deponens moveri non præsumatur Religione nondum præstiti juramenti: &, si hoc postea præstet, periculum sit perjurii; cùm enim, depositionem suam antè factam falsam esse, nemo facilè fateatur, ad evitandam existimationis suæ notam testimonio falso falsum juramentum facile subjungetur. Dixi, *Ex intervallo*; quia depositionem, quam juramentum incontinenti sequitur, pro valida habendam, docent Baldus *in l. Jurisjurandi cit. n.* 1. Felinus *in c. De testibus cit. n. 5. cit.* Lanfranc. *n. 7.* & pro tali haberi in Camera Imperiali, testis est Gaill. *cit. observat.* 101. *n. 9.* quòd actui inesse videantur, quæ in continenti fiunt, *l. Lecta 4. V. Dicebam ff. de Reb. credit. & l. Petens 27. C. de Pactis.*

57. Quin plurimum Germaniæ nostræ Provinciarum consuetudine invaluit, ut illustres ac nobiles personæ, sicut testimonium in propria persona non dicunt, sed id in scriptis sigillo munitum, & manu propriâ subscriptum judici transmittunt, ita etiam, non præstitô corporali juramentô, sed sub fide sua testificentur, *citt.* Gaill. *n. 13.* & Farinac. *n. 56. & 58.* cùm; quòd in hujusmodi personis, dignitate vel nobilitate valde conspicuis, non magnum sit periculum, aut suspicio fraudis ac subornationis: tum verò; quòd ab iis sub fide & dignitate sua facta assertio vel promissio juramento æquiparetur: illiúsque falsitas aut violatio perjurii instar reputetur.

58. Dubium tertiò est, an juramentum hoc à parte nequeat remitti. Ratio dubitandi desumitur à paritate juramenti Calumniæ, quod expressè remitti prohibetur *l. Cum & judices 2. §. 4. C. de Jur. propt. calum. & arg. c. 1. §. fin. de Juram. calumn. in 6.* Sed non est paritas inter hæc juramenta, cùm; quia Calumniæ publicam: Veritatis autem juramentum privatam utilitatem & favorem principaliter concernit: tum verò; quia remissio juramenti calumniæ ad delinquendum invitat partes: non item testes remissio juramenti Veritatis; quia hi in aliena: partes autem in propria sua causa in judicio versantur: ob eámque causam ex parte istarum, propter proprium interesse, majus periculum calumniæ est, quàm ex parte testium pervertendæ veritatis. Unde, istius juramentum in causis Civilibus remitti posse, ex *c. Tuis 39.* passim desumunt DD. cum Glossa *ibi V. Remittatur*, & Panormit. *n. 6.* Etsi ejus *c.* textu non de juramento ab ipsis testibus: sed de eo à Monachis, se Fratres suos ob aliorum defectum producere asserentibus, præstando agi, verisimiliter existimet Gonzalez *in c. cit. n. 2. in fine.*

59. Dixi, *In Civilibus*; quia in Criminalibus, præsertim Capitalibus: uti & in matrimonialibus, in quibus agitur de conjugii valore: in Beneficialibus aliisque spiritualibus causis, à mera voluntate partium non dependentibus, juramentum hoc remitti à partibus non potest; quia in hujusmodi causis principaliter agitur, non de privata, sed de publica utilitate, exigente; ut delicta puniantur: vel de reverentia Sacramenti, bonóve Ecclesiæ, quibus privatorum pactionibus & renuntiationibus derogari non potest, *c. Si diligenti 12. de Foro competent. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis*, Farinac. *q. cit. à n. 85.* referens alios casus, quibus illud ne-

quit remitti: cùm *n. 84.* monuisset, ejusmodi remissionem, ut depositiones non enervet, faciendam expresè: neque sufficere, quòd pars non contradicat.

In relatis autem & aliis causis etiam, cùm non remittitur, juramenti ea necessitas est; ut quoties novi testes: imò & iidem super novis articulis producuntur, repetendum sit, *c. Fraternitatis cit. in fine.* Nisi isti ad dictum sive testimonium suum declarandum recipiantur, vel priùs de veritate, non super articulis propositis, sed totâ causâ dicendâ juravissent, Panormit. *in c. cit. n.* 1. Butrio *ibid. n. 4. citt.* Gaill. *n. 16.* & Farinac. *à. n.* 47. Unde

60. Dubium nascitur, quoties testes in eadem causa de Jure valeant produci. Bis térve eorum productionem in causis tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus permissam, colligitur ex *c. In causis* 15. *& c. Ultra* 55. quorum dispositio ex *Novell. 90. cap. 4.* est desumpta. De quarta autem productione *cap. cit.* prodita & concordibus DD. suffragiis recepta est distinctio; vel enim, qui bis térve testes produxit, ulteriori productioni renuntiavit, vel non?

61. Si prius, ad quartam: imò, si post primam illi renuntiavit, ad secundam & tertiam non est admittendus, *c. Cùm venissent* 25. ibi, *Si renuntiatum fuit testibus hinc inde*, Panormit. *in c. In causis cit. n. 13.* quia renuntiandò perdidit jus ulteriùs producendi, Glossa in *c. Cùm venissent cit. V. Renuntiatum*; renuntiatio enim illa vim habet conclusionis in causa, post quam in causa principali aliæ probationes non admittuntur, *arg. c. Cùm dilectus 9. de Fide instrument.* Glossa *in c. Cùm venissent cit. V. Renuntiatum, ubi* Panormit. *n. 4.* & Imola *n. 7.*

62. Si posterius, alterâ opus est distinctione; vel enim priùs productorum attestationes jam sunt publicatæ, aut aliter in producentis notitiam pervenerunt, aut secus. Priori casu ad ulteriorem productionem non est admittendus, *cap. 4. cit. & Auth. Qui semel, C. de Probat.* secundùm receptam Glossam *in can. Imprimis 7. V. Si eo præsente, 2. q. 1.* Posteriori autem ad quartam productionem admittetur; sed non nisi cum solennitate Legali, hoc est, nisi priùs juraverit, antea productorum testimonia à se non suppressa vel occultata: ea se non explorâsse, nec didicisse: novam productionem à se bona fide & sine fraude peti. Quam solennitatem requirendi causa fuit partim; ut effrenata testium multitudo & lites protrahendi studium compesceretur, Glossa *in c. In causis cit. V. Productionem*: partim verò, quòd ex sæpius iterata productione oriatur confusio Judicii & præsumptio, quòd eam petens testium depositiones resciverit: &, quia iis intentum suum non probari advertit, alios corruptos producere velit. Ita in *c. In causis cit.* Panormit. *n. 1.* & Gonzalez *n. 5.* Quinta testium §. productione, cum ista quidem solennitate concedenda est; ne nimiâ testium multitudine processus sufflaminetur, & lis ultra modum protrahatur, *cit.* Speculat. §. *3. n.* 11.

ARTICULUS V.

De Testium Numero.

SUMMARIUM.

64. *Duo testes regulariter plenè probant.*
65. *Plures in ultimis voluntatibus:*
66. *Aliquando in contractibus & inventarij confectione:*
67. *Plerumque in Canonica purgatione desiderantur:*
68. *Et olim ad Cardinalis condemnationem requirebantur,*

69. Nec

69. *Neque requiri Divinô Jure prohibentur.*
70. *Unius duntaxat testimonio creditur pluribus casibus,*
71. *Tertio notabiliter non præjudicantibus.*
72. *Testes singulares esse possunt tribus modis.*
73. *Obstativè, sibi mutuò adversandô:*
74. *Quales non probant.*
75. *Cumulativè, se mutuò adjuvandô:*
76. *Quales sæpè, non semper plenè probant.*
77. *Diversificativè, deponendô de diversis:*
78. *Quales plenâ probatione vim minorem habent.*

64. DE Numero testium ad plenam fidem faciendam necessario ac sufficienti Regulam non admittere videri potest varietas textuum Juris utriusque, ad actuum plenam probationem, & quandoque ad ipsam eorum substantiam ac valorem, aliquando duos vel tres, aliquando quinque vel plures, & aliquando unum testem exigentium vel admittentium.

Hæc tamen varietas, licet magna sit, nequaquam tamen impedit, quò minùs ad plenam probationem & causarum decisionem duorum triúmve idoneorum, sive omni exceptione majorum, testium in idem conspirantes depositiones requiri ac sufficere, Regulæ instar statuatur; cùm id generatim statutum sit Jure, non Humanô duntaxat, *can. 75. Apostol. can. Accusatio, 2. q. 7. c. In omni 4 c. Cùm à nobis 28. l. Ubi numerus 12. ff. hic &c.* Sed etiam Divinô, Deuteron. *cap. 17. V. 6.* & Matthæi *cap. 18. V. 16.* ubi Æterna Veritas, *In ore*, inquit *duorum vel trium testium stet omne verbum.* Ratio ea reddi solet; quòd, licet unus aliquando soleat, non facilè tamen duo ejusmodi testes, in depositionibus conformes, perverti præsumantur.

Regula tamen hæc perpetua non est; cùm, ut insinuatum, Jure proditi sint varii actus & causæ, in quibus ad plenam fidem de re dubia faciendam exiguntur plures, aut sufficit unus.

65. Et plures quidem exiguntur Primò in ultimis voluntatibus; cùm in testamento solenni septem, *l. Hâc consultissimâ 21. pr. C. de Testam.* in Codicillo & Donatione mortis causâ quinque exigantur, *l. & §. fin. C. de Codicill. & l. fin. C. de Donat. causâ mort.* Secundò, ali-
66. quando in contractibus; sic enim in probatione solutionis contra creditorem, authenticâ scripturâ munitum, si illa per apocham, vel hanc casu fortuito perditam esse, legitimè probari nequeat, quinque desiderantur, *l. Testium 18. C. hîc:* quô testium numerô etiam probanda est confessio creditoris, fatentis sibi factam solutionem debiti; *Auth. Rogati C. eâdem Rubr.* Sic casu, quô mutui, depositi, vel alius contractus, libram auri non excedens, ex scriptura privata probandus est, aliquando sufficiunt duo, *l. fin. & Auth. Sed novo, C. Si certum pet.* ut eruditè Everhardus noster *de Testibus p. 6. cap. 3. à n. 2.* Sic Modernô Jure ad valorem contractûs Matrimonialis, præter Parochum, qui testis est qualificatus, duo alii testes necessarii sunt, Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim.* Tertiò, in confectione inventarii, absentibus iis, quos negotium
67. concernit, tres saltem testes interesse debent, *Novell. 1. cap. 2. §. 1.* Quartò, in Canonica purgatione, pro varia qualitate personarum & criminum gravitate quatuordecim, duodecim, septem, quinque vel tres, aut etiam duo tantùm Compurgatores sive innocentiæ testes adhibentur, *can. Omnibus 19. can. Si legitimi, 2. q. 5. c.*

q. 5. c. Cùm P. 10. de Accusat. c. Inter 10. & c. In juventute 12. de Purgat. Canon.

68. Quintò, ad condemnationem alicuius S. R. E. Cardinalis olim, cùm Hæreticos multa in eos malitiosè machinari compertum esset, si ille Episcopus 72. si Presbyter 44. si Diaconus 27. si Subdiaconus aut inferior Urbis Romanæ clericus fuit, septem testes requirebantur, *can. Præsul, 2. q. 5.* Ejusmodi autem machinationibus cum tempore cessantibus, illius textûs dispositionem in usu esse desiisse, Barbatia *de Præstant. Cardinal. q. 11. n. 1. & 9.* & hodie ad quemcunque, cujuscunque dignitatis sit, de crimine condemnandum duos vel tres omni exceptione majores testes sufficere, notant Gratianus *in can. 1. q. cit.* Clarus *§. fin, q. 66. n. 5.* & Farinacius *Prax. Criminal. q. 63. n. 144.* Alios casus, quibus duobus plures testes exiguntur, refert Speculat. *Tit. de Teste §. 11. à n. 1. citt.* Everard. *n. 5. & 7.* & Farinac. *à n. 239.*

69. Neque huic testium numero Divinum Jus allegatum adversatur, ut cum nonnullis aliis in *c. Cùm esses 10. de Testam. à n. 114.* voluit Fagnanus, permotus *c. cit.* textu, quô septem aut quinque testium numerum in ultimis voluntatibus exigentes leges Civiles alienæ esse dicuntur à Lege Divina; cùm scriptum sit, *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum,* Deut. *cap. 17. v. 6.* & Matth. *cap. 18. v. 16.* quia imprimis, si illæ huic legi adversantur, qua ratione sacri Canones non alternativè duos vel tres: sed determinatè Parochum & duos vel tres alios testes; ac proinde tres vel quatuor ad valorem Matrimonii: ad purgationem Canonicam majorem: & maximum illorum numerum exigere potuerunt ad condemnationem Cardinalis? Quomodo *c. Licet cit.* Alexander III. verè asserere potuit, *Esse plures causas, qua plures, quàm duos testes requirunt?* Deinde; quia illô Deuteronomii præceptô non plures adhiberi, sed unius solùm testimoniô quis condemnari prohibetur. Accedit; quòd illud veteris Legis præceptum non Morale, sed Judiciale duntaxat fuerit; ac proinde Christi morte exspirârit, *c. Translato 3. de Constitut.* Neque præceptum illud resuscitatum & vivificatum est in Lege Gratiæ; quia ista ex D. Thomæ *1. 2. q. 108. art. 1. & 2.* & cæterorum TT. communi sententia præter Naturalia &, quæ Deum, Ecclesiæ Sacramenta & Sacrificia spectant, nullum continet præceptum. Neque aliud eruitur ex Matth. *cap. 18. V. 16. cit.* quia istô solummodo illud Veteris Legis præceptum refertur & explicatur, non renovatur: ferè sicut apud eundem Evangelistam *cap. 23. V. 23.* præceptum solvendi Decimas: quas, illô textu non obstante, in Novo Testamento, non Divinô, sed Ecclesiasticô Jure debitas, ex communi DD. sententia Suarez *de Decimis cap. 10. n. 3.* tradit. Demum, quia *c. Cùm esses cit.* testium Testamentariorum septenarius à Lege Divina alienus dicitur non; quòd alicui istius prohibitioni contrarius; sed, quòd numerus ille præter legem illam, sive ultra id, quod hæc exigit, sit introductus, ut cum Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 80. n. 23.* & aliis advertit Barbosa *in c. cit. n. 5.*

Uni autem testi creditur Primò, si, 70
ut in certo aliquo negotio unius testimonio vel denuntiationi fides habeatur, consentiant partes, *l. Fin. C. de Fideicommiss.* vel, si testator velit, ut in rebus, hæreditatem spectantibus, unius declaratione stetur, *l. Theopompus 14. ff. de Dote præleg.* Secundò, in causis nihil aut parum præjudicii afferentibus tertio, vg. in dubio, an, qui defunctus est, fuerit baptizatus vel Catholicus, vel petierit Confessionem, *can. Cùm itaque 110. dist. 4. de Cons.*

de Consec. an Ecclesia consecrata, an quis clericus sit, Speculat. *cit.* §. *11. num. 8.* Tertiò, quando agitur de vitando peccato, & parti jus non est quæsitum, vg. ut impediatur matrimonium contrahendum inter personas, laborantes impedimentô dirimente, *c. Super eo 22. hîc & c. Præterea 12. de Sponsal.* sicut ex sola fama de copula cum sanguinea habita matrimonium impediendi causa sufficiens fuit, *c. Super eo 2. de Consang. & affinit.* Quartò, cùm de rei defensione & probanda ejus innocentia agitur: & pro ista testificantis depositioni accusatoris contraria probatio non adversatur: sicut contingit, cùm, isto homicidium probante, accusatus per unum testem probat, id ob necessariam sui defensionem & inculpatæ tutelæ moderamine servatô commissum, aut vulnerati mortem, non ex inflicto vulnere, sed chirurgi imperitiâ aut ipsius vulnerati culpâ secutam Farinac. *q. cit. n. 43.* Quintò, si alicujus peregrinæ Linguæ peritus scripturam, illius charactere & idiomate exaratam, interpretetur, saltem aliis interpretibus deficientibus, *l. 1. §. fin. ff. de V. O.* Idem *n. 45.* Sextò, si officialis aut minister publicus de actu à se gesto, vg. Notarius aut Curiæ executor, instrumentum à se confectum, citationem parti insinuatam, testentur, *c. Cùm parati 19. de Appell.* ubi Glossa *V. Suus nuntius*, Menoch. *de Arbitr. casu 99. à n. 2.* & Farinac. *q. cit. n. 40.* Septimò, si summus Pontifex, Imperator, vel alius Princeps superiorem non recognoscens, de re aut facto aliquo testimonium perhiberet, Haunold. *Tom 5. de J. & J. tract. 4. n. 284.* Alios casus, quibus uni testi creditur, dabunt *citt.* Speculat. *§. 11. à n. 7.* & Farinac. *à n. 18.*

Neque obstant, *c. Licet cit.* verba, *Nulla est causa, quæ unius tantùm testimoniô, quantumvis legitimô terminetur;* quia intelligenda sunt de causis, quibus agitur de notabili præjudicio partis, contra quam testimonium perhibetur, juxta *can. Judices, 3. q. 9.* Glossa *in c. Licet cit. V. Unicus:* in quibus causis procedit tritum, *Unus testis nullus testis*, & illud, *vox unius vox nullius, l. Jurijurandi C. hîc* hoc est, se solâ insufficiens ad aliquem convincendum vel condemnandum; quia ad hoc exigitur plena probatio, quam unius quantumcunque dignæ personæ depositio non facit: nisi cum alterius testimonio vel alia semiplena probatione conjungatur. *Ad condemnandum*, inquam; quia ad inquirendum, citandum, & aliquando etiam ad torquendum reum, unius omni exceptione majoris testimonium, cùm semiplenè probet, & præsumptionem contra eum faciat, sufficere, cum Speculat. *cit.* §. 11. *n.* 11. & Farinacio *cit. q. 63. n. 50.* tradit Laiman *in c. Licet cit. n. 4.* Unde

Dubium oritur de testibus singu- 72.
laribus. Quibus licet probandi vis generaliter adempta videatur à Glossa *in c. Cùm dilectus 32. V. Probatio, de Elect.* cæteri tamen DD. ejusmodi testium duas imò tres species distinguunt; quædam enim tales sunt Adversativâ, alii Cumulativâ & alii Diversificativâ singularitate.

Adversativâ sive, ut etiam vocant, Ob- 73.
stativa singularitate singulares sunt, qui de uno quidem & non iterabili, vel saltem non iterato actu, ut est ejusdem hominis interfectio, varia &, quoad circumstantias, vg. temporis aut loci, inter se pugnantia deponunt: ut duo testes Titii cædem diversis temporibus: & duo senes idem & non iteratum adulterii crimen, alter sub schino, alter sub prino à Susanna commissum, asserentes, Daniel. *cap. 13. V. 55. & 58.* Glossa *in can. Nihilominus 16. V. Simul, 3. q. 9.* Quô modô sin- 74.
gularium testium duo, minùs, quàm unus

probant; quia unus, si esset solus, probaret saltem semiplenè: cum alio autem conjunctus, propter dictorum repugnantiam, suspectus redditur & redarguitur falsitatis, Baldus *in l. Juriusjurandi cit. n. 4.* Beroius *in c. Licet 9. de Probat. n. 38.* & Farinac. *q. 64. n. 41.*

75. Cumulativâ sive adminiculativâ singularitate singulares dicuntur, qui de actibus quidem diversis, sed ad eundem finem sive probationem ejus, de quo controversia & quæstio est, tendentibus, sejue mutuò adjuvantibus deponunt: ut, si eundem actum, unus visum, alter auditum asserat: unus de pecuniæ numeratione, alter de ejus numeratæ confessione deponat: si, cùm de probanda fundi possessione controversia est, eum à Titio cultum unus, alius messem ex eo collectam: vel, cùm de decimarum quasi possessione quæstio est, unus eas ex tritico, alter ex hordeo perceptas asserat: si in quæstione, an domus B. Virginis Speciosæ vel S. Mauritii Parochiæ subjecta sit, ab istius Parocho duos ejus inquilinos matrimonio conjunctos unus, alius in ea in lucem editum infantem baptizatum, tertius infirmum sacrô Viaticô munitum & extremùm inunctum, quartus defunctum sepultum, testificetur: si de familiaritate Titii cum fœmina, vel de homicidio ab eo perpetrato interrogatorum unus, eum manè, vel die Lunæ, alius vespere, vel Martis aut alio die ex ejus ædibus prodiisse, tertius ei literas aut munera misisse, vel cum ea deambulâsse: unus de ejus in occisi domum ingressu cum gladio, alius de egressu aut fugâ ipso patratæ cædis tem-

76. pore factâ deponat. Quô modô singulares testes in Civilibus sæpe plenè probant; quia, licet in temporis aliisque circumstantiis discordes, concordes tamen sunt respectu ejusdem finis, scilicet possessionis vel quasi, familiaritatis &c. de quarum probatione agitur; & propterea testes singulares absolutè non dicuntur, ut colligitur ex *l. Qui sententiam 16.* ibi, *Confessione testium in unum concordante, conspirantéque, rei finem, C. de Pœnis*, Felinus *in c. Licet cit. num. 2.* Gaill. *Lib. 1. observat. 66. num. 11.* & Farinac. *q. cit. n. 160.* *Sæpè*, inquam: non *Semper*; quia hujusmodi testes singulares etiam in Civilibus aliquando non plenè: in Criminalibus autem causis plerumque non ad pœnam, præsertim Ordinariam, infligendam, sed ad reum tantùm torquendum, vel purgationem Canonicam ei indicendam, sufficienter probare, eique in re prudentiæ & arbitrio judicis locum esse, idem *q. cit.* aliique DD. passim monent.

Diversificativè singulares sunt, qui 77.
non quidem de contrariis, sed de diversis actibus deponunt: sicut factum in casu, *c. Cùm tu 16.* ubi de Excommunicationis sententia duo, unus de ea ante, alter post appellationem interpositam in litigantem latâ, deposuerunt: & accidit, cùm unus de Gaii, alius de Sempronii cæde à Titio perpetrata: unus de mutuo isti Augustæ, alius Ratisbonæ: unus mille, alius quingentorum aureorum eidem dato testificatur: uti &, cùm in Processu Canonizationis, unus de uno, alius testis de alio miraculo & solus deponit. Quô modô 78.
singulares testes plenam probationem non faciunt, per textus *c. Bona 23. c. Cùm dilectus, 32. de Elect. & c. Licet cit.* ubi plurium testimonia pro insufficientibus habentur, quòd alii sibimet in serie sui testimonii contradicant, quæ adversativè: alii sint in dicto sui testimonii singulares, quæ verba diversificativè singulares denotare videntur: & *c. Tam literis 33.* junctâ Glosâ, *V. Soli*, id est, *Singulares hîc.* Ratio est; quia testis ita singularis de eadem re vel actu unicus est testis: de eadem autem re vel actu

vel actu deponens testis unicus plenam fidem non facit, Baldus *in l. cit. num. 4.* Farinac. *q. cit. n. 34.* Magnam tamen hujusmodi testis singularis præsumptionem & plus quàm semiplenam probationem in Criminalibus, ad reum quæstionibus subijciendum, vel purgationem Canonicam ei indicendam sufficientem facit, Clarus *§. fin. q. 53. num. 19.* & Farinac. *q. 37. n. 34.*

ARTICULUS VI.

De Testium Examine ac Depositionibus

SUMMARIUM.

79. *In teste jejunium exigit Jus.*
80. *Non etiam moderna Consuetudo.*
81. *Examinari debet à Judice, vel ejus delegato:*
82. *Secretè & singillatim:*
83. *Suique dicti reddere rationem,*
84. *Sive quô sensu rem perceperit.*
85. *De credulitate deponentes plerumque parùm:*
86. *Aliquando plenè probant.*
87. *Probant, de auditu proprio,*
88. *Non etiam de alieno deponentes:*
89. *Qui tamen variis casibus,*
90. *Aliquando etiam in causis Matrimonialibus admittuntur.*
91. *Testis exprimere debet facti circumstantias.*
92. *Testes inter se contrarii conciliandi sunt.*
93. *Secus, fere paucioribus prævalent plures, à diversis:*
94. *Imò etiam ab eodem producti:*
95. *Quod tamen variis casibus non procedit.*
96. *Sibi contrarii testis dicto posteriori creditur, si prius statim:*
97. *Aliquando etiam, si id ex intervallo revocavit.*
98. *Plerumque tamen hôc casu prius,*
99. *Et judiciale dictum præfertur extrajudiciali.*
100. *Testimonia adnotanda in Protocollo:*
101. *Et vivâ voce, non scriptô, proferenda.*

TEstes, in quacunque causa in judicio deponentes, non juratos duntaxat, sed & jejunos esse, placuit Synodo Maticensi relatæ, *c.* 1. Quô autem sensu ab ista jejunium illis injunctum sit, non satis liquet ex *c. 1. cit.* verbis, nec convenit inter DD. horum enim non pauci textu illô, ne ad testificandum ebrius admittatur, cautum volunt; quòd ad aliquid asserendum ebrius impetu rapiatur potiùs, quàm ratione moveatur, arg. *l. Perspiciendum 11. §. 2. V. Impetu, ff. de Pœnis.* Alii, à testimonio non ebrios solùm arceri, sed jejunos quoque desiderari: at ex mera honestate, ob reverentiam juramenti, præmittendi eorum depositioni, & ex eadem præstandi à jejunis, ex decreto Cornelii Papæ *can. Honestum, 22. q. 5.* ubi *Honestum*, inquit, *etiam videtur, ut, qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore Dei.* Rursum alii, ut quasdam alias solennitates, sic & jejunium in præstantibus juramentum, & propter hoc in testificatione Judiciali, præcepti, *c. 1. cit.* impositi, necessitate fuisse observandum, & non jejunum non idoneum testem fuisse, existimant cum S. Thoma *2. 2. q. 89. art. 10.* Cujus hac de re sententiam cæteris quidem præfert, sed cum *can. Decrevit q. 2. cit.* hanc quoque jejunii solennitatem non usu antiquatam, ait Barbosa *in c. 1. cit. n. 3.* ut, licet ebrii, perinde ut mente capti, testimonium ho-

79.

80.

um hodiéque reprobetur, legitimum tamen & omni ex parte honeſtum reputetur teſtimonium, & ipſum etiam juramentum, quod præſtitit non jejunus: eúmque non uſum, ſive priſco Eccleſiæ Juri hac in re derogantem Conſuetudinem, cum Gloſſa *in can. Decrevit. cit.* approbat Felinus *in c. 1. n. 3.*

81. Modernô ergo Jure poſt præſtitum à teſtibus, etiam non jejunis, juramentum Veritatis proceditur ad eorum examen: idque peragit judex ipſemet, ſecundùm *Novell. 6. cap. 2.* Niſi teſtes alienæ jurisdictioni ſubjecti, aut quò minùs in judicio perſonaliter compareant, privilegiati ſint, vel ipſe, urgente negotiorum multitudine, prohibeatur; tali enim caſu proprio eorum judici requiſito, vel Notario, vel alteri viro diſcreto committendum eſſe, dictum *n. 45.*

82. Examen autem illud peragendum eſt ſecretò, hoc eſt, partibus litigantibus remotis: & ſingillatim, hoc eſt, non omnes vel plures ſimul, ſed ſingulos ſeorſim, & non præſentibus aliis, examinandô, *c. Venerabili 52.* juxta exemplum Danielis, in examine duorum ſenum adverſus Suſannam teſtificantium, eos ſeparantis, *cap. 3. v. 51.* ne, ſi omnes aut plures ſimul: aut ſinguli quidem, ſed aliis præſentibus, examinentur, unus inſtruat alterum, & priùs deponentis dictum poſterior ſequatur; itáque vera falsáne ſint eorum teſtimonia, judex non facilè deprehendat, Gloſſa *in c. cit. V. Sigillatim, ubi* Panormit. *n. 1.* Felinus *n. 3.* & Farinac *q. 80. n. 93. & 94.*

83. Deinde iidem examinandi ſunt diligenter ſive accuratè; ut non ſolùm de negotio ſeu facto principali, vg. de contractu, alióve actu, de perpetrato homicidio, aut furto commiſſo, quod ſciunt, edicant: ſed ſcientiæ quoque, ſive ſuæ de eo notitiæ cauſam & rationem reddant, *can. Si teſtes 2. §. Solam. 4. q. 3. c. Cùm cauſam 37.* ibi, *Prudenter inquirens de cauſis, hic & Novell. 90. cap. 2.* ibi, *Aut etiam cauſam teſtimonii faciant manifeſtam*, adeò; ut, ſi teſtis interrogatus ſcientiæ ſuæ rationem non reddiderit, aut reddiderit ineptam, depoſitio nullius ſit momenti, *l. Solam 4. C. hîc*; nam ratio dicti ſive ſcientiæ ejus, quod deponit, dicto probandi vim confert; ut, licet per ſe ſolum legitimi teſtimonii vim non habeat, ratione tamen ſive congruâ ſcientiæ cauſâ redditâ veri teſtimonii & probationis efficaciam acquirat. Cujus ratio ulterior eſt; quia teſtis deponere debet de eo, quod ſcit: ſcire autem rem non intelligitur, qui ſuæ de ea ſcientiæ cauſam reddere nequit; cùm ſcire ſit rem cognoſcere per cauſam, Gloſſa *in c. Cùm cauſam cit. V. De cauſis*, & *ibi* Felinus, rem hanc declarans appoſitô exemplô teſtis, á ſe ex parte ſtante noctu Sempronium à Titio occidi viſum aſſerentis, & ob non redditam ſcientiæ ſuæ congruam rationem reprobati; quòd, cùm cædis perpetratæ tempore Lunam hypogæam; ac proinde noctem atram & omnino tenebricoſam fuiſſe, conſtaret: ipſe autem interrogatus, an cædis locus face aut lumine aliquo illuſtratus fuerit, interrogatus negârit; itáque à ſe viſum aſſeruerit, quod propter Lunaris & alterius lucis defectum non poterat videri.

Cauſam autem ſive ſcientiæ ſuæ rationem ſufficientem reddere teſtis cenſetur: ſi id, quod aſſerit, viſu, auditu, alióve ſenſu corporeo perceptum affirmet: vel, ſi res, de qua interrogatus deponit, ſenſu perceptibilis non ſit, ut vg. eſt dominium fundi, teſtificans Titium ejus dominum eſſe, lectum à ſe inſtrumentum, quô fundus ei legatus: ſe præſentem fuiſſe donationi, ejúsque traditioni factæ à venditore, Panorm. *in c. Cùm cauſam cit. n. 6. & 8.* Felinus *cit. n. 5.* & Farinac. *q. 70. n. 6.* Unde Dubium

85. Dubium nascitur, quam probandi vim habeant testes de Credulitate. Nullam aut exiguam habere, desumi videtur ex *c. Tertiò 13. de Præsumpt.* cujus textu pro delicti carnalis probatione insufficiente habetur testimonium plurium, deponentium de credulitate, conjunctum cum præsumptione: & ex eo; quòd testis suæ de re aut facto scientiæ rationem reddere debeat, *§. Solùm & c. Cùm causam citt.* quod non potest, qui ejus credulitatem duntaxat, non scientiam habet.

Sed licet ob hanc rationem, qui per verba, *Credo, Puto, Arbitror*, deponunt, duo trésve testes regulariter non probent: imò nec testes esse videantur, Glossa *in c. Quoties §. V. Credere, ubi* Panormit. *n. 7.* 86. *cit.* Speculat. *de Teste §. 1. n. 98.* Non desunt tamen casus & causæ, in quibus non solùm contra producentem, contra quem eis plenè probandi vim cum Jasone *in Rubric. ff. de Jurejurando, n. 9.* & aliis idem Farinac. *n. 75.* adstruit: sed contra istius etiam adversarium admittuntur; sic enim Medicis, chirurgis, obstetricibus & similibus super iis, quæ ejusmodi artis aut officii peritiâ percipiuntur, fides habetur, etiamsi de sola credulitate deponant, Felin. *in c. Quoties cit. n. 11.* Panormit. *ibid. n. 6.* & Farinac. *l. cit. n. 95.* Eadem fides habetur etiam aliis, cùm deponunt de antiquis, ætatem & memoriam hominum excedentibus: de occultis & aliis, quæ moraliter certò sciri non possunt, vg. quòd quis sit filius Titii; nam ut tritum habet, *Mater certa, Pater incertus est:* cùm agitur de probanda alicujus innocentia, vg. cùm testis deponit, se quidem vidisse Titium à Cajo occidi: sed firmiter credere, quòd non dolosè, sed ad sui necessariam defensionem occiderit; quia hoc pendet ab interna animi affectione: de qua non nisi morali probabilitate conjici potest, *cit.* Farinac. *à num. 77.*

Eadem ferè, quæ deponentium de 87.
Credulitate, ratio est testificantium de Auditu. Non quidem proprio; quia, quæ sensu isto percipi possunt, auditu à se percepta, vg. injuriam verbalem irrogatam testificans, fidem non minorem meretur, quàm alius, qui de re viso percepta deponit, ut ex *c. Ex literis 2.* ibi, *Sub testimonio videntium & audientium, de Consuetud.* desumitur, & nemo est, qui inficias eat. Sed de alieno, puta, si quid in 88.
judicio adstruens sui dicti causam reddat; quod id ab aliis fide dignis audiverit. Quô modô deponentes regulariter non probare: imò nec testes propriè esse, Regulæ instar tradit, & ex *c. Licet 47. V. Statuimus*, cum Panormit. *n. 1.* & aliis Interpp. ac DD. desumit *cit.* Farinac. *q. 69. n. 2. & 7.* Ratio est; quia testes regulariter deponere debent de iis, quæ per proprium sensum perceperunt, sive, ut *can. Testes, 3. q. 9.* dicitur, quæ sub eorum præsentia acta esse noscuntur: quæ autem audivit alius, non ipsi præsentes noverunt; quia neque dictum ab aliis auditum, neque auditum ipsum audierunt; cùm non auditus ipse, sed istius tantùm relatio audiatur, ut Baldus *in l. 1. §. 7. ff. de Aqua pluvia arc. n. 5.* & Bartol. *Tract. de Testib. n. 10.* observant.

Hoc tamen, ut insinuatum, Regula- 89.
re: non perpetuum est; cùm non desint varii casus, quibus testes de auditu, sive aliorum relatione deponentes recipiuntur: veluti, si interrogati testificentur de rebus, quæ sunt difficilis probationis; de factis antiquis & hominum viventium memoriâ excedentibus, atq; occultis &c. quia in ejusmodi factis credulitas & rationabilis opinio pro veritate habetur. *l. Si arbiter 28. ff. de Probat. & l. In summa 2. §. 7. ff. de Aqua pluv. arcenda*, Glossa *ibi* & *in c. Licet cit.* Butrio *n. 8.* & generaliter

raliter in casibus admittentibus testes de credulitate, Farinac. *q. cit. num. 48.*

90. Specialiter autem de alieno auditu deponentibus fides habetur in causa Matrimoniali, quâ de conjugio propter consanguinitatem vel affinitatem dissolvendo agitur, *c. Quoties, & c. Licet citt.* ex quorum textuũ posteriori, ut testimonia de audito impedimento illo sufficienter probent, DD. exigunt Imprimis; ut hujusmodi testes sint omni exceptione majores. Deinde; ut eorum authores, sive ii, ex quibus personas aliquas consanguinitate vel affinitate conjunctas esse, à se auditum asserunt, sint viri graves, ipsorum majores &, ut minimùm, duo. Demum; ut Cognationis vel Affinitatis, quâ personæ asseruntur esse conjunctæ, gradus declarent: easque ita conjunctas ante litem motam à se auditum, & omnino credi, jurati asseverent, Farinac. *q. 79. à num. 105.*

91. Præterea testes, cùm judicialiter examinantur, interrogari & exprimere debent negotii seu facti circumstantias, præsertim Loci, puta, civitatis, domûs, cubiculi, ac Temporis, scilicet anni, mensis & diei, quô actus gestus, aut delictum est commissum, *c. Causam cit.* quia, ut in hunc textum Glossa, *V. Circumstantiis*, advertit, si loci, temporis & similes circumstantiæ aliæ exprimantur, judex faciliùs pervenit ad rei veritatem: &, an testes istius aut sequiori aliquô studiô vel affectu ducti deponant; cùm, si in his aliisque circumstantiis discordent, vel de actibus diversis, vel de uno eódemque actu, ut de Susannæ crimine duo senes, Daniel. *cap. 13. V. 55. & 58.* contraria deponere intelligantur; ac proindè, si diversi, de quibus deponunt, actus ad fidem de eodem faciendam non tendant, tanquam diversificativè vel adversativè singulares, vel diversos actus singuli non plenè, vel de eodem actu, quòd eorum dicta se mutuò evertant, nihil probant, juxta *dicta n. 74. & 78.* Unde

92. Dubium oritur, de vi probandi, quam habent testes inter se Contrarii: in quo Regulæ instar tenendum est, eorum, sive æqualium numerô, sive inæqualium, sive ab uno, sive à diversis productorum dicta verisimili interpretatione, si commodè, verbis etiam impropriè acceptis, possint, in concordiam reducenda, arg. *can. Periculosè 23. dist. 1. de Pœnit. c. Nihil 7. de V. S. & c. Cùm tu 16. hic*, quâ postremô textu relatus Alexander III. dicta testium, quorum aliqui Excommunicationem post appellationem: alii eam antè hanc ab Archi-Episcopi sententia interpositam, inflictam fuisse, jurati deposuerunt, ita benignè interpretatus est, ut priores de prima, posteriores de secunda Excommunicatione intelligerentur, itáque sibi non adversarentur: idque non solùm; ut evitaretur reatus: sed etiam; ut, sublatâ contrarietate, legitima probatio induceretur, & depositiones valerent potiùs, quàm perirent, *l. Quoties 12. ff. de Reb. dub.* Barbosa *in c. Cùm tu cit. n. 3.* Gonzalez *ibid. n. 6. cit.* & Farinac. *q. 65. à num. 37.*

93. Si testium dicta ita sibi adversentur, ut commodâ interpretatione inter se conciliari non possint, multùm refert, an à diversis, scilicet alii ab Actore, alii à Reo, vel ab eorum uno omnes sint producti; cùm, si producti sint à diversis, & hi illis inæquali numerô contradicant, cæteris paribus, plures paucioribus præferantur; ut ex tribus testibus omni exceptione majoribus duo plenè probent, etiamsi tertius contradicat, *c. Licet 9. V. Ex præmissis, de Probat. & c. In nostra 32.* ubi Glossa, *V. Adversa*, Ant. de Butrio *n. 8.* Panormit. *pr. & n. 1.* Farinacius *q. 65. n. 107.* quia verisimilius est, quòd plures rei

nes rei veritatem meliùs sciant, quàm pauciores; cùm, ut *c. Licet cit.* dicitur, *Pluribus lux veritatis assistat.* Si verò à diversis producti sibi æquali utrinque numerô contradicant, cæteris paribus, fides potiùs habenda est deponentibus pro reo; quia istius causa favorabilior habetur, *c. ex literis 3. de Probat.* præterquam in causis specialiter favorabilibus, ut sunt matrimonii, dotis, testamenti, libertatis, Ecclesiæ, pauperum & similes; in his enim pro actore eas fovente contra reum est pronuntiandum, *c. fin. de Sent. & rejudic. & l. Inter pares, 38. ff. de Rejudic.* Glossa *fin. in c. In nostra 32. ubi* Panormit. *n. 4.* & *cit.* Farinac. *à n. 162.*

94. Si omnes producti sint ab eodem, vg. ab actore: & eorum aliqui aliis, numerô tamen inæquali, contrarii sint, vg. si duo vel tres pro actore, unus contra ipsum testificentur, plures præferuntur; ut duo, cæteris paribus, plenè probent perinde, ut si ipsis contraria deponens tertius non fuisset. Quod locum maximè habet, si non in substantia negotii, sed in istius tantùm circùmstantiis & qualitatibus contrarii sint, *c. In nostra cit. ubi* Glossa, *V. Adversa*, Butrio *num. 2. & 6.* & aliis DD. relatis, Farinac. *cit. q. 61. n. 107.* Si autem ab actore vg. producti & inter se contrarii testes numerô æquales sint, cæteris omnino paribus, nihil probant; cùm non sit ratio, cur uni potiùs, quàm alteri parti fides habeatur; cùm una alterius dicta enervet, Glossa *in l. Qui falsò, 16. V. Puniuntur. ff. de Testibus*, Panormit. *in c. In nostra cit. n. 3.* Berojus *in c. Licet cit. n. 37.* & Farinac. *q. 65. n. 2.*

95. Dixi, *Cæteris paribus*; quia, si hæc paria non sint, ex testibus contrariis solô numerô, non etiam quoad alia, paribus præferendi sunt, qui dignitate & aliis qualitatibus, testimoniorum fidem augentibus, excellunt, vel de re, super qua testificantur, magis sunt informati, *c. In nostra cit.* Felin. *ibi n. 10.* qui verisimiliora, *l. Ob carmen 21. §. fin. ff. hic*, vel pro parte, Juris communis præsumptionem pro se habente, Baldus *in §. cit. n. 1.* vel in favorem rei, aut causæ aliunde magis favorabilis, Glossa *cit. in v. In nostra cit. & ibi* Butrio *num. 8.* vel de re in specie, non in genere tantùm: pro antiquiore, non recentiore, & titulô non munita possessione &c. deponunt, ut latè Farinac. *q. cit. à n. 107.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 4. à n. 304.*

Dubium etiam est de testibus con- 96
trariis sibi ipsis. Quorum an priori vel posteriori dicto fides habenda sit, planum reddet distinctio inter quatuor casus.

Primò enim, si testis sibi contrarius prius suum dictum in continenti, hoc est, ante perfectum examen, vel recessum à conspectu judicis, aut saltem antequam locutus sit parti, sponte corrigendô revocet, fides dicto posteriori habenda est, *c. Præterea 7. de Testib. cog.* cujus tenor est, *Quorum testimonia, si quandoque, non studiosè, sed in proferendo erraverint, & se in continenti correxerint, reprobari non debent.* Ratio est; quia in continenti se corrigentis prius dictum ex errore processisse, & correctio actui inesse præsumitur, Butrio *in c. cit. num. 13.* Panormit. *ibid. num. 12.* Felin. *n. 10.* & Farinac. *q. 66. n. 229.*

Secundò, eôdem ferè modô standum videtur dicto posteriori, si prius etiam ex intervallo, sed ante factam attestationum publicationem, corrigens vel revocans, errorem, istiúsque justam causam probet, & aliàs homo sit fidei probatæ; quia etiam, qui sic revocat, deceptus, reíve oblitus esse videri potest, Menoch *de Arbitr. casu 106. num. 7.* Farinac. *ibid. à num. 245.*

97. Tertiò, si verò prius dictum ex intervallo revocans erroris sui causam non reddat, an alicui, vel neutri credendum, controversia est inter DD. quibusdam cum Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 13. n. 8.* & Menochio *cit. casu 108. n. 10.* priori: aliis cum Ant. de Butrio *in c. Cùm in tua 44. hîc*, & Baldo *in l. Gesta 6. C. de Re jud.* 98. dic. neutri credendum, asserentibus. Mihi in re satis ancipiti priori ejus dicto fides habenda eô saltem casu videtur, quô intercedentis subornationis, sive testem à litigantium altero ad dicti sui revocationem inductum, esset suspicio, & aliunde probari non posset prioris dicti falsitas, & veritas posterioris: sicut tali casu prior confessio posteriori præfertur, *c. Per tuas 10. de Probat.* quòd indignum videatur; ut, quod suâ quisque voce protestatus est: propriô valeat testimoniô infirmare; nam etiam testis, id, quod juratus in judicio deposuit, ex intervallo revocantis, dictum posterius contra prius, sive ad id infirmandum facilè non admittitur, *c. Sicut 9. hîc, & c. Præterea cit.* verbis, *Secus autem erit*, id est, reprobari debent, *Si correctioni suæ interposuerint intervallum.* Ratio est; quia ex intervallo facta revocatio profecta videtur à periuro, Panormit. *in c. Cùm in tua cit. n. 9.* Felin. *ibid. n. 4. & cit.* Farinac. *à n. 124.* Si verò absit suspicio subornationis, an & cui credendum, cum Fachineo *Lib. 10. cap. 84. n. 10.* judicis, negotii, personæ & dictorum qualitatem ponderantis, prudenti arbitrio relinquendum, censeo admonitus illô Hadriani Imp. Vivio Varo rescribentis, eum, qui judicat, magis scire posse, quanta fides habenda sit testibus, *l. Testium 3. pr. V. Ideòque. ff. hîc.* Verba Epistolæ notatu digna hæc sunt. *Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus: qui & cujus dignitatis, & cujus æstimationis sint, & qui simpliciter visi sunt dicere, utrum unum eundémque meditatum sermonem attulerint: an ad ea, quæ interrogaveras, ex tempore verisimilia responderint.*

99. Quartò, si tamen prius dictum fuisset extrajudiciale, posterius autem judiciale, huic, non illi, fides est adhibenda; quia judiciale ob reverentiam & timorem Dei, prævió juramentô in testem invocati, & præsentis judicis authoritatem, magis deliberatè prolatum præsumitur; ac proinde, tanquam assertio qualificata, meritò præfertur simplici assertioni priori, aut etiam posteriori, Felin. *l. cit. n. 6.* Clarus *§. fin. q. 57. n. 11. & 12.* Menoch. *cit. casu 108. n. 22.* Gaill. *Lib. 1. observat. 104. à n. 7.* Farinac. *ibid. n. 90.*

100. Demum examinatorum testium vivâ voce prolata testimonia, à Notario fideliter in Protocollum relata, testi prælegenda sunt; ut, si fortè ipse factum ejúsq; circumstantias exponendô, aut notarius ejus dicta adnotandô, erravit, id corrigi possit. Si autem correcta aut confirmata sint, testibus silentium imponi & præcipi debet; ne depositiones suas, donec in judicio publicatæ sint, alicui præsertim ex litigantibus revelent, Pirrhing. *ad hanc Rubric. n. 200.* Ubi

101. Dubium est, an testimonium ferri nequeat scriptô. De Jure posse, sustinet Bartol. *in l. Theopompus 14. ff. de Dote præleg.* Sed melius cum Saliceto *in l. Jurajurandi 8. C. hîc, n. 8.* & aliis depositiones expressas scriptô, si non vivâ voce proferantur, de Jure non probare, docet Farin. *Prax. Criminal. q. 8. n. 27.* propter textus *can. Testes. 3. q. 9. can. Relatum, 5. q. 2. & c. Anobii 2. Qui matrim. accus.* Et hôc sensu, *Non testimonium*, hoc est, tabellæ vel chartæ in cistâ conjectæ & testimonium continenti, sed testibus credendum, asseritur, *c. Tua nos, 8. de Cohabit. cleric. & l. Testium, 3. §. 3. ff. hîc.* Ratio est; quia

est; quia judex, si potest, videre & audire debet, quô vultu, quâ constantiâ sermonis testificans deponat: & depositionis sensus ac veritas ex vocibus meliùs, quàm ex scripto cognoscitur, Panormit. *in c. De testibus 29. n. 10.* ubi ipse & *cit.* Farinac. *d. n. 39.* excipiunt mutum, qui scribere novit: &, præter nonnullos alios, præcipuè casum, quô scriptô traditas depositiones in Provincia aliqua admittit Curiarum praxis & consuetudo, ut de illustribus & nobilibus Personis dictum est *n. 57.*

ARTICULUS VII.

De Attestationum Publicatione & Exceptionibus contra eas.

SUMMARIUM.

102. *Testi objecta exceptio probari per testes:*
103. *Hi per alios: non etiam isti reprobari valent.*
104. *Discussis exceptionibus, ulteriori productioni renuntiatur,*
105. *Et fit publicatio attestationum:*
106. *Quâ etiam omissâ, Processus valet.*
107. *Attestationes publicatæ etiam in alio judicio,*
108. *Sed inter eas tantùm personas fidem faciunt.*
109. *In publicatis, contra testium personas non excipitur,*
110. *Quatuor casibus exceptis.*
111. *Excipi tamen contra eorum examen,*
112. *Et contra dicta,*
113. *A litigantium utroque potest.*
114. *Contra contenta in instrumento, qui id produxit, excipere nequit.*
115. *Post publicationem illam nova testium receptioni locus non est:*
116. *Nisi testes priùs non judicialiter,*
117. *Aut non legitimè sint recepti.*
118. *Excipiuntur etiam Matrimonialia,*
119. *Et nonnullæ aliæ causæ.*

102 EXaminatis testibus & Attestationibus, sive eorum depositionibus receptis, admittitur adversarius ad probationem eorum, quæ in testium contra se productorum personas objecit: si ad eorum probationem ante illorum examen à judice non fuit admissus. 103 Quòd si ad objectorum probationem testes etiam ipse producat, ejus adversarius, vg. actor, vicissim hos testes, ad infringendam vel diminuendam eorum fidem, per alios sive tertios testes permittitur reprobare. Ulteriùs autem testes reprobatoriorum reprobatorios, sive, qui ab actore productos testes tertios, tanquam suspectos aut inhabiles reprobent, producere non licet, *c. Licet 49.* cùm; ne reprobationum vicissitudine litigantes progrediantur in infinitum, & litis nullus sit finis, contra *c. Finem 5. de Dolo:* tum verò; quòd hæc reprobatio suâ naturâ sit odiosa &, propterea meritò restringenda, ut in *c. cit.* cum Glossa *V. Quos*, notant Hostiens. & Panormit. uterque *n.* 1. Gonzalez *n. 6.* & Perez *in C. hîc, n. 27.*

Neque ita, ut videri potest, receditur ab æqualitate, in judiciis servanda inter actorem & reum, *c. fin. de Mutuis petit*, quia imprimis, si uterque, actor ad intentionem, reus verò ad exceptionem suam probandam testes produxit, inæqualitas inter eos apertè nulla est; cùm a se productorum reprobatorios per alios testes reprobare valeat uterque. Deinde; quia æqualitas etiam servatur, cùm ad assertionis suæ probationem testes alter solus producit; cùm, quando intentionem suam pro-

am probat, à se sive primò productorum reprobatorios, sive testes secundos per tertios valeat reprobare. Et demum; quia omni casu ab adversario suo productorum testium reprobatio semel concessa utrique: & reprobatoriorum reprobatorios, sive tertios testes per quartos reprobare, neutri est, concessum, Panormit. *cit n. 1. & in c. Licet cit.* Gonzalez *n. 6.*

104. Discussis hujusmodi exceptionibus: vel, si nullæ objectæ sunt, peractô testium examine, judex partes litigantes, maximè eam, contra quam illi sunt producti, citare, iisque in sua præsentia constitutis (vel etiam per contumaciam absentibus; cùm tales pro præsentibus habeantur, *c. In nomine 2.*) operam dare debet; ut renuntient ulteriori productioni: quod ordinariè post tertiam: post quartam verò rarò & non nisi cum Legali solennitate *n. 62.* declaratâ concedendam, semper debent, *c. In causis 16. & c. Ultra 55.* Eâ

105. renuntiatione factâ & litigantibus petentibus, vel saltem consentientibus, secretô examine recepta dicta, & depositiones testium, Notariô ea legente, publicantur, earúmque copia communicatur partibus, Originali apud Acta remanente, *c. Quoniam 11. V. Et omnia, de Probat.* Speculat. *de Teste, §. 8. n. 1.* & Perez *in C. hîc, n. 28.* Ubi

106. Dubium est, an hæc attestationum publicatio sit de substantia processûs. Asserere hoc, eáque omissâ processum pro invalido habere, videtur Accursius *in l. Prolatam 4. C. de Sent. & interlocut.* apud Gaill. *Lib. 1. observat. 105. n. 1.* Meliùs tamen iste testimoniorum publicationem de substantia processûs non esse; ac proinde, si ea non petita omittatur, vel ab ejus petitæ denegatione non appelletur, sententiam omnino subsistere, docet cum Panormit. *c. Cùm J. & A. 22. de Sent. & re jud. n. 10.* Claro *§. fin. q. 61. pr.* & Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 33. à n. 1.* quòd judicii attestationes, aliáque acta judicii & allegata partium jura, ex quibus sententia ferenda est, semper sint publicata.

Hujus autem Publicationis tres præ- 107
cipuè sunt effectus. Primus; quòd attestationes in causa aliqua, coram uno legitimè receptæ & publicatæ, in eadem causa & inter easdē personas, eísque succedentes, aut ab iis jus habentes, coram alio judice probent, *c. fin. de Probat. c. Causam 11. & l. fin. C. hîc.* Ratio est; quia ex eis habetur veritas facti, quæ semper & ubique est una. Imò testimonia legitimè recepta in uno, quantumvis in eo publicata non sint, fidem in alio judicio producta facere, volunt Panormit. *in c. Causam cit. n. 6.* Decius *in l. Is apud 2. C. de Edendo, n. 60.* & *ibi* Ripa *n. 30.* exemplô attestationum, ad perpetuam rei memoriam à senibus, valetudinariis, & similibus personis receptarum: quas non publicatas probare, cum Felino *in c. cit. n. 17.* & aliis docet Farinac. *Prax. Criminal. q. 75. n. 25.*

Neque obstat; quòd attestationes in judicio receptæ pertineant ad Acta judicialia, *c. Quoniam 11. de Probat.* quæ, peremptâ instantiâ, pereunt, ut in alio judicio non faciant fidem, *l. Cùm lite 2. ff. Jud. solvi* quia hoc verum duntaxat est de Actis Ordinatoriis judicii; ut sunt citatio, libelli oblatio, litis contestatio &c. Alia ratio est Actorum Probatoriorum: ut sunt confessiones, attestationes & cætera, quibus instruitur causa; hæc enim, sicut in eo, in quo recepta & publicata sunt, ita etiam, si in alia judicio producantur, in eadem causa & inter easdem personas faciunt fidem, Felinus *in c. cit. n. 5.* Speculat. *de Probat. §. 3. n. 20.* Tuschus *Practic. V. Acta, conclus. 91. n. 4.* & Mascard. *de Probat. conclus. 33. n. 8.*

Dixi, *Inter easdem personas*; quia 108
aliis nec prodesse, nec obesse solent; cum regulare sit, inter alios acta aliis non præ-

judica-

judicare, *c. Inter dilectos 6. §. Porro, de Fide Instrument. & c. Quamvis 25. de Sent. & rejudic.* Licet autem ejusmodi attestationes contra alios plenam fidem non faciant, alicujus tamen contra eos præsumptionis vel semiplenæ probationis vim eis tribuunt Panormit. *in c. Causâ cit. n. 4.* & Felinus *ibid. n. 18.*

109. Alter ejus Publicationis effectus est; quòd post eam exceptiones contra testes regulariter non admittantur, ex decisione Innocentii III. *c. Præsentium* 31. relatâ. Sunt autem hujusmodi exceptionum tria genera: quorum

Primum spectat ipsas testium personas; quòd ad testimonium dicendum, vel omnino, vel ratione causæ, vel eorum, inter quos hæc vertitur, inhabiles sint: quæ post attestationum publicationem non admittuntur ex decisione allegata & justissima ratione; quòd contra eas tum demum opponens, postquam contra se testimonium dixisse cognovit, malitiosâ exceptione uti præsumatur; cùm reprobet eos, quorum, coram se productorum, & ad juramentum atque examen sine oppositione admissorum, personas tacitè approbavit. Unde illis jam publicatis propter subornationis periculum, sicut, ut mox dicemus, novi testes produci, sic etiam productis, jámque receptis eiusmodi exceptiones obiici non permittuntur, Panormit. *in c. cit. n. 2.* Innocent. *ibid. n. 2.* & Covarruvias *Practic. cap. 18. n. 5.*

110. Excipiuntur tamen, & *c. cit.* referuntur tres casus, quibus contra testium personas excipi post attestationes iam publicatas potest. Primò quidem, si, cùm producerentur, & ante examen à reo, quod iis opponat, se habere, facta sit protestatio, vel opponendi facultas reservata; quia huiusmodi protestatio & reservatio suspicionem malitiæ, & tacitæ approbationis præsumptionem tollit. Secundò, si idem probet, & ferè etiam iuramentô firmet, eas, quas contra personas oppositurus est, iustæ suspicionis exceptiones post attestationes jam publicatas ad suam notitiam pervenisse: *c. Pastoralis 4. de Except.* imò etiam, qui *c. cit.* excepturus tertius casus est, si idem reus juret, quòd contra eorum personas opponendò malitiosè non agat; quia suspicionem & præsumptionem illam juramentum non minùs, quàm prævia protestatio, aut reservatio, elidit, Interpp. *citt.* & Barbosa *in c. cit. n. 5.* quibus quartum addit Everardus *de Testib. p. 6. cap. 7. n. 6.* si pars probet, se, quò minùs adversus testium personas sibi competentes exceptiones opponeret, à judice impeditum; cùm ab isto impeditus Dilatorias exceptiones opponere post litem contestatam permittatur, Glossa *in c. Ex conquestione 10. V. Ante, de Restit. Spoliat.* & Felin. *in c. Præsentium cit. n. 3.*

111. Alterum exceptionum genus spectat testium examen, puta; quòd testes non legitimè, hoc est, vel à judice incompetente: vel parte adversâ ad eorum productionem non citatâ: vel sine prævio juramento: vel publicè plures simul, aut non diligenter: vel ante litis contestationem: vel post tertiam productionem, sine solennitate Legali: vel primùm post publicatas vel cognitas aliorum depositiones &c. sint recepti, Everardus *Tract. cit. cap. 6. à n. 1.* Cujusmodi exceptiones post attestationes jam publicatas opponi possunt, arg. à contrario *c. Præsentium cit.*

112. Tertium earum genus spectat testium depositiones, sive eorum dicta, puta; quòd ea contraria, iisq; unus alteri, aut sibi ipsi contradicat: quòd ea obscura, ambigua, non verisimilia, non congruentia facto aut naturæ rei: quòd vaga, extra interrogatoria dicta, aut singularia sint: quòd non reddant idoneam scientiæ causam, aut de credulitate, vel alieno auditu deponant &c. Cujusmodi exceptiones non ante, sed post attestationum publicationem

tionem primùm opponi posse, patet; cùm enim ante hanc factam testium dicta partes lateant, an aliqua, & quæ adversus ea exceptio sibi competat, scire non possunt.

113. Opponere autem, postquam publicata sunt, contra eorum dicta non is solùm, contra quem: sed ille etiam potest, à quo sunt producti, secundùm Gloss. *in c. Præsentium cit. V. Si quis*, & Panormit. *in c. cit. n. 7.* Quod tamen dubium inde reddi videtur; quòd ab isto testium personæ, tanquam fide dignæ, & rei, super qua producti sunt, notitiam habentes, sint approbatæ; ac proinde eorum testimonia, tanquam veritati non consona, non valeant reprobari *arg. Reg. Quod semel*, 21. *in 6.* sicut reprobari ab eo non possunt contenta in instrumento, quod produxit, per ea, quæ in *c. Cùm olim 19. de Censibus*, Innocentius *n. 5.* & alii Interpp. tradunt. Imò ei etiam, contra quem producti sunt, adversus testium dicta opponere volenti obstare videtur; quòd eos, sine ulla protestatione & exceptionis reservatione ad examen admittendò, non obscurè approbârit.

Sed rationes istæ leviores sunt, quàm ut contra testium dicta opponendi jus alterutri adimant, aut dubium reddant; quia, licet eorum productione & ad examen admissione approbârint personas: non tamen etiam approbârunt eorum dicta, & depositiones, vel contra has opponendi juri renuntiârunt; cùm ex una, cujusmodi ipsorum dicta futura sint, ignorârint: ex altera verò parte, ea, quæ ignorantur, approbata etiam tacitè non censeantur, *arg. l. Nec ignorans 10. C. de Donat.* cùm ignorantia excludat consensum, *l. cit. & l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* qui in omni approbatione & renuntiatione etiam tacitâ necessarius est, *l. Cùm Aquiliana 5. ff. de Transact.* Everardus *Tract. cit. cap. 7. n. 1.*

Neque paritas est cum instrumento; cùm enim hoc producens in eo contenta, an ad intentionis suæ probationem aliquid conferant, vel ei obstent, potuerit, & antequam id in judicio exhiberet, debuerit prævidere, ipsâ productione in eo contenta censetur approbâsse: non sic etiam dicta testium à se productorum; cùm illi facilè mutent: &, quod assertione sua firmaturi creduntur, non rarò inficiando evertant, Glossa *cit.* & Innocent. *cit. n. 5.*

Tertius effectus est; quòd post attestationum ritè receptarum publicationem neque priores, neque novi testes produci & recipi super iisdem vel directè contrariis articulis, sicut in eâdem, sic etiã in secunda instantia, sive appellationis judicio possint: quod cum Panormit. *in c. Fraternitatis 17. n. 14.* Felino *ibid. n. 4. cit.* Speculat. *de Teste*, §. *8. n 3.* & aliis DD. Regulæ instar tradit *cit.* Farinacius *q. 75. à n. 68.* Cujus prima pars, de prioribus, sed legitimè receptis super iisdem, *c. Fraternitatis cit.* utraque & tertia quoque de iisdem & novis testibus, super directè contrariis articulis, etiam in secunda instantia, non recipiendis, tradita est *Clement. Testibus 2.* quibus aliisque Juribus Ecclesiasticis facem prætulisse videtur sanctio Imperialis *Novell. 90. cap. 4. §. 1.* & in utroque Foro standum monet Bruneman. *in l. Eos qui 6. §. 1. C. de Appellat. n. 11.* Ratio est partim; quòd, si attestationibus jam publicatis, nova aliorum, aut eorundem testium productio receptióve admittatur, non vanus timor & periculum sit; ne pretiò corrupti attestationibus addant, vel detrahant, quòd sibi deesse, aut superesse pars advertit: partim verò; ut productionibus statuatur terminus, & lis ad finem citiùs perducatur, Glossa *in c. In causis cit. V. Productionem.* Accedit; quòd ipsâ publicatione petitione in eámve consensu ulteriori testium

stium productioni tacitè renuntiatum; ac proinde ad eam regressus sit præclusus, *can. Quàm periculosum, 7. q. 1. & l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Ædil. edicto.*

116. Neque huic Regulæ adversatur textus *l. fin. C. hîc*, eorundem & novorum testium productionem, super iisdem articulis, disertè permittentis; quia in ea lermo est de receptis minùs judicialiter: non à judice, habente jurisdictionem, sed ab arbitro, istâ carente, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdict. omn. jud.* Barbosa *in Clem. cit. n. 6.*

Neque etiam *l. Eos qui 6. §. 1. cit. & l. Per hanc 4. C. de Temp. appell.* quia *ll.* istas de articulis non iisdem, sed novis: non quidem ad eam causam, de qua agitur, non pertinentibus, eámque non adjuvantibus; cùm hujusmodi articuli in omni causa rejiciantur, Panormit. *in c. Fraternitatis cit. n. 8.* sed ab iisdem, sive antiquis dependentibus, iuxta *c. Cùm causa 42.* exaudiendas, cum Glossa *in c. Fraternitatis cit. V. Novis*, notat *cit.* Barbosa *n. 6.* & non obscurè insinuat Bruneman *in l. Per hanc cit. n. 12.* de cuiusmodi articulis, à prioribus dependentibus vulgatum, *Non allegata allegabo, non probata probabo*, procedere, *in c. cit.* advertit Gonzalez *n. 6.*

117. Dixi autem, *Ritè receptarum*, ut *Clement. cit.* textus habet; quia, si testes non legitimè, hoc est, à iudice incompetente, vel ante litis contestationem, aut sine iuramento recepti, vel super aliquibus articulis, super quibus eos interrogari initiò petitum fuit, omnino vel sufficienter examinati non fuissent: vel obscuræ aut ambiguæ essent eorum depositiones, super iisdem articulis denuo examinari possent, *c. Per tuas cit. & c. Clamor 53.* cùm; quòd non legitimè factum, & non factum paria sint: tum verò; quòd negligentia iudicis obesse non debeat parti, Panormit. *in c. Per tuas cit. n. 3.* Baldus *in c. Fraternitatis cit. n. 10.* & *cit.* Farinac. *q. 75. n. 358.*

Præter hunc casum iidem vel alii testes super iisdem & directè contrariis articulis recipi permittuntur. Primo pro matrimonio conservando, sive ad probandum, inter personas eô coniunctas non intercedere, quod allegatum fuit, impedimentum, *c. Series 26.* & satis probabiliter etiam pro matrimonio dissolvendo, sive ad probandum impedimentum, præsertim quod Lege Divina est introductum; ne in animarum suarum ruinam separentur, & ad alias nuptias transeant personæ legitimè coniunctæ: vel in coniugio perseverent, qui matrimoniali vinculô coniungi non potuerunt, Gloss. *fin. in c. cit. ubi* Baldus *n. 2.* Lanfranc. *de Testibus n. 45.* & Farinac. *q. cit. n. 401.* 118.

Secundò, in causis Criminalibus ad ostendendam innocentiam rei, *l. Unius 18. §. 9.* ibi, *Defensionem quocunque tempore postulanti reo negari non oportet, ff. de Q. Q.* non solùm, cùm iudex ex officio: sed etiam, cùm ad instantiam partis, inquisitionem adversus illum promoventis, vel accusantis, procedit: dummodo collusionis & subornationis suspicio absit, Panormit. *in c. Fraternitatis cit. n. 4* Farinac. *l. cit. n. 107.* & Barbosa *in c. Ex tenore 35. n. 10.* 119.

Tertiò, in aliis etiam causis, quando priùs receptæ attestationes sunt perditæ; cùm paria sint non esse, & non apparere, *l. Duo sunt 30. ff. de Testament.* Gaill. *Lib. 1. observat. 105. n. 4.*

Quartò, si, cùm de præiudicio publico non agitur, in eorundem vel aliorum testium super iisdem articulis receptionem consentiant partes; cùm hæ pro se introducto iuri valeant renuntiare, *citt.* Panormit. *n. 4.* Gaill. *n. 14* Farinac. *n. 179.* & Barbosa *n. 15.* ubi alios casus dabit.

TITVLVS XXI.

De Testibus Cogendis vel non.

SUMMARIUM.

1. *Testes rogati & citati deponunt.*
2. *Renuentes coguntur de Jure Civili:*
3. *De Canonico duobus tantùm casibus,*
4. *Etiam, si causa sit Criminalis:*
5. *Nisi à testificando privilegiò eximantur.*
6. *Cogi etiam potest, qui se non testificaturum juravit.*
7. *Clericus à judice Ecclesiastico:*
8. *Non etiam à laico cogitur.*
9. *Testificari clericus contra reum nequit in causa sanguinis:*
10. *In qua etiam laicus voluntariè:*
11. *Non etiam coactè testificans fit irregularis.*
12. *Pœna, aliquem impedientis à testificando.*

1. CUm examini ultro se offerentes, extra casum, quò de vitando peccato agitur, suspecti habeantur, Testes, ut probent, producendi sunt à parte litigante: aut, si ab ista rogati nolint, publicâ authoritate, sive ab ipso judice ad testimonium in judicio dicendum citandi, ut ex communi DD. sensu Regulæ instar tradunt Gaill. *Lib. 1. observat. 100. n. 9.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 80. n. 8. & 11.*

Quòd si istius monitioni & jussui non obtemperent, ad testimonium pro veritate perhibendum, etiam inviti à judice compelli possunt, *l. Constitutio 10. & l. Si quando 19. C. hic*, propter utilitatem ipsius Reipublicæ: cujus interest; ne occultetur veritas, ad quam eruendam testes adhibentur, *c. 1. c. fin. & l. Curent. 22. ff. hic.*

2. Coguntur autem testes, quando idonei sunt, Jure Civili, vel indictâ mulctâ pecuniariâ, *l. Unica, ff. Si quis jus dic. non obtemp.* vel captis pignoribus, ad exemplum tutorum & curatorum, satisdare nolentium; cùm, sicut istorum, sic etiam testium officium quasi publicum sit, *arg. l. 1. pr. ff. hîc*, Panormit. *in Rubric.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 18. n. 1.*

3. Idem de Jure Canonico universaliter procedere, ab Interpp. & aliis DD. permultis desumi solet ex plerisque *tt.* subjectis præsenti *Rubricæ*. Sed, ut Innocent. & Hostiens. *in c. 1. n. 1.* recte observant, ad testimonium pro causæ veritate perhibendum hôc Jure regulariter solùm monendi; cogendi verò duobus duntaxat casibus sunt, quando scilicet gratiâ vel odiô vel adversarii metu conterriti id recusant, *c. 1. c. Super eo 3. c. Caterùm 6. c. Cùm contra 9. & c. Dilectorum 10.* & quando occulta veritas aliter, quàm eorum depositionibus, probari non potest, *c. 1. cit. c. Cùm super & c. fin.* Quibus casibus ad testificandum compelli possunt per censuras Ecclesiasticas, *c. 1. tit. c. Pervenit 15. hîc & c. Quoniam 3. de Test. & attest.* Laici quidem excommunicatione

nicationis & Interdicti: clerici verò, antequam ad has censuras procedatur, ab officio & beneficio Suspensionis, *c. Cùm super cit.* quia id exigit necessitas publica; ne ex defectu probationis pereat jus partis, *c. fin. cit. ubi* Gonzalez *n. 7.* Unde

4. Dubium nascitur, an duobus his casibus cogi etiam possint in causa Criminali, quando ad pœnam & vindictam publicam agitur. Negat id *cit.* Innocentius *n. 2.* Panormit. *in c. 1. cit. n. 6.* & cæteri Interpp. plerique: quos secuti sunt Speculat. *de Teste §. 13. n. 4.* Farinac. *Prax. Criminal. q. 75. n. 115.* & novissimè Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 11.* suam hanc Opinionem desumentes ex *c. Super eo cit.* ubi relatus Alexander III. generaliter, testes monendos, non cogendos, asserit, & ex *c. Dilectorum 10. ibi, Præterquam super criminibus.* Rationem reddunt; quòd occultatio veritatis, cùm de rei condemnatione agitur, speciale damnum afferat nemini, præterquam accusatori, si deficiat in probatione: cujus, quia ex accusatione sibi imminens quodcunque periculum sponte subit, non magna ratio est habenda. Accedit; quòd hujusmodi testimonio occasio præbeatur odio & inimicitiæ inter accusatum & testes, illius condemnationem & punitionem depositionibus suis, contrà quàm humanitatis & Christianæ lenitatis ratio exigit vel permittit, promoventes.

Sed neque ratio ista neque *citt.* textus coactioni testium in causis etiam Criminalibus obstant casu, quò de facti veritate constare aliter non potest: & illi judicis, eos ad testificandum citantis, monitioni & jussui non obsecundant, ut cum Hostiensi *in c. Dilectorum cit. n. 3.* docent Clarus *§. fin. q. 24. n. 21.* & Guazzinus *Reor. defens. 14. cap. 11. n. 1.* & alii, Curiarum, præsertim Romanæ, praxin pro se allegantes: quorum sententiam amplexi sunt Vallens. *hic n. 3.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 8.* claris Juris testimoniis permoti; cùm, testes in variis causis Criminalibus coactos, luculenter doceant nostræ Rubricæ subjecti textus, *c. Pervenit 4. c. Super his 8. c. Cùm contra 9. & c. fin.* quorum primò in simoniæ & adulterii: postremò in conspirationis in proprium Episcopum: reliquis duobus *cc.* in Falsi criminibus ad testimonium in judicio dicendum sunt compulsi. Id ipsum persuadet eidem subjectis textibus prodita non una, nec contemnenda ratio; ne veritas occultetur, *c. 1. cit. can. fin. 14. q. 2.* ne per defectum testium pereat justitia, *c. fin.* ne malus ut bonus æstimetur, *can. cit.* quia Reipublicæ interest, veritatem detegi; ne crimina, quæ reorum publicâ diffamatione, aut isti succedaneis indiciis in judicium delata sunt, maneant impunita, contra textum *c. Ut famæ 35. de Sent. Excommunicat.* Unde

Corruit contra ejusmodi coactionem allata ratio; quia rei accusati & contra ipsum producti testis privato commodo prævalet utilitas, imò necessitas Reipublicæ: cujus quia interest, detegi veritatem, testis istam prodentis munus publicum dicitur, *arg. l. 1. pr. cit.*

Neque aliud desumitur ex *c. Super eo cit.* quia, cùm isto, testem non cogendum, sed monendum, dicitur, id intelligendum est de principio; cùm monitio præcedere debeat coactionem, *c. 1. cit.* Monitioni autem non obtemperans cogi non prohibetur, Glossa *in c. cit. V. Non cogendi,* & Vallensis *ibid. n. 5.*

Magis in speciem: at reipsa etiam non urget textus *c. Dilectorum cit.* quia istô Honorius III. testes ad testificandum cogi solùm noluit à judicibus, datis in causa Civili, quæ inter Episcopum & Capitulum primò vertebatur; quòd judicium Criminale non per eosdem, sed alios judi-

ces voluerit agitari. Quòd autem inter eos primò agitata fuerit causa Civilis, liquet ex eo; quòd Episcopus & Capitulum litigârint per procuratores: per quos causam Criminalem criminaliter intentatam de Jure non tractandam, patet *ex c. Tuæ 5. de Procurat.* Zœsius *ad hanc Rubr. n. 3.* & Gonzalez *cit. n. 8.*

5. Sed, licet judicis coactioni obnoxii generaliter quicunque sint, ab hac tamen generali Regula exempti sunt, & ad testimonium dicendum compelli Jure nequeunt Imprimis, parentes & quicunque ascendentes; contra liberos, istorúmq; descendentes, & vicissim hi contra illos; cùm ad testimonium adversus se mutuò dicendum nec volentes admittantur, *l. Parentes*, junctâ Glossâ, *V. Adversus C. hîc.* Deinde cæteri consanguinei & affines adversus se mutuò, uxor contra maritum, sponsa contra sponsum, libertus contra Patronum & vicissim, *l. Lege Julia 4. & l. In legibus 5. ff. hîc* Et demum senes, præsertim septuaginta annis majores: valetudinarii, qui morbo detinentur: milites, qui in expeditione sunt, & qui cum magistratu Reipublicæ causâ absunt, *l. Inulti 8. ff. hîc* & nonnulli alii, de quibus latè Farinac. *cit. q. 78. à n. 59.*

6. Hujusmodi personis, ut primâ fronte videantur, revera tamen addi nequeunt, qui de crimine aliquo accusato vel denuntiato, se testimonium adversus eum non dicturos, jurârunt; tales enim ad testificandum compelli posse *c. Constitutis 45. de Testibus & c. Pervenit. cit.* decisum, & ratio clara est; quia juramentum hoc est contra bonos mores; cùm ex natura & fine suo invitet ad liberiùs delinquendum: & pugnet cum obligatione parendi justo mandato judicis, ad rei veritatem manifestandam legitimè interrogantis, secundùm S. Thomam 2. 2. *q. 70. art.* 1. & demum sit contra utilitatem publicam, exigentem crimina non esse impunita: ac proinde obligatorium esse non potest, *c. Quantò 18. de Jurejurando & Reg. 58. in 6.* Panormit. *in c. Pervenit cit. n. 3.* Speculat. *cit. §. 13. n. 5.* Farinac. *cit. q. 78. n. 149.* & Laiman. *in c. cit. n. 1.* monens, consultum esse; ut judex hujusmodi coacti testis juramentum, antequam deponat, nullum esse declaret, vel eum absolvat ad cautelam; cum ad tollendum scandalum & offensionem aliorum præsertim simplicium: tum verò; ne ad testimonium dicendum admittere videatur perjurum, & istius dictorũ fides sit suspecta, Glossa *in c. fin. V. Absolvat.*

7. Dubium etiam est, an ad testificandum cogi etiam valeant Clerici & Religiosi. Non quidem à judice Ecclesiastico & suo; quia istius, ad testimonium perhibendum in jus vocantis, monitioni non parentes præceptô urgeri, & in contumaces pœnam decerni posse, liquet ex *c. Cùm super cit.* ubi non parentibus Suspensionis: &, crescente contumaciâ, ipsius Excommunicationis ac Depositionis comminatio est facta.

8. Sed à Seculari: cujus etiam coactioni eos obnoxios non esse, desumitur ex *can. Statutum 35.* junctâ Glossâ *V. Ad testimonium, 2. q. 6.* Panormit. *in c. 1. n. 4. ubi* Hostiens. *n. 3.* Ant. de Butr. *n. 7. cit.* Speculat. *n. 1.* & Farin. *n. 74.* Ratio est; quòd testes deponere debeant jurati, *c. De testibus 29. & l. Jurisjurandi 9. C. de Testibus & attest.* jurare autem clericis coram judice Seculari sine consensu sui Episcopi non liceat; *can. fin. 22. q. 5.* Unde casu, quô eorum testimonium necessarium est, vel coram suo judice Ecclesiastico deponere: vel, ut id coram laico facere possint, Episcopi licentia requiri debet, *can. fin.* junctâ Glossâ, *V. Coram se, 14. q. 2.*

9. Multò minùs cogi possunt in causâ Criminali, præsertim sanguinis, propter pericu-

periculum irregularitatis, quam incurrerent, si ex eorum testimonio reus ad mortem aut membri amissionem condemnaretur, *can. Hii, à quibus, 23. q. 8.* S. Thomas *2.2. q. 7. art. 1.* & Panormit. *in c. Sententiam, 9. Ne clerici vel Monachi, n. 11.* Quod procedit, etiamsi veritas aliter haberi non posset, Baldus *in Rubric. hîc n. 3.*

10. An etiam à laico, ad clericatum aspirante, si in sanguinis causa coactus contra reum testificetur, istius morte secutâ, irregularitas contrahatur, non ita pridem controversû reddidit ejusmodi contra militem coacta depositio alicujus Academiæ nostræ Scholaris: à quo irregularitatem contractam, hâc magni ponderis ratione suadebatur; quòd ex una, Scholaris si ad testificandum accessisset voluntariè, vel rogatu accusatoris, aut etiam judicis, non compellentis, simplici citatione, procul dubio illi sacræ Ordinationis impedimento obnoxius foret, ex communi sensu DD. apud Suarez *Disp. 47. de Censuris s. 3. n. 2. & 3.* ex altera verò parte, ex præcepto & coactione judicis orta testificandi necessitas & obligatio ab irregularitate eum non excusat: sicut non excusat tabellionem aliósque Justitiæ ministros & ipsum judicem: quantumvis ad rei, cujus delicto capitalis pœna à Jure decreta est, condemnationem concurrant, judice præcipiente, & iste ad eam ferendam necessitate à Jure & officio suo impositâ procedat. Sed, si res penitiùs inspiciatur, latum discrimen se prodet inter judicem, tabellionem, cæterósq; Justitiæ ministros ex una, & ejusmodi coactum testem ex altera parte; quia necessitas illorum fundatur in propria voluntate, quâ ejusmodi munus in se receperunt; cùm, licet vg. judex, officiò admissò, capitalem pœnam ei, cui lege decreta est, necessariò infligat: officium tamen illud neque à Jure, neque ab homine coactus, sed liberâ voluntate admisit: is autem, de quo loquimur, testis invitus, & contra suam voluntatem, & fortè etiam protestationem ad testificandum authoritate & præceptô judiciali obligatus & compulsus fuit.

Quare satis probabiliter Coninck 11.
Disp. 18. n. 96. Bonacina *de Censur. disp. 7. q. 4. p. 3. num. 8.* Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 14. §. & n. 3.* & Gonzalez *in c. fin. n. 10.* ejusmodi laicum, ad testificandum à judice compulsum, ab irregularitate immunem pronuntiant: eósque secuti pronuntiârunt, qui super memorati Scholaris facto sunt consulti; movebantur enim textu, *c. Tuanos, 19. de Homicidio*, cujus §. *Ad ultimum & §. fin.* super Scholaris, qui judici requirenti signa, latronis, postea mutilati, delictum comprobantia subministrârat, factô consultus Innocentius III. hoc illi, ad sacros Ordines adspiranti, impedimento non esse, rescripsit. Rationem reddebant partim; quòd ejusmodi testimonium non solùm culpâ, sed lenitatis quoque defectu vacet, hôc ipsô; quòd non liberè ac sponte, sed judicialis coactionis necessitate sit dictum: partim verò; quòd credibile non sit, irregularitatem ab Ecclesia impositam actui testificationis, non ex officio voluntariè suscepto, sed legitimi superioris justô præceptô urgente, debito ex Obedientia, & Naturali Jure, ut arguit *cit.* Palao *n. 3.*

Sicut testes, quando judicis moni- 12.
tioni parere recusant, districtione Ecclesiasticâ compelli, ita & multò magis Censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis coërceri possunt, qui ad testimonium pro veritate dicendum in judicium vocatos & paratos, quò minùs comparere valeant, malitiosè impediunt per textum *c. Constitutis 45. de Test. & attest.* ubi ab Innocentio III. ne copia probationis pereat, Excommunicationis sententia promulgari jubetur in eos, qui ab illa producendos testes prohibere & impedire præsumerent, Panormit. *in c. cit. n. 1.*

TITVLVS XXII.

De Fide Instrumentorum.

DEcretalibus propositarum Probationis speciarum altera sunt Instrumenta: quorum fides non minorem probandi vim in judicio obtinet, quàm vivâ voce deponentium attestationes, *l. In exercendis 15. C. hâc Rubr.*

ARTICULUS I.

De Natura & Varietate Instrumentorum.

SUMMARIUM.

1. *Instrumenti etymon ac natura.*
2. *Divisio in Publicum & Privatum.*
3. *Publicum conficit Notarius.*
4. *Jure Communi à solo Principe supremo:*
5. *Speciali non rarò ab inferiore creatu.*
6. *Ejus solennitates sunt I. Invocatio Numinis:*
7. *II. Expressio nominis Papæ vel Imperatoris,*
8. *III. Anni Domini, atque etiam Indictionis,*
9. *IV. Et loci, in quo gestus est actus, super quo conficitur instrumentum:*
10. *V. Rogatio Notarii,*
11. *Facta ab eo, à cujus voluntate actus pendet:*
12. *VI. Rei gestæ series,*
13. *VII. Ut confectum à Notario:*
14. *VII. Ejus manu subscriptum,*
15. *IX. Et sigillo munitum sit.*
16. *Publico affine est instrumentum Authenticum:*
17. *Cujus potiores,*
18. *Et plures species privati instrumenti referuntur.*
19. *Divisio in Originale & Exemplum.*

INstrumenti nomen ab *Instruendo* derivatum, & latiùs acceptum est omne id, quô causa instruitur, sive de re controversa judici fit fides; ac proinde etiam testes, sive istorum depositiones comprehendit, *c. Pervenit, 4. de Testib. cog. & l. 1. ff. hic.* Strictè autem & magis propriè denotat quamlibet scripturam, quæ de ejusmodi re fidem judici facere potest, *c. Cùm Joannes 10. V. Porrò* Hostiens. *in Summa hîc n. 1.* 1

Hôc modô, & in Rubricæ nostræ sensu accepti Instrumenti duæ celebriores sunt divisiones. Una, quâ bifariam aliud Publicum dicitur & aliud Privatum: ad quorum prius reduci solent scripturæ Authenticæ, vim & effectum Instrumenti publici habentes: etsi publica propriè loquendo non sint, Panormit. *in c. 1. n. 2.* Speculat. *de Instrument. edit. §. 7. n. 2.* & Everardus *de Fide Testament. cap. 1. num. 3.* 2

Publicum enim instrumentum propriè acceptum est Scriptura, quæ publicâ autho- 3

câ authoritate, sive à persona publica, scilicet Tabellione seu Notario, legitimè, seu cum debitis solennitatibus est confecta, Decius *in l. Is apud* 2. *C. de Edendo*, Speculat. *cit.* §. 7. & Everard. *cit n.* 3.

Notarius, à *notis* literariis, seu Tabellio, à *Tabulis* quondam ita nominatus, hodie vocatur Persona, ad testamenta & negotiorum instrumenta conficienda, authoritate publicâ deputata, ut ex *l. Contractibus* 17. *C. hîc*, *Novell.* 44. *&* 73. de-
4. sumi solet, Gonzalez *in c.* 1. *n.* 7. Cujusmodi personam deputare, sive Notarium creare, licet summi Principes aut Magistratus superiorem, saltem in temporalibus, non recognoscentes de Jure soli valeant, Consuetudine tamen introduci potest; ut personæ, certis qualitatibus præditæ, pro Notario seu tabellione: ab eoque confectis instrumentis, aliorum publicorum instar, plena fides in & extra judicium habeatur, *arg. c. Cùm dilectus 9. hîc*, *& l.* 1. *C. de Emancip. lib.* Everard. *de Fide Instrument. cap.* 2. *n.* 7.

5. Eâdem Consuetudine, & præsertim summi Principis privilegiô, Principes, Comites, aliique magistratus inferiores Notarios aliquando creant: à quibus tamen creati minùs, quàm à supremo Principe renuntiati, amplam & ferè ad terminos ipsius creantis restrictam obtinent potestatem, *citt.* Speculat. §. 8. *n.* 22. Everard. *cit. cap.* 2. *n.* 9. & Haunold. *Tom.* 5. *de* 7. *&* 7. *Tract.* 4. *n.* 365. quia Notarius nititur authoritate ejus, à quo est creatus, *Novell.* 44. *cap.* 1. iste autem extra territorium suum publicam non obtinet potestatem, *c. fin. de Constitut. in* 6. *& l. fin. ff. de Jurisdict.* Nisi tamen isti ampliorem potestatem Notariis conferendi speciali prærogativa gaudeant ex pri-
9. vilegio, à summo Principe obtento.

Quin, hôc etiam à summo Principe non obtentô, ab illis creato Notario testatem, ab eóque confectis instrumentis authoritatem majorem & extra creantis territorium se extendentem, tribuere valet Consuetudo; sic enim, quantumvis Notariis Cæsareâ, super spiritualibus hísque annexis: & Apostolicâ authoritate creatis super negotiis & rebus merè temporalibus, extra D. Petri Patrimonium, sive Ecclesiæ territorium temporale, publica instrumenta conficiendi potestatem Jure non competere, non pauci velint: Consuetudine tamen aliud observari; & à Notariis Apostolicis super negotiis & actibus merè prophanis, extra illud territorium: & Imperiali authoritate, etiam mediatâ duntaxat, per Comites Palatinos creatis Notariis super rebus in Ecclesiæ territorio sitis, & beneficiis aliisq; spiritualibus, instrumenta publica confici, & confectis fidem ubique haberi, cum Felino *in c. Cùm P.* 15. *n.* 17. & Speculat §. 8. *n.* 26. observant. *citt.* Everard. *n.* 5. & Haunold. *n.* 368.

6. Solennitatum, ad Publicum requisitarum Instrumentum Prima est, Invocatio Divini Numinis, præmitti solita verbis, *In nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis*: quam esse de substantia, ut ejus omissione instrumentum vitietur, cum Barbatia *in c.* 1. nonnulli voluêre, aliis id, ullô Jure cautum, inficiantibus; cùm quòd *Novell.* 44. *cap.* 1. ejus conficiendi forma tradatur sine ulla ejusmodi invocationis mentione: tum verò; quòd ea ipsius Ecclesiastici Juris partibus non omnibus sit præmissa. Sed quidquid sit de rigore Scripti, non-scriptô sive Consuetudinariô Jure & usu spectatô, eam ad publici instrumenti substantiam pertinere, plerique agnoscunt, ut propterea Maximilianus I. *Constitutione*, Coloniæ *1512.* editâ, Instrumentorum à Notariis conficiendorum formam præscribens, iis Dei omnipotentis invocationem jusserit præmitti, Eve-

mitti, Everard. *cit. cap.* 2. *n.* 50. & Hunnius *in Treutl. Vol.* 2. *disp.* 5. *q.* 13.

7. Secunda, expressio nominis Papæ in locis, temporali ejus domino subjectis: Imperatoris, Regis, vel alterius Principis aut Magistratûs in temporalibus superiorem non recognoscentis, in cujus territorio instrumentum est confectum: & anni Regiminis ipsius: & Imperatoris quidem, Regis &c. expressionem Jure necessariam, ex *cit. c. 1.* liquet. Non etiam Papæ; quòd ejus nomen exprimendum, ullô canone cautum non reperiatur. Sed, ut hoc ita sit, locus tamen est arg. *c.* 1. *de Novi Oper. nunt.* Cui accedit Consuetudo, quæ dubii Juris optima interpres habetur, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.* ut, quod istâ receptum, ad correctionem evitandam Jure quoque constitutum in dubio existimetur, Felin. *in c.* 1. *n.* 5. *citt.* Speculat. §. 2. *num.* 8. & Everard. *num.* 53. ubi, Papæ nomen à Notariis non paucis extra ejus temporale territorium exprimi consuevisse: idque tunc maximè, quando ii non solùm Cæsareâ, sed Apostolicâ etiam authoritate creati sunt, rationi consentaneum esse observat.

8. Tertia, est expressio temporis, arg. *c. Quoniam* 11. ibi, *Designando tempora, de Probat. & c. Abbate* 3. §. *Porro*, ibi, *Veluti locus & tempus, de Sent. & re judic. in* 6. scilicet anni à Christo nato sive incarnato currentis tempore contractûs, vel alterius actûs, super quo conficitur instrumentum: uti & Indictionis Romanæ, sive ejus anni, *can.* 1. *pr. dist.* 23. & *can.* 1. *in fine, dist.* 73. qui in Calendario notari solet. Mensis item istiúsque diei, *cit. Novell. cap.* & §. 1. sive certi ejus numeri, aut alicujus Festi immobilis, expressione designati: quô actus gestus, vel instrumentum est confectum, *citt.* Speculat. *n.* 8. & 9. & Covarruvias *n.* 1. & 3. Etsi verò Indictionis de Jure magis, quàm anni Dominici expressio substantialis sit; cùm anni quidem à Verbi Divini Incarnatione currentis *can.* 1. *cit.* mentio sola fiat; Indictionis apponendæ insuper necessitas expressa videatur, *c. Inter* 6. *V. Sed contra, hîc*, & præsertim *cap.* 1. *cit.* Hodie tamen anni Dominici major, quàm Indictionis ratio habetur ex consuetudine; cùm istius non ubique: illius autem tanquam magis noti anni appositio in Christiani Orbis provinciis omnibus ita recepta sit; ut instrumentorum solennitatem hodie magis substantialem eâ non esse, asserat, *cit.* Everard. *n.* 52. & 55.

Quarta, locus celebrati contractûs, & aut alterius negotii gesti, *c. Quoniam cit.* ibi, *Conscribenda loca*, §. *Porro cit.* & *l. Optimam* 14. *C. de Contrab. Stipul.* cujus expressionem, sicut ad instrumenti valorem necessariam, DD. communis sensus, ita anceps est, an, solam civitatem, castrum, aut villam nominari, sufficiat, vel opus sit magis speciali ipsius etiam domûs expressione. Veriùs tamen est, istam quoque exprimendam: imò à Notariis magis providis & cautis ipsam quoque domûs partem, vg. atrium, vel conclave superius, in quo negotium inter aliquos gestum est, notari consuevisse, monent *citt.* Speculat. §. 2. *n.* 9. Everard. *n. cit.* Haunold. *n.* 373. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 7.

Quinta; ut Notarius ad instrumentum super actu conficiendum sit rogatus seu requisitus, prout desumi ex *c. Cùm P. & Novell.* 44. *cap.* 1. *pr. citt.* & ratio reddi solet; quòd, sicut testis, cùm non rogatus à parte, vel à judice citatus ad testimonium dicendum ultro se offert, ita & Notarius, si super actu à nemine rogatus aut jussus instrumentum sponte conficiat, meritò sit suspectus; ut quem admodum illius testimonio fides non accommodatur, ita suspecti vitiô laboret, & legi-

& legitimum non habeatur instrumentum, cujus confectionem ita sibi arrogavit, Panormit. *in c. 1. n. 4. citt.* Speculat. §. 2. *n.* 13. & Everard. *n.* 91.

11. Rogari autem secundùm hos DD. debet ab eo, vel iis, à quorum voluntate actus pendet; ut, si super contractu, vel conventione alia, à duorum voluntate pendente, instrumentũ conficiendum sit, à contrahentium vel pacificentium utroque: si eò describendus sit actus, ab unius tantùm voluntate pendens, ut sunt testamentum, aditio, vel repudiatio hæreditatis, protestatio, intimatio, ab isto saltem Notarius rogetur seu requiratur. Si verò actus, ab hominis voluntate independens, à natura vel casu proveniat, ut hominis nativitas, mors, rei interitus &c. ad instrumenti super eo confectionem non sufficit rogatio alicujus, qui ex eo interesse prætendit, sed necessaria est cognitio & authoritas judicis adeò; ut, istâ non interveniente, confectum instrumentum fidem non faciat in præjudicium alterius, quàm rogantis. Ratio est; quia Notarius authoritate publica constitutus est ad ea tantùm, quæ pendent ab hominum voluntate, & ex ista effectum sortiuntur: non etiam ad ea, quæ naturâ vel casu contingunt; cùm de his judicare sit judicis: qui ipse, cùm de iis cognoscit, peritorum consilium solet adhibere, arg. *l. Septimò 12. ff. de Statu hominum, citt.* Everardus *n.* 98. & Haunold. *n.* 385.

12. Sexta, rei seu actûs gesti series, vg. quis, quid, cui donârit, vendiderit: & ex qua causa debeat &c. eique præsentes ordinariè saltem duo testes: quorum nomina eorum propriâ, vel saltem Notarii manu instrumento sunt inserenda, *citt.* Panormit. *num.* 3. Covarruvias *n.* 4. & Everard. *n.* 66.

13. Septima, ut instrumentum ab ipso Notario sit contectum, *citt c. Cùm P. cap. 1. pr. & §. 4.* cùm; quòd ejus non solùm singularis industria, sed fides quoque specialiter sit electa: ea autem, ad quæ persona sic electa est, per aliũ nequeant expediri, *c. fin. §. Sin autem, de Offic deleg.* tum verò; quòd errori & fraudi faciliùs locus sit, si super negotio, qui non interfuit, conficiat instrumentum, *citt.* Everard. *n.* 69. Hunnius *q.* 9. & Haunold. *n.* 374. qui tamen pro validis habent instrumenta, quorum ab ipso Notario compositorum sola descriptio, vel ipsa etiam compositio alteri commissa, sed ab ipso Notario correcta & subscriptione ac sigillo munita fuit. Casu, quô iste infirmitate, aut inevitabili necessitate aliâ instrumentum conficere, aut ab alio confectum corrigere & subscribere non posset, instrumenti confectionem alteri, sed non nisi interveniente authoritate judicis, & ferè etiam partium consensu accedente, committere posset, *c. Cùm P. cit.*

14. Octava, subscriptio Notarii facienda manu propriâ, & expressô Imprimis nomine & cognomine, arg. *can. Cùm Redemptor, 12. q. 2.* ut ejus persona omnino certa appareat: deinde authoritate Apostolicâ vel Cæsareâ, quâ Notarius creatus est, Speculat. *cit.* §. 2. *n.* 11. demum; quòd sit ab eo, vel aliis, si plures sunt, ex quorum consensu actus pendet, rogatus, *citt.* Panormit. *n.* 3. Covarruvias *n.* 5. Everard. *cap. 2. à num.* 49. & *n.* 91. & Haunold. *n.* 382.

15. Nona, appositio sigilli proprii ipsius Notarii, *citt.* Panormit. *n.* 3. & Speculat. §. 2. *n.* 15. quô si instrumentum careat, ex consuetudine, non Jure aliquo scripto, redditur suspectum, *citt.* Everard. *n.* 119. & Haunold. *n.* 389.

16. Authenticum Instrumentum, in latiori significatione & effectu spectato, Publicum non infrequenti usu vocatur: propriè tamen & strictiùs acceptum dicitur,

quòd, licet vel non à persona publica, vel sine debitis solennitatibus confectum sit, vim tamen probandi fere eandem, quam hujusmodi Instrumentum strictè acceptũ habet, *cit.* Panormit. *n.* 2. Pirrhing. *ad*
17. *hanc Rubric. n.* 3. Cujusmodi sunt Primò Protocollum sive liber, in quo actiones, confessiones, depositiones testium, productiones instrumentorum, aliæque probationes, sententiæ, appellationes, & cætera Acta judicialia conscripta referuntur, *c. Quoniam, 11. de Probat. l. Is apud 2. C. de Edendo, l. fin. C. de Re judic.* quæ, ut major fides iis habeatur, authoritate judicis à Notario conscribi solent. Secundò, Scripturæ ex archivo publico, seu Cancellaria depromptæ, qualescunque demum, & à quocunque confectæ sint, *Auth. Ad hæc, C. hîc, & Novell. 47. cap. 2.* quia locus publicus authoritatem & robur dat scripturæ, etiam non Authenticæ, arg. *Auth. cit. ubi*, Bartol. *in fine*, Panormit. *in c. Scripta 2. n. 6.* & Mascardus *de Probat. conclus. 111. num. 9.* Tertiò, Matriculæ & libri Censuales, vulgò Cammersteur vnd Zahlbücher / quibus descripta continetur æstimatio bonorum quorumvis subditorum; ut à superiore cum debita proportione imponi possint census & exactiones, *c. Ad audientiam, 13. §. Ad quod, de Præscript. & l. Censu 10. C. de Probat. ubi* Bruneman. *n.* 1. *& 3.* Quartò, Scripturæ à privatis quidem confectæ, sed publicô Episcopi vel Capituli, Principis Secularis vel alicujus Civitatis sigillô munitæ, *c. Tertio 5. c. Post cessionem 7. de Probat. & c. Scriptura, 2. hîc* præsertim, si à quo id appositum fuerit, aut cujus sigillum sit, in ejusmodi scriptura sit expressum, Felin. *in c. Post cessionem cit. num. 7.* & Menoch. *de Arbitr. casu* 111. *à n. 3.* Quintò, Scripturæ privatæ, Magistratûs seu judicis authoritate confirmatæ, vel publicatæ, *arg. l. Publicati, 2. C. de Testament.* Sextò demum Scripturæ, privati manu confectæ, sed trium, aut aliquando duorum adhuc viventium & suam manum recognoscentium testium subscriptione roboratæ, arg. à contrario *c. Scripta cit. & l. Contractus, 17. C. hîc*, Panormit. *in c. Scripta cit. n. 5.* & Speculat. *§. 3. cit.*

Privatum, sive, ut vocatur, Domesticum instrumentum strictè acceptum, est 18.
Scriptura confecta à persona privata, & publica authoritate vel alio adminiculo non corroborata: cujusmodi sunt Codices seu libri Rationum, & à privato confecta rerum Inventaria: libri Censuales, quibus privatorum census & quæcunque servitia sibi vel aliis debita: libri Mercatorum, aliorúmque, quibus conventiones, data, accepta, debita adnotantur: Apochæ, vulgò Quietantiæ, sive chirographa, quibus creditor pecuniam, censum &c. à debitore solutum &c. confitetur: Anapochæ sive cautiones, quibus debitor pecuniæ, censûs &c. solutionem, vel præstationem à se factam, confitetur, & creditori tradit, ut ex solutionibus receptis jus suum, aut hoc præscriptione non extinctum, probare possit, *l. Plures 19.* junctâ Glossâ *V. Apochia, C. hîc*: Literæ, sive Epistolæ familiares amicis, sociis &c. missæ, Vallens. *hîc §. 1. à n. 6. & cit.* Pirrhing. *n. 5.* Dixi, *Strictè*; quia latiùs accepta instrumenta privata ex ante relatis authenticis sunt, quæcunque, non à publica, sed privata persona sunt confecta: licet aliunde, vg. ob testium accessionem, authoritatem & probandi vim ferè eandem, quam Publica obtineant, Panormit. *in c. 1. n. 2. citt.* Vallens. *n. 5.* & Pirrhing. *num. 5.*

Alterâ divisione Instrumentum, præ- 19.
sertim Publicum, aliud Originale & aliud Exemplar nuncupatur. Originale, quod etiam Authenticum vocari solet, est pri-

ma &

ma & principalis scriptura solennis, quæ super contractu, vel alio actu est confecta, vulgò ain Haubtbrieff oder Original/ *Solennis*, inquam; quia, si à solennitate abstrahamus, Originale instrumentum est Protocollum seu liber, in quo rei sive actûs gesti series summariâ & succinctâ narratione memoriæ causâ relata adnotatur. Unde etiam Imbreviatura Everard. *cit. c. 2. num. 19.* ex ea verò seu Protocolli adnotatione cum requisitis solennitatibus confectum, Transsumptum sive Instrumentum Originale, Publicum & Authenticum vocatur, Wesenbec. *in ff. hic n. 2.* & *cit.* Pirrhing *n. 4.* Exemplum sive exemplar est scriptura, quæ ex Originali instrumento, sive publicâ Notarii, sive privatâ manu, descripta & transsumpta est: quæ vulgò copiæ ain Copey oder Abschrifft: &, si authoritate seu mandato judicis à Notario confectæ sint, Copiæ Vidimatæ nuncupantur.

ARTICULUS II.

De Vi probandi, quam habent Instrumenta Publica.

SUMMARIUM.

20. *Instrumentum Publicum plenè probat,*
21. *Ea tantùm, qua continet dispositivè:*
22. *Et testimonio duorum,*
23. *Aliquando plurium æqualem vim habet.*
24. *Ejus copia non probat:*
25. *Nisi authoritate judicis à Notario,*
26. *Ex justa causa rogato,*
27. *Originali diligenter inspecto,*
28. *Et adversâ parte citatâ sit transsumpta.*
29. *Plenè etiam probat Protocollum,*
30. *Etiam sine Instrumento:*
31. *Nisi actus celebratus sit in scriptis.*

INstrumentorum vis varia est pro personarum ea conscribentium, sigilli, aliarúmque solennitatum, imò & custodiæ varietate & antiquitate.

Publicum id, quod in ipso dispositivè continetur, in damnum & commodum utriusque partis plenè probandi vim in judicio habere, liquet ex *c. 1. c. Scripta 2. l. In exercendis, 15. C. hîc, & l. Cùm precibus 18. C. de Probat.* adeò; ut ejusmodi instrumentum à Baldo *in l. Si in causa 2. C. Quando fisc. vel privat.* probatio probata, & non Probanda nuncupetur; cùm dispositivè in eo contentorum veritas nitatur duplici & utrâque maximæ efficaciæ præsumptione. Unâ, ortâ ex qualitate personæ, specialiter electæ, publicâ authoritate approbatæ, & ratione officii, istiúsque suscepti initiô præstiti juramenti ad rem, ut gesta est, in instrumentum fideliter redigendam obligatæ. Alterâ ex solennitatibus, removentibus omnem fraudis suspicionem, Panormit. *in c. Scripta cit. pr.* Speculat. *de Edit instrument. §. 8. n. 1.* & Wesenbec. *in ff. hâc Rubric. n. 6.* 20.

Dixi, *Quoad contenta dispositivè*; quia quoad ea, quæ in instrumento etiam solenni solummodo narrativè & incidenter referuntur, instrumentum etiam publicum in tertii præjudicium fidem non facere, ex communi aliorum sensu advertunt Innocentius *in c. Cum in Jure, 31. de Offic. deleg. n. 7.* & Bartol. *in Auth. Si quis C. de Edendo, n. 8.* Sic enim instrumentum, quô vg. prædium, quod Titio à Principe donatum est, mihi mille aureis venditum refertur, meam quidem emptionem contra quemcunque alium: 21.

non etiam Principis donationem legitimè probat; cùm citra istius consensum sit confectum. Pari modo instrumentô, quô domum, in alicujus Diœcesis vel Parochiæ finibus sitam, mihi venditam, continetur, mea quidem emptio: non etiam Diœcesis vel Parochiæ fines probantur; quòd donatio in priori: in posteriori instrumento fines narrativè & incidenter tantùm referantur, Jason *in l. Cùm aliquis 21. C. de Jure delib. n. 4.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 37. num. 12.* excipientes instrumenta antiqua, quæ etiam in tertii præjudicium probare, arg. *c. Cùm causam 13. de Probat.* à DD. est receptum.

22. Dubium de publico instrumento est, an plenè etiam probet in actibus illis, in quibus, seclusô instrumentô, plures, quàm duo testes requiruntur. Quod oritur ex *Novell. 73. cap. 3.* duobus testibus, vivâ voce judicialiter deponentibus, majorem fidem, quàm instrumento clarè tribuente. Neque id absque ratione; cùm, qui vivâ voce in judicio testificatur, id Religione juramenti & in conspectu judicis faciat, suæque scientiæ rationem reddat. Sed, licet ista non parùm augeant fidem testimoniorum, non minùs tamen roboris, quàm testimonio ab iis, instrumento à publica approbatione personæ Notarii, istiúsque juramento & ipsius instrumenti præmeditata & accurata descriptione, in eóque adhibitis solennitatibus accedit, ut probè adverterunt, Everard. *de Fide Instrument. cap. 3. n. 10.* & Haunold.

23. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 393.* instrumento publico plenam fidem etiam in actibus, plures testes exigentibus, adstruentes, permoti textibus *l. In exercendis 15. C. hîc*, instrumentis & testium depositionibus eandem vim generaliter & indistinctè tribuentis: *& l. Testium 18. C. de Testibus*, instrumentum legitimè confectum quinque testibus disertè æquiparantis.

Neque hujusmodi sive publici instrumenti fidem minuit, *Novell. cit.* cùm; quia ejus *cap. 3.* duorum virorum testimonium instrumento solummodo privato præferri, notat Glossa *V. Literarum*: tum rerò; quia ejus dispositio restringenda est ad casum *cap. 3. cit.* quô instrumentum manu ejus, cujus nomen continebat, scriptum negabatur ex comparatione & dissimilitudine literarum: cui duorum, se instrumento subscripsisse asserentium, vivum testimonium meritò prævaluit; quòd unus idémque homo characterem & scripturam ex variis causis facilè mutet, eámque aliena manus non difficulter imitetur, *citt.* Everardus *n. 7.* Haunold. *n. 393.* & Gudelinus *Lib. 4. de Jure Novissimo cap. 11. V. Caterum.*

Dubium etiam est de instrumento- 24
rum publicorum Copiis sive exemplis. Quibus, nisi cum ipso Originali exhibeantur, plenam fidem non adhiberi, *c. 1. & l. Quicunque 2. ff. hîc* decisum, & ratio clara esse videtur; quòd, si iis solis crederetur, occasio daretur fraudibus & deceptioni; quia in copia seu exemplis non apparent rasuræ, cancellationes, suppositio sigilli & cætera vitia, quæ interitum aut suspectum reddunt ipsum Originale, *c. Inter 6. V. Sed contra, hîc & c. Cùm Venerabilis 6. de Relig. domib.*

Sed ratione hâc firmata *citt.* textuâ decisio, sicut instrumentorum publicorum copiis, privatâ authoritate manúve transsumptis, & sine Originali exhibitis non credendum omnino evincit: sic plenæ probationis vim non adimit exemplis à Notario, non solùm eôdem, sive à quo Originalia confecta sunt cum iisdem solennitatibus transsumptis; quia hujusmodi exemplum quodammodo est Originale; cum ad hoc ei nihil desit: nisi quòd à suo authore non Originale, sed Exemplum seu Transsumptum nominetur:

sed e-

sed etiam à diverso, judicis tamen authoritate confectis; nam etiam hæc, perinde ut ipsa Originalia, plenè probare, patet ex *c. fin.* ut cum Interpp. *ibi* & aliis DD. tradunt *cit.* Everard. *cap. 4. n. 35.* & Co-
25. varruvias *Practic. cap. 21. n. 4.* Ad hujusmodi tamen exemplum, ut eandē cum Originali vim obtineat, DD. *citt.* præter Judicis Ordinarii, ab eóve specialiter delegati, authoritatem, & Notarii publici personam, requirunt

26. Imprimis; ut id ad rogationem partium fiat ob justam causam, vg. quòd justus metus aut periculum sit; ne Originale ob vetustatem consumatur: quod ex Archivo seu alio loco, in quo asservatur, auferri, aliò mitti, & in judicio produci non possit: quòd pluribus communis instrumenti plura exempla confici expediat; ne unò, quocunque modò, amissò, partibus pereat copia probationis,
27. Panormit. *in c. fin. cit. n. 1. & 2.* Deinde, ut judex diligenter inspiciat instrumentum Originale, an revera publicum & nullâ sui parte vitiosum sit, *c. fin. cit.* partim; quia si originale non esset publicum, sed privatum, ejus exemplum, quantumvis solenniter confectum, probandi vim aliam non haberet, quàm ipsum Originale, ex quo est desumptum, *Auth. Multò magis C. de Cleric. & Episc.* partim verò; quia visibilia vitia, ut rasura, cancellatio & similia in loco suspecto, ejus exemplationem impediunt, Everard. *l. cit. n. 21.*
28. Et demum; ut ad ejus ab uno petitam translumptionem citetur pars adversa, cujus ea interest, *arg. l. de Unoquoque 47. ff. de Re judic.* personaliter, aut in absentia ad domum, si una vel plures ac certæ: vel, si una vel plures personæ incertæ sint, generaliter per edictum. Si autem citantis jurisdictioni subjectæ non sint, ad propositam exemplationem, non arctatoriâ, sed monitoriâ tantùm & invitatoriâ citatione sunt vocandæ, Felin. *in c. fin. cit. n. 6.* & Everhard. *cit. cap. 4. àn. 38.* Nisi partis citationem excluderet periculum moræ, vel in provincia aliqua invaluisset consuetudo, vi cujus exemplum, parte non citatâ, conficeretur; his enim, uti &, quò exemplum idem, qui originale, conficit, & nonnullis aliis casibus, citationem omitti posse, advertunt *cit.* Everard. *n. 4.* & Gonzalez *in c. fin. cit. in fine.*

Non minorem, quàm hujusmodi solenne instrumentum, probandi vim habet 29.
ipsum Protocollum, ad partium rogationem Notarii manu conscriptum: ex quo illud extractum & confectum est; cùm sit illius quasi Matrix & Originale, tantæque fidei; ut post obitum Notarii, à quo conscriptum est, authoritate seu mandatò judicis Ordinarii, alia instrumenta publica, & plenè probantia ex eo desumi, & in formam publicam redigi possint, *c. Cum P. 15.* & propterea; ut emergente dubio ex eo veritas probari queat, id penes se retinere Notarius jubeatur, *c. Quoniam 11. de Probat.* Unde de Protocollo procedit tritum, *Propter quod unumquodque tale & illud magis tale*, Panormit. *in c. cit. n. 3. cit.* Speculat. *§. 4. n. 15.* Everard *de Fide Instrument. cap. 3. n. 33.* Mascard. *de Probat. conclus. 712. n. 9.* & Haunoldus *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. num. 397.*

Hanc tamen Protocolli vim ambiguam reddi, aliqui existimant *c. Cùm P. cit.* textu, quò, Notariò ante instrumenti perfectionem mortuò, ejus scriptura habetur pro imperfecta & destituta vi probandi: quam tum demum obtinet, cùm Ordinarii judicis authoritate ab alio Notario in publicam formam fuerit redacta & perfecta. Accedit ratio; quia Protocollum principium duntaxat, sive inchoatio quædam est instrumenti, non instrumentum completum; ac proinde, antequam com-

pleatur, eâ, quam publicum instrumentum obtinet, probandi vi caret, *arg. l. Cùm Silanianum* 11. *C. de His, quibus ut indign.* in cujus fine Imp. *Nihil*, inquit, *actum creditur, dum aliquid addendum supereſt.*

30. Sed ratione hâc potiores sunt allatæ pro Protocollo; cùm enim ex isto plenè probantia instrumenta non solùm ab eo, à quo conscriptum est, sed post ejus mortem ab alio quoque Notario desumantur, *c. cit.* & quæ in desumptis obscura, & dubia sunt, interpretationem & declarationem inde accipiant, *c. Quoniam est*, plenè probandi vi ipsum quoque pollere, est necesse; ne, quâ ipsum caret, vim conferre videatur. Accedit; quòd Protocollum legitimè confectum plerasque instrumenti publici habeat solennitates: &, licet instrumenti publici perfectionem non habeat, perfectum tamen sit in ratione Protocolli, eam, quâ pollet, probandi vim obtinentis à conscribentis publica authoritate; à qua eam obtinet ex ipso solenniter depromptum instrumentum.

Neque obstat; quòd, Notariô mortuô, ex eo instrumentum confecturo alteri Notario necessaria sit authoritas iudicis, *c. Cùm P. cit.* quia hanc exigendi ratio non est; quod protocollum per se rei gestæ non faciat fidem: sed ut Notarius ad instrumenti confectionem eò, quod non ipse, sed alius conscripsit, Protocollô valeat uti: vel, ut ad eius confectionem pars, cuius ea interest, citetur, Barbosa *in c. cit. n.* 3.

31. Magis in speciem, reipsa etiam non adversatur *l. Contrarius* 17. *C. hîc*, quâ venditiones, permutationes, donationes, arrharum dationes, transactiones & negotia alia non aliter vires habere asseruntur, quàm si instrumenta fuerint conscripta & completa; quia textu istô sermo expresè est de Contractibus, quos in scriptis fieri contrahentibus initiô placuit; tales enim ex contrahentium intentione, etiam in Protocollo descripti, ullas vires antè non habent, quàm res instrumentô comprehensa, & in Mundum, ut Imp. *l. cit.* loquitur, sive in chartam puram cum debitis solennitatibus fuerit redacta. Alia ratio est contractuum & actuum, qui in scriptis celebrati non sunt, sive, qui ex contrahentium intentione robur à solo pacisscentium consensu absque scriptura habent; hos enim Protocolli tenor non minùs, quam ex isto extractum, & super iis confectum publicum instrumentum probat, *citt.* Everard. *n.* 34. Haunold, *n.* 398. & Bruneman. *in l. cit. n.* 2.

ARTICULUS III.

De Vi probandi, quam Instrumenta Authentica habent.

SUMMARIUM.

32. *Plenè probant Acta judicialia,*
33. *Probatoria,*
34. *Et aliquando etiam judicij Ordinatoria:*
35. *Sed inter easdem personas,*
36. *Et ad eundem finem.*
37. *Eandem vim habent scriptura publici Archivi,*
38. *Et libri censuales publici.*
39. *Uti & scriptura Archivi Monasterij, habentis jus Regalium.*
40. *Hôc non gaudentis scriptura contra Monasterium:*
41. *Non pro isto contra tertium plenè probant:*
42. *Nonnullis casibus exceptis.*
43. *Plenè probant libri Officialium publicorum,*
44. *Et scriptura sigillô authenticô munita,*

45. In

45. *In negotiis ad sigillantis officium pertinentibus.*
46. *Libri mercatorum de Jure vix ullam:*
47. *Ex consuetudine semiplenè,*
48. *Et aliquando plenè probandi vim habent.*

32. EAndem quam Publica, sive à Notario cum debitis solennitatibus confecta instrumenta probandi vim, etiam in judicio, obtinent instrumenta sive scripturæ Authenticæ.

Et primò quidem Protocollum judiciale, sive Acta publica, quæ coram judice competente vel alio, jurisdictionem contentiosam exercente, post: imò etiam ante litis contestationem fiunt; nam etiam hæc inter easdem personas, ab iisque causam habentes, & in ordine ad eundem finem, plenè, etiam in alia instantia, probant, *c. Quoniam* 11. *de Probat. & l. fin. C. de Re judic.* sic enim, si quis vg. per legitimos testes probet, se esse dominum fundi, illorum testimonia, in alio judicio producta, valent & prosunt emptori, Panormit. *in c. At si clerici 4. de Judiciis n.* 12.

33. Et quidem, si Acta Probatoria, & ad controversiæ decisionem tendentia sint, ut confessiones, testium depositiones &c. inter easdem personas non solùm in eâdem coram judice, priori subrogato, sed in alia quoque instantia vim retinent & probant; quantumvis, quòd Instantia lapsu temporis, vel per absolutionem ab observatione judicii perempta sit, ex illis sententia non sit lata, *l. Cùm antea 5. §. 2. C. de Recept. arbitr. citt.* Everardus *cap. 6. n. 65. & 44.* Haunold. *n. 468.*

34. Si verò Acta judicii Ordinatoria sint, ut citatio, litis contestatio &c. fidem inter easdem personas in eadem instantia faciunt etiam coram judice, in locum prioris subrogato, *c. fin. de Probat. & c. Causam* 11. *de Test. & attest.* In alia autem instantia vg. coram superiore, ad quem causa per appellationem est devoluta, fidem solummodo faciunt, quando prima instantia finita est per sententiam definitivam, *c. Per tuas 50. de Appell. & l. Ita demum* 13. *C. de Procurat.* Casu autem, quô instantia lapsu temporis, aut sententiâ ab ea vel observatione judicii duntaxat absolutoriâ perempta est, Acta judicii Ordinatoria pereunt adeò; ut, si nova instantia inchoetur, citatio, productio libelli, litis contestatio & alia ad judicii ordinem pertinentia, sint iteranda, *l. Cùm lite mortua 2. ff. Judicatum solvi.* Ratio est; quia sunt acta instantiæ: quâ proinde peremptâ, etiam ipsa interire est necesse, *l. Properandum* 13. *C. de Judiciis*, Maranta *de Ord. Judic. p. 5. n. 55. citt.* Everard. *n. 36.* & Haunoldus *n. 460.* excipientes effectus, ipsam litem sive merita causæ respicientes, ut sunt interruptio præscriptionis & malæ fidei; nam horum effectuum prior instantiâ per lapsum temporis, *l. fin. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* posterior verò, eâ quomodocunque peremptâ, durat, Bartolus *in l. Is, apud quem 2. C. de Edendo, n.* 12.

Ut autem Acta Judicialia, tam Probatoria, quàm judicii Ordinatoria, eam probandi vim habeant, imprimis acta esse debent coràm judice competente; quia coram incompetente acta nulla esse, iisque tanquam non judicialibus, competentem judicem stare non teneri, explorati juris est, *c. At si clerici 4. pr. de Judiciis*, Clarus §. *fin. q. 36. n. 49.* Laiman *in c. cit. n. 2.*

35. Deinde personæ esse debent eædem, vel saltem earum successores, easque repræsentantes: non diversæ; quia rem inter alios actam aliis non præjudicare, Regula *c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. l. Res inter 2, C. Quibus res judic. non nocet*, &

set, & ratio est; quia persona diversa, si in judicio contendisset, fortè causam feliciùs egisset, nec succubuisset, *citt.* Everard. *n.* 72. & Haunold. *n.* 472.

36. Demum, utriusque instantiæ esse debet idem finis; quia acta, ad certum aliquem finem relata, respectu finis ab eo diversi, etiam inter easdem personas, fidem non facere, colligitur ex *c. Veniens 38. de Test. & attest.* ubi acta & testimonia, producta in judicio Summario, in Plenario judicio non probant, *l. Cùm quæritur 12. ff. de Except. rei judic.* Felin. *in c. cit. n. 19.* Panormit. *in c. At si clerici cit. n. 12.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 103. n. 3.*

37. Secundò, Scripturæ quæcunque ex archivo publico depromptæ, per *Novell. 49. cap. 2. §. 2.* & inde desumptam *Auth. Adhæc, C. hîc:* quæ non solùm inter subditos ejus, cujus authoritate archivum est constitutum, in & extra territorium existentes, sed inter extraneos quoque plenam fidem non minùs, quàm instrumentum publicum facere, aliis DD. relatis docent *citt.* Everard. *cap. 7. n. 35. & 47.* & ex eo Haunold. *n. 496.*

Est autem Archivum publicum Locus publicâ authoritate Principis, vel alterius Legislativâ potestate præditi magistratûs constitutus, & alicujus officialis publici fidei & custodiæ commissus; ut in eo reponantur & asserventur tabulæ, sive instrumenta, scripturæ, rerúmque gestarum monumenta, quæ Princeps & magistratus ille pro Authenticis, approbatis & fide dignis haberi vult: etiamsi extra talem locum inventa publica vel authentica instrumenta non essent, *l. Moris 9. §. 6. ff. de Pœnis*, junctâ Glossâ *V. Archivo*, & *ibi* DD. Ratio, ob quam in tali loco sive Archivo publico repertis perinde ut publicis instrumentis plena fides habenda sit, ea est; quòd non appareat ulla ratio, cur propter constituentis authoritatem tanta vis conferatur instrumento, confecto à Notario, quod plenam fidem in & extra territorium apud omnes facit: & nonetiam scripturis productis ex publico archivo; cùm eâdem authoritate scriptura, quæ rerum gestarum memoriam continent, in archivo asserventur, quâ Notarius est constitutus.

Dubium est, an, ut ex Archivo deprompta scriptura plenam fidem faciat, dicti officialis sive Archivarii testimonio debeat esse munita. In quo affirmativa desumi solet ex *§. 2. & Auth. cit.* verbis, *Item charta, quæ profertur ex Archivo publico, testimonium publicum habet:* quem tamen textum aliqui sic intelligunt; ut, ex Archivo depromptæ scripturæ plenam fidem tum demum habendâ, velint, si Archivarii manu subscripta fuerit, cùm in archivo custodienda reponeretur. Alii frequentiori & meliori calculo sufficere existimant inscriptionem sive adnotationem ab Archivario factam, quando scriptura inde depromitur, ut ad judicii locum deferatur: imò sufficere aiunt, quòd eam ex Archivo publico depromptam, certò, quôcunque demum modò, constet quantumvis nec repositionis, nec extractionis tempore tuerit subscripta; quòd id satis liqueat ex *c. Ad audientiam 13. de Præscript.* quô textu censuali libro plena fides habetur; quòd repertus sit in Camera Cardinalis, eúmque ab isto, dum S. R. E. Camerarius esset, è Camera B. Petri sive Archivo sumptum, constaret, *citt.* Everard. *n. 42.* & Haunold. *n. 494.*

38. Tertiò, eandem probandi vim saltem inter superiorem & subditum habent Libri Censuales: quibus debiti census, bonorum æstimatio & similia sunt descripta *l. Census 10. ff. de Probat.* Non etiam in præjudicium tertii, qui nec intervenit, nec consensit in descriptionem, *l. Solennibus 25. C. de R. V. l. Censuali 7. C. de Donat.*

de Donat. citt. Everardus *n.* 7. & Haunold. *à n.* 483. Ubi

39. Dubium & controversia movetur, quam probandi vim habeant Libri censuales Ecclesiarum, Monasteriorum & similium communitatum, aut etiam illustrium Personarum: & scripturæ depromptæ ex eorum Archivis. Non quidem, si personæ istæ, aut illorum Prælati in territoriis suis Imperii & Regalium jura exerceant; ista enim exercentium Archivum sub custodia alicujus publici Officialis, scilicet Cancellarii, indéque producta instrumenta plenam fidem facere, satis convenit inter DD. Sed, si ejusmodi jure non gaudeant.

40. Quô etiam casu libris & scripturis illis plenè probandi vim adstruunt Decius *Consil.* 156. *post med.* & Boërius *decis. Burdegal. q.* 105. & desumunt ex *c. Ad audientiam cit. & l. Census* 10. *ff. de Probat.* quorum textuum priori hujusmodi liber censualis in vim probationis allegatur, & testibus potior habetur: posteriori, ejusmodi liber monumento publico æquiparatur. Sed malè; quia *citt.* textu utroque sermo est de Libro Censuali publico; cùm priori, librum è B. Petri Camera extractum, disertè exprimatur. De eodem sermo est textu posteriori, in quo vocem *Publicus*, sicut ad monumenta, sic etiã ad instrumenta censuum referri, cum Felino *in c. cit. n.* 11. & Baldo *Vol.* 1. *consil.* 37. advertit *cit.* Everard. *cap.* 7. *n.* 80. propositam controversiam resolvens beneficiô distinctionis inter casus, quibus ejusmodi libri & scripturæ producuntur pro, vel contra Ecclesiam, Monasterium &c. quod illos conscribi, aut in suo Archivo seu chartophylacio asservari curavit. Et contra ea quidem plenæ probationis vim iis competere, cum *cit.* Felino *n.* 16. & Cravetta *de Antiquit. temp. p.* 1. §. *Quid in libro n.* 6. & aliis concludit, ex hac sua conclusione inferens, ex libro censuum vel redituum alicujus Ecclesiæ probari, prædium, quod in eo descriptum non reperitur, non pertinere ad ejus dominium directum, aut ei esse censuale, *arg. c. Quoniam cit.* nisi, id probabili ignorantiâ omissum, probetur contra extraneum non subditum. Pro iis autem 41.
eos plenè probare, cum Felino *l. cit.* Baldo & Salyceto *in l. Exemplo* 7. *C. de Probat.* negat *n.* 80. quòd ejusmodi libri & scripturæ reipsa sint scripturæ privatæ: quæ pro scribente non probant, per *l. cit.* cujus textus est, *Neque fiscum, neque alium quemlibet ex suis annotationibus debitum probare posse.*

Dixi, *Contra non subditum*: imò e- 42.
tiam contra subditum; nam etiam hoc evincit generalitas textûs recitati: nisi ab isto liber vel scriptura, ex hujusmodi archivo seu chartophylacio deprompta, vel, quòd publicâ authoritate confecta, aut publicô sigillô munita sit, esset verè authentica: vel pro tali habita, aut in occurrentibus dubiis notabili temporis spatiô recepta & observata fuisset: vel in rebus modici præjudicii, vel in antiquis & hominum memoriam excedentibus factis, in quibus ob probationis difficultatem leviora argumenta recipi solent. Ita Wesenbec. *in ff. hîc n.* 6. *citt.* Everardus *n.* 8. & Haunold. *n.* 507. ejusmodi libris & scripturis pro ipsis Ecclesiis, Monasteriis &c. communiter aliqualis saltem præsumptionis, ad semiplenam probationem accedentis, vim tribuentes; quòd Ecclesiarum, Monasteriorum &c. Prælati & alii administratores non facilè agant fraudulenter, sed ferè bonâ fide procedant.

Quartò, plenam fidem etiam faciunt 43.
libri Officialium, publicâ authoritate deputatorum, quoad ea, quæ pertinent ad ipsorum officium: &, quoad eos, inter quos res est gesta: idque probabiliùs e-

tiam contra eum, qui subditus non est, *arg. l. Prator 4. & l. Argentarios 10. ff. de Edendo*; quia non est ratio, cur propter authoritatem publicam Protocollo & instrumentis à Notario confectis, & non etiam ejusmodi officialium libris, quoad ea, quæ ex publico suo officio in iis descripserunt, plena fides adhibeatur, saltem, si contrarium non probetur, *citt.* Everard. *à n. 57.* & Haunold. *à n. 497.*

44. Quintò, Scripturæ quæcunque, sigillô publicô & authenticô munitæ, etsi non pro sigillante, supremo Principe inferiore, contra eum tamen & ad eum finem, ad quem sigillum appositum est, plenè probant: ut patet ex Privilegiis, concessionibus & contractibus Principum & magnatum: quæ, si eorum sigillum appositum sit, plenam fidem contra ipsos facere: imò, in hoc eorum robur & substantiam præcipuè consistere, ex Afflicto *decis. 21. n. 9.* tradit Covarruvias *Practic. cap. 22. n. 9. in fine.* Iisdem, si Episcopi, vel alterius Magistratûs Ordinarii, etiam Secularis, Capituli &c. authenticô (non alicuius merè privati) sigillô roboratæ, & duorum vel trium testium subscriptione firmatæ sint, in quibuscunque negotiis plena fides habetur; quòd instrumento publico æquiparentur, *c. Scripta 2.* ibi, *Aut authenticum sigillum habuerint, per quod posset probari*, Panormit. *in c. Post cessionem 7. de Probat. n. 4.* Felin. *n. 8.* & Everardus *cap. 12. n. 25.*

45. An autem, ut privatæ scripturæ, ejusmodi sigillô munitæ, plenè probent, testium inscriptio sufficiat, vel necessaria sit eorum subscriptio, dubium est: cujus resolutio pendet à qualitate negotii, super quo ejusmodi literæ sunt confectæ; si enim hoc ad ejusmodi magistratûs sigillantis jurisdictionem & officium spectet, ut scriptura plenè probet, testium subscriptionem non necessariam: si verò negotium ab eorum officio sit alienum, eis in notabile præjudicium tertii plenam fidem absque testium subscriptione non haberi, aliis DD. relatis, censet laudatus Everard. *à n. 30.* Nisi in rebus & factis antiquis: aut nisi in aliis etiam generaliter plenam fidem eis, testibus non subscriptis, conferat consuetudo: cui hac in re in utroque Foro multùm tribuendum, desumitur ex *c. Cùm dilectus 9.* ibi, *Si consuetudo patria obtineat, ut instrumentis fides habeatur.*

46. Dubium est de libris Rationum mercatorum & campsorum: quibus, si alia adminicula non accedant, Jure præcisè spectatô, pro ipso scribente etiam semiplenæ probationis vim competere, meritò negant Panormit. *in c. Scripta 2. n. 9.* & Bartol. *in l. Admonendi 31. ff. de Jurejurando n. 24.* quòd non authenticæ, sed merè privatæ sint scripturæ, & vim alioquin non habeant, quàm à scribentis confessione & assertione; ac proinde se solas plus non probent, quàm viva vox mercatoris, quæ in præjudicium tertii nec semiplenè probat, *l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testib.*

47. Ex consuetudine tamen, ab ipso etiam scribente productis ejusmodi libris semiplenè, &, unô teste, vel etiam juramentô suppletoriô accedente, plenè probandi vim apud Gaill. *Lib. 2. observat. 20. n. 2.* sententia DD. communis adstruit, si quatuor concurrant: nimirum, si mercator sit bonæ famæ & integræ existimationis: si rationes ab eo propriâ manu conscriptæ: si causa obligationis expressa: si libro non solùm credita, sed debita quoque, sive non ea duntaxat, quæ ab aliis ipsi, sed etiam, quæ ipse aliis debet, sint adnotata. Quibus concurrentibus eam probandi vim mercatorum libris conferens consuetudo rationabilis inde est; quòd, cùm ipsi emptoribus fidem fine chirogra-

chirographo habere soleant, plus quòque fidei ipsis, eorúmque libris tribuendum, æquitas dictet.

48. Quin ejusdem consuetudinis, imò & statuti, vi alicubi mercatorum libris & rationibus inter ipsos mercatores plena fides etiam pro scribentibus, eos producentibus, habetur: si imprimis libri secundùm arbitrium peritorum mercatorum regulati: deinde mercatores eos conscribentes bonæ conditionis & famæ, & adversarius nihil contra ipsorum libros probet: & demum mercatores scripturam suam juramentô confirment, *citt.* Everard. *cap.* 7. *n.* 102. & Haunold. *n.* 508.

ARTICULUS IV.

De Vi Instrumentorum Privatorum.

SUMMARIUM.

49. *Pro scribente non probat scriptura privata,*
50. *Etiam testium, jam mortuorum, inscriptione munita:*
51. *Nisi ab ejus adversario sit producta.*
52. *Contra scribentem plenè probat,*
53. *Si exprimat causam vg. debiti.*
54. *Aliquando etiam, si hæc non expressa:*
55. *Et à scribente recognita sit,*
56. *Vel ejus esse, per testes de re contenta,*
57. *Vel de ipsa scriptura deponentes,*
58. *Vel per comparationem literarum probetur.*
59. *Eadem non probat contra tertium:*
60. *Nisi successor sit scribentis,*
61. *Vel eam subscribendô &c. approbârit.*
62. *Epistola probat contra scribentem,*
63. *Eámque lectam sine contradictione retinentem.*
64. *De vi, quam habent libri Rationum,*
65. *A mercatoribus, sociis,*
66. *Tutoribus, curatoribus & similibus conscriptarum:*
67. *Aut à procuratore inscripta charta, quam biancæ vocant.*
68. *De vi privatarum sigillô munitarum,*
69. *Et aliarum quarundam ejusmodi scripturarum.*

INstrumenta Domestica & Privata, sive scripturæ & chirographa privati hominis manu exarata aut subscripta, variam vim habent pro varietate casuum, quibus pro vel contra ipsum scribentem, vel pro aut contra alium tertium producuntur. 49.

Primò enim pro ipso scribente producta, si testium subscriptione, sigillô authenticô, alióve adminiculô non adjuventur, plenæ, aut etiam semiplenæ, probationis vim ordinatiè non obtinent, per Regulam *l. Instrumenta 5. & l. Rationes 6. C. de Probat.* & claram rationem; quia scriptura scribentis quædam assertio & testimonium est; cùm aliquid vocibus, linguâ, aut calamô figuratis, asserere paria sint, *l. Non figura 38. ff. de O. & A.* in causa autem propria nemo idoneus est testis, *l. Nullus 10. ff. & l. Omnibus 10. C. de Testib.* Accedit; quòd, si ejusmodi scriptura pro scribente probandi vim haberet, quilibet &, cujus rei vellet, probationem sibi parare, & scribendô debitorem constituere posset; quod exemplô perniciosum & iniquum foret, *l. Exemplo 7. C. de Probat. & l. fin. C. de Conveniend. fisci debit.* Atque hoc adeò verum est; ut ejusmodi scriptura, etiam testium inscriptione munita, iis mortuis, in judicio exhibita, pro scri- 50.

bente probandi vim non habeat, *c. Scripta 2.* cùm enim ſcriptura privata, publicæ alicujus authoritatis adminiculô non firmata, pro ſcribente fidem non faciat: niſi quatenus ab inſcriptis teſtibus comprobatur, aut ſuſtinetur, *l. Scripturas 11. Auth. Si Quis C. Qui potior in pign. & l. Inſtrumenta cit.* & ab iſtis defunctis comprobari non poſſit, fidem, ſive, ut *c. Scripta cit.* textus loquitur, *Alicujus firmitatis robur* amplius non habet: etſi robur & probandi vim poſt teſtium, imò ipſius Notarii, obitum integram retineat inſtrumentum publicum, *c. Cùm P. 15.* quòd pro authoritate & fide publica ex Juris ſolennitatibus in eo apparentibus maximè præſumatur, *arg. c. Ad audientiam 13. de Præſcript.* Gonzalez *in c. Scripta cit. n. 5.*

Quantumvis autem hujusmodi chirographa, ſeu ſcripturæ privatæ etiam plures & ad eundem finem tendentes, non probent pro ſcribente: imò etiam pro ejus hærede ac ſucceſſore quocunque, *arg. l. Si intra 8. C. de Non num. pecun.* cùm iſte quantumcunque privilegiatus ſit, perſonæ tantùm defunctæ jure utatur; ac proinde propriô ſuô privilegiô non defendatur, *l. Qui in ejus 177. ff. de R. J.* aliquando tamẽ etiã ſcribenti iſtiúsq; hæredi patrocinantur: veluti, cùm ejusmodi ſcripturam pro ſe producit, eáque utitur ſcribentis, iſtiúsque ſucceſſoris adverſarius; hic enim, cùm eô jure, quod in alterum ſtatuit, uti etiam ipſe debeat, *c. Cùm omnes 6. de Conſtitut.* Scripturam contra adverſarium productam agnoſcere cogitur etiam contra ſe, *Auth. Adhæc C. hîc*; ſaltem quoad articulum connexum. Non etiam quoad ſeparatos, præſertim ſi, qui ſcripturam produxit, proteſtatus eſt, eam tantùm quoad articulos pro ſe facientes acceptari, Everard. *cit. cap. 9. n. 176.* 51.

Secundò, inſtrumentum ſeu ſcripturam privatam contra ſcribentem, eíve, ab alio quocunque exaratæ ſubſcribentem, vel ſigillum ſuum apponentem, eámve aut ſuam manum vel ſigillum recognoſcentem, licet teſtium ſubſcriptione, ſigillô aut aliô adminiculô munita non ſit, ſed tamen debiti cauſam expreſſam habeat, plenè probandi vim habere, patet ex *c. Si cautio 14. hîc l. Ne in arbitris 4. §. 1. C. de Recept. arbitr. l. Scripturæ cit.* & Regulæ inſtar receptum eſt à DD. illi publici inſtrumenti vim meritò tribuentibus; cùm ſit eam ſcribentis & recognoſcentis propria & deliberata confeſſio; contra quam quia probatio non facilè admittitur, *l. Cum de indebito 25. §. fin. ff. de Probat.* cùm ſuæ confeſſioni acquieſcere quisque debeat, *l. Generaliter 13. C. de Non numerata pec.* ſicut adverſus confeſſum, *l. Proinde 25. in fin.* junctâ Gloſſâ *fin. ff. ad L. Aquil. & l. Julianus 3. ff. de Confeſſ.* ita adverſus ipſum judicantis partes nullæ ſunt, niſi in condemnando, *cit.* Everard. *cap. 3. n. 6.* 52.

Neque obſtat; quòd confeſſio extrajudicialis, adverſariô abſente facta, vix ſemiplenè: &, ſi nulla exprimatur cauſa, vix aliquid probet, juxta dicta *Tit. 18. n. 34.* quia major vis eſt aſſertionis ſcriptæ, quàm oretenus prolatæ, partim; quod ſcriptura ſemper, ac proinde etiam in præſentia adverſarii, ſi exhibeatur, loqui videatur: partim; quòd majori deliberatione & cautela ſcribere, quàm loqui ſoleamus, Panormit. *in c. Scripta 2. n. 10.*

Dixi primò, *Si expreſſa ſit cauſa*, quæ ſta debiti ex mutuo, empto, locato, &c. ſi enim nulla cauſa expreſſa ſit, ſcriptura privata eam recognoſcenti, ſed ex aliqua cauſa legitima id, quod eâ continetur, deberi neganti non præiudicat: niſi, qui in ea ſe fundat, debiti cauſam aliâ ratione valeat probare, *c. Si cautio cit. §. fin. & l. Generaliter cit.* ut cum Gloſſa *fin. in §. cit.* & Felino *in c. cit. n. 2.* advertunt allegati

legati Everard. *n.* 14. & Haunold. *n. 515.* ubi regulariter, etiam in confessione sine causa in instrumento publico facta, actionem adversus confessum, & istius obligationem etiam Naturalem nasci negant; quòd facta per errorem; ac proinde in ea deficere præsumatur consensus, *l. Si per errorem, 15 ff. de Jurisdict.* qui ex promissione ortæ Naturalis obligationis est fundamentum. Verum; quia in dubio, cùm non apparet nec probatur, error præsertim in proprio facto non præsumitur, *c. Ab excommunicato*, 41. *de Rescript. & l. fin. ff. Pro suo*, aliam & Juris principiis magis consonam rationem reddit Donellus *in l. Generaliter cit. num. 5.* quòd, cùm omne debitum, sive aliquid dandi aut faciendi obligatio, & hanc respiciens petendi jus atque actio, non nisi ex causa seu titulo aliquo oriatur, §. *fin. Instit. de Oblig. ex quasi contr.* quando ea chirographô expressa non est, & aliunde probari non potest, chirographum satis probare de Jure non censetur.

54. Sunt tamen etiam casus, quibus chirographum, seu scriptura privata à scribente recognita, etiam causâ non expressâ, plenè probat adversus scribentem: cujusmodi sunt Primò, quô scribens bona suaEcclesiæ, vel alteri loco, aut causæ piæ donata, aut ipsi, vel alicui pauperi, vel bene merito promissa, profitetur, Panormit. *in c. Si cautio cit. n. 2.* & *ibi* Felinus *n. 6.* quòd his casibus donatio præsumatur. Secundò Confessio liberatoria, facta ab eo, qui debitum remittere potest, arg. *l. Tale 40. ff. de Pactis* uti &, quâ quis rem non esse suam, confitetur, *citt.* Panormit. *n. 8.* & Felinus *n. 2.* Tertiò, confessio facta in ultima voluntate; quòd, etsi debitum non probet, vim tamen legati aut fideicommissi habeat, si verba admittant, *l. Lucius 88. §. 10. ff. de Legat. 2. & l. 1. C. de Falsa causa adject. citt.* Panormit. *n. 2.* & Felin. *n. 9.* Quartò, confessio sive expressio debiti geminata, atque etiam conditionata; quòd ex ejus repetitione causa subesse præsumatur, & conditio locô causæ succedat, Felin. *l. cit. n. 16. &c.*

55. Dixi secundò, *Contra recognoscentem*; quia ejusmodi chirographum seu privata scriptura ab eo, adversus quem producitur, non recognita, quòd suâ manu exaratam, aut subscriptione munitam esse neget, nihil probat; quamdiu enim ejus chirographum esse non apparet aut probatur, pro tali haberi non potest; cùm aliquid non esse, & non apparere, vel probari paria sint, *l. Duo 30. ff. de Test. tutel. & l. Lege, 77. ff. de Contrab. empt. cit.* Everardus *cap. 9. n. 137.* & Haunold. *n. 516.*

56. Eô itaque, adversus quem scriptura producta est, eam suam esse negante, producenti incumbit probatio: quæ tribus modis fieri potest.

Primò, per duos idoneos & fide dignos testes, de ipso contractu, vel aliô actu, aut negotiô ita, ut scriptura refert, gesto deponentes: quorum id asserentium testimoniis negotium, etiam nullâ scripturâ existente, legitimè probari, nemo facilè inficias ibit, contra textus *c. In omni, 4. & l. Ubi numerus, 12. ff. de Testib.*

57. Deinde, per testes, non de ipso negotio seu instrumenti tenore, sed de scriptura solùm testificantes: quorum non eadem semper, sed pro causarum diversitate varia vis est. Primò enim, si solummodo chirographum manu seu charactere ejus, contra quem productum est, exaratum asseverent, non plenè, sed semiplenè duntaxat probant; quia non de re sive scriptione, sensu immediatè percepta: sed per discursum & unius characteris cum alio comparationem, deducta depo-

deponunt, Felin. *in c. Scriptura cit. n.* 14. Covarruvias *Practic. cap.* 22. *n.* 6. & Everard. *cit. cap.* 9. *n.* 145. Secundò, si de chirographi scriptione vel subscriptione, à se præsentibus visa, testificentur tres idonei testes, id asseverantes, plenè probant, *Novell.* 73. *cap.* 1. quando contractus excedit libram auri: cùm verò hanc non excedit, duos sufficere, ex Glossa *in cap.* 1. *& V. Non minùs tribus, & cap.* 8. *V. Ut autem* desumunt *citt.* Covarruvias *n.* 3. & Everard. *n.* 141. *in fine.* Tertio, si ejusmodi scripturæ propria manu subscripti tres, & in contractu, libram auri non excedente duo solùm, testes propriam manum recognoscant, & illam ab eo, adversus quem producti sunt, scriptam aut etiam subscriptam asserant, plenam fidem faciunt, *citt. l. Scripturam Novell.* 73. *cap.* 1. *& cap.* 8. Everard. *l. cit. à n.* 142. Quartò, si ex tribus testibus, qui chirographo subscripserunt, suam aut ejus, contra quem productum est, manum recognoscat tantùm unus, reliquis absentibus vel mortuis, non plenè (imò in contractu libram auri excedente nec semiplenè) probat; ut proinde ad plenam fidem judici faciendam unum testem, de ipso negotio deponentem, comparationem literarum vel alia adminicula pro varia quantitate, super qua initus est contractus, majora vel minora accedere sit necesse, Everard. *ibid. n.* 144.

58. Demum per comparationem literarum, si nimirum chirographum conferatur cum alia scriptura, quam manu ejus, contra quem producitur, exaratam, ex ejusdē confessione vel approbatione constat: quæ tamen comparatio, licet scripturas omnino similes ostendat, semiplenâ majorem fidem ordinariè non facit, si alia adminicula non accedant, Mascard. *de Probat. Proem. q.* 12. *n.* 2. & Menochius *de Arbitr. casu* 114. *n.* 6. cùm, ab hujusmodi literarum collatione desuper ptam probandi vim in praxi à judicis arbitrio multùm pendere, monuisset.

59. Tertiò, eadem instrumenta & scripturæ merè privatæ, etiam scribentis sigillo & subscriptione munitæ, si aliis adminiculis non adjuventur, in præjudicium tertii, qui scribentis hæres non est, probandi vim non habent, *l. Instrumenta cit.* Ratio perspicua est; quia talis scriptura est testimonium unius hominis, non jurati & extra judicium aliquid asserentis vel negantis: testi autem non jurato & extra judicium deponenti fides non adhibetur, *citt.* Everardus *num.* 177. & Haunold. *n.* 524. Nisi, qui scripturam confecit, eam in judicio productam recognoscat, eáque contenta vera esse, juratus asserat; ita enim semiplenæ probationis vim à scribentis, fide aliàs digni, testimonio obtineret.

60. Dixi etiam, *Qui scribentis hæres non est*; quia enim iste eadem persona censetur cum defuncto, istius scriptura etiam contra hæredem probandi vim habet, arg. *l. Nam posteaquam, 9. §. fin. ff. de Jurejurando:* quam etiam scriptura privata contra tertium obtinet, si istius mandatô scriptam esse constet: vel ejus sigillô aut subscriptione sit munita: 61. vel, quòd eâ stare velint, inter producentem & tertium, contra quem producitur, convenit; his enim casibus, à mandato, manu, sigillo, consensu, probandi vim, quâ aliàs destituitur, consequitur, *cit.* Everard. *à n.* 181. qui *n.* 186. eisdem scripturis, si veteres sint, vim præsumptionis, & aliquandò semiplenæ probationis, in factis antiquis tribuit cum Felino *in c. Scriptura cit. n.* 10. & Speculat. *Tit. de Edit. Instrum. §. 7. n.* 5.

Hactenus tradita, licet generaliter procedant, specialis tamen probandi vis à DD. tri-

DD. tribui solet nonnullis scripturis privatis, quales sunt

62. Primò Epistolæ sive literæ, ut vocant, Missivæ; etsi enim istæ contra scribentem ejúsque hæredem, uti & contra tertium eandem: majorem tamen, quàm aliæ scripturæ privatæ, probandi vim aliquando habent contra eum, cui sunt inscriptæ; casu enim, quô iste literas, quibus debiti solutio, vel in aliquam obligationem consensus petitur, sibi inscriptas legit, & sine ulla contradictione re-

63. tinet, eô ipsô, quæ literis continentur, approbare & vera esse confiteri præsumitur, *l. Emptor, 47. §. 1. ff. de Pactis, l. Si filiusfamilias 16. ff. ad S. C. Maced. & Clement. 1. de Procurat.* ex cujus dispositione literas mandati Procuratorii scienter, & sine protestatione, recipiens, eum, à quo missæ sunt, in omnibus causis & negotiis, ad quæ literæ se extendunt, defendere tenetur; quòd, si ejusmodi literas perlectas retinuisse convincatur, in mandatum probetur consensisse: quod ad procuratoris constitutionem exigitur, *l. Filius familias 8. §. 1. ff. de Procurat.* Felinus *in c. Scripta cit. n. 32.* Decius *ibid. n. 15. cit.* Everard. *cap. 10. num. 44.* & Petr. Barbosa *in l. Quæ dotis, 33. ff. Soluto matrim. n. 158.* Ne autem, qui Epistolam misit, ejus receptæ & lectæ probatione facilè destituatur, salubrem cautelam suggerunt *citt.* DD. ut nimirum literæ, quibus debitum, obligatio &c. continetur, legantur coram testibus, qui postea earum receptioni & lectioni sint præsentes.

64 Secundò, libris Rationum privatarum. Non quibuscunque; cùm regulariter instar aliarum scripturarum, etiam illi, si aliunde non roborentur, contra scribentem, non etiam pro eo probent, *l. Rationes, 6. & l. Exemplo 7. C. de Probat.* quòd aliàs alium debitorem sibi constituere quivis posset, *l. fin. C. de Concinnand. fisci debit.* Sed Imprimis Mercatorum, quæ quam vim habeant, à *n. 46.* explicatum. Deinde Sociorum: à quibus aut eorum uno, à cæteris approbato, debitô modô, hoc est, eorum usu vel conventione receptâ, vel probatâ formâ conscriptus liber rationum, si verisimilia contineat, inter eos plenè probat etiam pro scribente; quòd ad recognoscendum & ratum habendum talem librum socii se tacitè videantur obligâsse; cùm absque hoc nemo facilè subiret onus conficiendi librum rationum, quas contra, non etiam pro se, usui fore, sciret, Haunold. *cit. Tract. 5. n. 572.* Et demum, Tutorum, Curatorum & similium ex officio administrantium bona aliena; à talibus enim conscriptis libris quoad ea, quæ ad ipsorum officium pertinent, plenam fidem pro scribente tribuunt Doctores: qui tamen ad ejusmodi librum, ut hanc vim obtineat, plura & Primò quidem exigunt; ut à probatæ & minimè suspectæ fidei persona sit conscriptus, ejúsque juramentô confirmatus. Secundò; ut, quæ eô descripta sunt, officio convenientia, & personarum qualitatibus, rerum pretiis, aliisque circumstantis spectatis, verisimilia sint. Tertiò; ut eadem talia sint, quæ de Jure vel consuetudine testes, aut alias solennitates non requirunt, & communiter non nisi per rationum libros solent probari. Quartò; ut in eo contineantur tam data, quàm accepta, & exprimantur causæ, ob quas: personæ, in quas: dies, quibus aliquid est expensum, vel solutum. Quintò; ut non contineat mixturam extraneorum, hoc est, ad officium non pertinentium negotiorum: quæ latè & accuratè expendit *cit.* Everardus *cap. 11. à n. 27.* 65.

66. Tertiò, Scripturis privatis, continentibus obligationes, à procuratore descriptas

scriptas in charta vacua, sive, ut vocant, Bianca: quæ sigillò & subscriptione jam munita, à domino tradita procuratori fuit, ut in ea describerentur obligationes, ab isto domini sive mandantis nomine contrahendæ. Quibus tamen, sicut si, quæ mandata est, obligatio inscribatur: vel aliud, quod in ejusmodi charta descriptum, à domino lectum & ratihabitum fuisse constet, aut legitimè probetur, magna: sic exigua probandi vis edversus dominum tribuitur, si iste chartam vacuam traditam, & obligationes, quæ eâ expressæ sunt, contra vel præter suum mandatum & intentionem scriptas esse excipiendò opponat & probet; cùm, qui ignorat, consentire non intelligatur, *l. Nec ignorans, 10. C. de Donationibus.* Unde, qui scribenti credidit, sibi imputare debet; quòd fidem habuerit ei, cujus mandatum ignoravit, *citt.* Everardus *cap. 12. num. 78.* & Haunold. *n. 595.* & convenire debebit non tam dominum, qui vacuam chartam tradidit, quàm scribentem: quem, si aliud, quàm mandatum est, scripsisse: uti & eum, qui sigillò, ab aliquo sibi creditò, abusus esse convincatur, pœnæ falsi obnoxium esse, cum Innocentio *in c. Scripta cit.* & Panormit. *in c. cit. n. 18.* iidem docent.

68. Quartò, Scripturis privatis munitis sigillò. Non quocunque, sed publicò, juxta dicta *num. 441.* quia privatum sigillum, perinde ut hujusmodi scriptura contra scribentem quidem & sigillantem plenè, in præjudicium autem tertii regulariter nihil probat. Alienæ etiam scripturæ appositum ab aliquo sigillum: uti & ejus subscriptio, ab apponente & subscribente in judicio recognita & approbata, majorem quàm alicujus idonei testis probandi vim non habet, Pirrhing *hîc num. 38.*

69. Quintò, demum aliis Scripturis privatis, quando inter partes, se iis staturas convenit: & quando pars, contra quam in judicio producuntur, eis nihil opponit; quia, non opponendò eas approbare, & veras esse confiteri, censetur, Hostiens. *in c. Quoniam 11. de Probat.* & Cravetta *de Antiq. temp. p. 1. §. Viso, à num. 23.* uti etiam quando scripturarum publicarum instar longo tempore observatæ, & secundùm eas in judicio productas inter partes & alios fuit judicatum, Baldus *in l. Exemplo, cit.* & Mascard. *de Probat. conclus. 131. n. 19.*

ARTICULUS V.

De Productione Instrumentorum.

SUMMARIUM.

70. *Edenda hæc sunt post Litis contestationem,*
71. *Usque ad conclusionem in causa:*
72. *Non post hanc, sed regulariter tantùm.*
73. *Edenda autem sunt judici:*
74. *Uti & reo ab Actore:*
75. *Non vicissim huic à Reo:*
76. *Nisi utrique communia sint,*
77. *Vel in instrumento reus fundet suam exceptionem,*
78. *Vel ad intentionis probatæ declarationem:*
79. *Uti &, cùm actor privilegiatus,*
80. *Vel reus rerum injustus detentor sit.*

EDi & produci Instrumenta debent post litem contestatam, sicut testes, *c. Quoniam 5. pr. Ut lite non contest.* cùm, sicut isti, etiam ipsa adhibeantur ad instructionem causæ & litis: quæ non est ante litis contestationem, Glossa *in c. Super, 27. V. Litis ordium* 70

ordium, de Offic. deleg. nisi instrumentô personam suam legitimare actor velit; hôc enim casu statim ac de legitimatione agitur, id adversario est edendum, *arg. l. Non ignorat, 9. C. de Hú. qui accus.* vel utrique litigantium sit commune, vel ejus mentio fiat in libello; hujusmodi enim instrumenta adversario petenti antè edenda, ex *c. G. perpetuus* 12. *& l.* 1. §. 1. *& 3. ff. de Edendo*, desumi solet. His tamen casibus, ut probent, ea post litis contestationem reproducenda, notant Wesenbec. *Consil. 3. num. 34.* & Vallens. *ad hanc Rubric.* §. *3. n. 5.*

71. Lite autem contestatâ semper produci possunt usque ad conclusionem in causa, etiam post factam testium publicationem, *c. Cùm dilectus, 9. pr.* cujus ratio est; quia in hac productione non subest periculum subornationis: propter quod post publicationem illam alii testes nequeunt produci, *c. Fraternitatis, 17. de Test. & attest.* ut nihil dicam; quòd falsitas instrumentorum faciliùs, quàm testium corruptio deprehendatur, Glossa *in c. Cùm dilectus cit. V. Post publicationem*, & cum ea Vivianus *in c. cit. pr.* Nisi tamen certus terminus, seu tempus, intra quòd instrumenta omnia producenda sint, fuerit constitutum: quod ex justa causa à judice fieri posse, censet Speculat. *Tit. de Instrum. Edit.* §. 15. *n.* 1.

72. Post conclusionem in causa produci regulariter ampliùs non possunt, *arg. Cùm c. dilectus cit.* quia conclusio illa allegationum quædam renuntiatio est & terminus ulteriorum exclusivus; ut, eâ factâ, de causa omnino liquere dicatur, Glossa *in c. Significaverunt, 36. V. Liquere, de Test. & attest. ubi* Felin. *n.* 1. & Speculat. *cit.* §. 15. *pr.*

Hoc regulare duntaxat, non perpetuum est; cùm non desint, & *in c. Cùm dilectus cit.* à Panormit. *n.* 3. & Felino *à n.* 13. referantur varii à nobis *Tit.* 27. *à n.* 6. declarandi casus, quibus instrumentorum productioni postea locus est in eadem, & præsertim in diversa instantia; quia in hac, sive in appellationis judicio novis, & in prima instantia omissis, probationibus & exceptionibus uti licet: dummodo non ad novum, sed aliquod antè in judicium deductum capitulum pertineant, *l. Per hanc divinam 4. C. de Temp. appell.* Donell. *Clement. Lib. 28. cap. 8.* Bruneman. *in l. cit. n.* 2. & Perez *n.* 6.

Edi autem instrumentum, super quo 73.
intentionem suam producens fundat, oportet ipsi judici: & quidem totum: quod ex recepta praxi cum Bartolo *in Rubric. ff. de Novi oper. nunt. n.* 7. docet Gaill. *Lib.* 1. *observat. 106. n.* 10. ut, toto ejus tenore inspecto & intellecto, judicare valeat, an revera articulus, ut allegatur, in instrumento contineatur; *Incivile enim est, nisi totâ lege, vel dispositione, perspectâ, unâ aliquâ particulâ ejus propositâ, judicare*, textus est, *l.* 24. *ff. de LL.* Parti autem ad- 74.
versæ instrumentum, plures omnino separatos articulos continens, non necessariò totum, sed ille duntaxat articulus exhibendus est, qui ad propositam causam facit, *c. contingit 5.* ubi hujus ratio redditur; ne pars in omnem cavillandi occasionem intenta, si totius copiam consequatur, nova litigia suscitet: quod judex ex officio impedire & cavere debet; ne lites ex ipsis litibus oriantur & immortales fiant, *c. fin. 5. de Dolo & l. Quidam* 21. *ff. Si certum petat*, Glossa *in c. Contingit cit. V. Suscitentur* Vivianus *in c. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 48. not. 3.*

Dubium est, an, plenâ probatione a- 75.
liunde deficiente, litigantium unus alteri propria sua instrumenta & suarum rationum libros edere teneatur. Ratio dubitandi de Negativa est; quòd judex omnibus modis inquirere debeat in rei ve-

ritatem, *can. Judicantem, 30. q. 5. & l. Illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præsid.* de rei autem veritate vix aliunde liquidiùs, quàm ex instrumentis constet, *l. 1. & l. Is, apud quem 2. ff. de Edendo.* De Affirmativa autem; quòd Juris & Æquitatis ratio non permittat; ut quis adversarium contra se instruat, eique præbeat arma, quibus oppugnetur, *l. Qui accusare 4. & l. fin. C. de Edendo.* Verùm, quia textibus istis specialiter reis, in judicio laborantibus subvenitur.

Regulæ instar à DD. receptæ ea inter actorem & reum differentia est; quòd ille quidem huic: non tamen vicissim iste sive reus sua instrumenta edere cogatur actori, secundùm *citt.* & cæteras *ll. C. eâdem Rubr.* ubi hujus inter eos differentiæ ratio redditur; quòd, cùm in actoris, utpote provocantis, potestate sit, quandocunque vult, adversarium convenire, *l. Unica C. Ut nemo invitus & l. Purè 5. §. fin. ff. de Doli except.* ad judicium accedere debeat probationibus propriis: non ab adversario, quasi arma in se ipsi ministrante, mutuatis documentis, quibus intentionem suam fundet, *can. Si testes 3. §. Qui intendit, 4. q. 3.* Contrà verò æquum sit; ut reo, qui ad petitionem actoris invitus, & non, ut ille, instructus in judicium trahitur, exhibitis ab actore instrumentis succurratur; quia rei, cùm ad se defendendum: non ad impugnandū alios, ut actores, in judicium veniant, favorabiliores sunt, quàm actores *l. 25. ff. de R. J.*

76. Sunt tamen non pauci casus, quibus contra hanc Regulam instrumenta actori edere etiam reus debet: veluti Primò; si instrumentta utrique communia sint, *c. G. perpetuus 12. de Fide instrument. l. Prætor 4. §. 1. l. Quadam 9. pr. ff. de Edendo l. Si quæ 5. ff. Famil. herciſc.* quia communia instrumenta petendò, petimus, quod aliquo modo est nostrum; cùm, quod commune est, meum quoque censeatur, *l. Prætor & §. 1. cit. l. Illud 46. ff. de Ritu nupt.* Communia autem instrumenta sunt vel ratione proprietatis, ut hæredibus testamentum, & ipsis vel sociis instrumenta defuncti vel societatis, apud quemcunque asserventur: vel ratione causæ sive actûs descripti, ut vg. instrumenta Originalia emptionis venditionis, vel alterius contractûs, inter aliquos celebrati, utriusque causâ, & sumptibus communibus confecta: vel ratione publici officii & personæ ea conficientis, ut Protocollum & Acta publica judiciorum, ad publicam utilitatem conscripta: vel ratione finis, ut quæ facta sunt pro cautione plurium, vg. instrumenta & actiones tutorum, curatorum, procuratorum & cæterorum, qui aliena negotia administrant, Panormit. *in c. 1. hîc à num. 27.* Speculat. *de Instrument. Edit. §. 6. n. 17.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 107. à num. 4.*

77. Secundò, si reus ad exceptionem suam fundandam instrumenta in judicio producat; hæc enim sibi exhiberi ad probandam replicationem suam Jure petit actor; cùm reus quid allegans, quò exceptionem suam fundat, subire videatur partes actoris, *l. In exceptionibus 19. pr. ff. hîc* & contra actor replicaturus esse loco rei, *l. Exceptio, 2. ff. de Except.* Bruneman. *in l. 1. ff. de Edendo num. 12.* & communi aliorum.

78. Tertiò, si actor intentionem suam principalem, vg. quòd fundus censui obnoxius, in feudum vel emphyteusin sit concessus, fundatam habeat: sed quomodo, quibus conditionib⁹ ostendere non possit; hoc enim casu, ut de obligationis, quoad substantiā probatæ, modo constet, instrumenta sua actori petenti edere reum teneri, docet Baldus *in l. fin. C. de Edendo.*

79. Quartò, si instrumenta & rationes suas citra suam culpam incendiò, naufragiò, hostili direptione perdita actor ostendat;

stendat; eò enim casu ad sua edenda reum compelli posse, suadet æquitas, & desumitur ex *l. Si quis 6. ff. & l. 1. C. de Edendo.*

Quintò, si actor specialiter sit privilegiatus, ut fiscus: ad cujus intentionem fundandam instrumenta sua edere cogitur reus, quoties super causa pecuniaria convenitur, *l. Ex quibusdam 2. §. 1. & 2. ff. de Jure fisci.* Quod fisci privilegium, Ecclesiis & aliis locis sacris ac religiosis; quòd istorum non minor, quàm fisci, favor sit: & cæteris piis, ut sunt pupillorum, viduarum, ac favorabilibus, ut sunt matrimonii, alimentorum, dotis, libertatis causis, *in c. 1. hic* adstruunt Panormit. *n. 19.* Felinus *num. 11.* & alii, quos refert & sequitur Pacian. *de Probat. Lib. 1. cap. 33. à n. 47.*

80. Sextò, si usurarii & similes injustè partorum detentores, ad usurarum & aliarum rerum malè detentarum restitutionem conveniantur; eos enim ad instrumenta & rationum suarum libros exhibendos, etiam, si opus sit, per censuras Ecclesiasticas compellendos, *Clement. Unic. de Usuris* statutum est, in odium usuratiæ iniquitatis & bonum animarum; quarum à peccatis liberatio & æterna salus malè partorum plena restitutione procuratur, *citt.* Panormit. *n. 9.* Felinus *n. 21.* & latè Pacianus *à n. 66.*

ARTICULUS VI.

De Instrumentorum Reprobatione.

SUMMARIUM.

81. *Reprobantur ea I. ex persona conficientis:*
82. *Quam verum Notarium fuisse probandum est.*
83. *Valent Instrumenta Notarii communiter existimati,*
84. *Etiam non habentis titulum coloratum.*
85. *II. Quod contrarium sit alii instrumento:*
86. *Quorum dignius probat, si à diversis:*
87. *Si ab eodem producta sunt, utrumque rejicitur,*
88. *Sive contraria sint directè, sive indirectè:*
89. *Sive ab Actore, sive à Reo producta,*
90. *Sive utrumque, sive alterum tantùm publicum sit.*
91. *III. Quod contineant falsum:*
92. *Quod per instrumenta vel testes,*
93. *Etiam non instrumentarios,*
94. *Et hujusmodi duos tantùm probare potest.*
95. *Discrimen inter testes Instrumentarios & Judiciales.*
96. *Falsitas unius partis reliquas aliquando vitiat,*
97. *Aliquando intactas relinquit.*
98. *IV. Quod de falso suspectum sit ex variis causis.*
99. *Instrumentum vitiant rasura, lituræ &c.*
100. *Facta in parte substantiali.*
101. *Quæ talis instrumenti pars sit?*
102. *V. Quod eò intentum non probetur.*

81. INstrumenta, ad intentionem vel exceptionem suam fundandam, à litigantibus in judicio producta frequenter impugnari, eorúmque fides reprobari, aut minui ex variis causis potest, ac solet. Cujusmodi sunt

Primò; quòd confectum non sit à Notario publico: quòd deficiat in solennitatibus, ad publicum vel authenticum Instrumentum Jure vel Consuetudine requisitis;

quisitis: quòd nec sit Originale, neque istius Copia legitimè confecta. Quali oppositione, præsertim Notarii personam concernente, publici instrumenti fides tota convellitur; cùm istius authoritas præcipuè fundetur in eo, quòd confectum sit à persona, publica authoritate electa & contestata, *c. Cùm P. 15. & Novell. 44. cap. 1.* quâ deficiente instrumentum jam non publicum est, sed privatum ac probandi vi destitutum, *c. Scripta 2.* Felinus *in c. 1. num. 18.* & Beroius *Vol. 2. Consil. 1. n. 54.*

82. Quare, cùm instrumento opponitur, ejus authorem Notarium publicum non fuisse, id, tanquam aliquid facti, & qualitas homini neque à natura neque communiter inexistens, sed merè accidentaria, ab eo, qui instrumentum produxit, probari, est necesse, *arg. can. Panis 38. dist. 2. de Consec. & c. Cùm in Jure 31. de Offic. deleg.* Felinus *cit. n. 18.* & Speculat. *de Instrument. Edit. §. 8. num 39.* Probari autem id potest per testes, qui ipsius creationi præsentes interfuerunt, *l. Judices 5.* per instrumentum publicum super ea confectum, *l. In exercendis 15. C. hîc:* per matriculam, cui Notariorum nomina sunt inscripta: per famam & communem Opinionem: per plura instrumenta successivè ab eo confecta, & quasi possessionem officii Notariatûs: per literarum & characterum comparationem, Everardus *de Fide Instrument. cap. 5. à num. 2.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 426.* Unde

83. Dubium oritur de valore instrumenti, confecti ab eo, qui pro Notario, publica authoritate constituto, cùm revera non sit, aut esse desierit, communi errore habetur. Quod invalidum esse, volunt Jason *in l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat.* Speculat. *§. cit. n. 32.* Everard. *cit. cap. 5. n. 11.* & Hunnius *in Treutl. Vol. 2. disp. 5. q. 6.* eâ ducti ratione; quòd creatio Notarii sit de reservatis Principi, Innocentius *in c. Cùm P. cit.* ac proinde Notarius quis fieri nequeat communi errore hominum: qui, licet expresè vellent, authoritatem publicam alicui conferre non possent, *arg. l. Privatorum 3. C. de Jurisdict.*

Sed Juri, istiúsque rationi magis consentanea & crebriori DD. calculô recepta est Opinio Bartoli *in l. Barbarius cit. à n. 45.* ejusmodi instrumentum pro publico & valido habentis, *arg. l. cit. & §. Verùm tamen, post can. Infamia, 3. q. 7.* quòd, interveniente errore communi, propter utilitatem publicam, authoritatis à legitima potestate acceptæ defectum Respublica suppleat. Cui doctrinæ, juxta dicta *Tit. 1. n. 87.* probabiliùs locus est, 84.
tiam est, cùm, qui errore communi pro Notario habetur, caret titulô coloratô, acceptô ab eo, penes quem ipsius constituendi est potestas; cùm utilitatis, sive boni publici ratio, authoritatis defectum suppleri, non minùs exigat in eo, qui titulô coloratô caret, quàm in eo, qui istum habet, ut rectè arguit Haunold. *Tract. cit. n. 428.* & luculenter confirmatur ex *Novella 44. cap. 1.* sub cujus finem gesta per alterum, delegatum à Tabellione, qui alterum delegandi potestatem non habebat; atque sic per eum, qui titulô coloratô, ab habente potestatem conferendi accepto, carebat, propter utilitatem publicam non infirmanda dicuntur.

Neque difficultatem facit in contrarium allata ratio; quia dare jurisdictionem de Principi reservatis non minùs est, quàm creare tabellionem: & tamen, communi errore interveniente, & poscente utilitate publica, illius in judicantis persona defectus à Republica; non, ut Adversarii perperam supponunt, à privatis communiter errantibus, suppletur.

Secundò,

85. Secundò, instrumento opponi potest; quòd contrarium sit alii instrumento, & cum isto verisimili interpretatione nequeat conciliari; contraria enim instrumenta, si producantur à diversis, digniori,
86. hoc est, magis authentico, & à falsi suspicione remoto, fidem adhibendam, ex *l. Optimam 14. C. de Contrah. stipul.* desumi solet cum Glossa *in c. Imputari 13. V. Contrarias.* Si verò ea sint paris omnino authoritatis, & causa non specialiter favorabilis, contra eum, qui probare debet, sive is actor, sive reus sit, pronuntiandum, *arg. c. Ex literis 3. de Probat.* tradit Panormit. *in c. Imputari cit. n. 3.*

Contra eundem pronuntiandum casu, quò duo contraria instrumenta ab eodem producuntur, suadet paritas cum testibus: quorum, pluribus contraria deponentibus, veriora testimonia plerumque
87. præferuntur juxta dicta *Tit. 20. n. 94.* Sed latum hac in re discrimen intercedit inter testes & instrumenta; cùm illos producenti, quòd futuras eorum depositiones ignoret, imputari nequeat, quòd elegerit sibi adversantes; contrà instrumentorum à se productorum tenorem rescire quivis possit ex eorum lectione: quam omittens sibi imputare debet damnum quodcunque, ex inconsulta productione emergens; quia Jura vigilantibus & non negligentibus subveniunt, *l. Pupillus 24. in fine, ff. Quæ in fraud. credit.* Glossa, *V. Contrarias cit.* Quare, tali casu fidem neutri adhibendam, decisum *c. Imputari cit. & l. Scripturæ 14. C. hîc*; quia instrumenta producens ea approbare, in eisque contenta vera esse confiteri videtur; ac proinde contraria producens, tanquam sibi ipsi repugnans, meritò non auditur: & sibi imputare debet; quòd, cùm utrò ex duobus vellet, uti potuisset, usus sit utroque. Ita cum aliis Interpp. & DD. *in c. cit.* Gonzalez *n. 4. & l. cit.* Bruneman. *n. 2.*

Quæ resolutio procedit Primò, si 88.
producta instrumenta contraria sint directè, vg. si duorum productorum alterò, Cajo prædium à Titio Calendis Februarii venditum, alterò id eôdem die huic donatum exprimatur, Glossa *in l. Scripturæ cit. V. Eôdem*, & Panormit. *in c. Imputari cit. n. 2.* Secundò etiam, si instrumenta contraria sint solùm indirectè, vg. si uno, Calendis Februarii prædium Cajo venditum, vel centum promissa Viennæ: altero illius venditionem & horum promissionem iisdem Calendis Augustæ factam referatur; hæc enim, licet quoad rem venditam, aut summam promissam conveniant, inter se tamen apertè pugnant quoad circumstantiam loci, cùm fieri nequeat, ut iisdem Calendis, sive eôdem ejusdem anni die, quis Viennæ fuerit & Augustæ, Glossa *in c. cit. V. Contrarias.* Tertiò, 89.
sive contraria instrumenta, Actor sive Reus producat; etsi enim iste, ad defensionem & innocentiam suam probandam duas contrarias exceptiones opponens audiatur, *l. Nemo 8. ff. de Except. & l. Nemo 43. ff. de R. J.* &, postquam hominem à se occisum negavit, de eô convictus se tueri valeat excipiendò, se sui adversus injustum aggressorem defendendi gratiâ & inculpatæ tutelæ moderamine servatò, occidisse: &, postquam pecuniam deberi negavit, ejus debitò ab adversa parte probatò, allegare valeat, se solvisse, vel debitum sibi remissum: id tamen non procedit, cùm ad sui defensionem à reo producuntur duo contraria instrumenta, *c. Imputari & l. Scripturæ cit.* quòd alterum alterius fidem ipsâ utrôque simul utentis professione elidat, Joann. Andr. *in c. cit. n. 5. ubi* Panormit. *n. 2.* Laiman. *n. 1.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 67.*

Neque obstat; quòd, cùm duæ concontrariæ professiones de hominis ætate

proferuntur, non utrâque: sed alterâ tantùm, eâ scilicet, cuius fidem constare minùs credibile est, reiectâ, altera, quæ aptior & vero proximior est, à iudice sit assumenda, *l. Cùm de ætate 13. ff. de Probat.* quia hic textus exaudiendus est de contrariis professionibus à diversis: non ab uno eodémque probatis, ut communem Interpp. intellectum secutus Wilenbach notat *in l. Scriptura cit.*

90. Neque, ut *in l. Scriptura cit. n. 13.* Baldus existimat, hac in re differentia statuenda est inter instrumentum publicum & privatum; sive enim publicum, aut privatum utrumque: sive unum publicum, alterum privatum sit, neutri creditur; cùm enim contra producentem, sicut publicum, ita etiam privatum plenè probet, imò hoc publici vim obtineat: &, qui instrumentum contra alium producit, id recognoscat, & verum esse fateatur, tanquam sibi ipsi contrarius, fidem non meretur: etsi, quando instrumento privato ab adversario producto publicum opponit, illius vim elidat, Panormit. *in c. cit. n. 4. & in l. cit.* Sichardus *n. 3.*

91. Tertiò reprobari instrumentum potest, quòd sit, seu contineat falsum *c. Accepimus 4. & l. Si uteris 2. C. hic* probandô aliquid incompossibile cum eo, quod asseritur in instrumento, vg. si negotium, quod eô describitur, nunquam, aut aliter, quàm refertur, gestum: vel testes instrumentô nominatos non interfuisse actui, pro quo in eo allegati sunt, opponatur. Ex qua causa vel per Instrumentum, vel per testes impugnari solet, *l. Optimam*

92. *14. C. de Contrab. Stipul.* Per Instrumentum, si hoc fiat, juxta dicta major fides habenda est digniori & verisimiliori; quia semper potentior probatio minùs potentem & debiliorem vincit, *arg. c. In nostra 32. de Test. & atteſt.* Si impugnatio fiat per testes, interest, an hi instrumentarii, vel extranei sint.

Si enim instrumento inscripti, vel subscripti testes omnes contra id, tanquam falsum, deponant: &, vel se ejus confectioni & actui, super quo confectum est, non interfuisse, vel aliud actum, aliud scriptum asserant, instrumenti fides tota vacillat, &, si testes falsi non convincantur, penitus enervatur, *c. Tertiò 3. de Probat. & c. Tam literis 33. de Test. & atteſt.* Panormit. *in c. Cùm Joannes 10. n. 14. ubi* Felinus *n. 46.* & Menochius *de Arbitr. casu 105. n. 9.* Ratio est partim; quia ex tali contradictione aperte infertur defectus solennitatis instrumenti, cujus fides à fide testium accipit firmitatem, *Novell. 73. cap. 3. & 7.* partim verò; quia ita falsum continere convincitur; cum inscriptorum personas, quæ abfuisse probatæ sunt, fuisse asserat præsentes.

Quin etiam, si inscriptorum testium non omnes, sed aliqui duntaxat, se actui præsentes fuisse negent, nihilominus instrumentum tanquam falsum reprobarent; quia, licet actus eô, quô refertur, modô gestus sit & probetur à testibus residuis & numerô sufficientibus, ipsum tamen continet falsum; cùm præsentes fuisse asserat, qui non interfuerunt, Bartol. in *l. In exercendâ cit. n. 8.* Casu tamen, quô reliqui instrumentarii (aut etiam extranei) testes, non se duntaxat, sed eos quoque, qui id negârunt, actui interfuisse deponerent, istos convincerent mendacii, & instrumenti fidem plenè confirmarent; quòd ipsi, præsertim accedente Notarii istiusque sigillô muniti instrumenti authoritate, contrarium asserentibus numerô & authoritate sint potiores, Ant. de Butrio *in c. Cùm Joannes cit. n. 48. & cit.* Everard. *cap. 5. n. 102.*

Si per testes extraneos instrumen- 93.
tum falsitatis convincere, ejusque fidem convel-

convellere pars adversa conetur, locus, imò opus est distinctione; vel enim testes instrumentarii superstites sunt, vel non? Si prius, & superstites in judicio examinati pro instrumento deponant, ipsis fides præ extraneis adhibenda, & pro instrumento pronuntiandum est: nisi contra hos deponentes extranei numerô & authoritate prævalerent, *citt.* Felinus *n.* 43.
94. Everard. *n.* 144. & Haunold. *n.* 441. Si posterius & instrumentarii superstites non sunt, ad instrumenti fidem infringendam regulariter, duos omni exceptione majores & prævio juramentô legitimè receptos testes sufficere, cùm Panormit. *in c. Cùm Joannes cit. n.* 13. Felino *ibid. n.* 35. Covarruvia *Lib.* 2. *Var. cap.* 13. *n.* 11. & *Practic. cap.* 20. *n.* 6. defendunt laudati Everard. *n.* 135. & Haunold. *l. cit.* id desumentes ex *l. Optimam* 14. *C. de Contrab. Stipulat.* junctâ *l. Ubi numerus* 12. *ff. de Testibus*, quarum prioris *V. Etsi*, instrumentum per testes undique idoneos & omni exceptione majores, tanquam falsum, reprobari permittitur, numeri testium nullâ factâ mentione: posteriori, ubi numerus testium expressus non est, duos sufficere est decisum. Rationem DD. *citt.* reddunt; quòd instrumentum publicum præcipuè nitatur Notarii, tanquam personæ publicæ, authoritate: quæ tanta non est, ut duobus omni exceptione majoribus testibus non cedat.

Hanc tamen resolutionem oppidò difficilem reddit Jus & ratio. Illud *c. Cùm Joannes cit.* quô textu ad reprobandum instrumentum publicum quatuor testes adhibiti sunt. Ista; quia tantâ probandi vi pollet instrumentum publicum, quantâ duorum testium in idem conspirantes depositiones *l. In exercendis cit.* Cùm ergo ad hoc, ut probatio instrumento prævaleat, major probandi vis exigatur, nec sufficiat æqualis, *arg. l. Nam magistratus 4. ff. de Recept. qui arbitr.* ad reprobandum instrumentum publicum non sufficiet testimonium duorum: imò nec trium; cùm in publico instrumento præter Notarium, qui testis qualificatus est, ut minimùm duo alii testes soleant ac debeant intervenire. Sed hæc, licet vehementer impetant, duorum tamen testimonium & nostrum de eo sensum non convellunt, Textus quidem; quia, licet *in c. cit.* casu quatuor producti sint, eô tamen numerô necessarios, & pauciores insufficientes fuisse, non statuitur. Quòd si *c. cit.* tres saltem testes necessarios fuisse, quis contendat, non adversor; cùm enim in ejus casu, præter publicum instrumentum in legitima formâ exhibitum, productus & cum Notario examinatus fuerit unus testis instrumentarius, ad illud istorum testimoniis suffultum reprobandum, ut minimùm tres testes necessarios fuisse *in c. cit.* rectè notant Panormit *n.* 13. & Felinus *n.* 43. Ratio est partim; quia, cùm *c. cit.* instrumentum publicum eâdem vi pollere asseritur, quâ duo testes, id exaudiendum est de vi sufficienter probandi intentionem actoris, vel rei exceptionem: non simpliciter, ut ei non prævaleant duo testes, undique idonei & omni exceptione majores, *arg. l. Optimam & l. Ubi numerus citt.* Everard. *cit. cap.* 3. *n.* 13. & Haunold. *n.* 444. partim verò; quia tres personæ, quæ in instrumento publico interveniunt, non considerantur ut testes singuli, judiciales ac probatorii; cùm nec jurati sint, nec examinati: sed, ut solennitas partialis, cum cæteris solennitatibus & Notario constituens unum publicum instrumentum, sive speciem probationis, de negotio fidem plenam in judicio facientis: nisi contrariâ & urgentiori probatione, etiam duorum non simpliciter idoneorum, sed omni exceptione majorum & judicialiter receptorum, testimoniô in-

95.

niò infringatur, Everardus *cit. n.* 13. & Haunold. *n.* 445.

Quoniam verò testes ipsáque instrumenta, uti & ex Notarii, non semper optimæ existimationis, persona, atque aliunde ortæ præsumptiones ad infirmandam aut etiam confirmandam instrumentorum fidem allegari solitæ, non ejusdem roboris & efficaciæ omnes sunt, quæ aliis prævaleant aut cedant, judicis singularum, in utramque partem militantium, qualitatem & vim æstimantis, & cum aliis conferentis, prudenti arbitriò decernendum, cum Menoch. *cit. casu* 105. *n.* 19. monet Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 71.

96. Dubium hîc & Controversia est, an, si instrumentum in parte aliqua falsitatem continere probetur, totum corruat. Quod aliqui absolutè negant, aut affirmant. Meliùs Everard. *cit. cap.* 5. *à n.* 159. & Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. Tract.* 5. *à n.* 448. aliquid tribuunt Opinioni utrique, & dubium resolvunt auxiliò geminæ distinctionis.

Prima est inter falsitatis causas; vel enim ista commissa est Notarii dolò, vel errore tantùm aut simplicitate? Si prius, instrumentum totum corruere volunt, in quacunque, etiam accessoria tantùm parte, sit falsum; quia vis probandi, quam instrumentum habet, tota nititur Notarii fide & juramentò, afficiente omnia contenta in instrumento: & propterea, si hoc in uno falsum esse convincatur, totũ, utpote à falsario & perjuro confectum, nullam fidem meretur: sicut tanquam perjurus nullam fidem meretur testis, cujus testimonium in parte falsum convincitur esse. *can. Ad scripturas* 7. *dist.* 9. *& can. Pura*, 3. *q.* 9. Ita DD. *citt.* cum Innocentio *in c. Fraternitatis* 4. *de Hæreticis* & communi sententia DD. teste Felino *in c. cit. n.* 16. Contrarium tamen, & hujusmodi etiam unius partis falsitate alias instrumenti partes non affici, cum Aretino *in l. Si de falsis* 42. *C. de Transact.* & aliis defendit Fachineus *Lib.* 9. *cap.* 79. *V. Ista ego*; quòd, totum vitiari, jure non satis cautum, nec consonum sit rationi; cùm aliàs omnibus, à Notario ejus authore, etiam antè confectis, instrumentis fides esset deneganda. Sed hoc ita perperam infertur; quia semel malus in eodem quidem mali genere semper, sed in futurum: non etiam in præteritum & quoad actus antè gestos, malus esse præsumitur, ut rectè monet Alciatus *Reg.* 2. *præsumpt.* 7. *V. Quartò.* Si posterius &, quod in dubio potiùs præsumitur, instrumenti falsitas proveniat ex solo errore, opus est

Alterâ distinctione; cùm falsitate quidem circa substantialia, aut instrumenti partem principalem, aut talem, quâ cum cæteræ partes connectuntur, admissâ, instrumentum corruat quoad accidentales, accessorias & connexas, *per can. cit.* 97. Eâ autem circa partes non-substantiales, aut ab aliis omnino separatas, commissâ, fidem & probandi vim quoad alias partes non amittat, cùm; quia ob falsitatem, ex errore vel simplicitate provenientem, perjurii redargui Notarius non potest: cum verò; ne utile per inutile vitietur, contra *Reg.* 38. *in* 6. Everard. & Haunold. *l. cit.*

Quartò, instrumento, quod tanquam 98. falsum absolutè reprobari nequit, opponi tamen potest falsitatis suspicio, *c. Inter dilectos* 6. & imprimis quidem aliquando ex eo, quòd negotium, super quo confectum est, adnotatum non reperiatur in Protocollo, in quo omnes alii actus, eodem annò & mense celebrati, sunt descripti: quòd non concordet cum Protocollo, vel in isto concisa, & mutata sit aliqua, & præsertim ea pars, seu folium, in quo res aut negotium controversum est adnotatum; & ex qua, si esset intacta, rei gestæ veritas contra instrumentum detegi posset;

posset: quòd exaratum sit charactere & stylô ab eo, quô Notarius in hujusmodi scripturis uti solitus est, omnino diversô: quòd charta antiqua & literæ, quibus res antiquitùs gesta describitur, sint novæ &c. Deinde; quòd instrumentum vetustate sit consumptum: quòd ejus sigillum non videatur esse verum, sed adulterinum, seu confictum, aut factivum vel ignotum, aut enormiter fractum: quòd ejus sculptura vel literæ deletæ, ut, cujus sit, dignosci non possit; hujusmodi enim defectus in instrumento suspicionem falsitatis inducunt, eíque fidem adimunt, *c. Inter dilectos cit. V. Tertiò, c. Super his 7. hîc & c. Licet 5. de Crimine falsi.* Demum; quòd instrumentum contineat rasuram, lituram, scripturam superlinearem; nam etiam hujusmodi aliquid si appareat in instrumenti parte substantiali, id vitiat & suspectum saltem reddit de falsitate, *c. Inter 6. §. Instrumentum*, junctâ Glossâ, *V. Litura, hîc & c. Cùm venerabilis 7. de Relig. domib.*

99. Idem, in quacunque parte rasura, litura &c. appareat, statuendum suadent *c. fin.* verba, *Nullâ sui parte vitiatâ, l. fin. C. de Edicto Hadr. toll.* ibi, *Neque ex quacunque sua forma parte vitiatum:* & colligitur ex *c. Ad audientiam 11. de Rescript.* vi cujus textûs rescripta Apostolica unius solœcismi seu constructionis vitiô subreptitia redduntur.

Sed verìùs, per rasuram &c. in parte non substantiali factam, id non vitiari, docet Glossa à DD. recepta in *c. Cùm olim 14. de Privileg.* propter textum *c. Ex literis 3.* ubi per rasuram in sola narratione facti rescriptum Apostolicum non vitiari, aut suspectum reddi, habetur: & *c. Ex parte 11.* unde rescripta Apostolica unius literæ vel syllabæ, & aliquando integræ vocis omissione, per scribentis errorem factâ, non vitiari, colligunt Panormit. *ibi n. 2.* & Felin. *n. 1.*

Priores duo textus in contrarium allati de parte instrumenti substantiali & ejus formam spectante non malè explicantur à Viglio *in l. fin. cit.* & Gonzalez *in c. Ex literis cit. n. 6.* Neque paritas est 100.
rasuræ in parte non-substantiali cum solœcismo; cùm iste inducat suspicionem, quòd rescriptum à sede Apostolica non emanârit; quia ejusmodi rescripta per tot Officialium, Latinæ linguæ peritorum, manus ire solent; ut solœcismum non deprehensum, non præsumatur. Rasura autem, hôc ipsô; quòd in parte non substantiali sit, facta præsumitur ab eo, qui instrumentum primus conscripsit, Gonzalez *cit. n. 6.*

Pars autem instrumenti substantia- 101.
lis est illa, in qua est vis dispositionis, & quæ hanc notabiliter immutat: cujusmodi etsi à DD. censeatur tempus & locus in quo: nomen judicis & Notarii, coram & à quo: partium, inter quas: & rei, de qua dispositum est, quod in eo continetur, teste Pirrhing *hîc n. 6.* non malè tamen *in c. Ex literis cit.* Panormit. *n. 3.* & Gonzalez *ibid. n. 5.* id relinquunt arbitrio judicis, qui ex subjecta materia & circumstantiis, quæ pars substantialis sit, aut secus, pronuntiabit.

Quintò; quòd, etsi nullô vitiô labo- 102.
ret, tamen non probet id, ad quod evincendum à parte producitur: vel, id quidem probet, sed, quia res sive negotium eô contentum cum alio gestum est, non contra partem, adversus quam producitur, militet contra finem legitimæ probationis: quâ, ut ex contractu vel alio actu aliquem obligari evincatur, hunc cum isto, vel iis, per quos isti præjudicari poterat, gestum, evincere debet, *citt.* Speculat. *§. 9. n. 1.* Everard. *n. 177.* & Haunold, *n. 452.*

(o)

TITVLVS XXIII.

De Præsumptionibus.

TEstibus & Instrumentis frequenter accedunt: aliquando succedunt Præsumptiones; cùm istarum vis aliquando tanta sit; ut, aliis probationibus deficientibus, eas solas sequi & definitivè pronuntiare judex possit.

ARTICULUS I.

De Natura & Varietate Præsumptionum.

SUMMARIUM.

1. *Præsumptionis definitio.*
2. *Differentia ab Indicio,*
3. *Et Fictione Juris,*
4. *Est quadruplex, alia Temeraria:*
5. *Alia Probabilis:*
6. *Alia Violenta, eáque vel Hominis, vel Juris:*
7. *Alia Necessaria, sive Juris & de Jure.*

1. PRæsumptio sic dicitur à dictione *Præ* sive ante, & verbo *Sumo*, quasi antesumptio quædam sit: estque Conjectura, sive judicium de re dubia, ortum ex certis indiciis, sive signis & circumstantiis antecedentibus & consequentibus, quas cum eo, quod conjicimus, conjunctas, ex naturali connexione, aut experientia constat; sic enim ex fuga famuli ex ædibus eô tempore, quô pecuniæ inde ablatæ, vel inimici evaginatô & cruentô gladiô ex loco, in quo cædes perpetrata est: ex concubitu cum fœmina in eodem lecto, furtum à famulo, ab inimico cædem & fornicationem cum fœmina commissam, præsumptio est; quòd hæc delicta cum ejusmodi fuga aut concubitu frequenter, aut ferè semper conjuncta esse, doceat experientia, aut connexio naturalis. Ita quoad sensum Mascard. *de Probat. Proœm. q. 10. n. 8.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 36. n. 7.* & DD. plerique.

Præsumptio, etsi affinis aut similis sit, malè tamen à quibusdam confunditur cum Indicio, & non meliùs cum Fictione Juris. Cum Indicio; quia hoc est unum, vel plura signa & notabiles circumstantiæ, ex quibus aliquid conjicimus & judicamus, puta, ipsa fuga famuli eô tempore ex domo arrepta, quô res ablatæ circumstantiæ inimicitiæ, cruenti ac stricti gladii & fugæ, cum cædis patratæ locô & tempore concurrentes &c. Præsumptio autem est ipsa Conjectura seu judicii intellectuale, quod ex indiciis, sive signis & circumstantiis illis formatur; ac proinde indiciorum quidam effectus, Haunold, *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 623.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 4.* Cum Fictione autem illâ præsumptio Juris malè confunditur Imprimis; quia præsumptio non sem-

2.

3.

non semper est Juris, sed aliquando solius hominis, vg. judicis, ex certis signis & circumstantiis aliquid conjicientis: ut quondam fuit ea, quâ Salomon ex commotione viscerum, sive affectu mulieris in infantem, illam hujus matrem esse, judicavit, Reg. *Lib. 3. cap. 3. V. 27.* ut *c. Afferte 2.* refertur. Fictio autem Juris, ut ipsum ejus nomen indicat, est solius Legis, sive Canonis; quorum quædam dispositio est. Deinde; quòd præsumptio semper sit de re dubia, quæ, licet falsa esse possit, & aliquando sit, plerumque tamen aut valde frequenter vera esse solet: fictio autem nunquam conveniat cum veritate; cùm per eam, ad inducendum aliquem Juris effectum, æquitati naturali non repugnantem, certa falsitas assumatur pro veritate, vg. illegitimum pro legitimè procreato, Religiosum pro mortuo, patrem & filium pro una eademque persona habendô. Et demum; quòd præsumptionum, non etiam Juris fictionum, una alteri valeat adversari; & propterea, duabus contrariis concurrentibus, ea, quæ fortior est, debiliorem enervet, aut omnino elidat, Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 8. à n. 1.* & Haunold. *Tract. cit. à n. 624.* Sic declarata

4. Præsumptio perquam utili partitione cum Speculat. *Tit. de Præsumpt. §. 2. n. 1.* dividi potest in Temerariam, Probabilem, Violentam & Necessariam.

Temeraria est, quæ levibus & vanis indiciis, sive signis & circumstantiis nititur: cujusmodi olim erant Purgationes Vulgares, ex aqua frigida aut fervente, ex vomere vel alio ferro candente, ex duellis &c. desumptæ, hodiéque censetur, quâ ex solo familiari colloquio cum alterius uxore adulterium conjicitur.

5. Probabilis, quæ ex indiciis verisimilibus, & cum eo, quod ex iis præsumitur, frequenter, non tamen ferè semper conjunctis, desumitur: ut quâ mulier, quæ cum aliis viris libenter & frequenter versari & mariti conspectum declinare solet, non pudica esse judicatur.

Violenta, quæ ex vehementibus multúmque urgentibus, & cum re præsumptâ ferè & regulariter conjunctis, indiciis est orta: ut quibus eum, qui solus cum sola, nudus cum nuda, in loco secreto, aut eodem lecto est repertus, fornicarium, *c. Literis 12.* eum, qui natus est ex uxore, cui maritus cohabitavit, legitimum, *l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alieni*, Baptizatum eum, qui inter Christianos natus & educatus est, *c. fin. de Presbyt. non baptiz. in 6.* præditum usu rationis, qui septenniô, *c. Unic. pr. de Despons. impub. in 6.* potentem ad copulam carnalem puellam, quæ duodecim: juvenem, qui quatuordecim annis est major, *c. Continebatur 6. c. Attestationes 10. eâdem Rubr. & l. Minorem 4. ff. de Ritu nupt.* decimas ad Parochum pertinere; quòd fundi, ex quibus proveniunt, intra ejus parochiæ fines siti, *c. Ad decimas 2. de Restit. Spoliat. in 6.* & Ecclesiam, intra alicujus diœcesis fines sitam, istius Episcopo subjectam, judicamus, *can. Omnes Basilicæ, 16. q. 7. c. Constitutus 6. de Relig. domib. &c.* 6.

Atque hæc præsumptio rursum vel est Hominis, vel ipsius Juris. Hominis dicitur, quæ ex uno vel pluribus multùm urgentibus indiciis viri prudentis, puta, judicis, aliquid conjicientis, judiciô formatur, & Lege vel Canone aliquo approbata non est: qualis quondam erat Salomonis, ex affectione de matre pronuntiantis *cit. cap. 3. n. 27.* Juris est, quæ nititur authoritate & dispositione Juris, ex certis indiciis aliquid de re dubia judicantis, & judicari præcipientis: cujusmodi sunt, *c. Literis l. Filium citt.* aliisque textibus paulò ante allegatis relatæ. Quæ Juris præsumptio ulteriùs vel est Juris tantùm,

ut iisdem textibus relatæ omnes: vel Juris & de Jure simul, sive, ut etiam vocatur,

7. Necessaria, quâ ex certis indiciis, sive signis & circumstantiis aliquid præsumitur ex dispositione Legis vel Canonis, id pro veritate firmiter haberi præcipientis, & directam probationem in contrarium regulariter non admittentis: cujusmodi præsumptione olim sponsus de futuro, sponsam carnaliter cognoscens, id affectu conjugali fecisse; ac proinde in matrimonium cum ea consensisse judicabatur, *c. Is, qui fidem 30. de Spons. & Matr.* etsi tale matrimonium, tanquam Clandestinum, postea irritatum fuerit à Concilio Trid. *Sess. 24. cap. 1. de Reformat. matr.* Eôdem modò mulier, per sesqui annum cohabitans viro, cui nupserat, præsumitur interea in eum consensum renovâsse, *c. Ad id 21. de Spons. & Matr.* & professionem metu editam ratificâsse, qui, causâ metûs cessante, contra illam quinquenniô non reclamavit, Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Regular.* Jure etiam Civili mulier pro accepto pretio fideiubens, si super eo confectum & tribus testibus munitum sit instrumentum, quô ab ea pro fidejussione pretium acceptum continetur, S. C. Velleiani exceptione non juvatur; quòd non ex levitate & fragilitate sexûs, sed lucri cupiditate intercessisse præsumatur. Ita *citt.* aliique DD. hujusmodi Præsumptiones toties statuentes, quoties Jura, probationem in contrarium non admittendam, decernunt: imò, quoties Præsumptionem vocant Violentam, aut Vehementem: vel aliquid haberi volunt pro veritate, ut Haunoldus *Tract. cit. n. 632.* advertit cum *cit.* Menochio *q. 3. à n. 20.* & Panormit. *in c. Quanto 8. hic n. 2.* monente, vocabula *Juris & de Jure* Magistralia, hoc est, à Magistris seu Doctoribus excogitata: non à Juris Conditoribus introducta esse.

ARTICULUS II.

De vi Præsumptionis Temerariæ & Probabilis.

SUMMARIUM.

8. *Præsumptio Temeraria nullam:*
9. *Probabilis semiplenam probationem aut indicium facit.*
10. *Ex adolescentia de senectute:*
11. *Ex præterito de futuro,*
12. *Et aliquando ex præsenti statu de præterito conjicimus:*
13. *Nisi res naturâ mutabilis sit.*
14. *Nota in locis remotis non ignota in vicinis:*
15. *Judicium declinans causa sua differe,*
16. *Et criminis conscientiâ angi fugiens ante:*
17. *Non etiam post institutam accusationem &c. præsumitur:*
18. *Nisi alia adminicula concurrant.*

HActenus declaratarum Præsumptionum Prima sive Temeraria, quæ etiam Levis & Vana suspicio vocatur, vim probandi in judiciis nullam habet, aut meretur, *can. Semper, 2. q. 1. can. Oves, 6. q. 1.* ubi relatus Papa, *Omnis*, inquit, *suspicio potius est repellenda, quàm approbanda vel recipienda: c. Ex tuarum 8. de Purgat. Canon. c. Significantibus 2. de Purgat. vulg. c. Inquisitioni 44.* ibi, *Levi & temerariâ credulitate explosâ, de Sent. Excommunicat.* quia indicia, quibus nititur, cum re præsumpta vix ullam, imò ferè nullam habent connexionem: nec rarò sunt vanæ & superstitiosæ tentationes Dei, Speculat. *Tit. de Præsumpt. §. 2. n. 1.* Menoch. *de Præsumpt.*

Præsumpt. Lib. 1. *q.* 7. *n.* 50. & Vallens. *hic* §. 4. *n.* 1. Hujusmodi temerariæ præsumptiones vel maximè sunt, quando indicia & signa omnia boni, judicia autem & conjecturæ ex iis sumpta sunt mali, sicut fuerunt Pharisæorum: qui, cùm doctrina Christi, vita, miracula & opera omnia, eum ex Deo istiúsque Filium, Prophetam, atque ipsum Messiam & humani generis, Protoparentum peccatô afflicti, Redemptorem esse, luculenter demonstrarent, nihilominus temerè eum, non solùm talem non esse: sed esse Amicum publicanorum & peccatorum, Matth. *cap.* 9. *V.* 19. Peccatorem, Joan. *cap.* 9. *V.* 24. Blasphemum, Matth. *cap.* 9. *V.* 3. Malefactorem, Matth. *cap.* 18. *V.* 30. & populi Seductorem, Matth. *cap.* 27. *V.* 63. & Dæmonium habere, Joan. *cap.* 8. *V.* 48. judicârunt, & traduxerunt, ut cum Alex. Alensi in Summa *p.* 3. *q.* 45. *memb.* 1. & Menoch. *Tract. cit. q.* 3. *n.* 6. Sacri Interpretes passim notant.

9. Altera, sive Probabilis præsumptio semiplenæ probationis vim saltem in Civilibus habet, ut colligitur ex *c. Inquisitioni cit.* ubi ex credulitate, sive præsumptione probabili ac discreta, mulier à petendo debito (quod viro tenetur reddere) jubetur abstinere: & ex eo; quòd, cùm ejusmodi præsumptioni accedit juramentum, (unus testis legitimus, fama publica, aliáve adminicula) plenam probationem faciat, *c. Tertio* 13. Unde in Criminalibus eam aliquando ad torturam sufficere, vult Bartolus *in l.* 1. *pr. ff. de QQ.* eáque gravato purgatio Canonica indici solet, *c. Si quis de gradu*, 4. *de Purg. canon.* Vallens. *cit. n.* 1. & 2.

10. Hujusmodi præsumptionum complura exempla præsenti Rubricæ subjectis textibus proponuntur; sic enim Primò ex conversatione & continentia adolescentiæ præsumitur quis bonus & continens futurus in ætate provectiori, & ipsà senectute, *c. Ex studiis*, 3. & *c. Cùm in juventute* 15. Ratio est; quia conatus & studia juvenilis ætatis satis innuunt, qualis quis futurus sit, cùm ad ætatem venerit perfectam: eámque ob causam Jeremias, *Bonum*, inquit, *viro est, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua*, Thren. *cap.* 3. *V.* 27. quia *Adolescens juxta viam suam*, quam semel didicit & tenuit, *etiam cùm senuerit, non recedet ab ea*, Proverb. *cap.* 22. *V.* 6. instar testæ, quæ diu retinet saporem & odorem quô, primò imbuta est, juxta illud Horatianum:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Lib. 1. *Epist. ad Lollium.*

Quoniam verò homo arbitrii libertatem accepit à Natura, & usque ad senectutem & ipsam mortem retinet, secundùm Trident. *Sess.* 6. *de Justificatione can.* 6. & adolescentium ingenia obnoxia captionibus, & mutationibus multis subjecta sunt, Plato *de LL. Lib.* 1. præsumptio hæc, sicut non temeraria, ita non violenta, sed probabilis duntaxat est; cùm, eam quandoque fallere, luculenter doceamur exemplô Salomonis: cujus probrosa Senectus optimæ Juventutis gloriam plurimùm obscuravit, & verissimum esse demonstravit, quòd quandoque

Angelicus juvenis senibus Sathanizet in annis.

11. Secundò, ex præteritis seu antecedentibus de consequentibus ac futuris, & de faciendis ex factis, præsumptio verisimilis est; sic enim ex vita & moribus præteritis, & ex industria vel negligentia antecedente: ex furore, vel sævitia in uxorem, vel alium exercita inimicitia de iisdem exercendis in futurum conijcere solemus, *can. Si quis diaconus* 26. *dist.* 50. *c. Mandata* 6. *c. Scribam* 9. *hîc, c. fin.*

de Succeſs. ab inteſt. c. Literas, 13. de Reſtit. Spoliat. & l. Si ipſius 5. C. Famil. herciſc. quòd ſemel bonus malúsve, in eodem genere boni vel mali, talis ſemper fore credatur, *arg. Reg. 8. in 6. ubi* Dynus & Barboſa *n. 6.* Sic eam, quam aliquando quis tenuit, Opinionem, & quod aliquando habuit rei dominiũ ac poſſeſſionem, hodiéque retinere judicatur: niſi contrarium probetur, *l. Eum qui, 22. ff. & l. Sive poſſideti 16. C. de Probat.* Ratio eſt; quia idem ſtatus permanere cenſetur, donec mutatio ſuperveniſſe probetur; mutatio enim eſt quid facti, quod non præſumitur, ſed probandum eſt, *arg. c. Cùm in Jure 31. de Offic. deleg. & l. In bello 12. §. 2. ff. de Capt. & poſtlim. cit.* Menoch. *q. 19. à n. 1.* & Everardus *Legal. arg. locô 90. à n. 1.*

72. Tertiò, quandoque ex præſenti de præterito probabilis, & aliquando fortior præſumptio eſt, *can. Cùm per bellicam, 34. q. 2.* ſub cujus finem mulieres per præſentem ſuam incontinentiam oſtendere dicuntur, ſibi antè placuiſſe, quod non licebat, & ab illibati coniugii legibus eſt alienum. Sic ex eo, quod quis jam pauper & ſolvendo non ſit, talem antè fuiſſe judicamus, ſecundùm communem intellectum, *l. Ex perſona, 3. C. de Probat.* & Baldum *ibi n. 2.* Sichard. *n. 5.* Quæ præſumptio, ſi materia neceſſaria, etiam ipſa neceſſaria eſt; cùm eum, qui jam natus eſt, conceptum: qui nunc minor eſt, talem ante: agrum, ex quo copioſa meſſis colligitur, cultum fuiſſe, Naturalis neceſſitas ſit, Bartol. *in l. Ex perſona cit. n. 6.* Si materia contingens ſit, ex præſenti ad præteritum ſumpta præſumptio plerumque probabilis; cùm, qui jam non ſolvendo aut incontinens eſt, talis antè fuiſſe veriſimiliter judicetur, *citt.* Everard. *locô 102. num. 20.* & Menoch. *q. 24. n. 34.*

His tamen, à præterito & præſenti tempore ſumptis, præſumptionibus locus non eſt in iis, quæ cum tempore naturaliter, aut communiter mutantur; nam qui puer, & in pueritia literarum rudis, & omnium rerum imperitus fuit, talis permanere, & hodie eſſe non præſumitur: nec contrà, qui nunc major, aut doctus eſt, talis antè ſemper fuiſſe; cùm hominem adoleſcere, & penè quotidie aliquid addiſcere, uſu magiſtrô doceamur, *cit.* Menoch. *q. 24. n. 18.* 73.

Quartò, factum notum in locis remotis etiam notum in vicino præſumitur, *c. Quantò 18.* cùm enim vicinia veritati proxima ſit, reíque fama primùm ad viciniora, & ab his ad remotoria propagetur, cujus notitia ad hæc perlata eſt, in illis latere veriſimile non eſt: eámque ob cauſam, quæ in vicinia geſta ſunt, vicinis cognita etiam præſumuntur, *c. Quoddam 7.* ſaltem, ſi geſta palam & communiter innotuerint, Panormit. *in c. cit. n. 3.* & Menoch. *Lib. 6. præſ. 24. n. 10.* 74.

Quintò, veriſimilis præſumptio eſt 75. contra eum, qui judicium declinat: & pro eo eſt, qui ſe huic offert, *c. Nullus 4.* quòd, cùm jus & factum ſuum quis communiter non ignoret, judicio ſe offerens de cauſæ ſuæ juſtitia confidere: &, qui id declinat, de ea diffidere: imò, ut *c. cit. & can. Decernimus, 3. q. 9.* dicitur, omnia, de quibus accuſatur, confiteri videatur.

Sed hoc, etiam cùm de abſentiæ ac 76. diſceſsûs alia cauſa non conſtat, ita planum & generale non eſt, ut opus non ſit diſtinctione; vel enim quis ante accuſationem vel inquiſitionem, vel poſt harum alteram jam inſtitutam, fugit? Si priùs, fuga non leve indicium eſt criminis, illiúsque præſumptionem probabilem induxit; quòd, ejus commiſſi conſcientia urgente, rei ad fugam plerumque ſoleant impelli,

impelli. Ex ista tamen orta præsumptio criminis probationem, nec plenam, nec semiplenam facit, *arg. l. fin. C. de Probat.* 17. Si posterius, sola fuga verisimilem criminis præsumptionem non inducit; cùm non tam illius conscientiâ, quàm instituti aut imminentis processûs, & impendentis ex isto discriminis molestiarum ac vexationum metu, fugâ se subduxisse, censeatur; quia non rarò accidit, ut quis sui copiam non faciat, non in contemptum judicis, aut, quòd criminis reus existat: sed, quòd carceris squalore terreatur, timeat calumniam atque improbi accusatoris potentiam, aut vafriciem reformidet. Neque id immeritò; cùm sæpe discriminis plenum sit, incertam judiciorum aleam experiri, & in cognitione criminali dubiis judicis sententiis capitis committere fortunam, Felinus *in c. Nullus cit. num. 6.* Bartolus *in l. 1. ff. de Bonis eorum, qui mort. n. 1.* Menochius *cit. Lib. 1. q. 89. num. 39.* & Farinacius *Prax. Criminal. q. 8. n. 27.*

Neque cum his pugnant *c. & can. citt.* textus; quia utriusque author Bonifacius I. Maximum Episcopum Valentinum, judicium subterfugientem, pro confesso idcirco habuit; quòd, cùm multorum & magnorum criminum accusatus & sæpius, ad Synodum primùm, dein ad delegatum, ut se Canonicè purgaret, citatus esset, Synodi tamen & ab ista delegati judicium subire contumaciter recusarit. Neque id injuriâ, cùm; quòd ad tollendum fidelium scandalum Episcopum illum, non aliorum tantùm criminum infamiâ laborantem, sed etiam de Manichæorum hæresi suspectum, indictâ Canonicâ purgatione vel declarari innocentem: vel, si in illa deficeret, condemnari ac deponi publicè interesset: tum verò; quòd ad frangendam contumaciam Sacri Canones multa, aliàs insolita, permittant, *can. Rursus, 11. q. 3. c. Prout 4. de Dolo & contum. &c. Cùm contumacia, 7. de Hæreticis in 6.* Gonzalez *in c. Nullus cit. n. 3.*

Dixi, *Sola fuga*; quia, si cum ista 18. alia adminicula concurrant, semiplenæ probationis vim acquirit, & sufficiens indicium præbet ad torturam; sic enim fuga famuli, ex domini ædibus arrepta eô tempore, quô inde res furtò ablata est, hujus ab illo commissi probabilem præsumptionem, & cùm adversus eum Civiliter, semiplenam probationem, cùm agitur Criminaliter, indicium præbet ad torturam, *citt.* Menoch. *n. 40.* & Farinac. *à n. 67.* Quin, si fuga ipsa crimen sit, ut est militis, è castris & conflictu se subducentis, eâ probatâ, plenè probatum est ipsum delictum, *arg. l. Desertorem, 3. §. 1. ff. de Re milit.* Clarus *§. fin. q. 21. n. 19. citt.* Menoch. *num. 36.* & Farinac. *n. 65.* cujus probationis vim secundùm *citt.* aliósque DD. etiam habet, quoties sola suspicio sufficit ad aliquem effectum, vg. ad Tutoris, vel Curatoris suspecti remotionem decernendam, §. *fin. Instit. & l. Impuberibus 7. ff. de Suspect. Tut.*

ARTICULUS III.

De Vi Præsumptionis Violentæ.

SUMMARIUM.

19. *Hæc in Civilibus relevat ab onere probandi:*
20. *Etiam, si Hominis tantùm sit.*
21. *Eam in Criminalibus ad condemnationem sufficere, negantium,*
22. *Et affirmantium Opiniones,*
23. *Conciliantur; ut ex ea, non quomodocunque,*
24. *Sed vehementissimè urgente, reus condemnari valeat,*

25. *Etiam*

25. *Etiam ad pœnam Ordinariam.*
26. *Præsumptionum vis subest arbitrio Judicis.*
27. *Ex pluribus debilior cedit fortiori:*
28. *Ut, quæ militat pro valore actus,*
29. *Aut benignior & favorabilior est:*
30. *Quæ peccatum excludit,*
31. *Aut magis consulit animæ saluti:*
32. *Quæ magis specialis,*
33. *Aut fundata est in ratione Naturali &c.*

19. VIolenta præsumptio, si Juris sit, in Civilibus eum, pro quo militat, relevat ab onere probandi, & hoc transfert in adversarium; ut, isto in probatione deficiente, sententia feratur secundùm ipsam, *c. Ad decimas 2. de Restit. spoliat. in 6.* Probationem tamen in contrarium etiam hujusmodi præsumptio admittit: & illi, si plena sit, tanquam veritati cedit; quia fides, proveniens à probatione plena, magis certa est, quàm quæ oritur ex præsumptione Juris, quæ non simul est de Jure, *l. fin. pr. ff. Quod metûs causa gest. l. Cùm de indebito 25. §. fin. l. Imperatores, 29. §. 1. ff. de Probat.* Panormit. *in c. Quantò, 8. n. 2.* Speculat. *Tit. de Præsumptionibus, §. 2. n. 3.* & Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 31. à n. 2.*

20. Eandem probandi vim ferè habet præsumptio violenta hominis; cùm, si contrarium non probetur, ad sententiam secundùm eam ferendam procedi in Civilibus posse, pateat ex *c. Afferte 2.* ubi Salomon ex ea sola de vera infantis matre pronuntiavit, *citt.* Panormit. *n. 5. & 6.* & Menoch. *n. 2.*

21. An Violenta, tam Hominis, quàm Juris, præsumptio plenæ & ad rei condemnationem sufficientis probationis vim etiam habeat in causis Criminalibus, dubium & controversia ingens est inter DD. id enim cum Claro §. *fin. q. 20. n. 5.* negat Gomez *Lib. 3. Var. cap. 12. n. 15.* propter textus *can. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum, 2. q. 1. & c. Literas 14.* ibi, *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi hæreseos crimine condemnare*: quibus textibus consonant, *l. Qui sententiam 16. C. & l. Absentem 5. pr. ff. de Pœnis*, quâ ratio ea redditur; quòd satiùs sit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem aliquem condemnari. Id ipsum desumi solet ex *c. Afferte cit.* ubi Regum sapientissimus Salomon, ex materna pietate ortâ conjecturâ & præsumptione violentâ motus, infantem quidem matri jussit restitui: ipsi tamen collitiganti meretrici ratione impudentiæ & temeritatis pœnam non inflixit. Contrà alii cum Ant. Matthæo 22.
de Crimin. probat. Tit. 15. cap. 6. affirmant, permoti etiam ipsi non minùs claris textibus *l. fin. C. de Probat. & l. Observare, 2. C. Quorum appellat. non recip.* quorum priori crimina indiciis probari: posteriori argumentis, hoc est, præsumptionibus, convicti appellationi non deferendum, habetur. Quam sententiam aliqui cum Zoesio *in ff. hâc Rubric. n. 12.* praxin pro se allegante, sic temperant, ut reus solis præsumptionibus convictus arbitrariâ & mitiori, quàm ordinaria est, pœnâ plecti possit.

Mihi, si non DD. opiniones, sal- 23.
tem relata & in speciem contraria Jura conciliari posse videntur auxiliô distinctionis inter criminum præsumptiones: &, licet eas, quando ex indiciis multùm quidem, sed non vehementissimè urgentibus & omnino indubitatis, ortæ sunt, ad purgationem quidem Canonicâ indicendam, vel iis gravati torturam: non etiam

ad pœ-

ad pœnam, tam extra, quàm ordinariam, ei infligendam sufficere, existimem; quòd in criminalibus ad rei condemnationem probationes indubitatæ & luce meridianâ clariores exigantur, *l. fin. C. de Probat.* Nihilominus, quando Juris aut etiam hominis præsumptiones ex indiciis vehementissimè urgentibus, sive ex actibus delicto proximis, & cum isto ordinariè semper connexis ortæ sunt, eas ad condemnationem, & pœnam etiam ordinariam reo infligendam, præsertim in difficilioris probationis criminibus, ut Simonia, adulterium, cæteráque carnis delicta sunt, sufficere, censeo cum Menochio *Lib. 5. præsumpt. 41. num. 3.* Petr. Barbosa *in l. Divortium 7. ff. Soluto matrim. p. 1. à n. 87.* Farinacio *Prax. Criminal. q. 86. n. 5.* Gonzalez *in c. Literas cit. n. 7.* & aliis: quos novissimè Robert. König *ad hanc Rubr. n. 23.* est secutus.

Moveor, *l. fin. l. Observare citt. & l. Si quis adulterii, 34. C. ad. L. Jul. de Adult.* ubi indiciis vehementissimis adulterii crimen publicari dicitur; ut iis gravatus, velut convictus & confessus, puniri valeat: *Novel. 117. cap. 5.* & ex hac desumpta *Auth. Si quis C. ad L. Jul. cit.* ubi, qui tertiò scriptô expressô & trium fide dignorum virorum testimoniô roborata denuntiatione admonitus, alienæ uxoris suspecta conversatione & familiaritate non abstinet, adulterii reus perinde, ut de eo convictus, habetur.

Imperiali non minùs clarum est Jus Ecclesiasticum: *c. Quia verisimile 10.* ubi contra valde magnam Juris præsumptionem testes non admittuntur: *c. Literas 12.* ubi ex iis mulier tanquam adultera condemnata est, neque divortium tantùm permissum marito, sed illi etiam hôc mortuô, alterius conjugii spes adempta fuit: *c. De hoc 11. de Simonia*, ubi deficiens in purgatione Canonica pœnâ Ordinariâ punitur: *c. Porrecta 6. de Confirmat. util. & c. Cùm contumacia 7. de Hæreticis in 6.* quorum textuum priori Religiosi, tanquam falsarii: posteriori suspectus, tanquam hæreticus, ex præsumptionibus condemnantur. Ratio est partim; quòd hujusmodi præsumptiones non minùs, quàm testes, moralem criminis certitudinem pariant & plenam probationem constituant, *c. 1. de Homicid. in 6.* partim; quòd, qui homicidium perpetrant, pœnâ Ordinariâ puniantur: etsi id deliberatè & malitiosè factum ex sola Juris præsumptione habeatur, Gonzalez *l. cit. n. 8.* Accedit; quòd aliàs adulteria, incestus & cætera ejusmodi crimina occulta Ordinariâ pœnâ plecti vix unquam possent, si ad condemnationem non sufficerent ejusmodi præsumptiones, ut rectè advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 16.*

Neque obstant textus Imprimis *can. Nos in quemquam, & l. Qui sententiam citt.* quia reus, hujusmodi vehementissimis præsumptionibus gravatus, instar convicti haberi potest.

Neque secundò, *c. Afferte cit.* cùm; quia, an indicia, quibus violenta illa præsumptio nitebatur, vehementissimè urgentia fuerint, meritò quis ambigat: tum verò; quia eô relatus Salomon meretrici præsumptione illa quantacunque demum convictæ, pœnam ideo non inflixit; quòd conventa fuerit solùm civiliter, & ad vivi infantis restitutionem, Panormit. *cit. n. 6.* Sarmientus *Lib. 1. Select. cap. 1. cit.* Barbosa *n. 82.* & Zoesius *ad hanc Rubric. n. 12.*

Neque tertiò, decisio *c. Inter 10. de Purgat. Canon.* quia præsumptio, quâ Decanus gravatus *cit.* textu re..rtur, non vehementissima, ac proinde sola insufficiens fuit ad pœnam ordinariam infligendam. Quòd autem inflicta ipsi fuerit extraordinaria, factum non est ex ra-

tione ; quòd, ubi de delicto non constat, pœna extraordinaria sit insligenda ; cùm enim sola probatio delicti malitiam non augeat, ex eo præcisè ; quòd delictum magis minúsve probatum sit, majori vel minori pœnâ reum non afficiendum, cum Sarmiento *cap. cit.* & aliis rectè observat Engel *ad hanc Rubric. n. 6.* Sed quòd actus, scilicet familiaritas cum hæreticis, ex qua criminis hæreseos præsumptio orta fuit, etiam ipsa criminosa, & pœnâ digna fuerit: licet ab ipso hæreseos crimine fuerit absolutus, Gonzalez *in c. cit. n. 10.*

26. Circa præsumptiones hactenus declaratas tria DD. notant. Primum est, non eandem vim omnibus inesse ; & propterea, quantam singulæ præsumptiones habeant, prudenti judicis arbitrio æstimandum : &, quantò crimen gravius est, tantò eas, ut quis tanquam ejus reus condemnetur, vehementiores & graviores esse, oportere. Alterum, sæpe concurrere plures præsumptiones, aliquando se mutuò adjuvantes &, quam singulæ habent, probandi vim augentes : aliquando verò sibi invicem repugnantes, &, quam singulæ si essent solæ, haberent, vim diminuentes. Postremum est, in plurium
27. inter se pugnantium concursu fortiores, sive Juris, sive hominis, præsumptiones sint, debilioribus prævalere, per textus *c. Transmissæ 3. Qui filii legit. & l. Divus 7.* junctâ Glosâ, *V. Existimari ff. de In integ. restit.* cùm enim jus partium in Foro externo desumatur ex allegatis & probatis, quantò fortiores & potentiores sunt præsumptiones, quæ allegantur, tantò majus est jus, quod ex iis desumi solet.

28. Fortiores autem, cæteris paribus, sunt præsumptiones Primò, quæ pugnant pro valore actûs, *l. Quotiens 12. ff. de Reb. dub.* ex qua causa Rescriptum, concessæ gratiæ duas causas, unam veram, alteram falsam, exprimens, sic interpretamur, ut gratia ex vera concessa intelligatur, *Lib. 1. Tit. 3. num. 86.* & cùm Papa Beneficium contulit ei, quem ætatis, natalium, vel aliò simili defectu impeditum scivit, dispensatum credimus, *cit. Tit. 3. n. 19.* quòd, licet aliàs suæ potestatis plenitudine uti, & Jus relaxare non præsumatur : eâ tamen usus præsumatur, quando aliter actus non valeret, Alciatus *de Præsumpt. Reg. 3. præs. 34. num. 2.* & Menoch. *Lib. 6. præsumpt. 4. an. 4.*

29. Secundò, quæ benignior & favorabilior est, *arg. l. Semper 56. ff. de R. J.* sic enim, ob specialem favorem matrimonii & prolis, ista potiùs ex marito, cui mater cohabitavit, quàm ex alio viro suscepta esse præsumitur, *l. Filium 6. ff. de His, qui sui vel alieni juris :* quantumvis, matrem cum isto adulterinâ consuetudinem habuisse, constet, Menoch. *de Arbitr. casu 89. an. 19.* Sic etiam potentior est præsumptio, quæ militat pro reo, quàm ea, quæ facit pro actore, *l. Favorabiliores, 125. ff. de R. J.* Menoch. *de Præsumpt. Lib. 1. q. 20. n. 11.*

30. Tertiò, quæ excludit peccatum ; quia in dubio delictum non præsumitur, *l. Meritò 51. ff. pro Socio :* propter quam causam expositos & alios, quorum parentes ignorantur, pro legitimis habendos, communem & benigniorem sententiam secutus, *Lib. 5. Tit. 11. n. 10.* dicam.

31. Quartò, per quam magis consulitur animæ saluti ; quia in dubio, cùm de animæ salute agitur, tutiora sunt eligenda, *arg. c. Juvenis, 3. de Sponsal.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 139.* Unde, licet aliàs quilibet bonus potiùs, quàm malus esse præsumatur, *l. Meritò cit.* eum tamen, quem excommunicatum scimus, in dubio à censura illa absolutum, non præsumimus ; quòd, si absolutionem petat, animæ ejus saluti magis sit consultum, Menoch. 1.

noch. q. cit. n. 18. & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 637.*

32. Quintò, quæ est magis specialis; quia specialia plus, quàm generalia operantur, *arg. l. Item apud Labeonem, 15. §. 26. ff. de Injuriis*; sic enim, licet generaliter, cùm facinoris aut damni facti author ignoratur, contra vicinum præsumatur, *arg. l. Dominus 55. pr. ff. Locati*, generali tamen huic præsumptioni prævalet specialis, orta ex vicini probitate & integritate, Menoch. *de Arbitr. casu 472. num. 14.*

33. Sextò, quæ fundata est in ratione Naturali: quæ inhæret Juri communi: quæ est verisimilior: quæ non inducit inæqualitatem vel aliquod absurdum: quæ deducitur à possessione, potentior est eâ, quâ res quælibet libera censetur esse, & aliæ, de quibus latè laudatus Menoch. *cit. q. 29. & casu 472.*

ARTICULUS IV.

De Vi Præsumptionis Necessariæ, sive Juris & de Jure.

SUMMARIUM.

34. *Hæc plenè probat, nec admittit probationem contrarii:*
35. *Nisi hæc sit indirecta,*
36. *Vel fiat per allegationem Notorii,*
37. *Aut Confessionem judicialem,*
38. *Non etiam extrajudicialem:*
39. *Per Instrumentum publicum,*
40. *Vel testes quinque:*
41. *Imò etiam duos vel tres summæ fidei:*
42. *Vel à parte adversa admittatur.*
43. *Contra sententiam ex ea latam nequit appellari.*

POstrema, sive Juris & de Jure, atque, ut etiam nuncupatur, Necessaria præsumptio plenæ & ad sententiam in causis, tam Criminalibus, quàm Civilibus, secundùm eam ferendam omnino sufficientis probationis vim habet, hôc ipsô; quòd, ut dictum, pro veritate habeatur, & directam probationem in contrarium regulariter non admittat. *Directam*, inquam, & *Regulariter.* 34.

Prius; quia probationem indirectam, 35.
quâ præsumptionem Juris & de Jure non dari ostendatur, admitti, communis DD. sensus & ratio est; quia hujusmodi probatio immediatè non tendit ad probationem ejus, cujus contrarium Jus præsumit: sed solummodo ostendit, non concurrere omnes qualitates & circumstantias, præsumptionem Juris & de Jure constituentes, ut patet in exemplis; sic enim admittitur probatio, quâ ostendatur, Instrumentum, quod in judicio productum est, non esse publicum, sed privatum, aut confictum: quantumvis in Instrumento publico dispositivè contenta vera esse, Juris & de Jure præsumptio sit. Sic mulierem metu, sicut matrimonium iniit, aut Religionem professa est, viro cohabitâsse, aut in Religione perseverâsse, probari potest: quantumvis eam, quæ per sesqui annum viro liberè cohabitavit, in ejus conjugium verè consensisse, *c. Ad id 21. de Sponsal. & Matr.* & eam, quæ quinquenniô non reclamavit, possessionem interea ratificâsse, præsumatur à Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Regular.* Sic etiam possessionem, quæ memoriam hominum dicitur excedere, & justô titulô niti, à Jure firmiter præsumitur, *l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aquæ quotid.* non immemorialem, aut mala fide esse continuatam, probari potest, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 641.* cum Menochio *Lib. 1.*

de Præsumpt. quæst. 65. à n. 2. hanc rem pluribus exemplis firmante ac declarante.

36. Posterius; quia contra præsumptionem Juris & de Jure, sive id, quod Jus ita præsumit, admittitur Primò allegatio Notorii; quia generali exclusione probationum ea, quæ ex evidentia facti desumitur, excluſa non censetur, Bald. *in Rubric. de Probat.* Felinus *in c. Quanto 8. hic n. 5.* Everard. *Legal. arg. loco* 11. *num.* 20. & *cit.* Menoch. *q. 67. n. 2.* dummodo notorium quod allegatur, sit facti permanentis, sive, quod omnium oculis se exhibet, ut id, cùm libet, liceat intueri: non transeuntis, ut vg. homicidium, quòd in populi conspectu commissum est; cùm enim notorium transiens, sive facti transeuntis, probari, vg. per testes, necesse sit, non magis per ipsũ, quàm per hos facienda probatio contra Juris & de Jure præsumptionem admittetur, *citt.* Menoch. *n. 3.* & Mascard. *de Probat. Proem. q. 10. n. 62.*

37. Secundò, Confessio judicialis facta ab eo, pro quo præsumptio militat; sic enim præsumptioni, quæ est adversus tutorem, quòd res, ab eo in inventario descriptæ, verè fuerint in bonis defuncti, *l. fin. C. Arbitr. tutel.* prævalet confessio pupilli: si iste major factus, eas per errorem descriptas, fateatur. Eodem modò contra præsumptionem faventem ei, pro quo lata sententia transiit in rem judicatam, *l. Res judicata* 207. *ff. de R. J.* admittitur confessio victoris, rem aliter se habere in judicio asserentis, Panormit. *in c. Is, qui fidem 30. de Sponsal. & Matr. n. 5.* Felinus *in c. Quantò cit. n. 3.* & aliis relatis *cit.* Menoch. *q. 6.* hanc rem pluribus exemplis illustrans. Ratio est; quia, licet ea, de qua agimus, præsumptio pro veritate habeatur, reipsa tamen veritas non est; cùm circa id, quod dubium est, versetur: confessio autem ejus, cui præsumptio favet, ipsa veritas esse censetur; cùm nemo contra se ipsum temerè confiteri præsumatur; eámque ob causam proprii oris confessio pro omnium optima & efficacissima probatione habeatur: partim verò; quia hujusmodi Confessio inducit notorium; ac proinde, sicut huic, sic etiam ipsi locus est, ubi aliæ probationes excluduntur, Maranta *de Ord. Judic. p. 6. act. 5. n. 25.*

Neque obstat; quòd contra præsumtionem matrimonii, à sponsis de futuro, per supervenientem copulam carnalem contracti, admissa olim non fuerit confessio utriusque, asserentis, se aliò, quàm conjugii ineundi animo coivisse. Non, inquam, hoc obstat; quia talem confessionem antiquo Jure admissam, existimat *cit.* Menoch. *Lib. 3. præsumpt. 1. n. 12.* Si hoc negetur, non minùs expeditè alii respondent, præsumptionem illam spectâsse favorem, non tam sponsorum, quam ipsius matrimonii & publici boni: cujus interest, tale matrimonium subsistere; ne conjuges tædiò affecti à veris conjugiis facilè recedant. Accedit; quòd adversus præsumptionem Juris & de Jure confessioni locus eò solùm casu sit, quò res pendet à voluntate eorum, quorum confessione præsumptio dicitur tolli: cujusmodi res non est matrimonium, quod ab Ecclesia præsumitur contractum, *cit.* Menoch. *q. 61. n. 11.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 4. n. 639.*

An contra Præsumptionem Juris & de Jure etiam Confessio extrajudicialis admittatur, controversum est inter DD. hanc enim contra illam admitti, cum Baldo *in l. In contractibus 14. pr. C. de Non numerata pec. num. 7.* affirmant *citt.* Menoch. *q. 61. n. 16.* & Haunold. *cit. Tract. 4. n. 640.* saltem de confessione extrajudiciali plenè probandi vim habente: dummodo eam ab illo, cui præsumptio favet,

favet, seriò & deliberatè factam, in judicio legitimè probetur. Rationem reddunt; quia, cùm nemo in præjudicium suum falsum asserere censeatur, etiam talis confessio pro veritate habetur. Sed veriùs id cum Alciato *de Præsumpt. Prælud. p. 2. n. 5.* negant Mascard. *de Probat. Proœm. q. 10. n. 52.* & Zœsius *in ff. de Probat. & Præsumpt. n. 17.* cùm; quòd confessio extrajudicialis non eâdem vi prædita, neque ita certa sit, ut in judicio allegata & per duos testes probata, pro comperta veritate, instar judicialis, haberi possit: tum verò; quòd confessionem extra judicium factam, & factam animô seriô ac deliberatô in judicio per testes, perinde ut facti transeuntis notorium, probari, sit necesse; ac proinde adversus præsumptionem Juris & de Jure non magis, quàm duorum testimonium, hujusmodi confessio admitti possit: sicut contra illam, allegationem notorii facti transeuntis non magis, quàm probationem, quæ per testes fit, admitti, docet Menoch. *cit. q. 67. n. 3.* cujus etiam ratio corruit ex dictis.

39. Tertiò, productô Instrumentô publicô ejusmodi præsumptionis vim elidi posse, asserit Mascard. *de Probat. Proœm. q. 10. n. 72.* & suadet ratio; quòd instrumentum publicum rem faciat liquidam & evidentem, habeátque pro se præsumptionem veritatis, Baldus *in Rubric. de C. Fide instrument.* & Everard, *de Fide instrument. cap. 3. à n. 2.*

40. Quartò, contra ejusmodi præsumptionem admittitur probatio per quinque testes; sic enim contra scriptam confessionem certæ summæ, ex mutui vel alia causa receptæ, quinque idoneorum & omni exceptione majorum testium depositiones recipiuntur, & Juris ac de Jure præsumptionem ex confessione illa ortam elidunt, *l. Generaliter 13. C. de Non numer. pec. & l. Testium 18. C. de Testibus*, Bartol. *in l. Generaliter cit. n. 9. & cit.* Menoch. *q. 63. n. 1.*

An ad eam elidendam etiam duo vel tres valde Legales, omníque exceptione majores, & summæ fidei testes admittantur, controversum est inter DD. id enim negat Baldus *in c. Juravit 6. de Probat. n. 8.* quòd Jus, cùm directam probationem in contrarium respuit, duorum vel trium ejusmodi testium depositiones admittendas, nuspiam expresserit. Affirmat autem aliis DD. allegatis *cit.* Menoch. *q 63. n. 1.* eâ motus ratione; quòd, cùm ex Juris communis & statutarii etiam dispositione probatio rejicitur, exceptâ, quæ per instrumentum publicum fit, nihilominus hujusmodi legales & summæ fidei testes admittantur, eorúmque depositionibus elidatur vis publici instrumenti: quantumvis in isto dispositivè contenta vera esse, Juris & de Jure præsumptio sit, Bartol. *in l. 1. §. Et parvi 2. ff. Quod vi aut clam. n. 2.* 41.

Quintò, contra præsumptionem Juris & de Jure, sine oppositione admissa probatio, probanti prodest, & præsumptionem illam tollit, si materia præsumptionis, sive id, quod Jus præsumit, pendeat à voluntate ejus, pro quo ejusmodi præsumptio pugnat; quia iste, cùm posset, nihil opponendô tacitè consentire, & jus suum remittere censetur, *citt.* Felinus *n. 4.* Alciat. *p. 2. n. 9.* & Menoch. *q. 68. n. 1. & 2.* 42.

Cæterum Juris & de Jure sive necessariæ Præsumptionis ea vis est; ut à sententia definitiva, ex ea lata, nequeat appellari; quòd ejusmodi præsumptio pro veritate, eáque gravatus pro convicto habeatur: convicto autem appellatio denegetur, *l. Observare 2. C. Quorum appell. non recip.* Baldus *in l. Si qui 34. C. ad L. Jul. de Adult. n. 2. & cit.* Menoch. *q 76. num. 1.* 43.

TITVLVS XXIV.

De Iurejurando.

IN defectum aliarum Probationum in judiciis non rarò adhibetur Jusjurandum, *c. fin.* ut non immeritò maximum expediendarum litium remedium *l. 1. ff. hîc*, & omnis controversiæ finis esse dicatur ab Apostolo ad Hebr. *cap. 6. v. 16. c. Etsi Christus 26.* relatô.

ARTICULUS I.

De Jurisjurandi Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. *Juramenti etymon & definitio.*
2. *Præstandum est per verum Deum.*
3. *Per falsos præstitum obligat,*
4. *Propter apprehensam in iis Divinitatem.*
5. *Deus in testem aliquando explicitè:*
6. *Aliquando implicitè invocatur.*
7. *Divisio Juramenti in Assertorium & Promissorium:*
8. *In Judiciale & Extrajudiciale.*

1. IUsjurandum sive juramentum à *Jure*, quòd istius instar custodiendum observandúmque sit, ita nuncupatum, Corset. *Tract. de Jurament. q. 3. n. 5.* ad mentem D. Thomæ 2. 2. *q. 89. art. 1.* à Cæteris TT. & JCT.is etiam recepti, est Invocatio Divini Numinis in testimonium, sive, ut quidam loquuntur, ad fidem faciendam alicui assertioni vel negationi, aut firmandam promissionem; jurare enim propriè dicitur, qui, cùm aliquid affirmat, negátve, aut promittit, ut sibi fides habeatur, Deum in veritatis aut promissionis testem adducit, Covarruvias *in c. Quamvis de Pactis in 6. p. 1. pr. n. 1.* & Suarez *de Jurament. Lib. 1. cap. 8. n. 1.*

2. Numinis, inquam, *Divini*; quia propriè loquendô, per solum verum Deum juratur; cùm enim juramenti adhibendi unica causa sit; ut is, cui id præstatur, de assertione vel promissione securus reddatur testimoniô & authoritate ejus, qui invocatur: de assertionis autem veritate & promissionis sinceritate fidelitatéque securum reddere non possit, nisi qui fallere & falli non potest, Verus Deus, qui prima, & fallere ac falli nescia veritas solus est, solus assertionis & promissionis nostræ testis infallibilis esse; ac proinde per ipsum solum præstari juramentum potest, ut cum S. Thoma *cit. art. 1.* advertunt *citt.* Covarruvias *§. 1. n. 16.* & Suarez *cit. n. 1.*

3. Cui doctrinæ in speciem, non re ipsa, adversantur *can. Movet te, 22. q. 1. & c. Etsi Christus cit.* quorum textuum posteriori juramenta per creaturas, sicut præstari prohibentur; ita præstita jubentur observari: priori per falsos Deos præstiti juramenti violatio pro perjurio habetur.

habetur. Re ipsa, inquam, non adversatur textus prior; quia per falsos Deos præstita, etsi non vera, sed erronea juramenta sint, iis tamen promissiones suas firmantem, propter apprehensam in iis, qui per ea invocantur, Divinitatem obligant, non solùm ex fidelitate, ad promissionis suæ etiam non juratæ observantiam quemlibet adstringente: sed (eum saltem, qui iis Divinitatem, ac proinde infallibilitatem inesse credit) ex Religione, sub perjurii reatu quemlibet obligante, ne in falsi testem invocet, quem Deum & fallere ac falli nescium credit: &, ut opere impleat, quod ejus nomine invocatô & authoritate interpositâ promisit, *citt.* Covarruvias §. 1. *n.* 10. & aliis DD. relatis Barbosa *in can. cit. n.* 5. Neque etiam posterior; quia etiam in juramentis, per creaturas præstitis, Dei testimonium invocatur; cùm Deus ita invocari possit non solùm explicitè, sicut factũ à S. Paulo, cùm 2. Corinth. *cap.* 1. *V.* 23. *Testem*, inquit, *invoco Deum in animam meam*, & ante ipsum à VV. Judæis: post ipsum verò à S. Augustino *Epistol.* 137. ita rescribente, *Fateor coram Deo, qui testis est in animam meam:* sicut hodiéque multi nimis quàm frequenti usu ita loqui solent, *Testis est mihi Deus, Deus novit, rem ita se habere, Per Deum ita se habet, Quàm verè vivit, aut est in cælo, Me puniat, si verum non loquor &c.* Sed etiam implicitè, quomodo jurant, eúmque in testem vocant Primò, qui assertioni suæ addunt verbum, *Juro*; quia idem significat, quod, Deum in testem voco, aut volo dictum meum confirmare invocatione testimonii Divini. Secundò, qui aliquid affirmant, negántve, aut promittunt bey ihrem Ayd; quia hæc verba seriò prolata ex recepta Germaniæ nostræ consuetudine idem significant, quod *Juro*: bey ihrer geistlichen Weyh / Fürst / Priester / oder Adelichen Würden oder Ehren / cujusmodi verba à jurantibus usurpata sensum habent: ita Deus hæc mihi conservet, aut hæc auferat, si mentior. Tertiò, *Per sancta Dei Evangelia, Per S. Crucem, Per fidem Christianam, Per SS. Sacramenta*, hoc est, quàm vera & infallibilis Evangeliorum & Fidei Christianæ à Deo revelata doctrina, quàm certò humani generis Redemptio peracta in Cruce, aut Sacramenta ad necessariam sanctificationem à Deo sunt instituta. Quartò, *Testes invoco cælum & terram*; ita enim jurantes in testem vocare censentur illorum conditorem, cujus in iis Sapientia, Potentia, Bonitas relucet. Quintè, *Per animam meam, Vivus non abeam, Fulmine peream &c.* cujusmodi verborum formulis invocari creditur Deus, qui animam perdere in gehennam & vitam adimere potest. Sextò, *Per salutem Pharaonis, Per vitam Regis*, quibus invocatur testimonium Dei, qui salutis & vitæ Regum est author & conservator: de quibus aliisque usu familiaribus juramentorum formulis latè *citt.* Covarruvias §. 1. *àn.* 16. Suarez *cap.* 5. *à n.* 3. Laiman. *Lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 2. & Pirrhing *ad hanc Rubric. àn.* 6. Sic declarati

Juramenti variæ, ex iisque celebriores duæ sunt Divisiones. Una in merè Assertorium & Promissorium: quorum prius præstatur præcisè; ut credatur esse vel fuisse, imò aliquando, etsi rariùs, futurum, quòd affirmatur, aut negatur, vg. Titium advenisse, esse Doctorem, non fuisse in loco, non occidisse: cujus species aliqua est Juramentum, quod Litis decisivum nuncupatur, & in Judicio pars, vel etiam judex, parti litiganti ad litis decisionem defert. Posterius verò; ut credatur, nos id, quod promisimus, facturos vel omissuros, vg. fidelitatem servaturos, ingressuros Religionem, non lusuros, domum, aut alium locum periculo-

riculosum vitaturos: cujusmodi juramenta contractibus aliisque actibus firmandis adjici frequenter solent. Dixi, *Merè*, hoc est, sine aliqua promissione, ut juramentum Assertorium clariùs distingueretur à Promissorio, quod etiam aliquô modô assertorium est; cùm, qui aliquid se facturum juratus promittit, etiam aliquid asserat de præsenti, nimirum se habere voluntatem se obligandi & implendi, quod promittit, *cit.* Suarez *cap. 8. n. 3.*

8. Altera in Judiciale & Extrajudiciale: quorum illud in, hoc extra judicium præstatur, Sylvester *V. Juramentum n. 3.*

ARTICULUS II.

De Juramenti Honestate.

SUMMARIUM.

9. *Juramentum honestum & licitum est,*
10. *Etiam Christianis.*
11. *Modò ex justa causa & debitô modô præstetur:*
12. *Et comitem habeat veritatem,*
13. *Judicium ac Justitiam.*
14. *Jurare prohibentur Pueri,*
15. *Perjuri & olim non jejuni.*
16. *Clerici sine gravi causa,*
17. *Aut coram laico saltem regulariter.*

9. CErta, imò Orthodoxæ Fidei doctrina est, juramentum non solùm non intrinsecè malum: sed, si ritè præstetur, honestum ac laudabile esse, ut constat Imprimis testimoniô SS. Literarum, *Dominum Deum tuum timebis, illi soli servies & per nomen ejus jurabis*, Deuteron. *cap. 6. V. 13. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, Psalm. *62. V. 12.* Deinde VV. Patriarchatum Abraham, Isaac & Jacob, Genes. *cap. 21. 26. & 31.* & in nova seu Gratiæ Lege D. Pauli, testem Deum invocantis in animam suam, Roman. *cap. 1. v. 9.* Galat. *cap. 1. V. 20.* aliorúmque SS. PP. imò ipsius Domini Dei, qui teste Regio Vate, *Juravit & non pœnitebit eum*, Psalm. *109. V. 4.* exemplis, Gentiúmque omnium & sacrorum prophanorúmque tribunalium usu. Et demum ex ratione; quia ritè præstitum continet cultum & venerationem Dei, cujus infallibilem veritatem & summam authoritatem se agnoscere, colere ac timere profitetur, qui eum in veritatis testem vocat; quia nemo, nisi per majorem se, jurat, *ad* Hæbræos *cap. 6. V. 13.* Quæ utique causa est, cur Jure utroque Juramenti Religio esse dicatur, *c. Tua nos 11. l. 1. ff. hîc & l. Jurisjurandi 2. C. de Reb. credit.*

10 Neque obstant &, ut VV. quorundam Hæreticorum, à Waldensibus & Anabaptistis suscitatus error voluit, juramenta intrinsecè mala, aut saltem Christianis interdicta esse, evincunt verba Christi, *Ego autem dico vobis, nolite jurare omnino, sit sermo vester Est Est, Non Non.* Matth. *cap. 5. V. 34.* & Apostoli, *Nolite jurare quodcunque juramentum*, Jacobi *cap. 5. V. 12.* quia verbis illis, ut cum S. Augustino *Lib. 1. de Sermone Domini in monte, cap. 17.* S. Bernardo *in Cantica, Serm. 65.* à S. Thoma *2. 2. q. 89. art. 2.* & ab Innocentio III. *c. Etsi Christus 26.* exponuntur, Christus ejusque Apostolus non juramenta, quibus, exigente necessitatis aut utilitatis causâ suadente, ad fidem dictis & firmitatem promissionibus conciliandam, nomen Domini reverenter invocatur: sed illa solùm juramenta prohibita sunt, quæ fiunt temerè, hoc est, ex nulla vel levi aliqua causa, ut Judæi passim & malè consueverunt, contra Sapientis monitum. *Ut juratio non assuescat*

æsuescat os; multi enim sunt casus in illa &c. & vir multùm jurans implebitur iniquitate, Ecclesiast. *cap. 23. à V. 9.* cùm propter irreverentiam, quæ nomen Dei in testimonium temerè assumendò exhibetur supremæ æternæque ejus Majestati: tum propter periculum perjuriorum, cui jurandi consuetudo & assiduus usus exponitur, Suarez *de Jurament. Lib. 1. cap. 2. à n. 15.* & Laiman. *Lib. 4. Tract. 3. cap. 3. n. 2.* Accedit; quòd illis Christi verbis ita circumspecti & veraces esse doceamur; ut simplici assertioni non minor, quàm juratæ fides habeatur: & necesse non sit; ut dictis nostris fidem aut firmitatem à juramentis accersamus: quibus, si opus nobis esse credimus, ut fide indignos ipsi nos redarguimus & accusamus, teste S. Basilio *in Psalm. 14.*

12. Ut autem Juramentum ritè & honestè præstetur, necessarium est, ut habeat tres comites seu conditiones, Veritatem, Judicium & Justitiam, *can. Animadvertendum, 22. q. 2. & c. Etsi Christus cit.* relatas ex Jeremia: qui, *Jurabis*, inquit, *vivit Dominus, in justitia, in judicio, in veritate, cap. 4. V. 2.*

In Veritate jurat, qui Deum non assumit in testem falsi, sed de re pronuntiat, quod scit; ut certam pro certa, dubiam pro dubia affirmet, aut neget: vel, cùm aliquid promittit, animum & voluntatem habeat se obligandi, idque adim-
13. pleat, si non impediatur. In Judicio id facit, qui non temerè & inconsideratè: sed cum prævia deliberatione sive examine non tantùm veritatis, sed causæ, an scilicet utile sit ad detegendam occultam veritatem, quam manifestari publicè aut privatim interest, & cum pia ac reverente voluntatis affectione jurat. In Justitia, qui juramento promittit, quod justum honestúmque & licitum est, aut asserit, quod sine cujusquam injuria asseri potest: contrà, quàm fieret, si turpe aliquod proximi factum sine justa causa detegens, ad fidem dictis conciliandam juramentò abuteretur, *cit.* S. Thomas *art. 3.* Covarrúvias *in c. Quamvis 2. de Pactis in 6. p. 1. §. 6. n. 2. & 7. citt.* Suarez *cap. 3. à n. 2.* & Laiman. *n. 3.*

Etsi verò tribus his conditionibus vestiti juramenti usus, spectatô Naturali Jure, hominibus præditis usu rationis omnibus permissus sit, Positivô tamen ad id in judicio præstandum non coguntur, imò nec admittuntur omnes: &

Primò, quidem pueri ante pubertatẽ, sive 14.
decimum quartum ætatis annum impletum, *can. Parvuli 14. can. Pueri, 22. q. 5.* quòd ante eam ætatem plenam & ad Divini Numinis testimonium cùm debita reverentia invocandum sufficientem discretionem non habere præsumantur, S. Thomas *q. cit. art. 10.* propter quam causam jurare etiam volentes in judicio non facilè permittuntur, per textum & Glossam *can. 1. V. Ad testimonium, 4. q. 2.* Sylvest. *V. Juramentum, 2. q. 3.* & Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 3. n. 6.*

Secundò, periurus, *can. Parvuli cit.* qui propterea à testimonio in iudicio perhibendo repellitur, *can. Quicunque 6. q. 1.* etsi periurii in iudicio non condemnatus nec convictus, sed id facti duntaxat notorietate evidens sit; quòd eum, qui semel peieravit, iterum peieraturum, periculum & præsumptio, sit, *can. Parvuli cit. & arg. Reg. Semel 8. in 6.* Sylvester *V. cit.* & laudatus Suarez *Lib. 3. cap. 5 n. 20.* qui tamen aliíque DD. excipiunt iuramenta, quæ non honoris, ut Purgationis, Suppletorium, & quod testibus defertur, sed oneris sunt, ut Calumniæ, Malitiæ &c. iuramenta &, quæ feudorum Dominis præstantur à Vasallis.

Tertiò, non ieiunus, *can. Placuit, 4. q. 3. can. Honestum, 22. q. 5. &c. 1. de Test.* 15.

& attest. multò magis semi-aut omnino ebrius; quòd iuramentum cum debita reverentia nequeant præstare. Jeiunium tamen, etiam testi iuranti per modum consilii potiùs, quàm præcepti præscriptum: vel consuetudine contrariâ seu non usu sublatum, notant *in c. 1. cit.* Barbosa *n. 3.* & Gonzalez *n. 3.*

16. Quartò, Clerici, præsertim Sacerdotes, ex levi causa iurare specialiter prohibentur *can. Si quis Presbyter, 2. q. 5.* quòd eorum Ordinem & dignitatem non deceat de eorum, quæ dicunt, veritate facilè dubitari, S. Thomas *q. cit. art. 10. Ex levi,* inquam; quia ex necessitatis, vel magnæ utilitatis causa, vg. ad sui purgationem, vel ad defensionem alterius; ne probationis defectu lædantur, aut res suas perdant: ne Ecclesiæ suæ damnum patiantur &c. licitè iurant, ut colligitur *ex c. Significâsti 4. de Elect. & c. Ad reprimendam 8. de Offic. Ord.* & cum *cit.* D. Angelico & Sylvestro *q. 3.* tradit *cit.*

17. Sanchez *n. 7.* Coram laico ex iusta causa vg. contractûs vel alicuius promissionis roborandæ Voluntarium *arg. c. Ex rescripto 9. hîc & c. Pervenit 2. de Fideiuss.* nequaquam autem Coactivum iuramentum, saltè sine Papæ vel Episcopi licentiâ, præstare possunt, *can. Nullus 22.* iunctâ Glossâ, *V. Laico, 22. q. 5.* Ex qua graſſantis pestis tempore delata iuramenta, si non fuisse in loco lue infectô, vel de infectione suspecto, quæ ideo etiam, quòd non per modum coactionis, quasi à superiore, sed sub conditione tantùm ingressûs exiguntur, ipsis permissa, docent *cit.* Laiman. *cap. 12. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 27.*

ARTICULUS III.

De Juramento Assertorio.

SUMMARIUM.

18. *Hoc, à litigantibus in judicio præstitum, vel Calumniæ,*
19. *Vel in Litem, de vera rei æstimatione.*
20. *Aut affectione ad eam:*
21. *Vel Litis decisivum, idque triplex est,*
22. *I. Voluntarium.*
23. *II. Judiciale:*
24. *Cujus delationem actori non probanti permittentium,*
25. *Et negantium Opiniones,*
26. *Conciliantur; ut, pro se saltem præsumptionem,*
27. *Non omninò nihil afferens, id valeat deferre:*
28. *Etsi delatum reus quandoque rétundere possit.*
29. *III. Necessarium sive Suppletorium,*
30. *Quod à judice delatum nequit recusari:*
31. *Neque à plenè probante exigi,*
32. *Vel contra plenam probationem admitti debet.*
33. *Suppletorium Actori vel Reo deferri potest.*
34. *Actori, cùm ipse semiplenè, reus autem nihil probat*
35. *Secus ferè Reo defertur:*
36. *Ei locus non est in Criminalibus,*
37. *Saltem ad infligendam pœnam corporalem:*
38. *In Famosis & valde arduis causis:*
39. *In Matrimonij Carnalis,*
40. *Et Spiritualia,*
41. *Aliisque causis, poscentibus liquidas probationes.*

HUjus juramenti non rarus, & sæpe temerarius extra: frequens, autè & ferè honestus usus est in Judiciis: in quibus non tantùm à litigantibus, sed etiam ab aliis personis

personis, vg. à testibus præstari solet. Ejus, quod ipsi litigantes præstant, tria sunt genera.

Primum dicitur Juramentum Calumniæ, intellige, *Non inferendæ*: quod post litis contestationem actor & reus, syndici, procuratores, tutores &c. super lite, bonâ fide suscepta, præstant, & explicatum est *Tit. 7. totô*: cui juramento affine est, quod Malitiæ nuncupatur, &, quoties à litigantibus aliquid malitiosè proponi, rationabilis suspicio est, deferri potest, ut eodem *Tit. n. 6.* est dictum.

19. Alterum est Juramentum in Litem, quô res, de qua agitur, in judicio æstimatur, & bifariam in Veritatis & Affectionis juramenta dividitur. Veritatis seu veræ æstimationis juramentum est, quod ad cognoscendam quantitatem, aut verum valorem rei, vg. equi, alterius dolô, aut vi amissi & non ampliùs extantis, aut abducti, ut restitui non possit: vel damni, quod ex ejus amissione passus est, actori eum æstimanti à judice, præviâ taxatione: defertur, *l. In actionibus 5. ff. de In litem jurando.* Hoc itaque juramentô actor prosequitur suum interesse: quod aliquando à valore ipsius rei indistinctum & interesse Commune vocatur: aliquando extra rem est, & interesse Singulare nuncupatur: ut patet in exemplo ejusdem equi, alterius violentiâ, vel dolô amissi, cujus verus vg. quinquaginta aureorum valor, quô in se spectatus æstimatur, *Interesse commune*: valor autem extra rem, puta, damnum, quod actor seu dominus ejus amissione hic & nunc est passus, *Interesse*
20. *singulare* appellatur. Affectionis juramentum est, quod præstatur ad cognoscendum ejusdem equi, vel libri, alterius dolô, aut violentiâ deperditi, valorem, non quem res secundùm se spectata, aut ratione damni, quod ejus amissione dominus est passus; sed quem, propter specialem affectionem domini habet. Quod iuramentum, si æstimatio modum excedat, iudicis taxatio seu moderatio præcedere aut subsequi potest; quia, licet subsequente iudicis taxatione minor, quàm iuratum est, quantitas actori adiudicetur, tamen neque actor periurii, neque iudex iniustitiæ redargui potest; cùm ille erga rem immodicam habere affectionem: & eam, cuius verus valor sunt quinquaginta, centum aureis æstimare possit; ac proinde, si eum tanti æstimari & sibi centum aureorum minùs gravem, quàm illius iacturam esse iuret, verè iurabit: iste etiam, sive iudex æstimationem, privatâ affectione minorem, actori iuranti adiudicare iustè potest, *l. Videamus 4. §. 3. ff. de In litem jurando*: idque faciendô illius, non iuramentum falsum, sed affectionem duntaxat erga rem verô istius pretiô maiorem & excessivam esse, declarat, Imola *in c. fin. de lis, quæ vi metúsve causâ n. 2. & ibi* Laiman. *n. 4.*

Tertium genus iudicialium iuramen- 21.
torum est Litis decisivum, quod litis finiendæ causâ à parte litigante præstatur: & in tres species, Voluntarium, Judiciale specificè acceptum, & Necessarium dividi solet.

Voluntarium est, quod ex conven- 22.
tione pars parti extra iudicium, sive ante litis exordium defert, ut, eô ab ista susceptô, controversia terminetur *l. Jusjurandum 17. pr. & l. In duobus 28. §. fin. ff. hic*. Dicitur voluntarium; quòd ex utriusque libera voluntate ab una suscipiatur, & ab ea, cui defertur, non solùm referri, sed omnino recusari: &, si malit, ad viam Juris recurri possit: licet præstitum controversiam finiat; quia continet speciem quandam transactionis, *l. Admonendi 31. in fin. ff. hic, ubi* Welenbec. *n. 7.* & Gonzalez *in c. Sicut 2. de Probat. n. 5.* Etsi verò hoc iuramentum, sicut delatum, ita

etiam relatum liberè suscipiatur, semel tamen ab eo, cui defertur aut refertur, susceptum recusari nequit, sed præstari debet: nisi, qui id suscepit, haberi velit pro confesso; cùm, sicut contractus, ita etiam huiusmodi iuramenti susceptio ab initio quidem liberæ sit voluntatis, postea verò sive, cùm semel susceptum est, necessitatis sit, *arg. l. Sicut 5. C. de O. & A.* Vallens. *hîc, §. & n. 1.*

83. Judiciale, sic dictum à loco, in quo defertur, est, quod pars parti in iudicio defert, aut ei, à quo delatum est, refert, *l. Delata 9. C. de Reb. credit.* Quod, si deferatur sine approbatione iudicis, ab eo, cui delatum est, simpliciter recusari, vel referri potest, *c. fin. V. Quamvis*, licet ei, à quo delatum est, necessariò sit præstandum; ut aliàs super causa principali non audiatur; quia æquum est, ut patiatur legem, quam ipse prior tulit, *c. Cùm omnes 6. de Constitut.* Si verò deferatur, iudice approbante, etiam ab eo, cui defertur, præstandum, vel adversæ parti referendum est, *l. Delata cit.* ne, si id sine iusta causa recuset, tanquam confessus condemnetur; cùm manifestæ turpitudinis & confessionis sit, nec iurare, nec iuramentum referre velle, textus est *l. Manifestæ 38. ff. hîc.* Unde

84. Dubium &, sicut difficilis resolutionis, sic magni in praxi usûs controversia oritur, an actor, licet nihil probârit, huiusmodi iuramentum deferre reo possit; ut hic delatum præstare, vel referre aut solvere teneatur. Affirmativam cum Jasone *in l. Manifestæ cit. n. 3.* tenent Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 19.* Zœsius *in ff. ad hanc Rubric. n. 35.* Gilcken *in l. In bonæ 3. C. de Reb. credit. n. 7.* & Engel *ad hanc Rubric. n. 16.* quòd, ubi testimonia & aliæ probationes desunt, provocatio ad Deum testem apertè permittatur Exod. *cap. 22. V. 11.* ut veritas à reo Divini numinis reverentiâ metûve extorqueatur: nec solùm circa medium aut finem, sed etiam circa principium causæ, *l. Generaliter 12. C. de Reb. credit. & l. Manifestæ cit.* quâ generaliter statuitur, Manifestæ turpitudinis & confessionis esse, nec iurare, nec iuramentum referre. Negativam contrà cum Panormit. *in c. fin.* 85. *Sanè n. 1.* Bartolo *in l. Bona cit.* & Ripa *in l. Admonendi cit. num. 63.* defendunt Menoch. *Lib. 1. de Præsumpt. 98. n. 2.* Mascardus *de Probat. concl. 957. n. 7.* partim; quia explorati Juris est; quòd, actore non probante, is, qui convenitur, sive reus, etsi nihil præstiterit, ac proindè nec iurârit, debeat absolvi, *l. Qui accusare 4. C. de Edendo, c. Unico, Ut Eccles. benef. & §. Sanè cit.* quod etiam ratione suadetur; quia conditio rei & possessoris, cùm actor nihil probat, deterior non est, quàm actoris, intentionem suam probantis plenè. Unde, sicut actore intentionem suam ita probante, reus ipsi condemnatur, etsi non iuret, *c. Sicut cit.* ita actore, nihil probante, reus absolvi debet, quin ad iurandum compellatur; cùm actor & reus non debeant ad imparia iudicari, *l. fin. C. de Fruct. & litis expens.* partim verò; quia actor ad iudicium accedens propriis, & non è domo rei petitis probationibus hunc debet convincere, *l. Nimis grave 7. C. de Testibus:* & omnino absurdum est, *Cùm aliam probationem omnem quis desperaverit, tum demum ad religionem* Juramenti *convolare, l. Si quis 11. pr. C. de Reb. credit.*

In hoc DD. dissidio aliquid utrique: 86. & priori quidem Opinioni id tribuendum existimo: ut, cùm actor, propriè dictâ, hoc est, ex testimoniis vel instrumentis desumptâ probatione destitutus, pro se aliquam & iudicis arbitriò non omnino levem præsumptionem habet, reum ad iurandum vel iuramentum referendum compelli

compelli posse, haud ægrè concedam: posteriori verò & reo favorabiliori, ut,
27. cùm actor neque testimoniis aut instrumentis, neque ullâ alicujus momenti præsumptione nititur, reum purè & sine juramenti, ipsi delati, præstatione & relatione censeam absolvendum, *arg. §. Sanè cit.* cùm enim, quando actor nec probationem nec præsumptionem pro se habet, reo juramentum deferre non permittatur judex, sed pro isto pronuntiare jubeatur *§. cit.* etiam juramentum huic à parte delatum non poterit approbare. Cujus ratio est; quòd in juramento tali casu delato desiderari videatur Judicium sive rationabilis causa ad juramenti honestatem requisita, *c. Etsi Christus 26.* Et profectò, si actori, nulla probatione vel præsumptione adjuto, juramenti præstationem aut relationem à reo exigere liceret, adversus injustas improborum hominum impetitiones nemo satis defenderetur; cùm ab his, aliquid petendi jure, & istius probatione destitutis, super re vel debito quocunque in judicio conveniri & ad juramentum præstandum vel referendum compelli possent, magnô rerum suarum periculô & Reipublicæ perniciosô facinorum fomentô.

Neque aliud evincit ex Exodo depromptus textus; quia continet legem Judicialem, Christi morte extinctam, nec postea suscitatam. Accedit; quòd ille & cæteri textus in contrarium allati intelligendi sint de defectu, non simpliciter omnis, sed plenæ, aut in testium atque instrumentorum fide fundatæ probationis; cùm ad id saltem imperfecta, si non ex unius testimonio vel Scriptura privata, saltem ex fama vel præsumptione aliqua proveniens probatio exigatur, præsertim in actore, qui intentionem suam probare est coactus: quod cum adversariis non paucis con[illegible], Gonzalez *in c. Sicut cit. n. 5.*

Imò etiam ab actore, cùm pro se 28.
præsumptionem habet, delatum hoc juramentum aliquando recusari potest: veluti cùm id deferens non haberet potestatem deferendi, *l. Tutor 35. §. 1.* vel ipse exactum à se juramentum Calumniæ præstare nollet, *l. Jurijurandum, 34. §. 4.* vel juramenti delationem semel factam revocâsset, *l. Si quis cit.* vel id super facto alieno ignoto, vg. procuratori aut defensori deferretur, *l. Jusjurandum cit. §. 3. ff. hîc*, aut deferretur ei, qui intentionem vel exceptionem suam plenè jam probâsset, aut ita probare esset paratus, *c. Sicut cit.* Haunold. *à n. 989.*

Necessarium juramentum est, quod 29.
in causis dubiis à judice, sive ad instantiam partis, sive ex officio, cognitâ tamen causâ, *l. in bonæ cit.* hoc est, probè consideratis personarum litigantium, causæ, sive rei in judicium deductæ, ac probationis qualitatibus & circumstantiis, actori ad victoriam, vel ad sui purgationem reo, ob inopiam sive defectum plenæ probationis defertur. Unde etiam juramentum Suppletorium vocatur. Necessarium autem dicitur partim; quòd judex causam aliquando aliter nequeat definire; & propterea ad juramentum, tanquam maximum & ultimum litium expediendarum remedium, recurrere cogatur, *l. cit.* partim; quòd à parte, cui delatum est, necessariò sit subeundum, *cit. c. fin. pr. & l. Generaliter cit.* §. 2. Unde

Dubium oritur primò, an ergo ju- 30.
ramentum hoc nequeat referri vel recusari. Communis DD. sensus est, non posse, nisi ex justa causa: & aliter recusantem pro convicto, imò confesso habendum, *l. Manifestæ cit.* ac proinde reum vel condemnandum, si ipse: vel, si actor juramentum hoc à judice delatum sine justa causa recuset, absolvendum, juxta *cit. l. Jusjurandum 34. §. 6.* cùm tali casu id

recusandi causa unica esse præsumatur metus perjurii, Gonzalez *in c. fin. cit. pr. n. 2.* Causæ autem, ex quibus juramentum hoc recusari justè potest, eædem fermè sunt, ex quibus recusari potest Judiciale, ut cum Panormit. *in c. cit. n. 5.* notat Haunold. *cit. Tract. 4. n. 1028.* Unde

31. Dubium alterum oritur, an ergo ad probationis suæ confirmationem deferri nequeat ei, qui intentionem suam plenè probavit. Ratio dubitandi desumitur à paritate Juramenti Calumniæ: quod actori, intentionis suæ plenam probationem afferenti, deferri potest in quacunque judicii parte, *c. 1. pr. de Juramento calumn. in 6.* Sed ratio hæc parùm urget: cùm; quia, plena probatione jam allatâ, etiam huic juramento locum non esse, non pauci volunt cùm Felino *in c. Sicut 2. de Probat. num. 2.* & Jasone *in l. Admonendi cit. n. 44.* tum verò; quia alia hujus juramenti ratio est; cùm non, ut Suppletorium, præstetur in vim probationis, sed ad removendam tantùm calumniam: quæ ab actore inferretur, si testes, aut instrumenta, quibus ejus intentio probaretur, essent falsa, Gonzalez *in c. Sicut. cit. n. 9.* Quare hæc ratio non obstat recusationi juramenti, quod ad plenæ probationis confirmationem exigeretur: imò, intentionis plena probatione jam allatâ, id exigi ampliùs non posse, *c. Sicut cit.* clarè decisum est ab Alexandro III. ipsam etiam Consuetudinem, quâ ejus exactio & præstatio niteretur, tanquam irrationabilem reprobante; quòd, re plenè probatâ, nulla justa causa sit juramentum exigendi: sine justa causa autem jurare, aut juramentum exigere, illicitum sit ac perniciosum, *can. Ita ergo, 22. q. 1. & c. Etsi Christus cit.* ut *in c. Sicut cit.* cùm Hostiensi *n. 4.* Baldo *n. 2.* & aliis Interpp. notant Fagnanus & Gonzalez uterque *n. 8.*

Multò minùs, quàm ad plenæ probationis confirmationem exigi, aut admitti contra illam potest juramentum, per textum *c. Ad nostram 12. de Probat.* ubi statutum & Consuetudo contraria, tanquam corruptela reprobatur, partim; quia præbet occasionem multis perjuriis; cùm non pauci reperiantur, qui ad criminum pœnas & infamiam declinandam falsò juramentò se purgare non vererentur: partim verò; quia facinorosi homines indè invitarentur ad delinquendum, & in scelera facilè prolaberentur spe impunitatis, periurii ope facilè obtinendæ, Panormit. *in c. cit. n. 4. & ibi* Barbosa *n. 4.* 30.

Dubium tertiò, & olim hodiéque 32. agitata quæstio est, utri ex litigantibus Necessarium hoc seu Suppletorium juramentum sit deferendum. Sunt enim DD. qui actori, &, qui reo id deferendum asserant: quorum tamen illi & hi, si alteri soli deferendum velint, indubitatè refelluntur; cùm id reo ad sui purgationem ex *l. Admonendi cit.* actori in supplementum probationis ad victoriâ deferri possit, apertè colligatur ex *l. In bona cit.* & argà contrario ducto ex *c. Sicut cit.* ubi huic juramentum deferri solùm prohibetur, cùm intentionem suam plenè probavit. Imò id aliquando reo, vel actori deferri, §. *Sanè cit.* disertè traditur à Gregorio IX. ita rescribente, *Præsumptione faciente pro illo,* sive Actore, *reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum: nisi judex* (inspectis personarum & causæ circumstantiis) *illud actori videat deferendum.* Quare hoc textu permoti alii, licet cæteris paribus actori præferant reum; quòd istius causa favorabilior, *l. 125. ff. de R. J.* & Jura proniora sint ad absolvendum, quàm ad condemnandum, *c. Ex literis 3. de Probat. & l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* rem tamen judicis arbitrio sic relinquunt; ut, cui in particula-

particulari casu deferendum sit, ex causæ, personarum, aliisque circumstantiis desumat: quibuscum res declaratur exemplis.

34. Sic enim primò, si actor intentionem suam semiplenè, vg. per unum testem, scripturam privatam, aut probabilem præsumptionem, reus verò nihil probavit, juramentum deferendum est actori; quia *c. fin. cit.* asseritur, à judice, spectatis circumstantiis, id aliquando actori deferendum. Vix autem major est circumstantia, quâ moveri judex posset ad id huic deferendum, quàm casu, quò ipse semiplenè, reus verò nihil probavit; quia semiplena probatio inducit judicem ad opinandum, meliorem esse causam actoris, quàm rei; cùm pro illo, quòd de jure suo ex parte docuerit, major præsumptio sit, quàm pro reo, qui negativam suam nullo adminiculo probabilem reddit, ut probè advertit Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 18.* & ante eum Menoch. *de Arbitr. casu 190. n. 2. & 20.* Unde Axioma, quòd actore non probante, reus sit absolvendus, de illo nihil probante intelligendum, iidem monent.

35. Secundò, si verò semiplena probatio allata sit ab utroque, juramentum deferendum reo, arg. *§. Sanè & l. Admonendi cit.* iidem docent: nisi actoris probatio, propter dignitatem aut integritatem personæ &c. dignior foret; tali enim casu id huic deferendum, idem censet cum *cit.* Menoch. *n. 19.* cui addi potest casus, quò reus, id actori potiùs, quam sibi deferri, peteret, aut pateretur.

Tertiò, si actor intentionem suam vg. mutuum certò locò & tempore datum plenè, vg. per duos testes: reus verò suam negationem semiplenè vg. quòd eo tempore alibi fuerit, ac proinde mutuum accipere non potuerit, semiplenè vg. per unum testem probavit, juramentum actori deferendum, aliqui volunt; quòd plena probatio actoris causam reddat probatiorem, arg. *c. Licet 9. de Probat.* At meliùs juramento tali casu locum non esse: sed reum actori condemnandum, docent Panormit. *in §. Sanè cit. n. 10.* & Speculat. *Tit. de Juram. delat. §. 1. num. 10.* quòd plena probatio semiplenam elidat & absumat.

Aliter res se habet, cùm actor intentionem suam, puta mutuum datum, plenè: reus verò, non negationem, sive mutuum non datum, sed solummodo illi oppositam exceptionem solutionis, semiplenè probavit; hôc enim casu juramentum non illi ad confirmationem intentionis suæ, plenè jam probatæ, arg. *c. Sicut cit.* sed reo ad supplendum plenæ probationis defectum deferendum, iidem docent; quòd reus exceptionem suam probans, se habeat instar actoris: cui semiplenè probanti defertur juramentum, quando adversarius, ut in proposito casu, contra exceptionem actor, mutuum, non etiam solutionis negationem probans, nihil probat.

Dubium quartò est de causis, in quibus juramento Suppletorio est locus. Qua in re Regula quidem est, id de genere permissorum; ac proinde generaliter in quavis causa deferri posse, *l. Ait Prætor 3. §. 1. ff. hic & l. In bonæ cit.* Sed, ut aliæ pleræque, ita hæc quoq; Regula suas patitur exceptiones; cùm juramento illi locus non sit 36.

Primò in causis Criminalibus, vindictam publicam, & præsertim pœnam corporalem, spectantibus: in quibus, licet ad sui purgationem & innocentiam ostendendam reo, semiplena probatione gravato, saltem, quando torqueri non potest, deferri valeat & soleat, teste Claro *§. fin. q. 63. num. 4.* nunquam tamen ad plenæ probationis defectum supplendum

defertur

defertur actori; cùm ad rei condemnationem exigatur, ut sit confessus aut convictus, *l. Qui sententiam 16. C. de Pœnis:* non quomodocunque, sed probationibus omnino indubitatis & luce clarioribus, *l. fin. C. de Probat.* cujusmodi probatio non est, quæ juramenti accessione suppletur, Menoch. *de Arbitr. casu 464. n. 2.* Pacianus *de Probat. Lib. 1 cap. 39. n. 11.* & *cit.* Fachineus *cap. 15. Criminaliter*, inquam, & *Ad pœnam corporalem.*

37. Prius; quia, cùm reus super crimine solùm civiliter convenitur: & actor intentionem suam probavit plus quàm semiplenè, id à judice aliquando huic, sed personæ honestate probitatéque, causæ qualitate & aliis circumstantiis probè consideratis, deferri posse, advertit *cit.* Menoch. *n. 6.* junctô *num. 10.* & Fachineus *l. cit.* ubi *l. In bonæ cit.* verba *Et in cæteris causis*, ad pecuniarias & civiles actiones restringenda: & de iisdem super crimine intentatis intelligendos, docet textus *l. Ait Prætor 3. §. 1. cit. & c. fin. hic.*

Posterius; quia etiam, cùm reus criminaliter, sed ad pœnam solùm pecuniariam convenitur, accusatori crimen plus quàm semiplenè, vg. per duos testes, unum omni exceptione majorem, alterum suspectum, probanti, ad perficiendam probationem juramentum deferri posse, cum Jasone *in Repet. l. Admonendi cit. n. 25.* vult Clarus *cit. q. 63. n. 3.* Hoc tamen negat *cit.* Menoch. *n. 3.* propter textus *can. Sciant 2. q. 8. & l. fin. cit.* cùm de crimine ad pœnam agitur, evidentes probationes indiscriminatim exigentes.

38. Secundò, in causis Civilibus, & Criminalibus civiliter intentatis, si sint Famosæ, hoc est, in quibus condemnatus fit infamis, vg. in causa furti, injuriarum, usurarum; quia infamia est malum civile gravissimum & ipsi bonorum, imò vitæ, jacturæ propinquum, *l. Justa 9. pr. ff. de Manumiss. vindict.* Barbosa *in c. Sicut cit. n. 48.* Reo tamen, quando actor semiplenè probavit, in sui purgationem juramentum deferri potest, *c. fin.* ubi huic delatum referri non permittitur: & *l. Furti 6. §. 4. ff. de His, qui not. infam.* Bruneman. *in hanc l. n. 6.*

Tertiò, in aliis causis Civilibus valde arduis; cujusmodi, etsi Seraph. apud *cit.* Barbosam *n. 45.* esse censeat, in quibus reus omnium vel majoris partis bonorum jacturam pateretur: alii tamen, quæ arduæ, magnæ, aut modicæ sint, Judicis, personarum qualitatem æstimantis, arbitrio relinquunt cum *cit.* Menochio *Casu 190. n. 18.*

Quartò, in causis Matrimonialibus 39. quia valde graves & arduæ sunt, arg. *c. fin. de Procurat. in 6.* & quoad probationem Criminalibus accensentur, saltem, cùm agitur ad matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti, dissolutionem: partim; quòd tales causæ quodammodo statum hominis concernant; cùm matrimonium, ob individuam vitæ societatem & potestatem unius conjugis in corpus alterius, speciem quandam referat servitutis: partim propter maximum præjudicium, non solùm ipsorum contrahentium, sed ipsius etiam Sacramenti, Panormit. *in c. Mulieri 34. n. 6.* Gaill. *Lib. 2. observat. 94. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 93.*

Neque obstat decisio, *c. Mulieri cit.* quia juramentum *in c. cit.* casu pro, non contra valorem matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti, præstitum fuit. Pro matrimonio autem id deferri posse, *in c. Vidua 4. de Regular.* cum Archidiacono & aliis notat Barbosa *in Select. in c. Vidua cit. n. 4.* Cui responsioni non adversatur; quòd *c. Attestationes 10. de Desponsat. impub.* juramentum etiam contra ma-

tra matrimonium sit receptum; quia matrimonium, contra quod juramentum receptum, textu illo perhibetur, ætate ad id contrahendum, habili contractum aliquando fuisse, non constabat: quô casu, præsumptione contra reum pugnante, ipsi juramentum Purgationis deferri posse, notat Panormit. *in c. Mulieri cit. n. 6.*

Sunt, qui cum Seraphino *de Privileg. Juram. cap. 33. n. 113.* hac in re id, quod de matrimonio dictum est, etiam in sponsalibus obtinere, velint, *arg. l. Oratio 16. ff. de Sponsal.* Verùm; quia ex una, istius textûs dispositioni locus solummodo est, quando eadem sponsaliorum, quæ matrimonii ratio est: ex altera verò parte ratio, ob quam, cùm de matrimonio dissolvendo agitur, juramentum Suppletorium non admittitur, in sponsalibus non procedit; cùm istius dissolutio obnoxia non sit incommodis & periculis, quæ ex matrimonii dissolutione timentur, & gravissima sunt, ad decisionem litis & probationem perficiendam juramentum contra sponsalia potuerit deferri, ut, allegatâ Curiarum Ecclesiasticarum praxi, docet Gobat. *Experient. Theolog. Tract. 10. num. 76.*

40. Quintò, eidem juramento Suppletorio locus non est in causis Matrimonii spiritualis seu Religiosæ Professionis: in Beneficialibus, cùm super ipso beneficio, non ejus duntaxat fructibus, litigatur: in Feudalibus & Statûs personæ, cùm, an quis filius, legitimus &c. sit, quæstio est; quia censentur causæ arduæ, in quibus plenæ probationis defectus juramentô non suppletur, Mascard. *de Probat. conclus. 956. n. 43.*

41. Sextò, in causis, in quibus ad fundandam intentionem actoris legitimæ, liquidæ, evidentes, apertissimæ, omnino indubitatæ, luce clariores probationes lege vel statuto exiguntur, Jason *in Repet. l. Admonendi cit. n. 282.* & Mascard. *l. cit. n. 44.* quia hujusmodi lex aut statutum exigere videtur probationes, quales *l. fin. C. de Probat.* ad condemnationem rei ad pœnam requiruntur. Ejusmodi autem causas cum *citt.* DD. plures referunt Barbosa *in c. Sicut 2. de Probat. à n. 17.* Berlich. *Practic. p. 1. conclus. 54. à n. 3.* qui tamen in relatis & similibus causis omnibus non tantùm ad sui purgationem reo, sed etiam actori ad victoriam juramentum deferri posse, censet, quoties iste intentionem suam plus, quàm semiplenè probat, & semiplena ejus probatio aliis adminiculis & præsumptionibus adjuvatur. Cujus Regulæ generalitatem nullo Jure niti; imò *l. Qui sententiam & l. fin. citt.* aliisque textibus adversari, existimat Haunold. *cit. Tract. 4. n. 1051.* Hactenus de Assertorio.

ARTICULUS IV.

De Juramento Promissorio Invalido.

SUMMARIUM.

42. *Juramentum obligationem inducit & firmat:*
43. *Nisi contra bonos mores præstitum,*
44. *Aut vinculum sit iniquitatis.*
45. *Obligat, quô res indifferens, non Deo,*
46. *Sed homini est promissa.*
47. *Non obligat, quod de homicidio, furto &c.*
48. *De facto Pietati vel Religioni contrario:*
49. *De non repetendis rebus Ecclesiæ,*
50. *Vel Principatûs malè alienatis:*
51. *Vel in Prælatura præjudicium ante Electionem præstitum est:*
52. *Quô cessio beneficii, necessaria ad sustentationem:*

53. *Nova pensio de beneficio aut veteris auctio,*
54. *Rei prohibitæ alienatio,*
55. *Aut in superioris præjudicium aliquid est promissum:*
56. *Quò remittitur Actio doli, furti &c.*
57. *Vel accusatio adulterii committendi.*
58. *Non demum Deo præstitum de minori bono.*

42. PRomissorii Juramenti duo præcipuè sunt effectus. Unus est obligatio implendi, quod eô est promissum. Alter vis confirmandi promissiones, quibus adjicitur, sive ex iis ortam obligationem roborandi. Hos tamen effectus non indiscriminatim omnia, sed solummodo validè edita, juramenta inducunt. Quæ autem hujusmodi, aut invalida sint, tres Regulæ, duæ Negativæ *præsenti*: una Affirmativa *Sequenti Art.* declarandæ planum reddent.

43. Prima, Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum, quæ est *58.* ex traditis à Bonifacio VIII. *in 6.* Contra bonos mores autem præstitum censetur juramentum Imprimis, si contineat turpitudinem ex parte objecti; quòd hoc Jure Naturali, Divino aut etiam Canonico absolutè prohibitum sit. Imò etiam, si objectum immediatè propter bonum publicum, ut vg. frumenti, aliarúmque mercium exportatio, certorum armorum gestatio &c. prohibitum sit lege solummodo Civili; cùm enim obligatorium non sit juramentum, quod præjudicat alicui tertio privato, ut paulò post dicetur, multò minùs obligabit, quod in Reipublicæ præjudicium immediatè cedit, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis*, Covarruv. *in c. Quamvis 2. de Pactis in pr. & §. 1. n. 1.* Suarez *Lib. 2. de Juramento. cap. 20. n. 2. cap. 26. num. 4.* & Palao *Tract. 14. disp. 2. p. 8. n. 2.*

De iis, quibus promittitur, quod hujusmodi lege, civium privatum bonum immediatè spectante, prohibetur, utuntur DD. distinctionibus: præ quibus mihi placet doctrina *cit.* Palao *p. 8. num. 7.* pro irrito habentis juramentum quodcunque, si eo promittatur, quod justa lege quacunque, etiam Civili, prohibetur, propter textus *l. Juris gentium 7. §. 16. ff. de Pactis & l. Non dubium 5. C. de LL.* quibus disertè asseritur, cùm pactum vel alius actus lege prohibitus est, juramentum ei adjectum non tenere, aut esse servandum. Ratio est partim, quia tale juramentum, si valeret, esset vinculum iniquitatis; obligaret enim ad impossibile, hôc ipsô; quòd obligaret ad actum, qui licitè & Jure fieri non potest, Textus & Glossa *in can. Faciat. 22. q. 2.* partim verò; quia, hôc ipsô, quòd adversetur legi, adversatur publicæ ordinationi & Juri, cui privatorum pactionibus nequit derogari, *c. Si diligenti & l. Jus publicum citt.*

Deinde contra bonos mores præstitum censetur juramentum, si invitet ad liberiùs delinquendum, criminum vg. impunitatem promittendô; quia adversatur communi bono Reipublicæ, cujus interest, delicta non manere impunita, *c. Ut famæ 35. de Sent. Excom. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* & pœnam timeri, *l. Si unus 27. §. 4. ff. de Pactis*, Suarez *cap. 17. n. 20.*

Altera, ab Innocentio III. *c. Quanto 18.* imò jam à S. Augustino *can. Intercætera, 22. q. 4.* tradita Regula est, Juramentum non est institutum, ut esset vinculum iniquitatis. Hujusmodi autem vinculum, si obligarent, inducerent juramenta, quibus aliquid contrarium bonis moribus

moribus, vel redundans in præjudicium tertii, arg. à contrario desumpto ex verbis, *Cùm in alterius præjudicium non redundet, c. Cùm contingat 28. hîc & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* vel impossibile promitteretur; cùm impossibilium nulla obligatio sit, ut habet *Reg. 185. ff.* eique consona *Reg. Nemo 6. in 6.* & propterea juramento tacitè insit conditio, *Si potuero, c. Querelam* 10. ibi, *Si non necessitate sed voluntate*: &, *Si licitè potuero, c. Quintavallis* 23. Glossa *in can. Faciat cit. & cit.* Suarez *cap. 34. n. 2.*

45. Dubium est de obligatione juramenti, præstiti de re, bona quidem, sed majoris boni impeditiva: in quo à DD. passim recepta & rationi consentanea est distinctio; vel enim, inquiunt, ejusmodi res juratô promittitur Deo, vel homini, sive, ut ferè loquuntur, ad honorem & cultum Dei, sive in gratiam & favorem alicujus hominis? Si prius, de ea, uti & de re omnino indifferente, hoc est, neque ex se, neque ex fine aut aliis circumstantiis ullam utilitatem afferente, præstitum non obligat; quia juramentum Deo factum habet rationem voti, quod est promissio de meliori bono, hoc est, de re non solùm honesta & utili, sed majoris boni non impeditiva, S. Thomas 2. 2.

46 *q. 88. art. 1.* Si posterius, ab homine, in cujus gratiam præstatur, acceptatum obligationem inducit; quia generaliter omne juramentum homini præstitum servandum est, si non vergat in dispendium salutis, nec in alterius præjudicium redundet; *c. Cùm contingat & c. Quamvis cit.* Ratio disparitatis est; quia ex una, generaliter, sicut simplex, sic etiam jurata promissio, ut obliget, à promissario, sive eo, cui fit, debet acceptari, ut dictum est, *Lib. 1. Tit. 35. n. 13.* ex altera verò parte, Deus, propter suæ voluntatis summam rectitudinem minus bonum præ majori, sive meliori sibique gratiori non acceptat: quod tamen sæpe acceptat, & majori bono minus præfert homo, Navarrus *Manual. cap. 12. n. 16. citt.* Suarez *cap. 12. àn. 10.* & Palao *p. 6. n. 4.*

Ex hactenus declaratis duabus Regulis infertur, obligatoria non esse juramenta,

Primò; quibus furtum, homicidium, vindicta privata sumenda de inimico, comestio carnis die Veneris, transgressio alicujus Regulæ Ordinis & similia promittuntur; cùm enim hæ & similes actiones aliæ Naturali, Divinâ, aut Ecclesiasticâ lege sint prohibitæ, juramenta, quibus promittuntur, contra bonos mores & vincula sunt iniquitatis, *citt.* Suarez *cap. 15. n. 1.* & Palao *p. 8. n. 1.* 47.

Secundò, quô filius, se parentes domô ejecturum, iis non locuturum, alimenta aliáque vitæ subsidia non ministraturum, *can. Inter cætera cit. & c. Cùm quidam 12. §. Illi verò*, &, quô Religiosus, in suæ Professionis Monasterio vel Religione se non ampliùs moraturum, jurant, *c. Sicut 13.* quia juramenta hæc sunt de re illicita; cùm illud pietatis officio, istud obligationi ex Professione ortæ adversetur. Neque obstat; quòd ita jurans §. *Illi cit.* dicatur absolvendus; quia textus iste exaudiendus est de absolutione, non dissolutiva alicujus vinculi, juramenti valorem & obligationem supponente, sed declaratoriâ nullitatis, ut cum Panormit. *in c. Cùm quidam cit. n. 6.* advertunt *cit.* Suarez *n. 8.* & Barbosa *in c. cit. n. 5.* 48.

Tertiò, quô Prælatus res, sive bona suæ Ecclesiæ, per vim aut aliàs injustè ablata, vel malè alienata, se non repetiturum, pollicetur, *c. Pervenit 2.* quô etiam textu absolutionem, quæ à juramento indulta est Episcopo, solummodo interpretativam & nullitatis declarativam fuisse, cum Glossa *fin.* notant *cit.* Suarez *n. 8.* Sanchez *Lib.* 49.

3. *Moral. cap. 9. n. 13.* quia juramentum est de re illicita & contraria obligationi, Prælato impositæ à Sacris Canonibus, *can. Si qua, 12. q. 2. & c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.*

Eadem ferè ratio est Regis, bona & 50. jura, ad Coronam, ut loquuntur, seu Regnum & Dignitatem Regiam spectantia & alienata, se non revocaturum, jurantis, *c. Intellecto 33.* cùm enim non propria ipsius Regis, sed ad regnum & regiam dignitatem pertinentia & in ista successoribus reservanda sint, ea liberè alienandi potestatem Rex non habet: & cum Regni suæque dignitatis detrimento alienata revocare ex justitia tenetur; ut proinde de iis non revocandis præstitum juramentum de re illicita, ac proinde irritum sit, Panormit. *in c. cit. n. 4. & cit.* Suarez *cap. 30. n. 9.*

51. Quartò, quò idem Prælatus ante suam electionem, in præmisso de hac Tractatu, aliquid promittit in damnum vel præjudicium dignitatis, potestatis aut mensæ Episcopalis, vg. quò Episcopo à Jure concessa facultas, aut Episcopales reditus diminuuntur, ut *in c. Sicut 27.* cum Glossa *V. Reducat*, Panormit. *n. 1.* Baldo *n. 1.* & cæteris Interpp tradunt Sylvester *V. Juramentum 4. q. 15.* Pavinus *de Potest. Capitali Stole vac. p. 1. pr. q. 6. n. 8. & 9.* Flaminius *de Resignat. Benef. Lib. 3. q. 18. n. 101.* & alii, nemine dissentiente, propter claram decisionem Innocentii III. *c. Sicut cit.* ejusmodi juramentum pertinrium eò sensu pronuntiantis; quòd incautè & indebitè præstitum sit, & deficiat in Judicio ac Justitia, ad Iuramentum requisitis, *can. Animadvertendum, 22. q. 3. & c. Etsi Christus 28.* juxta dicta *n. 13.* Decisione non minùs clara est ratio nullitatis; quia ejusmodi juramentum à Prælato ante suam promotionem, dum adhuc canonicus esset, præstitum, de re illicita eò ipsò est; quòd tendat in præjudicium dignitatis & potestatis; quod huic, Sede vacante, inferri prohibent Rubrica & textus *Ne Sede vacante aliquid innovetur:* & ad diminutionem rerum jurisque ad hanc pertinentium, quæ illæsa conservare & non deteriorare Prælatus ex officio tenetur, *can. Si qua, c. Si quis cit. & c. Nulli 5. de Reb. Eccles. alien.* Imò hoc juramentum expressè advertitur alteri, quò Episcopus postea in sua Consecratione rerum, ad mensam suam pertinentiū, conservationem vindicationémque promittit: &, si ad aliquam earum alienationem, inconsultò Papâ, devenerit, ad subeundas gravissimas pœnas, *Extravag. Ambitiosa de Reb. Eccles. alien.* expressas, se adstringit, ut in Pontificali Romano *Tit. de Consecrat. Episcopi & de Benedict. Abbat.* refertur.

Quare hujusmodi Prælatus, quæ ante electionem ut canonicus concessit, vel ita promisit, revocare, eisque contravenire ut Episcopus potest, arg. *c. Si quis cit.* ubi, quæ ad Episcopatum jam promotus in Ecclesiæ suæ præjudicium fecit, non obstante ea non revocandi juramentò, revocare liberè potest, ut *in c. cit.* cum Glossa *V. Alienatas*, & Panormit. *n. 7.* notat Barbosa *n. 8.* Quantò magis contravenire poterit iis, quæ ante suam promotionem & ut canonicus concessit vel promisit; cùm per electionem ejus status mutatus, & ex Canonico Episcopus, & quodammodo novus homo sit factus, ut *in c. cit.* advertit Baldus *n. 4.* & in simili de Cardinale, ad summum Pontificatum evecto, cum ipso docent Card. Jacobat. *de Concilio Lib. 1. cap. 5. num. 22.* & Flamin. *cit. q. 18. n. 101.*

Quintò, quò clericus ad congruam & stabilem sustentationem necessariis ab unde destitutus beneficium vel patrimonium, aut ad hoc constitutum procurationem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

totem se non revocaturũ, pollicetur; cùm de re, à S. Synodo Tridentina prohibita, ac proinde illicita sit, Garcias *de Benefic. p. 2. cap. 5. n. 232.* Flamin. *cit. Lib. 2. q. 6. n. 43.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 19. n. 46.* id firmantes S. Congregat. declarat.

53. Sextò, quô ad beneficium Ecclesiasticum præsentatus novi censûs vel pensionis solutionem, vel ab antiquo debiti & præstari soliti censûs auctionem, aut aliquid præter pensionem præstandum, pollicetur, *c. Tua 11. hîc, & c. Gravis 15. de Censibus*; quia hujusmodi censûs auctio, istiúsque promissio prohibitæ sunt à Concilio Lateranensi, *c. cit. & c. Prohibemus 7. de Censibus*, quòd per eam Ecclesiæ præjudicetur, Glossa *in c. Tua cit. V. Pro perjurio.* Imò, si promissio censûs vel auctionis ante præsentationem, & pro hac obtinenda fieret, ipsa & præsentatio Simoniacæ forent, *c. Clerici 6. de Pactis:* &, sicut ista, ipsa quoque cum ei roborandæ adjecto juramento irrita esset, Panorm. *in c. Tua cit. n. 3.* & *ibi* Laiman. *n. 2.*

Neque de novo censu imponendo, aut vetere augendo præstitum juramentum de Jure subsistere, rectè aliqui desumunt ex eo; quòd *c. cit.* clerici, id præstitum non adimplentes, ut perjuri habeantur ac puniantur; quia pro talibus habentur ac puniuntur, non ratione juratæ hujusmodi promissionis non adimpletæ, sive novi censûs vel augmenti non soluti: sed; quòd, cùm hæc seriò promisisse, & pensionem vel augmentum præstandi voluntatem habere præsumantur, tamen postea coram Episcopo, se novum censum non imposituros, & veterem, contrà quàm promiserunt & faciendi voluntatem habere præsumuntur, non aucturos jurent, itáque mendacium juramentô confirmare videantur, Laiman. *cit. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 32.* qui tamen rectè observant casu, quô juramenti priùs editi nullitate cognitâ, ídque implendi voluntate depositâ, contrarium sive, se pensionem non impositurũ vel auctuũ, coram Episcopo jurat, ídque legitimè clericus ostendit, ita jurandô perjurii pœnis obnoxium non fore.

54. Septimò, juramenta, quæ minor de re immobili sine authoritate tutoris vel decreto judicis alienanda, filia de paternæ hæreditatis renuntiatione facienda & similes præstant; quia sunt de re, sive actibus Jure prohibitis, *l. Non solum 4. l. Si ad resolvendum 7. C. de Prad. minor.* & de non observanda in iis forma Jure præscripta. Neque obstat; quòd obligatoria sint juramenta, de ejusmodi alienatione, renuntiatione &c. non revocanda; quia has revocare minor & filiafamilias legibus permittuntur quidem, sed non jubentur; ac proinde revocationis omissio prohibita & illicita non est, Palao *cit. p. 8. num. 7.*

55. Octavò, juramentum Fidelitatis & Obedientiæ præstitum alteri, quàm legitimo superiori, aut, cui id præstari debet, *c. Ea te 22.* cùm enim hujusmodi juramentum in alterius sive superioris præjudicium cedat, tanquam iniquitatis vinculum, obligatorium esse non potest, *arg. c. Quamvis & c. Cùm contingat citt.* Panormit. *in c. Ea te cit. n. 3.* & *cit.* Suarez *cap. 34. n. 5.*

56. Nonò, juramentum, quô œconomo doli in administratione, aut furti committendi, vel injuriæ inferendæ actio alii remittitur, *l. Si unus cit. §. 3. & 4.* &, quod conjugum unus alteri de eo, super futuro adulterio non conveniendo, præstat. *Futuro*, inquam; quia, sicut doli aut furti jam commissi & injuriæ jam illatæ actio, *cit. §. 4. V. Sed post*, ita etiam adulterii jam perpetrati accusatio conjugi simpliciter & cum juramento remitti potest

saltem, si resipiscat & de facienda denuntiatione non urgeat præceptum superioris; quia injuriam adulteriô sibi illatam conjugi remittere conjux potest, *can. Idolatria 5. pr. 28. q. 1.*

57. De adulterio etiam primùm committendo plurium DD. calculis approbata distinctio est inter actionem Criminalem & Civilem; ut, licet conjux vi ejusmodi juramenti de adulterio postea commisso civiliter, hoc est, ad divortium & alios effectus, commodum eius proprium spectantes, agere non possit, ei tamen permissa sit actio Criminalis, sive accusatio tendens ad vindictam publicam, & denuntiatio ad pœnitentiam agendam: quod Panormit. *in c. Quemadmodum 25. §. Illud, n. 14. cit.* Suarez *cap. 17. n. 22.* & duo Barbosæ Petrus *in l. Soluto 2. pr. ff. Soluto matr. p. 1. n. 106.* August. *in c. & §. cit. n. 13* colligunt ex §. *cit.* in cuius fine laudatus Innocentius III. ita iuranti satiùs esse ait, ut Religione iuramenti ab actione ad divortium desistat: quamvis coniugem valeat accusare, vel ad pœnitentiam denuntiare. Ratio prioris partis est; quia actio civilis tendit ad proprium interesse, cui maritus potest renuntiare, *arg. l. Si judex 41. ff. de Minorib. & l. Si quis 29. C. de Pactis*: posterioris autem partim; quia Reipublicæ interest, ne delicta maneant impunita, *c. Ut fama. & l. Ita vulneratus citt.* partim verò; quia tale iuramentum, si obligaret ad abstinendum ab accusatione vel denuntiatione, invitaret ad liberiùs peccandum spe impunitatis; ac proinde, tanquam bonis moribus contrarium, subsistere nequit, *arg. c. Quantò, & Reg. non est, citt.*

Neque obstat; quòd coniugem ad liberiùs peccandum etiam invitet an ecedens remissio actionis seu conventionis Civilis, ut cum Anguiano *de LL. Lib. 2. controvers. 21. à n. 18.* advertit Barbosa §. *cit. n. 5. in Selectis*; quia ab adulterio adhuc satis absterretur; quòd ad vindictam publicam accusari, vel denuntiari ad pœnitentiam possit. Quæ responsio & doctrina, licet passim à DD. approbetur, dici tamen etiam posse videtur, huiusmodi iuramentô non obstante, utramque actionem iuranti permissam. Quòd autem *c. cit.* asseratur, tutiùs esse viro, ut civiliter agere desistat, ideo solùm dicit, quòd maritus, licet civiliter etiam & ad divortium agere possit, tamen à conscientiæ scrupulis & periculo scandali remotior sit futurus, si à Civili actione abstineat, & denuntiatione solùm Evangelicâ, utatur ad correctionem: quam iuramentum de non accusando (cùm strictè interpretandum sit) non includit.

Decimò iuramentum, quod de Matrimoniali statu assumendo præstatur Deo; quia non est de meliori bono, cùm matrimonium consummatum impediat liberam electionem statûs Religiosi vel Clericalis: quorum uterque perfectior, Deóque gratior est, quàm conjugalis. Unde, huiusmodi iuramentô non obstante, susceptio Ordinis sacri & Religionis ingressus permissus est. Imò Religiosæ Professioni non obstant sponsalia iurata, sive iuramentum de coniugio ineundo præstitum homini; cùm, sicut simpliciter initis, sic etiam iuratis sponsalibus inest tacita conditio, *Nisi ingrediar & profitear Religionem*; quia talis conditio ex dispositione Juris inest ipsi matrimonio Rato, ut colligitur *ex c. Verum 2. & c. Ex publico 7. de Convers. conjug.* & cum Interpp. *ibi* tradunt Covarruvias *p. 1. de Sponsal. cap. 5. pr. n. 11.* Alexand. Caret, *Lib. 1. de Sponsal. cap. 15.* Sotus *in 4. d. 37. q. 2. art. 5.* & aliis DD. relatis Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 43 n. 3.*

ART. CII.

ARTICULUS V.

De Juramento Promissorio Valido.

SUMMARIUM.

59. *Servandum est, quod servari sine peccato & tertij præjudicio potest:*
60. *Licet jurans non habuerit animum id implendi.*
61. *Non etiam, quod sine jurandi,*
62. *Vel se obligandi animo præstitum est.*
63. *Non obligat simplex:*
64. *Obligat tamen jurata promissio usurarum,*
65. *Et lytri solvendi prædoni,*
66. *Ex virtute Religionis.*
67. *Usuræ tamen & lytrum soluta repeti possunt.*
68. *Juramentum metu extortum secundùm aliquos non valet,*
69. *Verùs omni Jure subsistit:*
70. *Nisi sit de re illicita,*
71. *De re etiam licita metu præstitum facilè relaxatur.*
72. *Errore vel dolô præstitum nullum, si illi circa substantiam:*
73. *Validum est, si circa qualitatem versentur.*

59. TErtia, eáque Affirmativa de Juramento Promissorio, ab Innocentio III. *c. Cùm contingat 28.* tradita, atque à Bonifacio VIII. *c. Licet 2. hic in 6. & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* confirmata Regula est, Omne iuramentum servandum est, quod non vergit in dispendium salutis æternæ, & in præiudicium tertii non redundat; ut, licet rei licitæ & honestæ promissio, eique adiecti iuramenti præstatio, propter defectum, vg. iustæ causæ, necessitatis, aut utilitatis, illicita, & cum peccato coniuncta fuerit, opere tamen adimplendum sit, quod eô est promissum: &, licet promissio simplex ex Juris dispositione obligationem non pariat, hanc tamen aliquando inducat &, cùm sine peccato potest, implendum sit ei adjectum juramentum, quod à Jure non est irritatum. Ratio est, quia Religio sive Divini Numinis supremæ Majestati debita reverentia exigit; ut, quod, invocato ejus Nomine & authoritate interpositâ, promissum est, opere impleatur, juxta illud, *Reddas Domino juramenta tua* Matth. *cap. 5. V. 33.* ne ejus nomen & authoritas in vanum sint assumpta, contra Præceptum Exodi *cap. 20. V. 19.* Panormit. *in c. 1. n. 3.* Suarez *Lib. 2. de Jurament. cap. 4. n. 1.* & Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. & n. 9.* Hæc satis certa

Dubium autem primò est, de obligatione juramenti, de re licita quidem, sed fictè præstiti. Quod tribus ferè modis accidere potest, jurandô scilicet vel sine animo juramentum implendi: vel sine animo jurandi, hoc est, juramentum verbis tantùm externis proferendô: vel demum sine animo se obligandi. 60.

Primô modô, sive absque animo id, quod promittitur, implendi editum juramentum esse obligatorium, licet non defuerint, qui negarent, communis tamen DD. sententia rectè affirmat; quòd tam promissio, quàm Dei in ejus testem invocatio, quæ juramentum promissorium & obligatorium constituunt, dari possint sine intentione executionis, imò cum istius omittendæ intentione, *citt.* Suarez *cap. 7. n. 21.* & Sanchez *cap. 10. n. 5,*

Alterô modô, sive absque animo & intentione jurandi, hoc est, Deum in testem invocandi, verbis duntaxat externis editum juramentum perinde ut, quod verô jurandi animô prolatum est, obligare, clarè tradi videtur verbis, *Quacunque arte ver-* 61.

arte verborum quis jurat, Deus, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit: quæ sunt Isidori, *can. Quacunque, 22. q. 5.* relati. Verùm, quia non jurandi intentio ipsam juramenti essentiam, in testimonii & authoritatis Divinæ invocatione interpositionéque consistentem, tollit, etiam tollet juramentum ejúsque obligationem. Quare, solis verbis jurantem per se & vi Juramenti obligari, cum S. Thoma 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. & Panormit. *in c. Veniens 16. n. 4.* meritò negant Covarruvias *in c. Quamvis cit. p.* 1. *§.* 5. *n.* 2. *citt.* Suarez *cap.* 7. *n.* 2. Sanchez *cap.* 10. *àn.* 11. propter allatam rationem. Unde etiam casu, quò jurans verbis uteretur in alio sensu, quàm eò, quem præseferunt, & is, cui juratum fuit, intelligit, vi juramenti secundùm sensum, quò à jurante prolata sunt, iste obligaretur, juxta *can. Humanæ, 22. q.* 5. *citt.* Covarr. *§.* 5. *pr.* & Suarez *cap.* 8. *n.* 5.

Neque huic doctrinæ obstant verba Isidori *can. Quacunque cit.* Dixi enim, *Per se & Vi juramenti:* quòd tali casu revera non datur; quia, quod verbis iuratum est, opere exequendi obligatio ferè datur ratione damni, quod ex deceptione, sive iuramentò non impletò, pateretur is, in cuius gratiam est iuratum: & ratione scandali ac periurii, cuius speciem eiusmodi ficti iuramenti violatio refert, ut probè observant Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 42. n. 54.* & *cit.* Suarez *n.* 2.

62. Tertiò modò fictè sive absque animo se obligandi præstitò iuramentò, id, quod iuratum est, exequendi obligationem vi iuramenti induci, etsi non pauci affirment, probabiliùs tamen cum Panormit. *in c. Si verò 8. in fine,* & Sylvestro *V. Juramentum 4. q.* 7. & aliis (seclusò tertii damnò & scandalò) negat Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 2. Guttierez *de Jurament. p.* 1. *cap.* 57. *n.* 20. & Sanchez *cit. cap.* 10. *àn.* 8. quòd huiusmodi fictio tollat ipsam promissionem; cùm enim, ut cum laudato Sanchez arguit Palao *Tract. 14. disp. 2. p. 2. n. 6.* verus homini, aut Deo aliquid promittendi animus sine animo se obligandi dari nequeat, sine isto dari etiam non poterit animus promittendi, promissio iurata, & promissorium iuramentum; cùm hoc ferè sequatur naturam actûs, cui adiicitur, *c. Quemadmodum 25. pr. & l. Sed etsi 11. §. 2. ff. de Jurejurando.*

Dubium secundò est de obligatione 63.
iuramenti, extorti per iniuriam, sicut est, quod de solvendis usuris præstatur creditori. Ratio dubitandi est primò; quia ex una, non obligat promissio usuratum simplex, *c. Debitores 6. pr.* imò eas exactas & solutas restituere creditor ipse, eóque deficiente, hæredes tenentur, *c. Cum tu 7. & c. Tua nos 9. de Usuris:* ex altera verò parte, inter simplicem promissionem & iuratam nulla est differentia apud Deum, *can. Juramenti, 22. q.* 5. ac proinde, sicut promissio, sic etiam huic accessorium iuramentum non obligabit; cùm accessorium sui principalis *Reg. 41. in 6.* & iuramentum actûs, cui est adiectum, naturam sequantur, secundùm *Reg. cit. in 6.* Secundò; quia iuramentum de solvendis usuris occasionem peccandi præbet creditori, eas recipiendò delinquenti; atque idcirco, tanquam præstitum contra bonos mores, obligatorium esse non potest, *arg. Reg. Non est 58. in 6.* Tertiò; quia debitor eò, quod de solvendis usuris præstitit, iuramentò non obstante, actionem habet ad usuras, cùm iam solverit, repetendas: nisi etiam de iis non repetendis iurârit, *c. Debitores cit.* Cùm ergo habenti Actionem multò magis competat Exceptio *l. Invitus 15. §.* 1. *ff. de R. J.* non obligabitur ad solvendas: aut, si scienter solvat

ſolverit, cenſebitur donâſſe, *arg. l. Cujus per errorem 53. ff. de R. J.*

64. Nihilominus, tale iuramentum, ſi à creditore remiſſio, aut eius relaxatio à ſuperiore impetrata non ſit, obligare, *c. Debitores cit.* deciſum, & ratio perſpicua eſt; quia eius obſervatio non vergit in diſpendium ſalutis aut tertii præiudicium; cùm, licet uſuras exigendô & ſolutas recipiendô creditor peccet, eas tamen huic exigenti ſolvere debitor valeat ſine peccato; ac proinde iuramentum obſervandum ſit ex Regula *c. Cùm contingat & c. Quamvis citt.* Uſuras tamen ſolutas repetere debitor poteſt: niſi etiam, eas ſe non repetiturum, iurâſſet, & iuramentum non eſſet relaxatum: ad quod creditorem per cenſuras Eccleſiaſticas compelli poſſe, ex *c. 1.* textu conſtat.

65. Eôdem ferè modô obligatorium eſt iuramentum, quod de lytro pro vita ſolvendo latroni, & de non reſcindendo contractu vel pretii ſupplemento non petendo, venditor præſtat emptori, *arg. c. Debitores cit.* cùm enim à Jure irritatum non ſit, & ſine peccato ac tertii præiudicio ſervari poſſit, de ipſo etiam Regula, ex *c. Cùm contingat & c. Quamvis citt.* deſumpta, procedit, *citt.* Suarez *cap. 9. n. 3.* & Sanchez *cap. 11. n. 16.*

66. In contrarium allatæ rationes veri ſpeciem maiorem, quàm vim habent. Prima; quia iuramentum tali caſu, & quoties ſimplicis promiſſionis impletio turpitudinem & iniquitatem ex parte iurantis non continet, per ſe ſtans & non acceſſorium eſt, ſolúmque obligat ex virtute Religionis; ne Nomen & authoritas Divina in vanum ſit invocata, S. Thomas 2. 2. *q. 89. art. 7.* Panorm. *in c. 1. cit. n. 3.* Covarr. *in c. cit. p. 2. §. 3. n. 2. V. Tertiò.* Neque obſtat *can. Juramenti cit.* quia, eſto, ſimplex promiſſio æquiparetur iuramento quoad obligationem non mentiendi, quæ repe-

ritur in utroque: ei tamen non æquiparatur quoad valorem & gravitatem obligationis implendi & culpæ admiſſæ utriusque violatione, Panormit. *in c. Debitores cit. n. 3.* & Suarez *cit. cap. 9. n. 13.*

Altera; quia ſolutio uſurarum eſt occaſio peccati potiùs accepta ex malitia, quàm data; cùm ſolutio uſurarum intuitu Religionis facta in ſolvente peccaminoſa non ſit: & in recipiente voluntatem, ad peccandum expeditam ſupponat potiùs, quàm inducat, ut probè notat Barboſa *in c. Debitores cit. num. 3.*

Poſtrema; quia exceptio debitori 67.
competit; ne uſuras ſolvat tanquam debitas ex Juſtitia & vi promiſſionis: non autem, ne ſolvat ex virtute Religionis ratione juramenti. Neque ita ſolutas donâſſe cenſetur; quia non liberaliter tradit, qui ſolvit præcisè, ut ſatisfaciat iuramento, urgente neceſſitate propriâ & alterius iniuriâ extorto, Palao *Tract. 14. diſp. 2. p. 3. n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 63.*

Dubium tertiò & perquam difficilis 68.
controverſia eſt de iuramento, gravi metu extorto. Quod pro invalido, cum Panormit. *in c. Cùm contingat cit. n. 3.* Felino *in c. Si verò 8. n. 8. caſu 1.* & Franco *in c. Licet 2. in 6. n. 6.* habent Sarmient. *de Reddit. p. 1. cap. 4. n. 7.* & Flamin. *de Reſignat. Lib. 13. q. 2. n. 12.* Moventur variis textibus Juris utriusque: Civilis *Auth. Sacramenta, C. Si adverſ. vendit.* quâ puberum iuramenta, vi aut metu extorta, nullius momenti eſſe iubentur: Canonici *c. Pervenit 2. & c. Verùm 15. hic,* quorum textuum priori huiusmodi iuramentum Epiſcopi de non repetendis rebus, vi ablatis, pro nullo habetur: poſteriori iuramentum metu extortum violanti pœna imponenda dicitur, non quaſi pro culpa mortali: & *c. Cùm contingat & c. Quamvis citt.* quibus ſervanda di-

cuntur iuramenta, quæ non vi aut dolô præstita sunt. Unde ductô argumentô à contrario infertur, vi, metu, dolóve præstita servanda non esse: quod confirmatur; quia dictis textibus metus æquiparatur dolo: quô præstitum iuramentum invalidum esse videtur.

69. Sed veriùs, huiusmodi iuramentum, si de re licita sit, validum esse; ac proinde, si ab eo, cui præstitum est, non remittatur, vel à superiore non relaxetur, executioni mandandum cum S. Thoma *cit. q. 89. art. 31.* Covarruvia *in c. Quamvis cit. p. 3. §. 4. n. 2.* Guttierez *de Juramento cap. 57. n. 19. cit.* Suarez *cap. 10. n. 4.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 149. n. 4.* & aliis in *c. Si verò cit.* defendunt Barbosa & Gonzalez uterque *n. 2.* eâ persuasi ratione; quòd irritum non sit Jure Naturali; cùm metus voluntarium, etsi minuat, non tamen tollat; coacta enim voluntas est voluntas, *l. Si mulier 21. §. 5. ff. Quod metûs causa gest.* Neque Divinô; quia hôc Jure eius violatores peccare, colligitur ex Ezechiel. *cap. 8.* quô locô Deus Ezechiæ ob violationem fidei Babiloniis datæ, licet metu extorta fuerit, gravia mala minitatur. Neque Canonicô; quia *c. Ad audientiam 4. de his, quæ vi metúsve caus.* iuramentô metu extortô Ecclesiæ seu beneficii Ecclesiastici resignationem promittens, vi iuramenti ad hanc teneri, disertè asseritur, etsi per resignationem dimissum repetenti iuramentum non obstet: & ex *c. Si verò 8.* quô textu, ad renuntiationis iuratam promissionem compulsus, ad iuramenti observantiam obligatur, donec id relaxetur; quia iuramentum metu extortum, si de re licita sit, observari potest sine dispendio salutis & peccato. Idem desumitur ex *c. Verùm 15. & c. Sicut 29.* quibus locis iuramentum metu emittentes ab eius obligatione absolvuntur. Neque etiam Civili; quia pro eius nullitate adductæ *Auth. Sacramenta* dispositionem Jure Canonico, quod in materia spirituali observandum est, *c. Licet 2. in 6.* correctam, ex communi plurium sensu docet Palao *disp. cit. p. 4. n. 6. & 7.* Alii, cùm iuramentum nullius momenti esse dicit, id intelligunt, non quoad obligationem: sed quoad effectum; quòd vi, metúve extorta iuramenta facilè relaxentur, Gonzalez *in c. Si verò cit. n. 5.*

Minùs quàm *cit. Auth.* urgent *c. Pervenit & c. Verum citt.* textus: Prior; quia eô relatum iuramentum fuit de re illicita & contraria obligationi, à sacris Canonibus Prælato impositæ, *can. Si qua, 12. q. 2. & c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.* Posterior; quia eô iuramenti violator non quasi pro mortali crimine puniendus dicitur, non quòd eius in materia gravi violatio peccatum mortale non sit: sed solummodo; quòd metus causam violationis, etsi mortalem, extenuet, ut locus sit pœnæ mitiori, ut cum *cit.* S. Thoma *art. 3.* Covarr. *n. 3.* & aliis advertit Barbosa *in c. cit. n. 4.* 70.

Ad *c. Cùm contingat & c. Quamvis citt.* satis expedita responsio est, iuramenta liberè edita servanda dici sine relaxatione. Unde à contrario rectè infertur, vi & metu edita non servanda, hoc est, relaxanda; ne vim inferens commodum reportet ex iniquitate. Neque plus difficultatis habet confirmatio; quia *cc. citt.* vis & dolus æquiparantur, quatenus uterque à contractu firmitatem tollit: non quoad obligationem; cùm dolus sæpe consensum, non ut metus, solùm diminuat, sed omnino tollat, ut mox dicetur, Pontius *Lib. 4. de Matrim. cap. 20. n. 8.* & Palao *cit. p. 4. n. 11.* 71.

Dubium quartò est de iuramento, quod præstitum est errore vel dolô. In quo apud DD. recepta est distinctio. Et quidem, si error & dolus contingat circa rei pro-

rei promissæ substantiam, vg. si iuratus promittas scyphum, quem stanneum, aut gemmam, quam fictitiam credis: cùm ille argenteus, hæc vera sit, iuramentum obligatorium esse negant, propter defectum consensûs in iurante; quia ita errantis nullus est consensus aut voluntas, *l. Si per errorem 15. ff. de Jurisdict.* propter cuius defectum etiam vota quæcunque & coniugia edita aut inita errore, circa rei substantiam interveniente, invalida
73. esse, alibi statuetur. Si verò error & dolus versetur solummodo circa qualitatem, aut circumstantiam rei solummodo accidentalem, ad jurandum impellentem, vg. si juratus promittas dotem puellæ, quam castam, vel liberalem donationem homini, quem opis indigum credis, cùm re ipsâ tales non sint, juramentum pro obligatorio habent; quia hujusmodi error vel dolus consensum Jure Naturali requisitum non tollit; cùm jurans, licet ejusmodi qualitate & circumstantiâ ad jurandum sit impulsus, illius tamen qualitatis &c. veræ existentiæ suum in rem promissam consensum non alligârit: Jus etiam Positivum, licèt ad jurandum ita inducto, juramenti relaxationem facilè concedendô, succurat, nullibi tamen iuramentum irritavit, Ita cum *citt.* Suarez *cap. 8. n. 11.* & Molina *n. 4.* Laiman, *Lib. 4. Tract. 3. cap. 8. n. 5.*

ARTICULUS VI.

De Juramento Confirmante Contractus.

SUMMARIUM.

74. *Juramentum non firmat contractus initos de actu ullô Jure prohibitô.*
75. *De non prohibito initis, sed Jure Civili irritatù adjectum valet,*
76. *Et Religionis obligationem inducit,*
77. *Secundùm multos DD firmat ipsos contractus,*
78. *Verius tamen est contrarium;*
79. *Quòd eos firmandi vim Juramentum non habeat ex sua Natura:*
80. *Neque acceperit à Jure Positivo.*
81. *Quod iis promittitur, præstare jurantis hæres tenetur.*

ALter juramenti promissorii, ísque valde notabilis effectus est, 74.
vis roborandi contractus, aliósque actus saltem Validos: imò secundùm communem multorum Opinionem, aliquando etiam Invalidos. Qua in re ex dictis

Certum est, juramento non confirmari ullum actum, quô promittitur aliquid Lege Naturali, Divinâ, Ecclesiasticâ &, secundùm veriorem DD. sententiam etiam Civili Jure absolutè prohibitum. Quare in præsentia sermo duntaxat est de actibus, Jure Civili immediatè ob privatum subsiditorum bonum irritatis vel infirmis, vg. quô mulier consentit in alienationem fundi, vel alterius rei dotalis: minor super rebus suis contractus init sine authoritate tutoris & judicis decreto: filiafamilias acceptâ dote renuntiat hæreditati paternæ: alius ultra 500. solidos donat sine insinuatione &c. Cujusmodi contractibus & actibus suis, si mulier, minor, filiafamilias &c. adjiciant juramenta, quibus se eos non revocaturos, iisque non contraventuros promittunt,

Dubium &, utriusque Juris Interpp. 75.
ac DD. & cum his etiam TT. variè sentientium, maximis studiis agitata controversia est, an confirmentur juramentô. Non quidem ita; ut mulier, minor, filiafamilias juramentum teneantur observa-

re; hoc enim nemo facilè hodie inficiatur; cùm enim ejusmodi actuum revocationem Jura non præcipiant, & revocationis & contraventionis omissio nequaquam peccaminosa, sed licita sit, licitum quoque & observandum erit juramentum, quô revocationis omissio est promissa, per Reg. *c. Cùm contingat 28. hic & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* ex virtute

76. Religionis, quemlibet obligantis; ut, quod invocatô Dei Nomine & authoritate interpositâ promisit, opere exequatur; ne nomen Domini in vanum sit assumptum, Exod. *cap. 20. V. 1.* Sed, an juramentô confirmentur, hoc est, validi evadant actus, qui ex Juris dispositione invalidi, aut infirmi sunt; ut juramentô ipsis adjectô non solùm Religionis respectu Dei, sicut in juramento de solvendis usuris præstitô accidit, sed etiam Justitiæ obligatio inducatur respectu hominis sive promissarii: & huic adversus promittentem acquiratur Actio, & promittens maneat obligatus, quantumvis adjectum juramentum à Prælato Ecclesiastico relaxetur.

77. Et prædictos quidem eisque similes actus Jure Civili invalidos juramentô confirmari, cum Panormit. *in c. Cùm contingat cit. n. 8.* volunt Covarruvias *in c. Quamvis cit. p. 2. §. 1. n. 17.* & Guttierez *de Juramento p. 1. cap. 40. n. 3.* quos secuti sunt Laiman. *Lib. 4. Tract. 3. cap. 8. n. 1.* Haunold. *Tom. 3. de J. & J. tract. 8. n. 135.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 132.* & alii tam VV. quàm RR. TT. & JCT. i suam hanc Opinionem, ex utriusque Juris valde luculentis textibus, desumentes firmantésque ratione, & Tribunalium consuetudine, quæ dubii Juris optima interpres habetur, *c. Cùm dilectus 8. de Consuet.*

Ex Jure Imperiali adducunt famigeratam constitutionem *Auth. Sacramenta puberum, C. Si adversus venditionem,* quâ Fridericus Imp. juramenta puberum, sive minorum 25. annis super contractibus rerum suarum non retractandis sponte facta, inviolabiliter custodiri jubet. Undè *citt.* DD. inferunt, hujusmodi contractus à juramento adjecto omnino firmos & irrevocabiles reddi, ut ex iis Exceptio & Actio detur.

Ex Ecclesiastico allegant imprimis *c. Cùm contingat cit. & c. Licet mulieres 2. in 6.* quorum textuum illô Innocentius III. istô Bonifacius VIII. constituerunt; ut licet consensus, à muliere in alienationem dotis simpliciter præstitus, secundùm leges Civiles obligatorius non sit, casu tamen, quô de ejusmodi alienatione non revocanda interpositum, & sine vi, dolóque præstitum est juramentum, hoc observetur: quod de sola Religionis obligatione intelligi nequit; quia vi textûs juramentum sine vi præstitum majorem obligationem parit, quàm præstitum vi interveniente: ex quo Religionis obligationem nasci, dictum est *n. 69.* Deinde *c. Quamvis 2. cit.* quô locô idem Bonifacius filiæ, hæreditati paternæ renuntiantis, pactum, si juramentô firmatum fuerit, ab illa observandum decrevit, utique non solùm ex virtute Religionis; quia observandum à Papa dicitur non solùm juramentum, ex quo Religionis: sed etiam ipsum pactum, ex quo acceptato Justitiæ obligatio nascitur.

Rationem reddunt; quia prædictis actibus, quando adjicitur juramentum, stare tenentur jurantis hæredes. Undè ad eos observandos dabitur obligatio Justitiæ: non solùm Religionis, quæ personalis est & non obligat, nisi solùm jurantem, *arg. c. 1. & c. Debitores cit.*

Verùm, etsi hac ratione & textibus 78.
citt. Panormitani & sequacium Opinio valde probabilis reddatur, probabiliùs tamen prædictos actus juramentô non confirmari,

firmari, cum Jaſone *in cit. Auth. n. 37.* defendunt Anton. Merenda *Controverſ. Lib. 1. cap. 1.* & Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 7. n. 42. & 47.* quos ex modernis non pauci & magni nominis DD. ſequuntur. Ratio, quâ nituntur, unica eſt; quia juramentum, inquiunt, vel actus Jure nullos confirmandi vim habet ex ſua natura, vel alicujus Juris diſpoſi-
79. tione? Non prius; quia ex ſua natura plus non exigit, quàm ut jurans opere exequatur id, quod juramentò interpoſitò promiſit; ne Dei nomen aſſumptum ſit in vanum: quæ eſt obligatio Religionis, & impleri poteſt, etiamſi contractus ſecundùm ſe maneat invalidus: ut luculenter conſtat ex juramento, quod uſurariis, & aliis contractibus injuriâ extortis eſt
80. adjectum, *c. Debitores cit.* Non etiam poſterius; quia nullus textus utroque Jure extat, qui juramento apertè tribuat vim, actus invalidos confirmandi, ut mox patebit. Unde ſtandum eſt Jure Naturali, hujusmodi vim juramento indubitatè non tribuente; quia obligationibus iſtò introductis nova addenda non eſt, quamdiu certum non eſt, hanc proditam Jure Poſitivo; homo enim eſt, & tamdiu manet in poſſeſſione libertatis, quamdiu de obligatione, Jure Naturali aut Poſitivo introductâ, non conſtat, *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.*

Neque aliud evincitur ex *Auth. cit.* quia in ea non de invalidis, ſed de validis duntaxat contractibus (etſi Reſtitutioni obnoxiis ob defectum ætatis in contrahente) ſermonem eſſe, non obſcurè deſumitur partim ex *Rubrica*, quæ eſt de impetranda *Adverſus venditionem* in integrum Reſtitutione: cui, ubi actus nullus eſt, locum non eſſe, clarè habetur *l. In cauſa 16. §. 4. ff. de Minoribus* & dictum eſt *Lib. 1. Tit. 41. num. 2.* partim ex eo; quòd ipſò ejus textu agatur de contractibus, qui poſſunt retractari; quod de invalidis propriè dici non poteſt. Neque hinc ſequitur *cit. Auth.* eſſe otioſam; eò quòd *l. 1.* cui ea ſubjecta eſt, jam deciſum ſit, minorem validè alienantem contra juramentum alienationi adjectum venire non poſſe; quia *l. cit.* ſermo expreſsè eſt de ſola alienatione rei immobilis, ſcilicet prædii: *Auth.* verò ſubjectâ generaliter & indiſtinctè de quacunque ac proinde etiam de mobilium rerum alienatione. Si hoc negetur & dicatur, *l. 1. cit.* prædii mentionē ſolùm exempli gratiâ fieri, replicari poteſt, id, quod lex obſcurè ſtatuit, ipſi ſubjectâ *Auth.* perſpicuè exprimi: adeóq; hanc ne ſic quidem evadere otioſam, *arg. l. Quia in cauſis 7. de Procurat.* Donellus *Coment. Lib. 21. cap. 13.* Pontius *l. cit. n. 55.* & noſtræ doctrinæ ex parte contrarius Palao *Tract. 14. diſp. 2. p. 9. §. & num. 4.*

Neque ex *c. Cùm contingat & c. Licet citt.* quia utroque textu plus non aſſeritur, quàm ſervandum juramentum; quia non vergit in diſpendium ſalutis, aut præjudicium tertii: ex qua ratione aliud non infertur, quàm obligatio Religionis, exigentis ſervari juramenta, quæ non vergunt in ſalutis diſpendium, & in tertii præjudicium non cedunt. Neque urget; quòd Religionis obligatio etiam oriatur ex juramento metu extortò: & *cc. citt.* major obligandi vis tribuatur juramento ſponte edito, quàm coacto; quia ad hoc ſufficit obligatio Religionis: quæ, ſi juramentum metu extortum ſit, facilè relaxatur, etiam nullâ aliâ causâ accedente. Si autem ſponte juratum ſit, obligatio ſine relaxatione aut reſtitutione inviolabiliter eſt implenda. Deinde; quia Jus Canonicum ſponte juranti in Foro externo negat Actionem: quam tamen vi dolóve ad jurandum inducto aufert, ut *l. cit.* notat Pontius *n. 25.*

Eôdem sensu *c. Quamvis cit.* observandum dicitur pactum; quia observandum præcisè est, quatenus subsstat juramento, ut colligitur ex ratione; quòd ejus impletio non vergat in dispendium salutis, neque in tertii præjudicium redundet: quæ est ratio obligationis Religionis, ortæ ex juramento, *cit.* Pontius *n. 53.* Confirmatur hæc responsio; quia Papa non potuit extra territorium suum temporale juramento dare vim firmandi ipsum contractum, Jure Civili irritatum; id enim comũne bonum Ecclesiæ & spirituale regimen animarum non exigebat; cùm ex eo præcisè; quòd Religionis obligatio juramentô inducatur, peccatis ac periuriis via satìs præcludatur, Pontius *ibid. n. 48.*

81. Non magìs quàm textus urget ratio; quia id, quod contrahens juratus promisit, hæredes implere tenentur ex obligatione Justitiæ, orta ex aditione hæreditatis; cùm enim istam adire hæres Jure non permittatur, nisi cùm obligatione exequendi vota & juramenta realia defuncti, *arg. c. Si hæredes 6. de Testament. c Ex parte 18. de Censibus & l. Si quis rem 2. §. 2. ff. de Pollicitat.* ex utriusque Juris dispositione hæreditatem adeundô præsumitur promittere præstationem eorum, quæ de bonis debebat defunctus; ac proinde ex Justitia & quasi contractu cum defuncto implere debet, quæ defunctus sponte & juratus promisit; hæres enim, sicut in jura & commoda, sic etiam in debita & obligationes, defuncti bonis annexas, succedit, *l. Hæreditas 62. ff. de R. J. cit.* Palao *p. 11. n. 2. & Tract. 15. disp. 1. p. 16. n. 2.*

Neque obstat Tribunalium Praxis & longa Consuetudo; quia, quidquid sit, an ista stet pro Panormitani sententia, hanc Juris textus & ratio non persuadent. Unde meritò respicimus præsumptionem, quæ stat pro libertate hominis, cui novam obligationem à Jure impositam negamus, donec istô videamus expressam, *arg. l. Arrianus cit.*

ARTICULUS VII.

De Juramenti Interpretatione.

SUMMARIUM.

82. *Cùm jurantis mens clara, opus non est interpretatione.*
83. *Cùm ea dubia est, juramentum accipi stricte, poscit ratio,*
84. *Et Juris textus permittunt.*
85. *Juramentum, præstitum in materia Juris, à Jure recipit interpretationem.*
86. *Sequitur naturam & conditiones ejus:*
87. *Cujus obligationem solùm interpretatio auget,*
88. *Et sæpe obligat, cùm actus est nullus.*
89. *Juramento Promissorio insunt conditiones* l. Si potuero.
90. II. Salvo jure & authoritate Superioris.
91. III. Nisi obligationem promissarius remittat.
92. IV. Si iste fidem servet.
93. V. Si res in eodem statu permaneat.
94. *Quæ conditiones actum non reddunt conditionatum.*
95. *Discrimen inter conditionem tacitam & expressam.*

NOn rarò accidit, ut de juramento quidem, Deo vel homini facto constet, dubium tamen & inter partes controversia aliquando

quando sit de obligatione, quam parit: de istius extensione, extinctionéve, aut modo, quô est adimplenda. Pro cujusmodi dubiorum resolutione usui in Praxi erunt Regulæ sequentes.

82. Prima, Juramentum, cùm de jurantis intentione constat, nullâ indiget interpretatione; cùm enim ejus obligatio tota oriatur ex jurantis voluntate, juramentum huic & ipsius intentioni com-
83. mensuratur. Cùm verò ista dubia est, strictam ejus interpretationem faciendam; ac proinde ex eo ortam obligationem restringendam potiùs, quàm extendendam, communis est DD. sensus: quem tamen dubium reddere & ejus obligationem ad omnia, quæ verba, in amplo sensu accepta, comprehendunt, extendendam, suadere videtur decisio *c. Veritatis 8.* ex cujus dispositione juramentum Fidelitatis Prælato præstitum extenditur ad istius successores: quæ lata interpretatio est, & in juramento locum habet hôc ipsô; quòd pertineat ad favorem Religionis: pro qua, sicut faciens, ratio summa est, *l. Sunt personæ 41. ff. de Relig. & sumpt. fun.* sic cæteris præferenda est interpretatio ampla; ut jurans à periurii periculo magis removeatur, ut nonnulli exigunt apud Suarez *Lib. 2. de Juram. cap. 32. n. 8.*

Sed, à communi sensu non recedendum, & strictam benignámque interpretationem latæ præferendam, cum Panormit. *in c. Clericus 35. n. 2.* & Sylvestro *V. Juramentum 3. q. 3.* meritò defendunt *cit.* Suarez *n. 7.* & Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 17. n. 20.* & persuadet ratio; quòd, cùm homo à natura præditus sit libertate, eum ad aliquid determinatè faciendum vel omittendum adstringi, odiosum sit & grave; & propterea, ubi de obligatione agitur, stricta interpretatio sit facienda, ut constat de obligatione promissionis & stipulationis, ex *l. Quidquid 99. pr. ff. de V. O.* & generali Regula *c. Odia 15. de R. J. in 6.* de juramento autem ex *c. Ad nostram 21.* ibi, *Nos juramentum tuum benignè interpretari volentes*, *c. Clericus cit.* ubi Gregorius IX. clericum vi juramenti, de servandis Ecclesiæ suæ statutis præstiti, ad observanda, quæ postea primùm edita sunt, obligatum & istorum transgressione iuramenti violati reum, negat.

Neque aliud postulat favor Religionis, considerandus in iuramento; quia solummodo exigit; ut factum confirmetur dictô, quod iuramentô est confirmatum: non etiam; ut istius verba accipiantur latè, eóque inducta obligatio ad plura &, quàm potest, multa extendatur; cùm iuramenti, quô interpretatio benignior est, eò facilior & expeditior sit observantia, & remotius periculum periurii: quod solùm Religio, & in testimonium invocati Numinis reverentia, exposcit, ut cùm *cit.* Suarez *n. 9.* advertit Pirrhing *hîc n. 102.*

Neque obstat textus *c. Veritatis cit.* quia istô non fit extensio ultra proprium 84.
verborum sensum; cùm enim ex una, iuramentum Fidelitatis præstitum Prælato non sit sub nomine Proprio, & quatenus est determinata hæc persona, sed sub nomine Appellativo, & quatenus obtinet talem dignitatem: ex altera verò parte, cum personâ dignitas non extinquatur, sed eâ extinctâ permaneat, & transeat ad successores, *c. Quoniam 14. de Offic. deleg. & c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.* mirum non est, quòd vi juramenti fidelitas debeatur etiam successori, quamvis istius expressa mentio in illius formula facta non sit, Covarruvias *in c. Quamvis de Pactis in 6. p. 1. §. & n. 5.* & aliis DD. relatis *in c. Veritatis cit.* Barbosa *n. 5.* & Gonzalez *n. 4.*

Secunda est, Juramentum præsti- 85.
tum in

tum in materia Juris, sive de re Jure præceptâ vel prohibitâ, ad illius terminos restringendum, hoc est, ultra Juris præceptum vel prohibitionem non est extendendum, Panorm. *in c. fin. de Eccles. adis. n. 4. citt.* Sylvester *q. 3.* & Suarez *cap. 33. n. 12.* juxta *c. Ad nostram cit.* Ratio est; quòd iurans, si aliud non expressit, Juris dispositioni se conformâsse præsumatur, Alciatus *de Præsumpt. Reg. 4. præs. 32.* Quare juramentum Prælati de Ecclesiæ suæ rebus non alienandis, simpliciter præstitum, de immobilium & pretiosorum, atque istorum sine iusta causa debitáq; solennitate facta alienatione est intelligendum, iuxta *c. fin. cit.* Sic etiam clericus, ad residentiam in Ecclesia iuramentô adstrictus, ex causa Jure approbata, ad tempus abesse potest, *c. Exparte 13. de Cleric. non resid.* Sic, qui Arbitri iudiciô se staturũ sub certâ pœnâ promisit indeterminatè, vel arbitriô stare, vel, si hoc nolit, pœnam solvere tenetur, Glossa & Innocentius *in c. Per tuas 9. V. Ratum haberi, de Arbitr.* &, qui judicis sententiæ se pariturum juravit, si eâ, ut lata est, se gravatum sentiat, appellare non prohibetur, *c. Adhæc, 20.* junctâ Glossâ *V. Eôdem, de Appellat.* Sic iuramentum de servando Secreto seu non revelandis, quæ in Capitulo, Senatu, Curia aguntur, de negotiis & causis, quæ in iis pertractantur & secretum exigunt, est intelligendum, Laiman. *Lib. 4. tract. 3. cap. 9. num. 2.* & Palao *Tract. 14. disp. 2. p. 14. num. 5.* hanc rem pluribus exemplis declarantes.

86. Tertia, Juramentum sequitur naturam & conditiones actûs, cui est adiectum: quæ Regula, sicut ex *c. Quemadmodum 20. pr. & l. fin. C. de Non numerat. pec.* non obscurâ deductione desumitur, ita anceps redditur claris textibus *c. Debitores 6. c. Cùm contingat 28. c. Licet in 6. c. Quamvis cit. Auth. Sacramenta C. Si adverſ. vendit. &c.* ex quibus iuramentum, infirmis rescissionique obnoxius, & aliquando omnino invalidis actibus adjectum, subsistere & obligationem inviolabiliter custodiendam inducere, est indubitatum.

Sed Regulam illam omnino retinendam, & juramentum actûs, hoc est, promissionis, pacti, contractûs, cui adjicitur, naturam & conditiones sortiri, cum Interpp. *in pr. & l. citt.* tradunt Covarruvias *in c. Quamvis cit. p. 1. §. 4. num. 1.* Guttierez *de Jurament. p. 1. cap. 37. n. 2. & 3. citt.* Suarez *cap. 23. n. 2.* & Sanchez *cap. 17. n. 13.* Ratio est; quia juramentum ad id solùm obligat, ad quod jurans se intendit obligare: jurans autem ad id tantùm & sub iisdem conditionibus ac limitationibus se obligare intendit, quod actu promisit: & sub iisdem conditionibus & limitationibus, quibus id actu illô promisit. Unde passim & rectè dici solet, Juramentô promissioni, pactioni, contractui adjectô, ex istius actibus ortam obligationem non augeri extensivè; ut vi juramenti ad plus, quam vi promissionis &c. præstandum teneatur: sed solummodo intensivè, sive; ut Fidelitatis & Justitiæ obligationi, si quæ ex iis orta est, novam, hoc est, Religionis obligationem superaddat. Declaratur exemplis; sic enim perinde, ut à simpliciter initis, etiam à juratis sponsalibus resilire quis potest propter supervenientem fornicationẽ, lepram &c. *sponsæ, Quemadmodum cit. pr.* Sic venditor emptori, equum se traditurum jurans, istô ferdem datam non servante & pretium numerare recusante, illum tradere non tenetur perinde, ut qui id simpliciter promisit, *c. Sicut 29. §. Juramentum.* Sic jurans, se alicui non adversaturum, Ecclesiæ suæ jura contra ipsum tueri, & super his ipsum convenire, sicut simplici promissione,

missione, sic simplici etiam juramentô non obstante potest, *c. Petitio* 31. Sic pecuniæ sibi mutuatæ solutionem cum juramento promittens, eam exigenti non numeratæ pecuniæ exceptionem intra biennium opponere, *l. fin. cit.* vel ob justam causam compensatione cum alio simili & liquido debito uti potest, ut cum Sylvestro *V. Juramentum 3. q. 6.* & Covarruvia *cit. §. 4. n. 17.* docent *cit.* Sanchez *n. 15.* & Laiman. *cit. cap. 9. n. 6.* quòd compensatio quædam solutio & æquivalens satisfactio sit; & propterea hôc casu locum habeat, saltem si jurantis intentio non fuit, veram & realem, sed æquivalentem solutionem præstare.

Neque obstat *c. Ad nostram 7.* quia in istius casu debitori, pignoris fructus viâ compensationis in sortem imputare volenti, juramentum ideo obstitit; quòd debitum fructuum, ex pignore perceptorum, quantitas expensarum jam superârit; ac proinde his deductis illorũ pars aliqua debitori restituenda superfuerit, non satis constaret, ita *citt.* Covarruvias *n. 9.* Accedit; quòd *c. cit.* debitor de nullo gravamine & controversia ante pecuniæ sibi creditæ solutionem, sicut super pignore, sic etiam super fructibus movenda jurâsse; itáque viæ seu juri compensationis tacitè renuntiâsse visus sit, *cit.* Suarez *n. 19.* Laiman. *cit. cap. 9. n. 6.* & Barbosa *in c. cit. n. 7.*

88. Ne verò hactenus firmatæ Regulæ *c Debitores, c. Cùm contingat* & alii textus allegati adversentur, laudatus Suarez *cap. 32. n. 5.* in juramento, actui adjecto, duo considerat. Unum est ejus sensus: alterum ex eo orta obligatio. Quorum ille sive obiectum & materia, de qua juramentum præstatur, juxta declaratam Regulam actui, cui adjicitur, commensuratur; ut idem omnino, sub iisdem conditionibus, cum eadem extensione vel restrictione, quibus simplici actu promissũ est, etiam juratum intelligatur: non etiam ista sive obligatio; cùm *ex cc. & Auth. citt.* omnino indubitatum sit, ex juramento non rarò obligationem, eámque firmam nasci: quantumvis ex actu, cui adjectum est, revocabilis, infirma, vel omnino nulla sit orta.

Quarta Regula est, Omni juramento promissorio, quantumvis absolutè præstito, tacitè inesse intelliguntur aliquæ conditiones: quarum aliqua, si deficiat, juramenti obligatio cessat, Panormit. *in c. Quemadmodum cit. n. 8.* Sylvester *V. Juramentum, 3. q. 1. & cit.* Suarez *cap. 34. num. 2.* 89.

Prima est, *Si potuero*: cujus ex *c. Querelam 10.* verbis, *Non necessitate, sed voluntate*, desumptæ conditionis ratio est; quòd ad impossibile nemo obligetur, *Reg. 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.* Sive id physicè, sive, quod licitè & sine peccato fieri nequeat, moraliter solùm impossibile sit, *c. Quintavallis 23. & c. 1. in 6.* quia, ut hujus *c. & c. Quanto 18.* textus habet, *Juramentum non est vinculum iniquitatis*: &, quod licitè & sine peccato fieri non potest, homini impossibile censetur, *can. Faciat, 22. q. 2. ubi* Glossa, *Solùm illud*, inquit, *dicimur posse facere, quod justè facere possumus.*

Secunda, *Salvô jure & authoritate Superioris*, hoc est, nisi cedat in istius præjudicium, vel iste ex rationabili causa juramentum relaxet. Quam conditionem subintelligi, clarè habetur *c. Venientes 19.* ibi, *In quovis juramento intelligi debet jus superioris exceptum*, sicut exceptum intelligitur in voto: *Cujus transgressor non dicitur, qui, quod vovit, authoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere*, textus est *c. Non est 5. de Voto.* Ratio est; quia juramentum derogans Juri & authoritati superioris non solùm illicitum, sed 90.

de re etiam illicita est, *c. Ea te* 22. Cùm ergo omni juramento tacitè insit conditio, *Si licitè potuero*, ei etiam inerit conditio, salvum jus & authoritatem superioris conservans, Panormit. *in c. Venientes cit. num.* 2. & Suarez *cit. cap.* 34. *n.* 3. & 5.

91. Tertia est, *Nisi obligationem juramenti is, cui hoc præstitum est, remittat*; quia invito nec datur beneficium, neque servitium præstatur, *l. Invito* 96. & *l. Invitus* 150. *ff. de R. J.* Unde ad sponsalium, etiam juramentò firmatorum, observantiam non tenetur, cui hæc à sponso vel sponsa sunt remissa: & filia, quæ accepta dote regressui ad bona paterna cum juramento renuntiavit, à patre per ultimam voluntatem relictam hæreditatem & legatum capere potest, sine ulla juramenti relaxatione; quia ipsâ eius institutione pater remisisse censetur renuntiationem, Felinus *in c.* 1. *num.* 6. & Suarez *cap.* 39. *n.* 1.

92. Quarta, *Si is, cui juramentum est præstitum, promissis steterit*: quæ conditio *c. Pervenit* 3. *hîc & Reg. Frustra* 75. *in* 6. tradita & à DD. recepta est cum Glossa *in l. Cùm proponas* 21. *V. Uti, C. de Pactis*, referente tritum illud, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*; sic enim exemptionis, venditionis contractu mercem sive rem venditam tradere venditor non tenetur, si emptor pretium non solvat: & vicissim iste solvere pretium, si ille mercem tradere nolit, *citt.* Suarez *n.* 8. & Laiman. *n.* 6.

93. Quinta, *Si res in eodem Statu permaneat*, sive notabilis mutatio non interveniat, *c. Veniens* 16. *c. Brevi* 17. ibi, *Nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subvenire*, & *c. Quemadmodum cit. pr.* Ratio est; quia superveniens mutatio notabilis objectum quodammodo diversum facit; ut jurantis intentionem ad id se non extendisse præsumatur, *citt.* Guttierez *cap.* 71. *n.* 1. & Suarez *cap.* 34. *n.* 4. Unde à sponsalibus etiam juratis resilire sponsus potest, si sponsa fornicetur, aut in lepram, dementiam, vel morbum incurabilem incidat, vel notabiliter depauperetur, *pr. cit.* Pari modo, qui cum inimico initam pacem vel alteri factam gratuitam promissionem juramentò firmavit, novâ offensionis causâ ab ipso positâ, vel alterius magna ingratitudine superveniente, ex iuramento desinit obligari, *citt.* Laiman. *n.* 5. & Palao *p.* 14. *à n.* 18. Ex postrema hac Regula

94. Inferri videtur, non dari ullum juramentum promissorium absolutum; cùm enim, quod sub conditione præstatur, conditionatum sit, & sub hactenus declaratis conditionibus tacitè subintellectis omnia iuramenta præstentur, omnia erunt conditionata.

95. Sed hoc cum Glossa *in c. Quemadmodum cit. V. Conditio*, unanimi calculo & meritò negant Interpp. ac DD. pro absoluto habentes omne iuramentum, cui nulla specialis conditio addita est à iurante, sive, quod exprimitur propositione categoricâ sive absolutâ: puta, iuro me venturum, me te ducturum in uxorem, debitum soluturum. Illud verò solùm pro conditionato, cui specialis conditio apponitur à iurante, quodque ab isto hypothetica, sive conditionali propositione exprimitur: ut, iuro me non venturum, si tempestas erit serena: matrimonium contracturum, si pater consenserit: debitum soluturum, si hæres instituar. Inter quæ iuramenta illud notabile discrimen intercedit, quòd conditionati obligatio suspendatur usque ad eventum conditionis, à iurante specialiter adiectæ, §. *Sub conditione* 4. *instit. de V. O.* contrà absolutum, tacitè subintellectis conditionibus de

nibus de futuro non obstantibus, si, quæ sunt de præsenti, subsistant, obligationem statim inducat: etiamsi hæc, eiusmodi conditione aliqua postea deficiente, cesset. Quod verum est, etiamsi conditiones, quæ tacitè insunt, exprimantur; quia huiusmodi conditiones, etiam cùm exprimuntur, iuramentum absolutum, non conditionatum efficiunt, *l. Hæc verba 3. ff. de Legat. 1. & l. Conditiones 99. ff. de Condit. & demonstr.* ut *in c. Quemadmodum cit. pr.* cum eadem Glossa *in fine*, notat Panormit. *n. 8.* quia, ut Bartol. *in l. Hæc verba cit.* ait, Expressio eorum, quæ ex necessitate tacitè insunt, nihil operatur, Sanchez *cit. cap. 34. n. 12.* & Pirrhing *hîc, n. 119.*

ARTICULUS IX.

De Periurii Peccato & Pœnis.

SUMMARIUM.

96. *Juramenti frequens est abusus.*
97. *Varia acceptio Periurij:*
98. *In quo Judicii, Venialem:*
99. *Justitiæ defectus mortalem culpam continet:*
100. *Nisi materia sit levis.*
101. *Hæc tamen sæpe à gravi peccato non excusat.*
102. *Periurium propriè sumptum semper in gravi:*
103. *Secundùm multos etiam in levi re est mortale:*
104. *Quod verum est de Periurio Assertorio,*
105. *Non etiam de violatione juramenti Promissorii:*
106. *Quô Deus, ut testis promissionis præsentis,*
107. *Non etiam futura præstationis, adhibetur:*
108. *Periurium in utroque Foro punitur.*
109. *Infamiam nunquam ipsô Jure:*
110. *Aliquando tamen per sententiam inducit.*
111. *In Clericos periuros constituta sunt variæ pœnæ,*
112. *Judicis arbitriô infligendæ.*
113. *Pœnæ laicorum, in judicio Criminali,*
114. *Et Civili peierantium.*

IUramentorum, sicut usus creberrimus, sic frequens est abusus, seu usus Periuriorum; cùm, invalescente subditorum licentiâ & indulgentiâ Magistratuum, eò ventum sit; ut à multis Divini Numinis testimonium ad cujusque dicti confirmationem, vix ullô veri falsíve discrimine ac discretione, leviter adhiberi: atque insuper habita Religione temerè, & jurari falsum, & juratas privatorum conventiones, pactionésque publicas violari, videamus, & meritò doleamus. 96.

Periurii autem nomen non eandem semper, sed modò patentem latè, modò restrictam habet significationem; primò enim latissimè sumptô ejus nomine venit quodcunque juramentum, non solùm Veritatis, sed Justitiæ quoque, aut Judicii comite destitutum, *c. Tua nos 11. & c. Sicut nostris 27.* juxta illud S. Hieronymi, *Si ista, Veritas, Justitia, aut Judicium, defuerint, nequaquam juramentum erit, sed periurium, in* Hieremiæ *cap. 4.* Secundò, minùs latè, propriè tamen acceptô eô nomine notatur juramenti promissorii, etiam cum debita reverentia præstiti, temeraria violatio: quam committit, qui post id præstitum, mutata voluntate, non implet id, quod se obligandi & implendi etiam animô, Deóque in testem invocatô, promisit, *c. Querelam 10. & c.* 97.

Brevi 17. Tertiò, strictissimè acceptum Periurii nomen significat mendacium juramentò confirmatum, sive juramentum Assertorium falsum, *can. Quicunque 6. q. 1. can. Ille qui 5. can. Si quis convictus 7. & c. 22. q. 5.* Inter quem & præcedentem peierandi modum illud discriminis intercedit; quòd mendacem alicujus rei assertionem juramentò confirmans constituat Deum testem falsitatis: non etiam, qui violat juramentò firmatam promissionem: dummodo iste, cùm juraret, habuerit animum id, quod promisit, opere exequendi. Quod si hunc non haberet, falsi testem Deum etiam ipse constitueret, ejus nomine invocatò, asserendò, se præstare velle, quod præstandi animo & voluntate caret.

98. Primò modò acceptum Periurium, si deficiente solo Judicio, hoc est, leviter, nulláque necessitate, aut utilitate exigente vel suadente, verè tamen & sine alterius injuria fiat, venialem culpam plerumque non excedere, Navarri *Manual. cap. 12. num. 13.* Suarez *Lib. 3. de Juramen. cap. 13. à num. 11.* Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 4. n. 35.* & Laiman. *Lib. 4. Tract. 3. cap. 13. n. 11.* & aliorum communis doctrina & ratio est; quòd ejusmodi causa deficiente, Deum in veræ & nemini præjudicioſæ assertionis testem invocare, gravem Dei irreverentiam plerumque non contineat.

99. Idem periurium ita latè acceptum, si deficiat in Justitia, & merè assertorium sit, venialem malitiam ferè continet, vel excedit, prout eò commissa injustitia gravis est, aut levis; ut vg. occulti delicti proximi sine justa causa facta & jurata revelatio lethalis aut venialis duntaxat culpæ reatum contineat, prout eâ famæ atque existimationis læsio gravis aut levis est intenta; cùm enim abusus hujusmodi juramenti malus sit ratione finis, ad quem id adhibetur, sicut istius intentio, sic etiam illius abusus graviter, aut leviter peccaminosus erit, *cit.* Laiman. *num. 9.* & Palao *Tract. 14. disp. 1. p. 5. n. 4.*

Si verò Periurium, in Justitia deficiens, promissorium sit, ut vg. quò quis injuriæ illatæ vindictam se sumpturum jurat, juramentum generatim, qualiscunque materia sive res eo promissa sit, graviter peccaminosum esse, desumi videtur ex *c. Tua nos & c. Sicut nostris citt.* quorum textuum istò ab Innocentio III. pro ejusmodi periurio pœnitentia Episcopo imposita: illò in clericum, ejus reum, à Lucio III. decreta est pœna privationis beneficii, utique gravis & proportionata soli culpæ lethali: quam hujusmodi periuriò contractam, etiam ratio suadet; cùm, quia se peccatum quodcunque commissurum jurans, se ad id obligat prætensa authoritate Divina, quasi ab ista peccatum approbetur, & ad hoc committendum efficaciùs valeat & debeat moveri: quod cùm Divinæ bonitati & perfectioni repugnet, gravem Dei injuriam continebit: tum verò; quia ita jurans obligatus est, habere animum se non obligandi & non exequendi, quod promittit, ut adeò falsũ confirmantis instar censeatur.

Nihilominus in hujusmodi periurio communis DD. sensus discrimen agnoscit, & desumit ex materia sive promissa: & plerumque, sicut istius præstatione, ita & juratâ eius promissione non mortale, sed veniale duntaxat peccatum committi, statuit cum Sylvestro *V. Juramentum 4. q. 1.* Navarro *cit. cap. 12. n. 13. & 15.* Covarruvia *in c. Quamvis 3. de Pactis in 6. p. 1. §. & n. 6.* Soto *in 3. p. dist. 39. q. Unic. art. 3. citt.* Suarez *cap. 19. n. 9.* Sanchez *cap. 4. n. 26.* & Laiman. *cap. 13. n. 9.* quòd hujusmodi juramentò, cùm eò promissa res venialiter peccaminosa est, Deo irreverentiam, aut injuriam

iuriâ gravem semper inferri, nec Jure nec ratione evincatur; cùm *cc. citt.* agatur de iuramento, adiecto promissioni rei graviter præiudiciosæ Ecclesiis, & prohibitæ *Rubricâ & text. Ne sede vac. & c. Prohibemus 7. de Censibus.*

Magis quàm textus urgent rationes: quarum tamen vis minor est, quàm primo intuitu appareat. Prioris; quia promissionem rei venialiter peccaminosæ iuramento confirmans id non facit, quòd eius executionem à Deo approbari, aut exigi existimet: sed, quòd simplicitate & persuasione vulgari promissionem, cuius testem Deum invocat, magis apprehendi credat. Posterioris; quia, cùm iurans ad se non obligandum, & non exequendam rem venialiter peccaminosam sub gravi culpa non teneatur, ad eam se obligandi & exequendi animum serium habens, & huius animi sui testem Deum invocans, eum testem falsi non facit, neque falsum iurantis iure censeri potest, Palao *Tract. 14. disp. 1. p. 6. n. 10.*

101. Dixi iteratò, *Plerumque*: non *Semper*; quia graviter utique peccat, qui promissioni rei venialiter peccaminosæ iuramentum adjiciens, eam exequendi animum non habet; cùm talis Deum invocet in testem falsitatis ac mendacii: quod gravi culpâ non vacare, mox statuetur, & rectè notant *citt.* Laiman. *n. 10.* & Palao *p. 6. n. 10.* Deinde, qui, rem venialiter peccaminosam juratò & seriò promittens, eam à Deo assereret approbari: & quasi ex ejus voluntate, eóque authore & cooperatore postea exequeretur; quia ita jurans & juramentum implens committeret blasphemiam, ex genere suo mortaliter, & ex materiæ levitate nunquam venialiter, peccaminosam, *cit.* Laiman. *n. 9.* Demum; quia sine Judicio & Justitia etiam in materia levi jurandi facilitas & frequens usus ferè conjunctus est cum proximo periculo juramentorum, deficientium in Veritate, juxta illud Isidori, *Jurandi usus ad perjurium ducit, Lib. 2. Synonym. cap. 10.* &, *Dum usum jurandi facimus, perjurij crimen incurrimus, Lib. 2. Sentent. cap. 13.* cujusmodi periculo se temerè exponere, gravi culpâ non vacat, *citt.* Laiman. *n. 11.* & Palao *n. 7.*

Tertiò & secundò etiam modò sumpta, &, vel mendacium juramentò confirmandò, vel istò firmatam promissionem violando commissa perjuria, cùm res sive materia gravis est, gravem culpam continere, nemo est, qui inficias eat; cùm enim in tali re sive materia mentiri, & simpliciter, vel interpositâ humanâ authoritate datam fidem violare, gravi culpâ non vacet, graviter peccaminosum multò magis esse, necesse est, Deum, qui prima summáque & fallere fallique nescia Veritas est, constituere testem falsitatis, quod mendacium juramentò confirmandò: ejusdémq; supremæ æternæque Majestatis authoritatem contemnere, quod, promissionem juratam, & authoritate Divinâ adhibitâ firmatam violando, contingere, exploratum est. 102.

In re autem sive materia levi, an ita sumpta perjuria lethaliter, aut venialiter duntaxat peccaminosa sint, non convenit inter DD. ea enim gravi culpâ vacare, indiscriminatim sensisse videtur Angelus *in can. Quod autem 18. & can. fin. 22. q. 2.* ubi perjurium, quod pernicioſum non est, veniale esse ait, & suadetur ratione; quia perjurium, sive juramentum mendacio adjiciendò, sive eò promissionem roborandò fiat, ratione materiæ augeri vel minui potest; cùm utique gravius delinquat, qui graviter & publicè pernicioso, quàm is, qui officioso vel jocoso mendacio fidem conciliat adjectò juramentò: &, qui rei gravis vg. mille aureorum, quàm qui levis vg. unius denarii juratam 103.

promissionē non exequitur. Quoties autem peccatum materiæ adjectione augeri, vel detractione minui potest, id ratione materiæ, sive cùm ista levis est, veniale esse, Regulæ instar sit.

104. Contrarium omnino tenent & periuriô utroque deliberatè commissô etiam cùm materia levissima est, gravem culpam contrahi, cum Caietano *in Summa V. Periurium, cap.* 2. defendunt Lessius *Lib.* 2. *de J. & J. cap.* 42. *n.* 23. Bonacina *Tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *p.* 14. *n.* 2. & alii. Rationem reddunt; quòd utroque periuriô Deus, prima, suprema & veracissima veritas, constituatur testis falsitatis, eô solùm discrimine; quòd in periurio merè Assertorio præsens: in Promissorio primùm futura sit falsitas rei, quæ illô existere, vel iam extitisse, istô extitura esse falsò asseritur: qui autem aliquem testem falsitatis advertenter & deliberatè constituit, eum vel fallere vel falli posse, profiteatur; cùm eum, qui testis est falsi, vel fallere loquendo, vel cognoscendo falli, sit necesse. Cùm ergo, quisquis Deum fallere aut falli posse profitetur, eum summè veracem & summam veritatem, quæ attributum & perfectio Divinitatis propria est, esse, deliberatè neget, sive materia gravis, sive levis sit, graviter semper peccabit; quia Deo attributum & perfectio propria negari sine gravissima irreverentia iniuriáque, ac proinde sine lethali culpa, non potest.

Sed hac in re statuendum est discrimen; ut Periurium quidem postremô modô sumptum sive Assertorium, & iurata asseveratio vel negatio mendax ob materiæ levitatem nunquam venialem, sed lethalem semper culpam contineat: quod proximè deducta ratio evincit, & cum D. Thoma 2. 2. *q.* 89. *art.* 3. & Scoto *in* 3. *dist.* 39. *q. Unic. dub.* 1. & 2. docent Navarrus *Manual. cap.* 12. *n.* 6. Covatruvias *Lib.* 1. *var. cap.* 1. *n.* 2. *citt.* Suarez *Lib.* 3. *cap.* 4. & Laiman. *cap.* 14. *n.* 2.

Regula in contrarium adducta non urget, cùm; quia *citt.* DD. aliqui eam in dubium vocant: tum verò; quia periurium Assertorium, in ratione periurii stricte accepti, ratione materiæ non minuitur vel augetur; cùm, quantacunque materia & qualecunque obiectum sit, id aliter, quàm esse novit, se habere, iuramentô interveniente, asserens æquè mentitur, & Deum huius sui mendacii testem constituendô, eum summam & fallere ac falli nesciam veritatem non esse, confiteatur; itáque perfectionem Deo propriam cum summa Divinitatis iniuria inficietur.

Promissorii autem juramenti violatio ob materiæ levitatem venialiter peccaminosa esse potest, ut cum Sylvestro *V. Juramentum* 4. *q.* 1. Navarro *cit. cap.* 12. *n.* 10. & Soto *Lib.* 8. *de Just. q.* 1. *art.* 7. probabiliùs defendunt *citt.* Suarez *cap. id. d n.* 9. Laiman. *n.* 5. & Palao *p.* 6. *n.* 8. Ratio, quâ DD. isti moventur, unica vel præcipua est; quòd juramentum promissorium violans non mentiatur ipse, neque Deum constituat testem mendacii, aut falsitatis; quia, juramento interpositô Deo aliquid promittens, Dei testimoniô solummodo utitur ad fidem faciendam, se hic & nunc habere animum, sive seriam voluntatem se obligandi, & opere præstandi, quod promisit: qualem animum, si revera habeat, neque mentitur ipse, neque Deum mendacii, aut falsitatis testem facit.

105. Neque refert; quòd non præstet id, quod promisit; quia non ipsam rei promissæ futuritionem, cùm hæc multis modis valeat impediri: sed præsentem duntaxat se obligandi animum, & obligationem hanc implendi voluntatem dari. Deô in testem invocatô, asseverat: &, si non ista duntaxat de præsenti dari, sed ipsam

præsta-

107. præstationem futuram asseveraret, ejúsque futuræ testem Deum constitueret, plurima juramenta promissoria perjuria forent; quia iis Deus constitueretur testis certò futuræ rei: quàm, quia à causis contingentibus & mutationi obnoxiis pendet, an futura sit, omnino est incertum.

Neque etiam obstat; quòd, licet se obligandi & promissionem exequendi animum jurans nunc habeat, tamen contra Religionem, & Deo in testem invocato debitam reverentiam peccet, si mutatâ voluntate, quod verbis & voluntate promisit, opere non exequatur. Unde Deum futuræ quoque præstationis testem constitui contendunt, qui nostro sensui adversantur. Sed malè; quia Deus adhibetur tanquam testis, non ipsius præstationis, sed promissionis seriò factæ: &, si res promissa honesta justáque sit, tanquam authoritatem præstans actui, perfidiæque seu fidei violandæ, futurus ultor; ut jurans, intuitu summæ ipsius majestatis & timore pœnæ, promissionis transgressori infligendæ, ad promissionem implendam efficaciùs moveatur, *l. Jurisjurandi 2. C. de Reb. credit.* ferè, sicut in fœderum & pacis conventionibus, & Nuptiali aliísque pactionibus, quandoque adhibentur Principes ac magnates; ut eorum, tanquam testium omni exceptione & authoritate majorum, & frangendæ fidei vindicum intuitu, pacta inviolata custodiantur.

Neque demum obstat; quòd juratæ promissionis violatio Divinæ Majestatis sit contemptus; quia contemptus iste major non est, quàm violatio voti, opere non exequendô, quod Deo est promissum; cùm votô de aliquo faciendo vel omittendo directè Deo: juramento autem promissoriô directè homini promittatur, & fides detur: major autem irreverentia sit, ipsi Deo, quàm homini datam fidem violando, abuti authoritate Dei, quæ interposita fuit, ut hanc rem explicat *cit.* Suarez *cap. 3. n. 7.* cùm ergo voti violatio in materia levi lethalis culpæ reatum non inducat, ex communissima sententia TT. ipsius etiam Lessii *cit. Lib. 2. cap. 40. dub. 9.* & aliorum contrariæ Opinionis Assertorum, talis culpa etiam non erit violatio juramenti promissorii in materia levi. Unde

Rationis in contrarium allatæ vis, utcunque magna in speciem sit, penè evanescit; cùm enim juramenti promissorii violatione Deus falsi testis ab eo, qui se obligandi & promissionem implendi voluntatem, cùm juraret, habuit, non constituatur, ipsi propria perfectio scilicet veracitas, sive in cognoscendo & loquendo infallibilitas, non destruitur: quod tamen in Perjurio merè assertorio fieri est ostensum.

Neque etiam violatione ista destruitur Dei Fidelitas; quia juramento promissorio Deus non invocatur, ut promissor ejus, quod jurans pollicetur: sed solummodo tanquam promissionis factæ testis: &, cùm res promissa honesta justáque est, ut ejus authoritate atque ultionis à violatore sumendæ metu promissarius moveatur ad impletionem ejus, quod promisit, *cit.* Palao *n. 8.*

De perjurii pœnis admodum variant & confusè loquuntur DD. & Civili quidem Jure, id, quantumcunque grave sit, nulli pœnæ, ab homine infligendæ, obnoxium esse, quidâ volunt. Moventur; quòd Jurisjurandi contempta Religio satis Deum ultorem habere asseratur *l. Jurisjurandi 2. C. de Reb. credit.* Sed, sive textu hoc ab Alexandro Imp. impunitas omnimoda, ut illi: sive, ut meliùs alii volunt, à corporali duntaxat pœna immunitas decreta sit, *arg. l. Si quis major 41. C. de Transact.* hodie, perinde ut Blasphemiæ cæ- 108.

niæ, cæteráque ad Divinæ Majestatis offensam præcipuè pertinentia, etiam hoc crimen in utroque, & in Ecclesiastico Foro ex sacrorum Canonum præscripto, graviter plecti solet.

109. Quin sunt, & à Farinacio *Prax. Criminal. q. 160. n. 147.* referuntur DD. qui perjuros indiscriminatim omnes ipso Jure infames pronuntiant: idque desumunt *ex can. Infames, 6. q. 1.* textu: non quidem solo; cùm eô infamia in Perjuros, Jure anteriori decreta potiùs referatur, quàm primùm decernatur: sed junctâ *l. Si quis major 41. C. de Transact.* quâ relati Impp. aiunt, *Si quis major annis viginti quinque adversus pacta vel transactiones, nullo cogente imperio, sed libero arbitrio & voluntate confectas, putaverit esse veniendum &c. eas autem invocatô Dei omnipotentis nomine solidaverit, non solùm infamiâ notetur &c.* Ex quo Imperiali rescripto, juncto *can. Infames cit.* non ita pridem infamiâ notandæ, imò ipso Jure & facto notatæ credebantur duæ partes capituli; quòd istius statutorum, quorum observantiam in sua receptione singuli jurati promiserant, aliquod violâsse
110. viderentur. Sed in Jure non satis fundatâ credulitate; etsi enim aliqui *l. & can. citt.* Periuris infamia m decretam, omnino indistinctè affirment: id tamen generatim verum ac perpetuum non esse, verius: & *citt.* Covarruviæ *in c. Quamvis cit. p. 1. §. 7. n. 4.* Lessii *cap. 42. n. 74.* Suarez *cap. 19. n. 15.* Palao *p. 11. n. 1.* Farinacii *q. cit. n. 151.* & aliorum communior ac melior sententia est; partim; quia *l. cit.* proditis pœnis & infamiâ ex eius dispositione infligendâ, non ab ipsis Impp. inflictâ, secundùm Clarum §. *Perjurium n. 3.* Tuschum *Practic. V. Perjurus conclus. 289. n. 3.* & *cit.* Farinac. *n. 155.* affici violationem solius iuramenti Promissorii: non cuiuscunque, sed eius duntaxat, quod firmandis Contractibus est adiectum: imò eam, cæterásque pœnas *l. cit.* statutas à solius iuratæ Transactionis violatoribus contrahi multis DD. congestis docent idem Tuschus *V. Lex conclus. 284. n. 8.* Fachineus *Controvers. Lib. 1. cap. 11. V. Caterùm* Perez *in C. de Transact. n. 31.* & Wisenbach. *eâdem Rubric. n. 26.* partim verò; quia infamiam & reliquas violati iuramenti, Contractibus & ipsis Transactionibus firmandis adiecti, pœnas ab Universitatibus & Collegiis non contrahi præter alios, quos refert, tradit Farinac. *Prag. Criminal. V. Juramentum àn. 1149. & in l. Si quis cit.* Cagnola *n. 23.* Barbosa *n. 11.* & Bruneman. *n. 6.* Accedit; quòd *l. cit.* quatenus pœnas infligit, odiosa; & propterea à violatione iurati contractûs & transactionis ad aliarum promissionum iuratarum transgressionem & periuria merè assertoria non sit extendenda, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* præsertim; cùm, an ea quoad infamiam & reliquas pœnas usu recepta sit, apud *citt.* DD. aliqui in dubium vocent.

111. De Clericorum, Periurii reorum, pœnis res valde anceps est propter Jurium, alias aliásque in eos decernentium, nimiam varietatem; cùm *c. fin. de Temp. Ordinat.* à sacrorũ Ordinum susceptione & susceptorum usu ante pœnitentiam, non etiam post hanc peractam, removeantur; *c. Pervenit 2. in fine, de Fideiuss.* suspensionis ab officio & beneficio: *can. Presbyter 12. dist. 81. & c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis,* Depositionis pœnæ in eos statuantur: *c. Querelam 10. & c. Tuanos 11. hîc,* Ecclesiis suis sive beneficiis Ecclesiasticis obtentis ipso Jure, secundùm Rebuffum *de Pacif. possessor. n. 223.* aut verius secundùm Panormit. *in c. Querelam cit. n. 3.* Felin. *ibid. n. 5.* & Alexand. de Nevo *n. 14.* per sententiam privati, ad eáque obtinenda inhabiles redditi sint;

c. Cùm

c. Cùm quidam 12. pr. hic Periurium Episcoporum graviter vindicandum, gene-
112. ratim asseratur. In quam sanctionum Ecclesiasticarum varietatem intenti Suarez *cit. Lib. 3. cap. 20. n. 21.* & Laiman. *cap. 14. n. 12.* Imprimis cum communiori DD. sententia memoratarum censurarum ac pœnarum Canonicarum nullam à perjuro ipsô Jure & factô incurri, docent. Deinde, quænam ex iis, in perpetuum, vel ad tempus duntaxat, imponenda sit, Ordinarii judicis, criminis qualitates & circumstantias ponderantis, prudentiæ & arbitrio relinquunt. Et beneficiis quidem obtentis privandi, ad eáque obtinenda inhabiles ii præsertim censendi sunt, qui de periurio in judicio convicti condemnatíque & infamiâ notati sunt; quia tales sunt irregulares, *arg. can. Infames cit. & Reg. Infamibus 87. in 6.* personæ autem irregularis electio, eíque facta collatio beneficii irrita est ipsô jure, *c. Nisi cùm pridem 10. de Renuntiat. & c. Is qui 18. §. Illi verò, de Sent. Excom. in 6.* secundùm communem DD. sententiam, vel potiùs irritanda est, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 6. n. 70.* beneficium enim datur propter officium, *c. fin. de Rescriptis in 6.* cujus obeundi capax cùm irregularis non sit, capax etiam non erit beneficii firmiter obtinendi, *arg. c. fin. de Cleric. excom. ministr.* Glossa *in c. Tua nos cit.* Covarruvias *in c. Quamvis cit. p. 1. §. 7. n. 3.* Azor *p. 1. lib. 11. cap. 12. q. 10* Flam. *Lib. 4. de Resignat. q. 3. n. 10.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 45.*

Perjurii in judicio, sive falsi testimonii, cum gravi damno proximi dicti, reus falsi crimine tenetur: &, si clericus, de eo convictus, aut ejus crimen aliàs notorium sit, memoratis pœnis arbitriô ju-
113. dicis plectendus: si laicus sit, olim deportationis & publicationis bonorum pœna ei constituta fuit, *l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Falsis.* Hodie, lucri causâ in suum commodum id præsumens, imprimis omne id, quod suô perjuriô consecutus est, restituere compellendus, eíque insuper ignominiâ notato duo digiti amputandi sunt, secundùm *Ordinat. Criminal.* Caroli V. *Art. 107.* quâ digitorum amputatione etiam plectuntur, qui Urphedam, ut vocant, fregisse sive in sua relegatione præstitum de non redeundo &c. juramentum violâsse, deprehenduntur. Qui verò in causa capitali falsum 114.
adversus reum dixerit, aut ad id dicendum alium induxerit, in Romano Imperio eâdem pœnâ plectendus est, quam pejerandô alteri intentavit, ex *Ordinat. Carolina Art. 7. cit.* Haunold. *Tom. 6. de J. & J. Tract. 2. n. 527.*

Ea etiam perjurii pœna est, quòd de eo semel condemnato, de eóve convicto juramentum Suppletorium non deferatur: eúmque à testificando in judicio repellendum, habeatur *can. Quicunque, 6. q. 1. & c. Testimonium 54. de Test. & attest.* quòd, ex quo semel pejeravit, pejeraturus iterum præsumatur, per tradita *Tit. 20. n. 9.*

Neque pœnas Perjurii Civiles excludunt *l. 2. C. de Reb. credit.* verba, *Juri-jurandi contempta Religio satis Deum ultorem habet*, cùm; quia, hæc ad inconsulta & calore effusa periuria referenda, existimat Ant. Matth. *Tract. Crim. Lib. 47. tit. 16. cap. & n. 1.* quæ, licet Jus Civile conniveat, Deus impunita non relinquit: tum verò; quòd iis Imp. solùm asserat, licet periurium gravissimum & extra ordinem plectendum crimen sit, pro eo tamen quasi pro Majestatis læsæ crimine non esse proditam accusationem publicam & pœnam corporalem; quòd satis Deum habeat ultorem, Laiman *cit. n. 12.* Matth. *cit. n. 1.* & Bruneman. *in l. cit. n. 11.*

TITVLVS XXV.

De Exceptionibus.

PRobatâ actoris intentione reus condemnatur, nisi aliqua exceptione se tueatur. Unde à Probationibus, quibus actor, intentionem suam firmandô, reum oppugnat, transimus ad Exceptiones, quibus probatis reus actoris intentionem elidit.

ARTICULUS I.

De Natura, Varietate & Origine Exceptionis.

SUMMARIUM.

1. *Exceptio strictè exclusio Actionis:*
2. *Latè sumpta quacunque adversus Actorem defensio est:*
3. *Quæ replicatione, & hæc duplicatione &c. eliditur.*
4. *Dividitur exceptio in Propriam & Impropriam:*
5. *Realem & Personalem:*
6. *Dilatoriam & Peremptoriam:*
7. *Et in Civilem ac Prætoriam.*
8. *Exceptio in genere, & in specie quædam ex Naturali:*
9. *Alia ex Civili Jure descendunt.*
10. *Lege vel rescriptô tolli omnes non possunt.*

1. EXceptionis nomen à dictione *Ex* & verbo *Capere*, quasi ab actione aliquid capiat seu tollat, derivatum, bifariam, latè & strictè, sumitur. Strictè & in specie sumptum denotat exclusionem ipsius Actionis, *l. Exceptio, pr. ff. hîc*, sive defensionem, quâ reus actionem contra se propositam, & de jure subsistentem, excludit seu elidit, ostendendô, eam ob certas circumstantias hic & nunc efficacem non esse; quòd vg. reus eâ conventus gravi & injustô metu dolóve ad contrahendum inductus, debitum jam solutum, vel per acceptilationem extinctum, vel actor, se id non petiturum, juraverit, *pr. & §. 1. Instit. hâc Rubric.* Quô sensu Actio, sive generalis actoris intentio se habet instar Regulæ, quæ patitur exceptiones, eam restringentes, ut in uno vel pluribus casibus, sicut vg. Regula de eo, quod inter contrahentes conventum est, præstandô, casu, quô contractus vi metúve aut dolô extortus est, &c. non procedat, ut acutè notant *in Treutl.* Bachovius & Hunnius *Vol. 2. disp. 26. Thes. 1. pr.* Latè 2. & generatim acceptum Exceptionis nomen significat quamcunque defensionem, *l. Defensiones 11. C. hîc*, sive responsionem, quâ se reus ab intentione actoris conatur expedire, vg. ei opponendô, actionem nunquam ortam: eam, quæ orta est, jam sublatam, vel elidi posse: actorem sive accessoriam personam, aut ipsum etiam judicem, tanquam incompetentem, removendô, Hostiens. *in Summa* & Panormit. *in Rubric. præsentem uterque n. 1.*

Sicut

3. Sicut Actionem Exceptio, ita hanc elidit Replicatio, *l. Exceptio cit.* §. 1. quæ etiam ipsa, sed à reo actori objectæ exceptioni contraria, & quasi exceptionis exceptio est, *l. Exceptio 22. §. 1. ff. hic:* ad quam actoris exceptionem sive replicationem, si justa aut efficax esse non videatur, elidendam à reo ipsi opponitur Duplicatio: quæ etiam ipsa per Triplicationem ab actore, & hæc per Quadruplicationem à reo, atque ista rursum per aliam aliámve replicationem, seu novam exceptionem oppugnari solet, *cit. l. Exceptio 2. §. 3. & §. Rursus 1. Instit. de Replicat.* donec, quâ contra adversarium se tueatur, novam exceptionem non habeat: vel, ne processus nimium & in infinitum extrahatur, de earum modo & certo numero per compromissum conveniatur inter partes, vel allegationibus terminus ex officio statuatur à judice, *Auth. Jubemus C. de Judiciis*, pro qualitate causæ plures vel pauciores admittente, Harprecht *in §. Rursus cit. n. 4.* Manzius *in §. Quarum 3. Instit. de Replic. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 3.*

Latè & generatim acceptæ Exceptionis partitiones complures: celebriores verò &, vel ad ejus naturæ declarationem, vel ad Fori contentiosi praxin, utiliores sunt, quibus

4. Primò, alia Propria, alia Impropria vocatur. Propria, sive, ut etiam nuncupatur, Juris exceptio est, quæ actionem seu potiùs istius, de rigore Juris competentis, sed infirmæ, effectum excludit; cujusmodi vg. est, quâ Titius, ad ædium vel prædii venditionem metu adactus, vel dolô inductus à Cajo, istius ex empto, ad ædium vel prædii traditionem, quod de rigore Juris potest, agentis intentionem metûs vel doli mali exceptione elidit; quòd æquitati naturali adversetur, quempiam ad implendum contractum, ab adversario per injuriam extortum, compelli. Impropria sive facti exceptio est, quâ actoris intentio solùm, sive actio, quæ nunquam orta, vel jam sublata est; ac proinde nunquam, vel jam non competit, de facto tamen intentata excluditur: cujusmodi vg. est, quâ idem Titius laicum, ad ædium vel prædii nunquam venditorum traditionem ex empto agentem, pecuniam nunquam creditam, aut, si credita est, jam solutam condicentem, aut fundum jam præscriptum repetentem repellit. Ita Panormit. *ad hanc Rubric. n. 2.* Covarruvias *in Reg. Possessor p. 1. pr. n. 4.* propriam actionis, impropriam verò, intentionis exceptionem nuncupantes, Perez *in C. ad hanc Rubric. n. 3.* & Bruneman. *in l. Exceptio cit. n. 2.*

Secundò, alia Realis & alia Personalis, *l. Exceptiones 7. ff. hic:* quarum illa 5. rei sive causæ cohæret, eámque sequitur; & propterea non soli debitori, sed etiam aliis, puta hæredibus & fidejussoribus prodest: cujusmodi sunt exceptio doli mali, metûs, pacti conventi de non petendo, rei judicatæ, jurisjurandi, S. C. Macedoniani ac Velleiani & similes, *l. cit. §. 1. & §. Exceptiones 4. Instit. de Replicat.* ista verò concessa est intuitu personæ, quacum extinguitur, & ferè hæredibus dari non solet: multò minùs fidejussoribus, ut est exceptio competentiæ; ut, qui istâ gaudet, in id tantùm condemnetur, quod facere potest, ne egeat, *cit.* Perez *n. 22.* & Zœsius *in ff. hic n. 19.* Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 334. & cit.* Pirrhing *n. 2. V. Secundò.*

Tertiò, & præcipuè, alia Tempora- 6. lis & Dilatoria, alia Perpetua & Peremptoria est, *l. Exceptio 2. §. fin. l. Exceptiones 3. ff. & §. Appellantur 8. & seqq. Instit. hic.* secundum quos textus Temporalis, sive dilatoria, ad tempus duntaxat nocet, actionem non tollendò, sed so-

summodo suspendendô & temporis dilationem tribuendô. Cujusmodi exceptiones concernunt seu respiciunt aliquando personam ipsius judicis; quòd propter cognationem, affinitatem, aut aliam necessitudinem, quâ actorem contingit, suspectus, Juris imperitus, incompetens seu carens jurisdictione, aut istius omnino incapax sit, aut ab alio judice per citationem jam præventus: aliquando personam litigantis principalis; quòd vg. actor sit pupillus, servus, excommunicatus, vel ex alia causa stare in judicio non possit, vel rei sit spoliator &c. aliquando personam principali accessoriam, vg. Procuratoris; quòd talis esse non possit, vel nullô, aut non sufficienti mandatô sit instructus: aliquando locum vel tempus judicii; quòd ille propter insidias, bellum, pestem, vel aliud contagium non tutus, aut honestus: istud feriatum, vel terminus nimis angustus ac brevis sit: aliquando ipsâ causâ, ut exceptio inepti vel obscuri libelli, litis pendentiæ, plus petitionis, ne causæ continentia dividatur, quòd solutionis dies nondũ advenerit, Maranta *de Ord. Judic. p.6. membr. 9. n. 13. & 6. citt.* Haunold. *n.*263. & Pirthing *n.* 2. Perpetuæ & Peremptoriæ exceptiones sunt, quæ tollunt ius actoris, & actionem perimunt atque elidunt: quæ triplicis generis sunt; earum enim quædam actionem nunquam competivisse & ortam, vg. non legatum, non donatum, non contractum &c. aliæ actionem, quæ competebat, amplius non competere, sed extinctam, ut rei iudicatæ, transactionis, jurisiurandi, compromissi, solutionis, pacti de non petendo, legitimæ præscriptionis & similes, quæ litis finitæ exceptiones nuncupantur: aliæ actionem, sive ius agendi, quod competit, elidi & perimi posse; ac proinde illam inefficacem esse, ostendunt: cuiusmodi sunt exceptiones doli mali, metûs, erroris & similes, DD. *citt.*

Quartò, alia Civilis, alia Prætoria, §. 7. *Quarum 7. Instit. hîc:* quarum exceptionum illa ex Jure Civili descendit, ut vg. fori declinatoria, S.C. Velleiani & Macedoniani & similes: ista à Prætore, ob æquitatem Naturalem est introducta: ut exceptiones metûs, doli mali, pacti conventi de non petendo &c.

Dubium hic & prolixæ altercationis §. controversia inter DD. est de Jure, ex quo exceptiones descendunt; eas enim à Naturali descendere *ad hanc Rubricam* docent Panormit. *n.3.* Felinus *n.4.* Welenb. *in ff. n.8.* & Harprecht *pr. Instit. n.*12. quòd sint defensiones, *l. Is qui 5. ff. l. Defensiones* 11. *C. hîc & pr. cit.* ubi Imp. eas comparatas, ait, defendendorum eorum gratiâ, cum quibus agitur: defensiones autem competant Jure Naturali, *l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l.* 1. §. 37. *ff. de Vi armata, & Clement. Pastoralis* 2. §. *Cæterùm, de Sent. & re judic.* quô solô dictante Protoparentes nostri, super vetiti fructûs comestione à Deo conventi, exceptionis ope se tueri conati sunt, Adam in sociam mulierem, ista in serpentis deceptionem culpam conicienclô, Genes. *cap. 3. V.* 12. & 13. Contrà, §. eas Civili Jure introductas, contendunt Faber *Jurisprud. Tit. 2. princip. §. illat. 5.* Corrasius *Lib. 6. Miscell. cap. 16. n.* 10. & Hunnius *cit. disp. 26. q. 3. §. Verùm,* cùm; quòd exceptio sit exclusio actionis, quam supponit, *l. Exceptio 2. pr. cit.* Actiones autem à Civili Jure originem ducant, *l. Necessarium 2. §. 6. ff. de Origine Juris, l. Actionum 25. §. fin. ff. de O. & A. §. Sed istæ 3. Instit. de Action.* tum verò; quòd exceptio tolli queat lege & rescriptô Principis, *c. Ex parte 13. de Offic. deleg. l. Si quis 3. §. 3. ff. Quod quisque jur. in alt. & l. Exemplo 36. C. de Decurion.*

quibus

quibus tolli nequeunt ea, quæ sunt Juris Naturalis, arg. §. *Sed naturalia* 11. *Instit. de J. N. G. & C.* & l. *Eas obligationes 8. ff. de Capite minut.*

In hoc DD. dissidio utrique parti aliquid tribuendum, & dubitatio resolvenda est beneficiô distinctionis: quâ exceptiones in genere, & in specie etiam eæ, quæ ad innocentiæ & justæ causæ defensionem competunt, cessante omni legis humanæ dispositione, ut, quâ homicidii convictus, violentum aggressorem ob necessariam defensionem occisum, aut ad rei traditionem conventus, eam suam & petenti non debitam &c. exciperet, saltem quoad substantiam Naturalis; eæ verò, quæ, legis aut canonis dispositione cessante, non competerent, ut præscriptionis, rei judicatæ, competentiæ, S. C. Velleiani ac Macedoniani, excommunicationis & similes exceptiones quoad substantiam: cæteræ verò exceptiones saltem quoad opponendi modum, ordinem &c. Civilis aut Ecclesiastici Juris esse statuantur. 10.

Neque omnes, etiam quoad substantiam, à Civili Jure ortas, evincunt allatæ rationes. Prima; quia neque actiones omnes ex Civili, sed quædam ex Naturali æquitate: neque exceptiones omnes ex eadem, ex qua actiones, sed pleræque, prima origine inspecta, ex naturali æquitate descendunt adeò; ut inter actiones & exceptiones plerumque sit conflictus, agnitus ab ipso Imp. & *pr. Instit. hic* declaratus verbis, *Sæpe accidit, ut licet ipsa persecutio, qua actor experitur, justa*, hoc est, æquitati Civili consentanea, *sit: tamen iniqua sit*, hoc est, naturali æquitate spectata, non congruat, adversus eum, cum quo agitur. Quæ causa est, cur exceptiones pleræque Prætoriæ, hoc est, reo datæ sint à Prætore, æquitatem naturalem præcipuè attendente, *l. 1. ff. de Pactis & l. 1. ff. de Constit. Princip.* Harprecht *in pr. cit. n.* 12. Alteræ etiam ratio id non evincit; quia ex Jure naturali competentes, & ad sui defensionem determinatè necessarias exceptiones tollere Princeps, neque lege, neque rescriptô potest, Gaill. *de Pace publ. cap. 12. n. 21. & cit.* Harprecht *n.* 18.

ARTICULUS II.

De Exceptionum Oppositione.

SUMMARIUM.

11. *Exceptiones Dilatoriæ ante litis contestationem,*
12. *Et intra terminum præfixum opponi & probari debent,*
13. *Præsertim fori declinatoriæ:*
14. *Et aliæ, causa merita non attingentes.*
15. *Post eam opponi possunt, si antè protestatæ,*
16. *Aut postea ortæ, vel cognitæ sunt,*
17. *Vel antè opponi non potuerunt:*
18. *Vel processum retro nullum reddant:*
19. *Excommunicationis exceptio objici semper potest,*
20. *Etiam à reo excommunicato:*
21. *Licet huic ab actore excommunicato nequeat opponi.*
22. *Aliquando de beneficiorum pluralitate excipit, qui plura habet.*
23. *Exceptioni dilatoriæ in prima instantia omissa locus in secunda non est.*
24. *Nonnullis casibus exceptio.*
25. *Peremptoriæ post litis contestationem opponuntur,*
26. *Si earum veritas notoria sit,*
27. *Aut ad litem impediendam tendant, etiam ante eam:*

28. *Quadam etiam post sententiam opponi possunt.*
29. *Reus uti potest exceptionibus pluribus,*
30. *Et aliquando contrariis.*

11. EXceptiones, ut prosint, ab iis, quibus competunt, in iudicio, & non quocunque, neque eodem omnes tempore, allegandæ sunt & probandæ.

Dilatoriæ enim pleræque regulariter ante litis contestationem, *c. Inter monasterium 20. de Sent. & re judic. & l. fin. C. hîc*, & intra certum terminum, à iudice
12. præfigendum, proponendæ & probandæ sunt, *c. Pastoralis 4.* Ratio prioris est; quòd huiusmodi exceptiones pleræque impediant litis ingressum, & respiciant ea, quæ iudicium constituunt, scilicet personas, locum, tempus: contra quæ in principio non excipiens, in ea consentire, & excipiendi iuri renuntiare censetur, Zoesius *in ff.* & Perez *in C. hîc*, uterque *n. 5.* Posterioris ratio est; ut amputentur lites: quæ, si exceptionum allegationi & probationi terminus non præfigeretur, litigantium, aliàs aliásque sine modo opponentium, earúmque probationes extrahentium malitiâ sæpe nimiùm protraherentur, contra Regulam *c. Finem 5. de Dolo & l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis*, Vivianus *in c. Pastoralis cit. pr.* & Perez *cit. n. 5.*

13. Præ aliis autem exceptionibus dilatoriis opponenda est declinatoria Fori; quia concernit personam ipsius iudicis: quem qui ad aliquem actum approbat, eius iurisdictionem in se prorogâsse præsumitur; ut eum recusare ampliùs non valeat, Panormit. *in c. Exceptionem 12. n. 15* Bartolus *in l. Exceptionem 19. C. de Probat. n. 7.* & Gaill. *Lib. 1. observat. 33. n. 11.* Quod si eius iurisdictio prorogari nequeat, processus ex iurisdictionis defectu nullus erit, Haunold. *Tom. 5. tract. 3. n. 265.*

Neque huic de dilatoriis exceptionibus plerisque, ante litis contestationem non solùm opponendis, sed & probandis, doctrinæ obstat *l. cit.* tenor, *Exceptionem dilatoriam opponi quidem initiô, probari verò, postquam actor monstraverit, quod asseverat, oportet.* Non, inquam, ut maximè videri possit, obstat partim; quia, ut Bruneman. *ibi num. 3.* Donell. *Comment. ad l. Præscriptionem 1. C. hîc, num. 9.* probè advertunt, omnino verisimile est, textum hunc Amanuentium describentium errore corruptum, & voci *Dilatoriam* expunctæ, vocem *Peremptoriam* substituendam; quòd aliàs aperte pugnaret cum aliis Juris textibus, Dilatoriarum probationem ante litis contestationem regulariter exigentibus: & cum hujusmodi exceptionum naturâ ipsáque etymologia; cùm dilatoriæ dicantur, quòd iudicium differant, *§. Temporalis 10. Instit. hâc Rubr.* iudicium autè non differrent, si intentio sua antè actore, quàm opposita huiusmodi exceptio à reo probanda esset, Zanger *de Except. p. 3. cap. 26. n. 45.* Harprecht *in §. cit. n. 17.* & Haunold. *cit. Tract. 3. n. 291.* partim verò; quia, si interpretatio ista displiceat, & correctionis vitandæ studiô non admittatur, *l. cit.* intelli- 14
gi potest, de exceptione dilatoria non personam, sed causæ merita concernente, vg. quâ actori, centum aureorum debitum exigenti, reus eos non deberi: &, si deberentur, propter pactum, post nundinas primùm deberi, excipit; huius enim pacti initio oppositi probatio, donec actor debitum probârit, differri potest, *citt.* Zanger *n. 46.* Perez *in C. hîc, n. 5. & 46.* Bruneman *in l. cit. n. 9* & Haunold. *n. 292.* & Wiesenbach, *in l. Exceptionem cit.*

Dictum

15. Dictum autem est primò, exceptiones dilatorias ante litis contestationem opponendas & probandas *Regulariter*, propter textum *c. Pastoralis cit.* tribus casibus eas postea opponi permittentis. Primò quidem, si fuerint protestatæ, hoc est, si reus earum nominatim & in specie expressarum probationem ex iusta causa sibi reservârit, Glossa *V. Protestatæ* & 16. *ibi* Panormit. *n.* 4. Secundò, si eiusmodi exceptio de novo emerserit, vg. si iudex, propter inimicitiam cum reo, vel propter affinitatem, aut aliam necessitudinem cum actore contractam, post judicium jam constitutum cæperit esse suspectus, vel reus postea fuerit spoliatus; nam, quæ de novo emergunt, novô indigent auxiliô, *l. De ætate* 11. §. *8. ff. de Interrog. fac.* Glossa *in c. cit. V. De novo.* 17. Tertiò, si exceptionem, quæ priùs competebat, post judicium jam cæptum ad suam notitiam perveniſſe, nec se in perquirendo antea fuisse negligentem, reus firmaverit juramentô, *citt.* Glossa, *V. Postmodum*, & Panormit. *n.* 23. Cui casuum ternario idem Panormit. *n.* 4. addit quartum, si idem juraverit, exceptionem antea non potuisse probari; *arg. c. Ut circa* 4. ibi, *Nisi super antiquis superveneriit probandi facultas*, *de Elect. in 6.* paria enim reputantur, exceptionem non competere, & non posse probari, Panormit *in c. Pastoralis cit. n.* 3. Alii quintum apud Barbosam *in c. cit. n.* 11. Nisi exceptio, antea omissa, statim & in continenti post litem contestatam aut lapsum terminum opponatur; quia, quæ in continenti fiunt, inesse censentur, *l. Lecta* 40. *V. Dicebam, ff. de Reb. credit.* 18. Dictum secundò est, *Pleraque;* quia post litem contestatam opponi possunt Exceptiones dilatoriæ Primò, quæ processum retro nullum reddunt: ut sunt exceptio Falsi procuratoris, sive, quòd mandatum non habeat: vel, quod habet insufficiens, revocatum, aut datum sit ab eo, qui procuratorem dare non potest, *l. Licet* 42. *C. de Procurat.* Bruneman. *in l. Qui procuratorem*, 57. *ff. eâdem Rubr. n.* 2. Falsi tutoris, *arg. Rubric. & text. l. &c. ff. Quod falso tutor.* Bruneman. *ibid. n.* 6. Incompetentis judicis, *arg. l. Si militaris* 2. *C. Si à non compet.* non cujuscunque, sed ejus, cujus jurisdictio prorogari non potest, vg. Secularis respectu clerici; cùm iste in illum nequeat consentire, *c. Si diligenti* 12. *de Foro compet.* Panormit. *l. cit. n.* 16. Gonzalez *in c. Exceptionem cit. n.* 5. *in fine*, & *cit.* Bruneman. *n.* 5. Secundò, si exceptio habeat gravamen successivum, ut exceptio loci non tuti: quam quandocunque, etiam post litem contestatam, opponi posse, *arg. l. De ætate cit.* cum Alexand. *ibi* tradunt Felinus *in c. Accedens* 4. *Ut lite non contest. n.* 16. & Hunnius *Vol.* 3. *post disp.* 26. *q.* 22. *V. Idem.* Tertiò, exceptio excommunicationis majoris: quam in quacunque judicii parte opponi posse, *c. Exceptionem cit. c.* 1. *in* 6. *& Clement. Unicâ* habetur. Ratio est partim; quòd reo semper liceat vitare excommunicatum: imò, si iste notorius clerici percussor, aut denuntiatus sit, communionem cum eo fugere debeat; ne excommunicationem, saltem minorem, ipse quoque incurrat, *c. Cùm non ab homine* 14. *de Sent. Excom.* partim verò; quia excommunicatio judicis omnia acta & processum retro nullum reddit, ut *arg. c. Ad probandum* 24. *de Sent. & re judic.* dictum est *Tit.* 1. *n.* 27. Unde

Dubium oritur, an exceptio excommunicationis opponi valeat à reo, etiam excommunicato. Certum est, huic permissas exceptiones alias, *c. Cùm inter* 5. quia exceptio ab agendo repellit, habétque rationem defensionis, excommuni- 19.

cato cui-

cato cuicunque permissæ, Glossa *in c. Intelleximus 7. V. Conveniri, de Judiciis.*

Non permissam autem ipsi exceptionem excommunicationis, & hâc oppositâ actorem ab agendo non repelli, desumi videtur partim ex decisione Innocentii III. *c. Anobii 2.* relati, & excommunicationis exceptionem reo permittentis ex ratione; quòd ipse solùm minori, actor vero majori ex comunicatione sit ligatus. Unde à contrario infertur, eam exceptionem reo non permissam casu, quô majoris vinculô etiam ipse ligatus esset: partim ex *c. Cùm Ecclesiasticæ 3.* ubi plura beneficia obtinenti exceptio pluralitatis beneficiorum negatur: eámque negandam dictat æquitas; cùm iniquum omnino sit, ut quis in alio reprobet, quòd in se ipso tolerandô probat, *can. Judices, 3. q. 7. & can. 1. & seqq. 32. q. 6.*

20. Sed, sicut cæteras, sic excomunicationis quoque exceptionem excommunicato permissam, Interpp. *in c. Anobis cit. & c. Dilecti 8.* aliorúmque DD. communis sensus & ratio est; quia Regulæ generales sunt; quòd actor excommunicatus ab agendo valeat, &, si vitandus sit, debeat repelli, *c. Intelleximus c. Exceptionem citt. & c. Decernimus 8. de Sent. Excom. in 6.* &, quòd omnis legitima defensio reo, etiam excommunicato, in judicio reservetur, *c. Significavit 11.* à quibus Jure exceptus non est casus, quô reus excommunicatus se contra actorem defendit, opponendô ei exceptionem excommunicationis.

21. Neque refert; quòd *c. Anobii cit.* replicatio excommunicationis non permittatur actori; quia actoris replicatio, cùm per eam institutam actionem prosequatur, oppugnationis: rei autem exceptio, defensionis rationem habet, *c. 1. in 6.* excommunicato autem actionis prosecutio & oppugnatio difficiliùs, quàm defensio reo permittitur, *c. Intelleximus & c. Significavit citt.* cùm iste illô favorabilior sit, *l. 125. ff. de R. J.* Panormit. *in c. Anobii cit. n. 8. ubi* Laiman, *n. 2.* & Gonzalez *à n. 6.*

Neque obstat arg. à contrario desumptum; quia vim non habet, quando eo illati contrarium Jure est expressum, ut *ex c. Anobii cit.* illati contrarium, *c. Significavit cit.* &c. Panormit. *ibid. n. 4.* Felin. *n. 2.* & Menoch. *Lib. 3. præsumpt. 93. num. 5.*

Neque etiam paritas cum exceptione pluralitatis beneficiorũ, non admissa, *c. Cùm Ecclesiasticæ cit.* cùm; quia exceptio ista opposita fuit ab actore, scilicet canonicis oppugnantibus, alteri faclam à canonicatûs collationem: non à reo, defensionis necessitate actorem repellente: tum verò; quia, licet à canonicis reis opposita fuisset, admittenda tamen non fuit propter naturam judicii, *in c. cit.* casu instituti, scilicet Possessorii retinendæ; cùm enim crimina, in modum exceptionis objecta, ad aliquem à possessione deijciendum non sufficiant, arg. *c. Cùm dilectus 2. de Ord. cognit.* pluralitatis exceptio meritò rejecta fuit, *c. Cùm Ecclesiasticæ cit.* admittenda, si Adipiscendæ possessorium fuisset intentatum, *c. Cùm adeò 17. de Rescript.* Neque aliud evincit ejus exceptionis non admittendæ ratio; quòd de pluralitate excipere nequeat, qui plura beneficia etiam ipse habet; quia hæc ad confundendam canonicorũ malitiam, non ad causam decisionis finalè exprimendam, adjecta fuit, ut non obscurè colligitur ex dictione *Præsertim*, quæ verbis *Cùm exceptionem* præmittitur *in c. cit.* integrâ lectione, à Gonzalez relatâ, & exceptionem etiam non admittendam, insinuante, quantumvis canonici plura beneficia non obtinerent, *arg. c. Veniens 19. de Præscript.* ut *ibi* notat Panorm. *n. 2.* & Gonzalez *in c. Cùm*

c. Cùm Ecclesiastica cit. n. 5. quia dictio *Præsertim* casum minùs dubium ita exprimit, ut magis dubium includat, *l. fin. ff. de Lib. exhib. ubi* Glossa, *V. Præsertim*, & Menoch. *de Arbitr. casu 416. n. 19.*

23. Dubium etiam de cæteris exceptionibus dilatoriis est, an in prima instantia omissæ, opponi valeant in secunda. Quod suadere videtur, *l. Per hanc divinam 4. C. de Temp. appell.* ex qua Regulæ instar tradi solet, in secunda instantia allegari & deduci posse omnia, quæ allegata & deducta non sunt in prima. Neque id sine ratione; quia causa appellationis sortitur naturam causæ principalis, *l. 1. in fine, ff. An per alium. caus. appell.* in qua omnes exceptiones dilatoriæ opponi ante litem contestatam possunt, per *textus citt.* Sed non persuadet; cùm, eas in secunda instantia opponi regulariter non posse, evincat, *l. Ita demum 13. C. de Procurat.* ubi admissa non est militi in secunda instantia objecta exceptio inhabilitatis ad munus procuratoris, quæ in prima fuit prætermissa. Ratio est; quòd exceptionem dilatoriam, quâ judicis, actoris, vel procuratoris personæ removeri possunt, in prima instantia non opponens, eas approbâsse, & contra eas opponendi juri tacitè renuntiâsse, censeatur. Cui non obstat; quòd procuratoriæ exceptiones semper opponi queant, *l. Licet cit.* quia lege ista agitur de exceptionibus, quæ defectum aut insufficientiam mandati, non quæ personæ inhabilitatem, concernunt, juxta dicta & notata à Brunemann. *in l. Ita demum cit. n. 5.*

Regula, in contrarium allata, vera quidem: at de iis solùm exceptionibus exaudienda est, quas allegandi tempus in prima instantia lapsum non est: dilatorias autem opponendi tempus lapsum est per litis contestationem, quæ in secunda instantia de Jure necessaria non est; cùm ad hanc porrigatur, quæ facta est in prima, *c. Per tuas 58. de Appellat. & l. fin. §. 4. C. de Temp. appell.* Caldas *in l. Si Curatorem 3. C. de In Integ. restit. V. Per quod prist. jus recup. à n. 42.* Harprecht *in §. cit. à n. 24.* & Haunold. *Tract. cit. à num. 293.*

Dixi tamen, *Regulariter*, propter casus, quibus exceptiones dilatorias post litem contestatam opponi posse, jam est dictum, iis enim casibus omnibus eas opponi in secunda instantia posse, advertit idem Haunold. *num. 294.* Hactenus de exceptionibus dilatoriis. 24

Peremptoriarum, licet pleræque post, earum tamen quædam etiam ante litem contestatam: imò aliquæ post sententiam jam latam opponi possunt. Quænam autem, planum distinctio reddet. 25.

Et primò quidem eas, quæ jus & actionem ortam, & actori competentem elidi aut reprimi posse ostendunt, regulariter post litis contestationem & ante sententiam definitivam opponendas & probandas, satis convenit inter DD. & desumitur ex *c. 1. & c. fin. de Litis contest. in 6. l. Cùm nondum 4. C. hîc & l. Peremptorias 2. C. Sent. rescindi posse.* Ratio est; quia hujusmodi exceptiones propriè sunt exclusio actionis, *l. Exceptio 2. ff. hîc:* excludi autem & perimi actio non potest, antequam proposita sit in judicio: quod constituitur per litis contestationē, Maranta *cit. memb. 9. n. 17.* & Perez *in C. hîc, n. 10.*

Secundò, exceptiones peremptorias, quarum veritas notoria est, ut actorem calumniari, palam & indubitatè constet, ante litis contestationem objici: earúmque objectione hanc impediri, pariter sine controversia & meritò receptum est; ne reus laboribus & impensis frustra fatigetur, *citt.* Perez *n. 11.* & Haunold. *num. 311.* 26.

27. Tertiò, ante eandem litis contestationem opponi possunt exceptiones peremptoriæ, quæ impediunt litis ingressum: cujusmodi sunt, quibus nullam actionem ortam, nullúmque jus actori competere, reus ostendit: &, quæ dicuntur litis finitæ, *c. 1. & c. fin. citt.* quia præter rem principalem etiam instantiam concernunt; cùm ex una, reus eas opponens ullum jus & actionem actori non competiviſſe: vel jus, quod habebat, extinctum affirmet: &, quia, quod semel extinctum est, amplius non revivisci, *l. Quia res 9. §. 8. ff. de Solutionibus*, actionem, quam habebat, de præsenti ei competere, reus neget: ex altera verò parte, qui jus & actionem de præsenti non habet, convenire in judicio seu litigare non possit, *l. Pupilli 6. §. 12. ff. de Negot. gest.* Francus *in c. 1. cit. n. 18. citt.* Maranta *n.* 12. & Perez *n. 11.* ubi cum Bartolo *in l. Cùm quærebatur 13. ff. Judicatum solvi n. 3.* salubriter monent, hujusmodi exceptiones, ut ingressum & contestationem litis impediant, confestim & in continenti probandas: sicque in modum declinatoriæ potiùs, quàm peremptoriæ exceptionis, ad causæ processum impediendum magis, quàm ejus merita confutanda, proponendas. Si verò ita probari non possint, sed altiorem indaginem requirant, iis, ante litis contestationem oppositis, hanc non impediri, eâsque ad ipsa causæ merita reservandas, doctrina est, *citt.* Bartoli *n.* 3. Marantæ *n.* 14. & Hunnii *q.* 24. *V. Cæterum.*

28. Quartò, Nullitatis, & quibusdam aliis exceptionibus peremptoriis locus etiam est post sententiam definitivam; quantumvis enim istâ gravatis ad appellationis remedium sit recurrendum, opponi tamen aliquando post eam latam, & latæ in rem judicatam transitum possunt non solùm Nullitatis, sed aliæ quoque exceptiones, quibus non quidem sententiæ justitia oppugnetur, sed executio impediatur, *arg. l. 1. C. de Re judicata*, Gaill. *Lib. 1. observat. 113. n. 5. citt.* Maranta *n. 18.* & Perez *n. 12.* Cujusmodi, præter eas, quæ sententiam retro nullam reddunt, sunt exceptiones SCT.i Macedoniani & Velleiani, filiosamilias mutuam pecuniam accipienti, & mulieri pro alio intercedenti, Competentiæ clerico obærato, & nonnullis aliis, ne in plus executio fiat, quàm retentâ congruâ sustentatione possunt, competentes: item exceptio cessionis bonorum, compensationis impensarum factarum, in integrum restitutionis & similes, de quibus *citt.* Harprecht *n. 14.* & Perez *n. 12.* & Zanger *p. 3. cap. ult.*

Porrò non unâ duntaxat, sed pluribus exceptionibus, simul & successivè, uti reo est permissum, *l. Is qui 5. & l. Nemo 8. ff. hic*; cùm nihil aliud sint, quàm defensiones: pluribus autem defensionibus uti quis non prohibeatur, *l. Is qui cit. & Reg. Nullus 20. in 6.* Sic enim post exceptionem jurisjurandi, ad rei judicatæ, post allegationem privilegii ad præscriptionis & alias similes exceptiones potest recurri: & excipiendò negans homicidium, si de isto convincatur, rursum excipiendò ad sui defensionem, servatò inculpatæ tutelæ moderamine, hominem occisum, allegare potest, *l. Nemo 430. pr. ff. hic. citt.* Perez *n. 28.* & Haunold. *n.* 322.

Neque obstat; quòd, cùm ejusdem rei nomine competunt actiones plures, unâ experiri actor debeat, *l. Nemo cit.* §. 1. quia plus quàm huic, reo permissum, ex *citt.* textibus indubitatum: eique plus permittendi ratio fuit; quòd actor sponte & paratus ad judicium veniat; cùm, sicut litigare, ita, quâ potissimum actione uti velit, deliberare & statuere possit: reus con-

reus contra in id trahatur & pulsetur invitus atque imparatus; ut proinde misera & in causæ casum prona foret ejus conditio, si non nisi unâ defensione uti posset, *cit.* Perez *n. 29.*

29. Quin reus pluribus, non solùm diversis, sed etiam contrariis exceptionibus uti potest: non quidem absolutè & copulativè, sed disjunctivè, aut sub conditione; sic enim Parocho super decimis agenti opponere reus potest, privilegium exemptionis: vel, si istô tutus non sit, Canonicam præscriptionem. Sic, ad pecuniæ mutuatæ restitutionem conventus, eam non acceptam: vel, si accepta est, eam jam solutam, vel remissam excipiendô opponere potest: dummodo id bona fide fiat, Dynus *in Reg. Nullus cit. n. 6.*

30. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 48.* Cui non adversatur Regula de eo, qui contraria allegat, non audiendo, *l. 1. C. de Furtis*; quia actori posita magis est, quàm reo: cui favore libertatis utroque Jure indulgetur; ut quovis modo & quibusvis allegationibus, etiam contrariis, se defendat: dummodo sibi non contradicat, allegationum contrariarum utrámque veram esse asserendô, sicut contingeret, si excipiendo, se privilegiô & præscriptione exemptum, solvisse & debitum esse remissum, non occidisse & occidisse ob necessariam sui defensionem, absolutè & copulativè asseveraret, Dynus *cit. n. 6.* & Perez *cit. n. 28.* Qua de re sermo redibit *ad Reg. Nullus cit.*

ARTICULUS III.

De Effectibus Exceptionis.

SUMMARIUM.

31. *Exceptionem probare reus tenetur:*
32. *Non tamen intentionem actoris,*
33. *Neque iste replicandô rei exceptionem fateri censetur:*
34. *Nisi confessio verbis clarè expressa,*
35. *Vel præmissa sit exceptioni.*
36. *Exceptiò probata actionem excludit,*
37. *Perpetuo vel saltem ad tempus:*
38. *Et fidejussori prodest, si Realis:*
39. *Non etiam, si Personalis sit,*
40. *Eáque fidejussor ex propria persona se tueatur.*

EXceptionis duo præcipuè sunt Effectus Primus, quòd reum faciat actorem, *l. 1. ff. hic*, quoad onus probandi; cùm, sicut actor intentionem suam, ita exceptionem suam probare teneatur reus, *l. Si pactum 9. l. In exceptionibus 19. pr. & §. 2. ff. de Probat.* Secus actori, intentionem suam plenè probanti, succumbet & condemnabitur in expensis, Speculat. *de Expens. §. 3. num. 4.* & Pacianus *de Probat. Lib. 1. cap. 58. n. 2. & 9.* Probanti, *inquam*; quia, actore intentionem suam non probante, reus ei contradicendo, etsi aliud non præstiterit; ac proinde etiam si ad actoris intentionem elidendam excipiendô nihil oppossuerit, aut exceptionem ei oppositam non probaverit, est absolvendus, *c. Fin. §. Sanè, de Jurejurando & l. Si quidem 9. C. hic*, Panormit. *in c. 1. de Ord. Cognit. num. 10.* Alexand. de Nevo *ad præsentem Rubric. n. 7.* & Pacianus *cit. cap. 58. n. 57.* Ubi 31.

Celebre & in praxi utile dubium 32.
est, an reus excipiens censendus sit confiteri, quæ continentur in exceptione, vg. an, centum ex mutuo debitos petenti, excipiendô opponens factam solutionem, vel pactum de non petendo, censendus sit debitum confiteri. Ratio dubitandi minimè levis est; quòd, qui confitetur aliquid, confiteri censeatur, quæ ex eo necessariò sequuntur, *arg. 6. Transiato 3. de*

Conſtit. & Regulariter, qui vult cõſequens, velle cenſeatur & antecedens, *arg.* §. *Idemque 2. Inſtit. Quibus ex cauſ. manumitt. & l. Illud 76. ff. de Adquir. hæredit.* Sic enim ab excommunicatione abſolutionem petens, & per transactionem ab Epiſcopi jurisdictione ſe exemptum, excipiens, cenſurâ illâ ſe ligatum, aut Epiſcopali jurisdictioni aliquando ſubjectum fuiſſe, confiteri exiſtimatur, *c. Venerabilem 34. V. Fuit quoque, de Elect. & c. Præterea 10. de Transact.*

Sed huic rationi & pro ea allegatis Juris textibus prævalet clara deciſio Innocentii III. *c. Cùm venerabilis 6.* negantis, eum, qui excipiendô aſſerit, Eccleſiam ex permutatione cum Epiſcopo facta à ſe obtineri, hac ſua exceptione Epiſcopum ejus dominum antè fuiſſe, confiteri: & *l. Non utique 9. ff. hîc*, iisque conſonæ Regulæ, *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adverſarii confiteri*, quæ eſt *63. in 6.* Ratio duplex eſt. Una; quòd actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit.* exceptionem autem actori objiciens reus plus non intendat, quàm excludere ab eo propoſitam actionem, *l. Exceptio 2. ff. & pr. Inſtit. hîc*; ac proinde illa haberi non poſſit pro confeſſione intentionis ipſius actoris; quia ita ultra excipientis intentionem progrederetur; reus enim excipiens actoris intentionem non firmare, ſed elidere intendit. Altera & melior ratio eſt; quòd exceptio oppoſita cenſeatur ſub conditione, ſi actor intentionem ſuam, vg. mutuum datum, dominium, permutationem antecedentem probârit; cùm enim utroque Jure recepta Regula ſit; quòd, actore non probante, reus, etſi nihil præſtiterit, ſit abſolvendus, *c. fin. §. Sanè, de Jurejurando, l. Actor 23 C. de Probat.* &c. reus opponens exceptionem id facere cenſeatur ea conditione; ut, actore non probante ſuam intentionem, nec ipſe probare teneatur, & hæc ipſi non obſit.

Sicut reus excipiendô actoris intentionem, ſic illius exceptionem replicandô elidens actor non confitetur; cùm, ſicut exceptio ad actoris intentionem & actionem, ita ſe iſtius replicatio ad exceptionem & triplicatio etiam ad replicationem habeat, *arg. l. Exceptio 2. §. 1. & ff. hîc*, Gloſſa *Unica in Reg. Exceptionem cit.* Jordanus *Vol. 3. Lucubrat. Lib. 14. tit. 23. n.* 107. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 46.* 33.

Ratio dubitandi veriſſima eſt: ſed in exceptione intentionis confeſſionem includi, non evincit; cùm neceſſariæ conſequentiæ non ſit, ſolvi: ergo debitor fui, rem poſſideo ex permutatione: ergo in dominio permutantis fuit; quia ſolvi potuit indebitum, & permutatio de facto tantùm interveniſſe, ut *in c. Cùm Venerabilis cit.* notant Gloſſa *V. Confeſſus*, Panormit. *n. 26.* & alii magnô numerô relati à Paciano *de Probat. Lib. 1. cap. 22. num. 15.*

Neque urgent, *c. Venerabilem & c. Præterea citt.* relata exempla; quia poſteriori hoc textu Fratres, qui vi transactionis, ab Epiſcopi jurisdictione ſe exemptos, exceperunt, ei antè ſubjectos ſe fuiſſe, diſertè confeſſos, ex textu conſtat. Priori autem, cenſuræ antè contractæ confeſſio infertur ex abſolutionis petitione; quòd hanc ab eo ſolùm, qui ſe ligatum credit, peti præſumatur, *arg. c. Per tuas 40. V. Quod ſi, de Sent. Excom.* non ex abſolutionis exceptione; hanc enim actori excipiendô objiciens, præcedentem excommunicationem ad fundandam actoris intentionem confiteri non cenſetur, ut cum Covarruvia *in c. Alma, p. 1. §. 12. n. 1. V. Secundò*, notat Gonzalez *in c. Cùm Venerabilis cit. n. 12. in fine.*

Non de-

35. Non desunt tamen à Regulari hac doctrina exceptiones & casus, quibus excipiens pro confesso habetur: veluti, si exceptioni vg. solutionis confessionem debiti præmittat, juxta *c. Praterea cit.* si adversus confitentem militet præsumptio, vg. contra accusatum de homicidio, si excipiat, *Me defendendô occidi*; talem enim, si defensionem non probet, pro confesso & homicidii reo haberi, cum Felino *in c. Cùm Venerabilis cit. n. 15.* tradit Pacianus *cap. cit. n. 29.* & plures alii apud illum & hunc *cap. 23. n. 1.* cum Glossa *cit.* salubriter monentem, in praxi ad evitandos laqueos utendum exceptione conditionatâ, vg. si mutuasti, solvi, vel pactus es de non petendo; cùm, reô sic excipiente, intentionem suam probandi onus actori indubitatè incumbat.

36. Alter exceptionis effectus est; quòd in judicio allegata & probata excludat id, quod in intentionem condemnationémve est deductum, *l. Exceptio 2. pr. ff. hic:* quem suô modô etiam dilatoria exceptio producit; etsi enim, istâ probatâ, reus non, ut probatâ peremptoriâ, defi-
37. nitivè ab instituta actione: interlocutoriè tamen absolvitur à judicii observatione; ut id, quod in intentionem deductum est, ad tempus saltem excludat.

38. Dubium est, an exceptiones reo competentes ejus hæredibus & fidejussoribus prosint. Eas his quoque prodesse, voluêre Dioclet. & Maxim. *l. 7. C. hic* quâ relatum Imperiale rescriptum est, *Defensiones sive exceptiones, quibus reus principalis, integro statu manente, munitus est, ad intercessores*, multò magis ad hæredes, *extendi, constat.* Id ipsum suadet ratio, partim; quòd omnino incivile sit, eum, qui pro alio, donec liberetur, se obligat, istô exceptionis ope liberatô, indamno versari, & compelli ad solutionem: partim verò; quòd, si exceptiones reo, sive debitori principali, adversus actorem, sive creditorem competentes, fidejussoribus pro illo intercedentibus non accommodentur, exceptionibus suis ipso etiam debitori principali prospectum non sit; cùm, à fidejussoribus præstitâ pro ipsis solutione, obnoxius sit actioni mandati, quâ à fidejussoribus conventus reddere ipsis cogatur, quod pro ipso est solutum.

Sed *l. 7. cit.* hac ratione roboratæ dispositio perpetua non est; cùm exceptiones, quibus defenduntur rei, fidejussoribus non semper proficuas esse, satis perspicuè indicetur *§. fin. Instit. de Replicat.* ubi eæ fidejussoribus accommodari dicuntur *Plerumque*: non *Semper*. Quare communis DD. interpretatio; ne *§. cit.* dictio *Plerumque* cum textu *l. 7. cit.* pugnet, hâc relatô Impp. rescriptô fidejussoribus accomodari, ait, quascunque exceptiones reales, & reorum sive debitorum principalium personis, ratione læsionis, in re factæ, competentes: ut sunt Rei judicatæ, factæ solutionis, pacti conventi de non petendo, jurisjurandi, metûs, S. C. Velleiani & Macedoniani & similes exceptiones; cùm propter rationem allatam: tum, quòd hujusmodi exceptiones videantur minuere & quasi auferre ipsum debitum principale, sine quo fidejussio tanquam accessoria consistere non potest, *l. Fidejussor 16. pr. ff. de Fidejuss. & l. Cùm principalis 178. ff. de R. J.* Exceptiones autem merè per- 39.
sonales, ut sunt, quæ patri, patrono, marito, donatori, Socio, ultrà quàm facere possunt, conventis competunt, fidejussoribus & ipsis etiam hæredibus prodesse negat; quòd tales exceptiones specialiter concessæ sint intuitu pietatis, reverentiæ, indigentiæ: quæ cùm illorum, non etiam hæredum & fidejussorum, personas concernant, his non competent merè perso- 40
nales illorum exceptiones; ne privilegi-

um merè personale personam ejus, cui concessum est, egrediatur, contra Regulam *l. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip.* quæ inter exceptiones reales ac personales distinctio prodita est §. *fin. cit. & l. Exceptiones 7. pr. & §. 1. ff. hîc*, Zanger *p. 3. de Except. cap. 26. n. 216.* Zœsius *in ff. hîc n. 20.* Perez *in C. hîc n. 23. & 24.* Bruneman. *in l. Defensiones cit. à n. 1.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 334.*

Neque personales exceptiones, si fidejussoribus non accommodentur, reo sive debitori principali, vg. patri, marito, donatori inutiles evadent; quòd pecuniam pro ipsis solutam repetere queant fidejussores: aut, si nequeant, in damno ipsi versentur; quia fidejussores super rei, sive debitoris principalis, personali, exceptione muniti, debitô conventi petere possunt; ut judicium transferatur in principalem: vel huic denuntiare; ut veniens ex propria persona susceptò judiciô exceptionem opponat, & fidejussorem non condemnari, suâ interesse ostendat. *l. Idemque 10. §. 12. ff. Mandati.* Quod si fiat, neque fidejussores in damno versantur, neque reo sive debitori principali jure competens exceptio inutilis evadit, *citt.* Zœsius *n. 23.* & Perez *n. 25.* Unde rectus, exceptiones personales fidejussoribus accommodari negantes, ita exaudiendi sunt; ut illis hi ex propria sua persona uti non possint: non; ut ipsis etiam non prosint, quando à principalibus, translatô in se judiciô, opponuntur, *citt.* Zœsius *n. 23.* & Perez *n. 25.*

TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

Peremptoriæ Exceptionis species est Præscriptio, quâ bonæ fidei possessor pristinum Dominum, rem quasi suam repetentem, repellit, ei opponendô possessionem, tempore & modô Legibus definitô, continuatam.

ARTICULUS I.

De Præscriptionis Natura & Honestate.

SUMMARIUM.

1. *Definitio Præscriptionis:*
2. *Quæ confundi solet cum Usucapione:*
3. *Propriè tamen accepta ab ista differt.*
4. *Est modus dominij acquirendi,*
5. *Etiam in foro Conscientiæ.*
6. *Eâ dominium authoritate publicâ transfertur;*
7. *Ut certa sint rerum dominia,*
8. *Diminuantur lites,*
9. *Et res suas conservandi industria excuatur.*
10. *Stricta tamen est interpretationis.*
11. *Rem præscriptam pristino domino scienter reddens eam revocare nequit.*
12. *Potest, qui, eam præscriptam, fatli,*
13. *Aut Juris, errore ignoravit.*
14. *Præscriptioni renuntiari posse, negantium,*
15. *Et affirmantium verior Opinio.*

Est e-

1. ESt enim Præscriptio, ut à sacrorum Canonum Interpretibus accipitur, & Usucapionem includit, Adjectio sive acquisitio dominii vel quasi, aut alieni juris peremptio sive extinctio, per continuationem possessionis, tempore & modô Legibus aut sacris Canonibus definitô. Ita à Modestino *l. Usucapio 3. ff. de Usucap. & Usurp.* traditam Usucapionis definitionem cum RR. DD. intelligunt, & Præscriptioni accomodant Palao *Tract. 31. disp. Unic. p. 22. §. 1. n. 3.* Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 157.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2. & 3.*

2. Quantumvis autem Præscriptio cum Usucapione passim confundatur, ab ista tamen reipsâ variè, & secundùm laudatos DD. hodie, sicut genus à specie, præcipuè differre censetur; quòd, cùm ista sive Usucapio res duntaxat corporales: Præscriptio præter has etiam incorporales afficiat, omnis quidem usucapio etiam Præscriptio: non omnis autem, sed ea solùm præscriptio, quæ rerum corporalium est, usucapio dici possit; quia ista, ut ipsum nominis etymon demonstrat, sine possessione, quæ propriè rerum corporalium est, non procedit, *l. Servus 43. §. 1. ff. de Adquir. rerum domin.* secun-
3. dùm magis propriam autem & primariam nominum significationem distinguuntur, sicut causa ab effectu; cùm usucapio ipsa dominii per possessionis legitimam continuationem acquisitio sit, *l. Usucapio cit.* præscriptio verò sit exceptio, quâ prior dominus ab eo, qui usucæpit, à limine judicii removetur, in usucapione sive dominii acquisitione fundata, *l. Emptor 9. & l. fin.* ibi, *Et decennij præscriptione agentem excludi, C. de Præscript. longi temp.* Arnold. Rath. *Tract. de Usucap. cap. 1. n. 3. citt.* Haunold. *à n. 155.* & Pirrhing *n. 2.* Unde

Patet, Præscriptionem esse modum 4.
dominii vel quasi, aut juris, tam realis quàm personalis, independenter à voluntate seu consensu alterius acquirendi vel perimendi, legibus Civilibus introductum, & sanctionibus Ecclesiasticis, quatenus peccatum non fovet, approbatum. Ubi

Dubium & magni in praxi usûs ac 5.
momenti controversia est, an Præscriptioni in foro etiam conscientiæ interno sit locus. Quod apud Glossam *in c. Vigilanti 5. V. Noverit* & Covarruviam *in Reg. Possessor, p. 2. §. 2. n. 1.* aliqui DD. negant, eámque in foro solùm externo vim habere volunt, eâ persuasi ratione; quòd, rem suo domino reddendam, dictet Jus Naturale: idémque Jus, aliquem cum alterius detrimento & injuria locupletari, non permittat, *l. Jus Naturale 206. ff. & c. Locupletari 48. de R. J. in 6.* Juri autem Naturali lege Positivâ nequeat derogari, §. *Sed Naturalia 11. Instit. de J. N. C. & C.*

Sed, sicut communis, sic vera quoque sententia est, Præscriptionem etiam in interno foro procedere; ac proinde rem vg. prædium, post ejus præscriptionem legitimè perfectam, salvâ conscientiâ retineri posse: eámque pristino domino repetenti restituendi obligationem non dari; ita enim cum Glossa *cit.* & Panormit. *in c. Vigilanti cit. n. 6.* sentit Sylvester, *V. Præscriptio 1. q. 13* Balbus *de Præscript. p. 2. princip. p. 3. q. 9. à n. 1.* Covarruvias *cit. n. 1.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 61. à n. 6.* Lessius *Lib. 2. de Justit. cap. 6. à n. 50.* & melioris nominis ac notæ TT. & JCT. i plerique. Ratio, quâ nituntur, 6.
unica, sed solida est; quòd Princeps & alius supremus Magistratus, præter jus jurisdictionis in subditos, habeat etiam dominium altum in eorum bona: vi cujus dominii de his, præsertim per legem,

omnes

omnes æqualiter adſtringentem, diſponere poteſt, prout commune bonum & totius Reipublicæ felicitas exigit, & ſine aliorum non ſubditorum injuriâ fieri poteſt; quia Reſpublica, eô ipsô, quòd aliquem Principem, aut ejusmodi Magiſtratum conſtituit, poteſtatem ipſi tribuit condendi leges, quas ad bonum & utilitatem Reipublicæ iſtiúsque civium conducere exiſtimârit. Cùm ergò Princeps & alii Magiſtratus ſupremi, poſcente vel ſuadente Reipublicæ iſtiúsque civium neceſſitate utilitatéque, ſtatuerint; ut res certô tempore modóque poſſeſſæ præſcriberentur, earúmque dominium tranſiret ad poſſidentem, hic rem eô tempore modôque poſſeſſam ac præſcriptam, ſalvâ conſcientiâ, poterit retinere. Confirmatur; quia, qui in foro externo juſtæ & receptæ legis beneficiô tutus eſt, ne reſtituat, neque in interno obligatus eſt ad reſtituendum: quod generalis Regulæ inſtar tradit Laiman. *Lib. 1. tract. 4. cap. 17. n. 3.* Cùm ergo *ll.* Præſcriptionum Civiles juſtæ ſint: & ſacris Canonibus, qui conſcientiis hominum ex fine ſuo conſulunt, præſcriptio ſolùm rejiciatur, quando malâ fide nititur, & peccatum fovet, *c. Vigilanti cit. c. fin. hîc & Reg. Poſſeſſor 2. in 6.* in Foro etiam interno non dabitur obligatio reſtituendi rem legitimè præſcriptam.

Neque iſtius retentioni adverſatur ratio contra eam allata, cùm; quia eô ipsô, quòd per viam præſcriptionis & authoritate legis rei dominium translatum ſit in præſcribentem, prioris domini & aliena; ac proinde, reſtitutioni obnoxia, deſiit eſſe: tum verò; quia Jus Naturale ſolùm prohibet locupletationem cum alterius jactura injuſta: cujusmodi non eſt, quæ fit ex diſpoſitione legis, latæ intuitu boni publici; ſi enim juſtè poſſidet, qui Prætore authore poſſidet, *l. Juſtè 11. ff. de Adquir. poſſeſſ.* utique injuſtè non poſſidebit, qui rei poſſeſſæ dominium nactus eſt authoritate legis, rei dominium tribuentis per Uſucapionem, Connanus *Lib. 3. cap. 13. n. 9.*

Cauſæ autem, quæ Præſcriptionis, tanquam utiliſſimi, & ad Reipublicæ iſtiúsque civium felicitatem conſervandam ſtabiliendámque propemodum neceſſarii præſidii, introductionem legum Conditoribus perſuaſerunt, juſtiſſimæ & Æquitati Naturali valdè conſentaneæ fuerunt, Imprimis & præcipuè; ne rerum dominia eſſent incerta, *l. 1. ff. de Uſucap.* cùm, ſi rei alienæ poſſeſſor ejus dominium nunquam acquireret, non rarò contingeret, ut, qui vg. prædium diutiſſimè & bonâ fide tanquam ſuum poſſedit, id tandem reſtituere cogeretur alteri, qui id eſſe ſuum, verè aut apparenter duntaxat, probaret: quod utique grave eſſet poſſeſſoribus; cùm nunquam certi de bonis ſuis meritò metuerent; ne illorum ſi perpetuæ evictionis periculo obnoxia eſſent, poſſeſſione ab alio deicerentur, *l. Cùm notiſſimi 7. pr. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* Deinde, ut conſuleretur quieti Reipublicæ & finis eſſet litium, *l. fin. ff. Pro ſocio*; hæ enim multò frequentiores & ſæpe immortales atque inextricabiles forent, ſi poſt diutinam rerum poſſeſſionem eas repetere à modernis poſſeſſoribus liceret. Et demum; ut acueretur induſtria hominum, in rebus ac iuribus ſuis conſervandis ac defendendis: dum negligentium deſidia ademptione dominii punitur, *c. Vigilanti cit. & l. Ut perfectius 2. C. de Annali except.*

Neque his rationibus ſuffultas legem iniuſtitiæ damnavit aut redarguit Imp. cùm Præſcriptionem *Impium præſidium & improbam temporis allegationem*, appellavit, eáque tutum peccandi locum præberi, aſſeruit *Novell. 9. V. Cùm enim antiquas*

antiqua; quia, ut nihil dicam, quòd huic Justinianeæ constitutioni tanquam suppositiciæ, cùm in Græco contextu non inveniatur, legis authoritatem aliqui cum Cuiacio *Tract. de Præscript. cap.* 21. negent, eâ præsidium & allegatio improba impiáque vocatur respectu temporis, ei vim conferentis, etiamsi malâ fide niteretur: uti &, respectu possessorum rerum alienarum, præsertim Ecclesiasticarum & fidelium pietate ad divinum cultum oblatarum, detentionem injustè & cum peccato continuantium, donec improbâ temporis allegatione adversus earum dominos defenderentur, Alciatus *h. t. n. 9.* Pinell. *in Auth. Nisi triennalis, C. de Bonis matern. n. 39.*

10. Non magis urget; quòd præscriptio aliquid iniquitatis habere videatur Baldo *in l. 1. §. 3. ff. de Postulando*; & propterea, tanquam odiosa, strictissimi sit Juris, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* quia, licet revera justissima & suadente ratione Naturali introducta sit, iniquitatis tamen speciem aliquam, licet iniqua non sit, primò intuenti referre videtur; quòd rei dominium uni ablatum transferat in alium; itáque unius jus diminuat & alterum locupletet: quæ etiam causa est, cur strictæ sit interpretationis.

11. Dubium secundò est, an, qui rem tempore modóque legibus definitò possessam, itáque præscriptam, pristino domino repetenti restituit, eam valeat revocare. Certum est, non posse, si ejus dominium usucapione in se translatum scivit, & nulla vi dolóve ad restitutionem inductus fuit; quòd ita restituens rem donâsse, aut præscriptionis juri cessisse videatur.

12. Ejusmodi rem revocari etiam non posse, si eam restituit deceptus ignorantiâ Juris, rei ita possessæ dominium transferentis, suadet ratio; quòd Juris ignorantia nemini patrocinetur, *Reg. Ignorantia 13. in 6.* &, sicut cetera, sic etiam præscriptionis exceptio ita demum prosit, si ab eo, cui competit, objiciatur.

Verùm, quia ex una, etiam Juris ignorantia, licet non prosit volentibus acquirere, suum tamen petentibus non nocet, *l. Juris 7. ff. de J. & F. J.* & ejus, quod omni Jure fuit indebitum, quocunque tam Juris quàm facti errore solutum, datúmve est, repetitionem Naturalis ratio permittit, *l. Qui exceptionem 40. pr. ff. de Condict. indeb.* ex altera verò parte, rem ita restitutam revocans, hôc ipsô; quòd ejus dominium per usucapionem plenè quæsitum sit, *l. Qui fundum 7. §. fin. ff. Pro emptore*, de rei jam acquisitæ damno agit; cùm petat, quod alteri, tanquam suum repetenti, per errorem restituit, postquam omne ejus jus & actio, quâ eam repetere aliquando potuisset, jam omnino sunt extincta, *c. Ad aures 4.* ibi, *Præscriptio omnem prorsus actionem excludit, de Præscript. & l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quâ Præscriptio possessorem plenissimâ munitione dicitur reddere securum: quia, inquam, res ita se habet, res postquam præscripta sive Usucapta est, restituta revocationi obnoxia erit, Panormit. *in c. Ad aures cit. n. 4.* & Bartolus *in l. Omnes cit. n. 2.* & *cit.* Rath *cap. 1. n. 16.* Confirmatur; quia rem usucaptam repetenti ita restituens præsumi nequit habere animum absolutum transferendi dominium: sed solummodo conditionatum, si res, quod errore ductus existimat, revera non sua sit, sed repetentis; quia in dubio nemo donare, aut jactare, quod suum est, *l. Cùm de indebito 25. pr. V. Sin verò, ff. de Probat. & l. Campanus 47 ff. de Oper. libert.* sed errare potius præsumitur, Glossa *in l. Generaliter 13. V. Causa. C. de Non numerat. pec.* & Mascardus *de Probat. conclus. 554.* 13.

clus. 554. n. 5. Cùm ergo ea conditio omnino deficiat, sub ea facta restitutio, propter defectum consensûs, corruet, & revocabilis erit, Haunold. *cit. Tract. 5. num. 176.*

14. Dubium tertiò est, an præscriptionis juri valeat renuntiari. Quod cum Bartolo *in l. Nemo 55. ff. de Legat. 1.* aliqui negant, eâ permoti ratione; quòd, ut dictum, introducta sit favore utilitatis publicæ, quæ certitudine dominiorum & litium diminutione plurimùm promovetur: favori autem publico à privatis nequeat renuntiari, *c. Si diligenti 12. de Foro compet. & l. Jus publicum 38. ff. de Pactis.*

15. Verùm, licet rem bonâ fide possessam cum tempore præscribi, rerúmque dominia certa esse, publicè multùm interfit, immediatè tamen & principaliùs id lege sancitum est favore utilitatis civium privatorum, tam præscribentium; ut rerum, quas bonâ fide possident, cum tempore evincendarum metu & periculo liberarentur: quàm eorum, contra quos præscribitur, ut res suas eis diligentiùs invigilandô conservent. Unde, sicut renuntiari potest plerarúmq; aliarum legũ beneficio, immediatè & principaliùs privatam, quàm publicam utilitatem spectantium, sic renuntiari etiã à privatis poterit beneficio præscriptionis; ut possessor, quandocunque rem alterius fuisse, certò comperit, aut demonstretur, eam huic restituere teneatur, præsertim cùm hujusmodi renuntiatio rerum dominium inter paciscentes omnino certum reddat, idque domino conservet, ut *in l. Nemo cit.* cum Dyno, Ripa *n. 105.* & cum Guttierez *in ejus Repetit. n. 470.* docet Palao *Tract. 31. disp. Unica p. 22. §. 1. n. 6.*

ARTICULUS II.

De Possessione requisita ad Præscriptionem.

SUMMARIUM.

16. *Quinque requisita ad Præscriptionem.*
17. *Primum est Possessio vel quasi;*
18. *Saltem Civilis:*
19. *Quæ, etsi sola sufficiat,*
20. *Non tamen sufficit sola Naturalis:*
21. *Neque ea, quâ res detinetur nomine alieno:*
22. *Neque fundata in actibus meræ facultatis.*
23. *Qui tales actus sint,*
24. *Et quando esse desinant; ut sufficiant ad præscriptionem.*
25. *Possessio debet esse continuata in eadem vel diversis personis.*

AD præscriptionem propriè sumptam à Jure istiúsque Interpp. & DD. cæteris magnô consensu requiruntur, Possessio, Bona fides, justus Titulus, Legitimum tempus & Res non vitiosa, juxta tritos versiculos 16.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

quorum versuum postremô *Traditionis* nomine Possessio, quæ illâ frequenter acquiritur, denotari videtur.

Ad Præscriptionem enim rei corporalis possessionem: &, si ea incorporalis, quasi possessionem ante omnia alia necessariam esse, non est, qui in dubium vocet; cùm Juris Regula sit, *Sine Possessione præscriptio non procedit*, quæ est *3. in 6.* cui consonat *l. Sine possessione 25. ff. de Usurp. & Usucap.* Quæ causa est, cur laici, sicut decimandi, eligendi, & similium jurium quasi possessionis, sic etiam earum præ- 17.

scriptio-

scriptionis sint incapaces, *c. Causam 7.* junctâ Glossâ *ibi, V. Detinere.*

18. Non est autem ad præscriptionem necessaria possessio Naturalis & Civilis simul: sed sufficit Civilis, ut Panormit. *in c. Causam cit. n. 6.* Covarruviæ *in Reg. Possessor cit. p. 2. pr. n. 7.* Molinæ *Tract. 2. de J. & J. disp. 62. n. 1.* & aliorum, tam TT. quàm JCT. orum communis doc-

19. trina, & ratio clara est; quia, si utraque simul exigeretur, vix ulla res unquam præscriberetur; cùm Naturalem possessionem nemo facilè continuet toto tempore legibus definitô, ut probè advertit Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n.* 257. eâque amissâ Civilem tantùm retineat absens: à quo tamen rem ad præscriptionem perficiendam sufficienter possideri, patet ex *l. 1. §. 14. ff. de Adquir. possess. & l. Servi 17. §. fin. ff. de Furtis.* Unde rem commodatam, depositam, conductam, non commodatarius, depositarius, conductor vel colonus: sed proprietarius præscribit; quia apud hunc, non apud illos est possessio, non civilis tantùm, sed & naturalis; cùm illi rem commodatam &c. non suô, sed alienô, scilicet proprietarii nomine detineant; & propterea non ipsi, sed proprietarius possideat, *c. Si diligenti 17. hîc; c. Cùm venissent 9. de Restit. Spoliat. l. Quod meo 18. ff. de Acquir. poss. & §. Possidere 5. Instit. de Interdict.* Glossa in *can. clerici, 16. q. 3.* & Molina *l. cit n. 4.*

20. Non tamen sufficit primò sola possessio Naturalis: sed, sicut sufficiens, sic necessaria quoque ad præscriptionem est possessio Civilis; quia, si absque ista illa sola sufficeret, una eadémque res simul præscribi, ejúsque dominium acquiri posset à duobus, contra *l. Si, ut certò 5. §. 15. ff. Commodati & l. De hæreditate 19. §. 3. ff. de Castrensi pecul.* id enim fieret, si ea ab uno Civiliter, ab altero Naturaliter solùm, possideretur, ut rectè advertunt Arnold. Rath *de Præscript. cap. 5. n. 5.* & *cit.* Haunold. *n. 256.* Quare ab emptore non præscribitur fundus emptus ab eo, qui illum absente & ignorante domino occupavit; quia emptor eum possidet naturaliter, civili possessione apud dominum remanente: donec reversus eum recuperandi animum deponat, aut amittat facultatem, Molina *disp. cit. n. 2.* Eôdem modô res in pignus &c. acceptas non præscribunt creditor & fructuarius, *l. Malè 2. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quia eas si possidere concedantur, ut summum possident naturaliter: Civilis verò earum possessio remanet penes debitorem, aut alium ejus dominum, Sylvester *V. Præscriptio 2. n. 20.* Laiman. *Lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 14. Ipsas*, inquam, *res*; quia pignoris aut fructus percipiendi jus, fortassis à non domino constitutum, quòd id civiliter possideant, præscribere contra verum dominum possunt, Covarruvias, *in Reg. Possessor, p. 2. initiô n. 7.* & Rath. *cit. cap. 5. num. 6.*

21. Neque etiam secundò sufficit rei possessio aut veriùs detentio, quæ non suô, sed alienô nomine obtinetur; quia ita detentæ rei verus possessor est is, cujus nomine ea detinetur, *c. Si diligenti &c. citt.* Unde Tutores, Curatores, iísque similes rerum alienarum administratores res, quas ita administrant & detinent, non sibi, sed pupillis, minoribus & aliis, quorum tutelam &c. gerunt, præscribunt, Molina *disp. cit. n. 5.*

22. Neque tertiò, quæ fundata est in actibus liberæ voluntatis, sive, ut vocari solent, Meræ facultatis: quales & ad præscriptionem insufficientes censentur, qui non quasi ex obligatione aut jure alicui, ex lege vel conventione competente: sed

23. vel jure familiaritatis aut amicitiæ, ut vg. invitatio ad convivium, vel receptio ad

hospitium: vel præcisè, quia ita lubet, ut est accessus ad tabernam vel officinam pro vino, cerevisia, pane, aliisve rebus ad victum necessariis, aut mercibus emendis, vel ad molendinum, aut furnum pro tritico molendo, aut panibus excoquendis: vel, quia à Natura aut Jure publico, omnibus aliquid permittente, concessum & commodum est, ut fruitio elementorum, commeatio per viam publicam exerceri, vel omitti solent, ut aliis DD. relatis eos explicant Mascardus *de Probat. conclus. 1221. n. 2. & 3. cit.* Rath. *cap. 4. n. 6. lit. c.* & præ aliis accuratè Hæringius *de Molendinis q. 21. n. 20.* Ratio autem, cur ex hujusmodi actibus allegata, in iisque fundata possessio ad præscriptionem non sufficiat, ea est; quòd per actus ita exercitos vel omissos, hôc ipsô; quòd non quasi ex obligatione, vel eos exigendi jure alteri competente, sed omnino liberè exerceantur vel omittantur, eorum exercitium vel omissionem exigendi jus non possideatur: sine possessione autem, ut dictum, præscriptio non procedat. Quare, qui conviviô vel hospitiô quantocunque tempore exceptus fuit, convivii aut hospitii jus non præscripsit: neque adversus eos, qui molendinum, furnum, officinam, vel tabernam longissimo & immemoriali etiam tempore accedere omnino liberè soliti sunt, aut per viam publicam ire soliti non sunt, ut inposterum ad illa accedant, aut per hanc itione abstineant, est præ-
24. scriptum. Nisi hujusmodi actus exerciti vel omissi fuissent quasi ex obligatione, aut jure alteri competente: sicut contingeret, si, qui hospitium vel convivium diu præbuisset, cùm id non præbere vellet, interpellatus: aut, qui ad molendinum, furnum, tabernam diu accessit, cùm aliam frequentare inciperet, prohibitus acquiesceret; ab eo enim tempore, quô hujusmodi interpellationi aut prohibitioni acquiescit, convivii aut hospitii præbendi & ad molendinum, furnum &c. accedendi jus adversus acquiescentem possideri & præscriptio currere incipit: & ad convivium invitatio, atque ad ista accessus meræ facultatis actus desinunt esse, ut præter *citt.* DD. tradunt Cravetta *de antiq. temp. p. 4. §. ult. à n. 39.* Covarruvias *cit. p. 2. §. 4. n. 6.* & Laiman. *Lib. 3. Tract. 1. cap. 8. n. 8.*

Neque quartò ad Præscriptionem 25.
sufficit possessio interrupta: sed esse debet totô tempore à Jure requisito, sive in una, sive in diversis personis, quarum una eam in aliam transtulit, vg. in testatore & hærede, donatore & donatario, emptore & venditore &c. continuata ita; ut res à testatore, donatore, venditore usucapi cæpta, antequam ab ipsis ad hæredem, donatarium, emptorem pervenerit, possessa non sit ab alio, *c. Illud 8. hîc, l. Usucapio 3. l. Possessio 20. l. Non solum 33. §. 4. ff. de Usucap. §. Diutina 12 §. Inter 13. Instit. ibid. &c.* Quomodo autem interrumpatur, infrà statuetur.

ARTICULUS III.

De Bona Fide.

SUMMARIUM.

26. *Hæc ad Præscriptionem exigitur Jure Canonico,*
27. *Leges Civiles corrigente;*
28. *Quòd essent fomentum peccatorum.*
29. *Bona fides secundùm aliquos in foro Seculari,*
30. *Et ad immemorialem,*
31. *Atque incorporalium præscriptionem necessaria non est.*
32. *Verùs, sine ea in Foro etiam Seculari,*
33. *Immemorialis atque incorporalium,*

34. Infra

34. *Ipsius etiam Jurisdictionis præscriptio non procedit.*
35. *Liberatio à servitute rustica & pœna,*
36. *Extinctio redhibitoria & quanti minoris Actionum,*
37. *Sicut & Consuetudo propriè dicta præscriptiones non sunt.*
38. *Non præscribit dubitans, an res sit sua:*
39. *Nisi dubium primùm supervenerit possessioni,*
40. *Et hæc sine peccato continuetur.*
41. *Bona fides fundatur in facti:*
42. *Non etiam in Juris ignorantia, saltem crassa.*
43. *Ad illam tamen sufficit inculpata dubij,*
44. *Et in quibusdam personis etiam clari Juris ignorantia:*
45. *Quacum cætera, non Ordinariò,*
46. *De Jure etiam Canonico:*
47. *Sed extraordinariò solùm tempore præscribunt.*
48. *Bona fides authoris prodest successori cuivis.*
49. *Singulari, licet illius mala fides non obesset veteri,*
50. *Recentiori tamen Jure aliquando etiam ipsi,*
51. *Et multò magis Universali successori, non mediato:*
52. *Sed immediato duntaxat nocet,*
53. *Nisi in dignitate vel beneficio successerit,*
54. *Vel istius titulum habeat aliunde quàm à defuncto,*
55. *Vel suam tantùm longissimi temporis possessionem computet.*
56. *Malam fidem antecessorum civitatis &c. successoribus obesse quidam affirmant:*
57. *Alii DD. probabiliùs negant.*
58. *Domino non nocet mala fides servi,*
59. *Rem non suò, sed istius nomine amentis,*
60. *Neque Ecclesia mala fides Prælati,*
61. *Præscribenti obstat mala fides, etiam respectu non-domini:*
62. *Bona fides in judicio alleganda:*
63. *Non etiam probanda est à possessore:*
64. *Nisi iste destitutus sit titulò,*
65. *Vel bona fidei præsumptio contrariis indiciis elidatur:*
66. *Vel rem alienam detinere propriis instrumentis convincatur.*

ALtera & ad Præscriptionem, de Jure saltem Canonico, omnino necessaria conditio est Bona Fides, sive bona & illæsa conscientia circa possessionem rei alienæ, ut suæ; quòd possessor omnino existimet, eam esse suam, *c. Vigilanti 5. & c. fin.* cujus tenor est, *Quoniam omne, quod ex fide non est, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bonæ fide præscriptio, tam Canonica, quàm Civilis. Cùm generaliter sit omni Constitutioni atque Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ.* 26.

Quâ utique saluberrimâ Constitutione ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi correctæ & abrogatæ sunt leges Civiles, bonam fidem ab initio duntaxat, sive ad inchoandam, non etiam ad perficiendam longi, *l. Unica C. de Usucap. transform. & §. Diutina 12. Instit. de Usucap.* ad longissimi autem temporis 30. vel 40. annorum præscriptionem, ne ab initio quidem, exigentes: atque eum etiam, qui rem illo tempore toto malâ fide possedisset, adversus quemcunque petitorem exceptione perpetua munientes, 27.

l. Si quis 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40 annor. secundùm ejus expositionem à Gratiano traditam post *can. Placuit 15. §. Potest V. Quodsi mala, 16. q. 3.* Hodie itaque ad quamcunque præscriptionem necessarium est; ut res toto tempore definito, bona fide sit possessa *cc. citt.* eisque consona *Reg. 2. in 6.*

Neque hanc Juris Imperialis correctionem difficilem reddit, quòd ex una, relatæ aliæque ipsius leges malæ fidei possessionem, ejúsque continuationem nuspiam approbârint; ex altera verò parte, res, postquam secundùm ipsas etiam cum mala fide præscripta est, sine peccato retineri potuerit à præscribente, qui ejus dominium consecutus est authoritate legis, latæ ob utilitatem publicam, scilicet ad diminuendas lites & tollendam incertitudinem dominorum, *l. 1. ff. de Usucap. & l. fin. ff pro Socio*; & propterea non appareat, in quo dictæ *ll.* sint correctæ; cùm *c. fin. cit.* solùm derogetur Constitutionibus & Consuetudinibus, quæ absque mortali peccato non possunt
28. observari. Quia hôc non obstante *ll. citt.* correctio necessaria fuit; quòd illæ, etsi malæ fidei possessionem directè non approbarent, peccata tamen in animarum perniciem foverent, homines ad ejusmodi possessionis continuationem invitandô & alliciendô spe lucri, scilicet dominii rerum ita possessarum, quasi injustitiæ præmii, post certorum annorum lapsum firmiter consequendi. Quod peccatorum non leve fomentum laudatâ Conciliari Constitutione sublatum est, sublatâ & irritatâ præscriptione, quæ malæ fidei possessione aliquando niteretur, ut cum Soto *Lib. 4. de Justitia q. 5. art. 8. in c. fin. cit.* eruditè adnotârunt Barbosa *n. 4.* & Gonzalez *n. 15.* Unde

Dubium oritur, an *c. fin. cit.* dispositio in omni foro observanda sit: & rerum quarumcunque præscriptionem comprehendat.

Fuêre enim primò DD. qui eam in 29
foro solùm Ecclesiastico observandam, existimarent cum Glossa *in c. cit. V. Quam Civilis*, cùm; quòd legibus Civilibus, præscriptionem cum mala fide permittentibus, ejus textu expressè non sit derogatum: tum verò; quòd, ubi Jus Canonicum à Civili divertit, utrumque in suo; ac proinde illud in Ecclesiastico, hoc in Seculari foro videatur observandum.

Secundò, alii cum Decio *in l. Traditionibus 20. C. de Pactis, n. 12.* & Salyceto *in l. Si aquam 2. C. de Servitut.* eximunt præscriptionem immemorialem; partim, quod ista habeat vim privilegii, ex certa scientia à Principe concessi, & authoritatem multò majorem, quàm aliæ præscriptiones *arg. c. 1. in 6.* tum verò; quòd ejusmodi præscriptioni & consuetudini constitutione etiam generali non derogetur, si expressa ejus mentio non fiat, per tradita à Panormit *in c. fin. de Consuetud. n. 35.* & Covarruvia *Lib. 1. Var. cap. 13. n. 5.*

Tertiò, rursum alii cum Bartolo *in* 31
l. Sequitur 4. §. 27. ff. de Usucap. eandem ad res incorporales non extendi; ac proinde istas cum mala fide hodiéque præscribi, docent; quòd *c. fin. cit.* Resibi, *Qui rei habeat conscientiam alienæ*, & *c. Vigilanti cit.* Prædia cum mala fide præscribi prohibeantur: Rei autem nomine strictè acceptô veniant solæ corporales, ut vg. prædium est; ac proinde *cc. citt.* Juris Civilis correctoriæ dispositiones ad jura, actiones & cætera incorporalia non extendantur. Quæ Opinio non parum confirmatur Primò decisione *c. 1.* Secundùm quam Episcopus locum, ale ad unitatem Fidei conversum, sive jurisdictionem in eum triennio præscribit, quantumvis, eum alterius jurisdictioni

subjectum

subiectum, sciat. Secundò; quia libertas à rustica servitute vg. viæ, aut aquæductus per fundum, ab istius domino adversus alium, eâ decem, si præsens: si verò absens sit, viginti annis, cùm posset, non utentem, præscribitur: quantumvis ille sive fundi dominus servitutem competere sciat, ut colligitur ex *l. Sicut 13. C. de Servitut.* verbis, *Ut omnes servitutes* rusticæ *non utendò amittantur*, & tradit Lessius *Lib. 7. de J. & J. cap. 6. n. 12.* Tertiò, simili modò exemptio à pœna vg. mercium, ob non solutum vectigal commissarum & fisco debitarum, à reo, hujusmodi sui debiti & commissionis conscio, præscribitur, *l. Neque 2. C. Vectig. & commiss.* Quartò, venditor, rei venditæ vitium sciens, ac proinde cum mala fide, actioni Redhibitoriæ sex mensium, & Actioni Quanti minoris unius anni, imò in Bavaria actioni utrique quatuordecim dierum spatiò præscribit; ut emptor, qui, si rei vitium sciviſſet, eam vel omnino non, vel non tantò pretiò empturus fuisset, non audiatur, si post illius temporis lapsum agat ad redhibitionem, & venditionis rescissionem, vel restitutionem ejus quanto minoris rem emisset, si vitium sciviſſet, *l. Sciendum 19. §. fin. l. Redhibere 21. ff. de Ædilit. edict.* & Landrecht *Tit. 6. art. 4.* Quintò, subditi contra legem, tam Ecclesiasticam, quàm Civilem, præscribunt, ejúsque obligationem contrariâ consuetudine tollunt, non obstante illius scientiâ & mala fide, quâ contra eam agentes peccant, Balbus *de Præscript. p. 1. q. 10. n. 7.*

32. Sed multò verius, *c. fin. cit.* dispositionem in omni Foro observandam: eáque omnem propriè dictam, etiam immemorialem, rerúmque incorporalium præscriptionem comprehendi, cum Franco *in Reg. Possessor cit. à n. 14.* & Felino *in c. fin. cit. à n. 1.* defendunt *cit.* Balbus *p. 2. p. 3. pr. q. 13. à n. 1.* Covarruvias *in Reg. cit. p. 1. §. 8. n. 4. & §. 11. num. 3.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 66. n. 5.* Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 291.* & communiter alii TT. & JCT. Quòd *c. fin. cit.* Conciliaris dispositio etiam in foro Seculari observanda sit, satis exprimat textus, disertè irritans præscriptionem, etiam Civilem, quæ bonâ fide ullô possessionis tempore non uteretur: & generaliter derogans præscriptionem spectantibus Constitutionibus & Consuetudinibus, quæ absque peccato lethali observari non possunt: cujusmodi, quæ præscriptionem spectabant, vel maximè, imò solæ erant leges Imperiales, peccata foventes, eam cum mala fide permittendò. Id ipsum evincit ratio; quia, cùm de periculo animæ & vitando peccato agitur, Jus Canonicum, etiam Civilis correctorium, in utroque, tam Seculari, quàm Ecclesiastico foro observandum est, per tradita in Proemio *n. 159.*

Quòd eadem *c. cit.* dispositio etiam 33.
immemorialem rerum incorporalium præscriptionem comprehendat, iterum perspicuè habet textus, quô relatâ Constitutione Innocentius generaliter omnino, *Nulla*, inquit, *valeat sine bona fide præscriptio:* & suadetur ratione; quia cum mala fide conjuncta quæcunque, etiam immemorialis & incorporalium, præscriptio conjuncta est cum peccato: quocum conjuncta generaliter omnis præscriptio *c. cit.* irritatur. Unde corruunt rationes pro immemoriali & incorporalium malæ fidei præscriptione; quia imprimis tam dispositionis verbis *Omnis* & *Nulla*, quàm rationis, quâ ea nititur generalitas, omnem: imò ista sive ratio præ aliis longissimi & immemorialis temporis præscriptionem, sine ulla exceptione comprehendit; cùm peccatum tanto gravius sit, quantò diutius animam detinet alligatam

alligatam, *c. fin. de Consuet.* sicut vel maximè accidit, quando res aliena cum mala fide longissimo & immemoriali tempore possidetur, *c. fin. cit. pr. de Consuet.* ut cum Covarruvia *cit.* §. *8. n. 9.* & aliis notat Barbosa *in c. fin. cit n. 6.* Deinde; quia ejus dispositio favorabilis, & propterea extendenda potiùs est, quàm restringenda; cùm per eam consulatur conscientiis hominum & animarum periculis obvietur: cujusmodi constitutiones, etiam correctorias, favorabiles & extensionis patientes esse, cum Bartolo *in Auth. Sacramenta C. Si adversus vendit.* & Franco *l. cit. n. 8.* communis sensus est DD. Et demum; quia præscriptio immemorialis vim tituli & privilegii eô solùm casu habet, quô possessio tanto tempore bona fide & sine peccato est continuata, Palao *Tract. 13. disp. Unic. p. 22. §. 6. n. 2.* & Pirthing *ad hanc Rubric. n. 49.*

34. Neque cum mala fide incorporalia præscribentem tuentur confirmationes. Prima; quia in casu *c. cit.* Episcopi possessio non est malæ fidei; cùm conjuncta non sit cum peccato: & in favorem Fidei atque odium negligentiæ permissa sit à Canone, sive concilio Milevitano *cap. 24.*, sicut triennali non majorem & nullo suffultam, ita etiam hujusmodi, cum Juris quidem alieni scientia conjunctam, sed non peccaminosam possessionem ad ejusmodi loci sive jurisdictionis præscriptionem admittentis; ut adeò de hujusmodi possessione procedat, *l. Justè 11. ff. de Adquir. possess.* Covarruvias *cit. p. 2. §. 11. n. 3.* & aliis relatis Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 131. n. 16.*

35. Secunda & tertia partim; quia illæ, tam servitutis rusticæ, quàm mercium aut alterius pœnæ commissiones non sunt propriè dictæ præscriptiones, propter defectum ad has requisitæ possessionis; cùm ab ejusmodi servitute immunitas sive libertas & à pœna exemptio verè aut quasi non possideatur à præscribente, hôc ipsô; quòd servitute uti volentem prohibendi, & pœnam, si exigatur, non solvendi animum nunquam habeant: sed solummodo vicinum, ut illâ utatur, non admoneant, & hanc ultro non offerant; partim verò; quia, etiamsi immunitatem à servitute & à pœna exemptionem dicerentur possidere, dici tamen non possent ejus malæ fidei possessores; quòd pœnam, tanquam legis aut sententiæ judicialis eam infligentis executores, ultro offerre, & vicinum juris sui admonere, non teneantur: quô proinde, si ille non utatur, & pœnam fiscus non exigat, jure suo ille & ille privantur potiùs ob suam negligentiam, quàm ex actione præscribentis, ut rectè observant *in suis Tract. de J. & J.* Lessius *Lib. 2. cap. 6. n. 21.* Molina *Tract. 2. disp. 66. n. 3. & 10.* & Card. de Lugo *disp. 7. s. 4. n. 50.*

Quarta; quia duæ illæ, & si quæ iis similes sunt, actiones ad illas temporis angustias redactæ, litium minuendarum & publici boni intuitu anni vel semestris, & Jure nostro Provinciali quatuordecim dierum lapsu sponte suâ in externo extinguuntur potiùs, quàm ipsis à venditore præscribatur, remanente in interno seu Conscientiæ foro obligatione, ad omnis damni dolô dati refusionem; ut, quod justitia commutativa & Naturalis æquitas postulat, omnis inæqualitas emendetur, ut cum Panormit. *in c. fin. tit. n. 11.* & aliis probè advertunt Clarissimi Universitatis nostræ Antecessores ex TT. Haunold. *cit. Tract. 5. n. 185.* ex JCT. Arnold. *Rath. Tract. de Usucap. cap. 2. num. 16.* 36.

Postrema; quia legi contrariæ consuetudo non est præscriptio propriè dicta; cùm, si talis esset, ad legem Ecclesiasticam Universalem per viam consuetudinis tol- 37.

lendam

lendam centū anni exigerentur, *c. Ad audientiam 13. & c. Cùm vobis 14.* quod adversatur communi sententiæ DD. Confirmatur; quia per ejusmodi legis abrogationem nullum dominiū, aut jus aliquod, commodum vel utilitatem afferens, ab uno in alium transfertur: & cum alterius damno nemo locupletatur: sicut fit per propriè dictam præscriptionem. Neque refert; quòd consuetudo esse debeat legitimè præscripta, *c. fin. de Consuetud.* quia talis esse dicitur; quòd longo tempore, & sine interruptione frequentatis actibus sit introducta, sicut in præscriptione ita continuata possessio exigitur, ut cum Panormit. *in c. fin. cit. n. 7.* & Donello tradit Palao *Tract. 3. disp. 3. p. & §. 2. n. 5.* & *Lib. 1. Tit. 4. n. 35.* est dictum. Unde

Infertur, debitum vg. centum ex mutuo adversus creditorem, ejus solutionem non exigentem, à debitore illius conscio, ullo, etiam longissimo tempore, non præscribi, propter defectum bonæ fidei aut possessionis; vel enim ejusmodi debiti & obligationis suæ conscius solvendi voluntatem habet, vel non? Si prius, non possidet jus non solvendi, sive libertatem à debito. Si posterius, hanc quidem possidet, sed cum peccato & mala fide, propter conscientiam debiti, vel certa die, quando hæc constituta est, licet non exigatur, solvendi; cùm dies pro creditore interpellet & admoneat solutionis. *l. Magnum 12 C. de Contrab. Stipul.* vel, si certa dies constituta non est, solvendi tempore, in solutionibus Regionis consuetudine & usu observato: aut saltem, si à creditore exigatur, ut cum Felino *in c. fin hic n. 3.* & Imola *ibid. n. 24.* docent laudati Molina *disp. 66. n. 5.* Lugo *disp. 7. n. 49.* & Haunold. *n. 193.*

38. Dubium ulterius est, an ad præscriptionem requisitam bonam fidem impediat dubium, an res, quam quis possidet, revera sit sua. Impedire & præscriptioni obstare, si, an sua sit, quis dubitat initiò possessionis, convenit inter DD. & patet ex *l. Unica, V. Hoc tantummodo, C. de ll. sucap. transform.* quia, an res, quam nondum possidet, sua vel alterius sit, dubitans, eam ut suam possidere incipere, non potest sine peccato, bonam fidem excludente, *c. fin. cit.* & propterea omnino necessarium est; ut rationabiliter judicet, rem esse suam: vel esse nullius, aut derelictam; ut ejus dominium ac possessio justa ipsâ occupatione acquiratur, *l. Quod enim 3. ff. de Adquir. domin. & l. 1. §. 1. ff. de Adquir. posseß.*

Idem cum Ant. de Butrio *in c. fin.* 39. *cit.* & nonnullis aliis Soto *Lib. 4. de Justitia q. 5. art. 4.* censet de ejusmodi dubio, superveniente possessioni, bonâ fide jam cæptæ; quòd dubitans, an res sit sua, non habeat conscientiam bonâ circa possessionem rei, ut suæ: cujusmodi conscientia constituit bonæ fidei possessorem. Sed melius, hujusmodi dubio superveniente bonam fidem non tolli, cum Glossa *fin. in c. fin. cit.* Panormit *ibid. n. 39.* Covarruvia *cit. p. 2. §. 7. n. 3.* Fachineo *Lib. 1. cap. 65.* & Molina *disp. 63. n. 9.* docent *cit.* Lugo *num. 17.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 56.* id desumentes ex *can. Si virgo, 34. q. 1.* Verbis, *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Ratio est; quia de possessore ita dubitante verum est, quòd non habeat conscientiam rei alienæ; ac proinde possidet bonâ fide, *arg. c. fin. cit.* cùm possessio in dubio præsumatur esse justa & jure occupata; quia in dubiis semper præferenda sunt benigniora, *l. Semper 56. ff de R. J.*

Aliud esset, si post bonæ fidei pos- 40.
sessionem jam inchoatam dubitet, an res sua sit: & per errorem existimans, eam, tali dubio stante, salvâ conscientiâ, pos-

sideri non posse, possessionem nihilominus continuaret; cùm enim hujusmodi possessionis continuatio peccaminosa & malæ fidei sit, inchoatam rei possessionem interrumpet ex decreto Conciliari, relato *c. fin. cit.* generaliter derogante omni præscriptioni, conjunctæ cum peccato mortali, & quam complens aliquo tempore conscientiam habet rei alienæ: quam utique habet possessor rei, quam existimat, illæsâ conscientiâ, non posse detineri, *citt.* Palao *p.* 22. §. 7. *n.* 3. & Pirrhing *n.* 58.

41. Dubium tertiò & celebris controversia est, an ad præscriptionem sufficiat bona fides, fundata in inculpata ignorantia Juris manifesti.

Juris, inquam; quia de ignorantia facti ambigi non potest; cùm enim bona fides circa possessionem rei alienæ oriatur ex ignorantia, sive errore circa rei possessæ dominium, aut jus eam ut suam detinendi, omnino sufficiet ignorantia facti, quæ maximè tolerabilis est, vg. quòd pupillus fuerit is, à quo donata vel empta res à donatario vel emptore tanquam sua possidetur.

42. De Juris etiam ignorantia inter DD. satis convenit Primò, eam non sufficere, si crassa & multò magis, si affectata sit; quia hujusmodi (etiam facti) ignorantia non est sine peccato; cùm scientiæ æquiparetur, & ratione præcedentis negligentiæ volita censeatur, *c. Ut animarum 2. de Constit. in 6. l. Etsi 15. §. 1. ff. de Contrab. empt. & l. Nec supra in 6. ff. de J. & F. J.* & propterea bonam fidem fundare non possit *arg. c. fin. cit. citt.* Molina *disp. 64. n. 2.* & Palao *p. 22. §. 8. n. 1.*

43. Secundò, sufficere ignorantiam invincibilem Juris non liquidi, sive de cujus sensu variant Interpp. cùm; quia talis propriè non est ignorantia Juris; cùm de ratione Juris sive legis obligatoriæ sit, esse manifestum, *can. Erit autem 2. dist. 4.* tum verò; quia hujusmodi Juris ignorantia in neutro, tam Conscientiæ interno, quàm externo foro constituit malæ fidei possessorem; ideóque eâ laborantis præscriptioni obstare non potest, Parnormit. *inc. De quarta 4. hîc n. 12. citt.* Covarruvias *p. 2. §. 7. n. 12.* & Molina *n. 13.* Tertiò, etiam Juris liquidi & clari ignorantiam 44
inculpatam sufficere in personis, in quibus Juris ignorantia etiam, cùm de lucro capiendo agitur, toleratur: ut sunt pupilli, minores & similes, *l. Cum ignorantia 2. & l. Quamvis C. de J. & F. J.* cùm enim in hujusmodi personis Juris ignorantia toleretur, ex ea mala fides non præsumitur; & propterea, eâ non obstante, bonæ fidei Possessores esse censentur, *citt.* Palao § *1. n. 4.* & Pirrhing *n. 62.*

In cæteris personis clari & certi Ju- 45
ris ignorantiam ad bonam fidem non sufficere: eáque temporis saltem ordinarii præscriptionem de Jure Civili impediri, patet ex. *l. Juris 4. ff. eâdem Rubr. l. Nunquam 31. pr. ff. de Usucap.* quibus Juris errorem sive ignorantiam in usucapionibus possessori prodesse, diserè & generaliter negatur: *& l. Pro emptore 1. §. 15. ff. Pro emptore*; quâ & *pr. cit.* cavetur, eum, qui à pupillo sine authoritate tutoris aliquid emit, id usucapere posse, si pupillum esse ignoravit; non etiam, si pupillum esse sciens, ignoravit, necessariam esse authoritatem tutoris; quia posteriori Juris, priori autem casu facti duntaxat ignorantia intervenit.

De Jure autem Canonico cujuscunque Juris ignorantiam invincibilem ad bonam fidem & præscriptionem, in foro saltem interno, sufficere, Medina *de Restit. q. 17.* & nonnulli alii desumunt ex *c. Pervenit 4. de Empt. & Vendit.* ubi donatarius contra repetentem domum, ex donatione invalida acquisitam, se defendit præscri-

præscriptione. Rationem dant partim; quòd hôc Jure illi solùm præscriptioni derogetur, quæ conjuncta est cum peccato mortali, *c. fin. cit.* cujusmodi & mala fides non est, quæ in Juris invincibili & inculpata ignorantia fundatur; cùm eâ laborans non habeat conscientiâ rei alienæ, vel injustæ possessionis, *can. Si virgo cit.*

46. Sed veriùs, etiam hôc Jure, tam in Conscientiæ, quàm externo foro, ex ejusmodi ignorantia ortam bonam fidem in præscriptione ordinaria non sufficere, cum Panormit. *in c. De quartâ 4. n.* 12. defendunt Covarruvias *in Reg. cit. p.* 2. §. 9. *n.* 8. Fachineus *Lib.* 8. *cap.* 28. Molina *disp.* 64. *n.* 4. & Haunold. *Tract. cit. n.* 198. Ratio, quâ nituntur, unica, sed solida est; quòd sacri Canones leges præscriptionum Civiles solummodo correxerint, quatenus foverunt peccata, præscriptionem permittendô cum mala fide, in ceteris verò non mutârint: Imò, quia allegatæ ejusmodi leges, ab usucapionibus errorem Juris reiicientes, peccata non foverunt, eas mutandi causâ non habuerint, ut locus sit, *arg. c.* 1 *de Novi oper. nunt.* Unde.

Corruit ratio allata pro Opinione Medinæ; quia, licet tali ignorantia laborans non habeat fidem malam moraliter & Theologicè, habet tamen malam Civiliter & Juridicè, hoc est, à legibus reprobatam. Si dicas, leges procedere ex præsumptione malæ fidei in possessore, clari Juris ignorantiam habente; quæ cùm respectu habentis ignorantiam invincibilem falsa sit, talis in foro Conscientiæ præscribet: non difficilis responsio est; quia, esto, aliquo modo ex tali præsumptione procedant, non tamen ejus præsumptionis veritati alligârunt invaliditatem præscriptionis: sicut nullitatem testamenti debitis solennitatibus destituti non alligârunt præsumptioni fraudis, in particulari casu intervenientis. Cujus ratio ulterior est; quia Jura scripta sunt vigilantibus, *l. Pupillus 24. in fin. ff. Quæ in fraud. credit.* útque cives ad ipsorum notitiam excitarentur, ignorantiâ damnis obnoxia esse, voluerunt, *arg. l. Ut perfectiùs 2. C. de Annali except. & c. Vigilanti cit.* Haunold. *Tract. cit. n.* 199.

Non magis quàm ratio adversatur 47
textus; quia *c. Pervenit cit.* agitur de extraordinaria & longissimi temporis 30. vel 40. annorum præscriptione: cui, quando non exigit titulum coloratum vel existimatum, sed sufficit præsumptus, bonam fidem ex ignorantia Juris ortam non obstare, cum Imola *in c. de Quarta cit.* Covarruvia *cit. p.* 2. §. 7. *n.* 6. Lessio *cap.* 6. *num.* 19. & aliis probabiliùs defendunt *citt.* Haunold. *n.* 203. & Pirrhing *n.* 62. quòd Jure Civili triennaria & quadragennaria præscriptio currat cum mala fide vera, *l. Si quis 8.* §. 1. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor. & c. Vigilanti cit.* ac proinde multò magis cum ficta & præsumpta: quod hoc & *c. fin. cit.* correctum non est, nisi quoad malam fidem peccaminosam: quoad eam verò, quæ, ut ex invincibili & inculpata Juris ignorantia proveniens, cum peccato conjuncta non est, Juris Civilis dispositio in suo vigore relicta est.

Neque, ut Molina *cit. disp.* 64. *n.* 10. existimat, aliud colligitur ex decisione Innocentii III. *c. Dudum 31. de Decimis*, decimarum, in donatione, à laico facta, ac proinde in Juris ignorantia fundatam, præscriptionem reprobantis, cùm; quia *in c. cit.* casu allegatam longissimi temporis præscriptionem non probatam, satis clarè exprimit textus *c. cit.* §. *Ceterum*: tum verò; quia ex una, allegatus fuit titulus fundatus in ignorantia Juris: ex altera verò parte, quando etiam in longissimi temporis præscriptione titulus à Jure reprobatus, ut ille est, allegatur, alium justum & ad præscribendum sufficientem interveniisse, non præsumi: imò

præsumi, eum non interveniſſe, & rem ex illo ſolo poſſeſſam, *cit.* Fachineo *cap. 33.* & Arnold. Rath. *Tract. de Uſucap. cap. 3. n. 34.* tradit *cit.* Haunold. *n. 232.*

48. Dubium quartò eſt, an mala fides authoris noceat ſucceſſori. Bonam illius fidem ſucceſſori cuicunque prodeſſe, perſpicuè traditur *l. Pomponius 13. §. 1. ff. de Adquir. poſſeſſ. l. Id tempus 14. ff. & §. Inter 13. Inſtit. de Uſucap.* quia author ſucceſſori rem tradit cum omni jure, ac proinde etiam cùm jure præſcribendi, quod habuit; ut, ſi computare tempus, quô rem author bona fide poſſedit, idque cum ſuæ poſſeſſionis tempore conjungere ſive, ut DD. loquuntur, illius temporis acceſſione uti velit, ei proficiat ad complendam præſcriptionem, *l. Tu vitium 5. ff. de Diverſ. & temp. præſcript. citt.* Molina *diſp. 65. n. 3.* & Haunold. *n. 218.* Malam contrà fidem ſucceſſori de Jure Bavarico non nocere, patet ex Landrecht *Tit. 9. art. 7.* Jure autem communi prodita eſt diſtinctio; vel enim ſucceſſor eſt Singularis, qui in re aliqua determinata & Singulari ſuccedit, vg. donatarius, legatarius, emptor: vel univerſalis, ut bonorum poſſeſſor & hæres defuncti, qui in univerſum iſtius jus, ſive ex aſſe, ſive in certa parte, vg. in ſemiſſe, triente, quadrante, ſuccedit.

49. Si priùs, authoris mala fides ei non nocet, quò minùs, ſi acceſſione temporis, quô ille rem mala fide poſſedit, non utatur, præſcriptionē à ſua bonæ fidei poſſeſſione valeat inchoare, *l. An vitium cit.* quia mala fides non eſt vitium reale, ſed perſonale: cujusmodi vitium, cùm inhæreat perſonæ, non rei, ad perſonam ab authore diverſam, cujusmodi ſucceſſor ſingularis eſt, non tranſit, *citt.* Covarruvias §. *9. n. 8.* Molina *diſp. 65. n. 1.* & Palao *p. 22. §. 9. n. 7.*

Excipiendus tamen eſt hujusmodi

50. ſucceſſor in re immobili; in hac enim ſucceſſori authoris mala fides in tantum nocet; ut eam contra dominum, ſive eum, ad quem pertinet, ignorantem, ordinario tempore decem inter præſentes & viginti annorum inter abſentes præſcribere nequeat; ſed ad hoc opus ſit extraordinaria ſive 30. ſive 40. annorum præſcriptione, *Auth. Malæ fidei C. de Præſcript. longi temp.* quâ, ſive *Novellæ 119. cap. 7.* Unde *Auth. cit.* deſumpta eſt, jus vetus à Juſtiniano eſt temperatum, *citt.* Molina *n. 1.* Haunold. *num. 215.* & Pirrhing *n. 67, cit. Auth.* Jure novo, ſicut jurium vg. hypothecæ; quòd expreſsè de dominio loquatur; ita rerum etiam mobilium præſcriptionem comprehendi negantes; quòd de 10. & 20. annorum præſcriptione, res immobiles ſpectante, loquatur: & extenſionem, tanquam veteris Juris correctorium, non patiatur: neque id ad res mobiles extendi, fuerit ulla neceſſitas, & vix operæ pretium; cum enim res mobiles malâ fide poſſeſſæ regulariter furtivæ ſint, rariſſimus eſt caſus, quô à malæ fidei poſſeſſore acceptæ triennio valeant præſcribi, ut præter alios obſervant Bruneman. *in Auth. cit. n. 5.* & Rath. *cit. cap. 2. n. 38.*

Si poſterius & ſucceſſor fuerit uni- 51. verſalis, opus eſt altera, pariter in Jure fundata diſtinctione, inter ſucceſſorem univerſalem mediatum & immediatum. Illi enim ſive mediato ſucceſſori, puta, hæredis hæredi anteceſſoris mediati mala fides non obeſt; ut, licet in longi ſaltem temporis præſcriptione uti nequeat acceſſione temporis ſui immediati authoris, qui malam fidem habuit ſolummodo fictam, tamen præſcriptionis tempus computare ſaltem valeat à propria poſſeſſione; quia defuncti hæredis hæres cum authore ſuo tantùm mediato una perſona non cenſetur; cùm duplex fictio Juris ex eodem capite & in eadem cauſa non admittatur, *citt.* Covarruvias *§. 9. n. 6.* Molina *diſp. 67. n. 7.* Palao *§. 7 num. 4.* & Hau-

52. & Haunold. *n. 209.* Isti verò sive defuncti proximo hæredi mala authoris fides nocet; ut ab isto malâ fide possessæ rei præscriptionem, ne à propria quidem bonæ fidei possessione, sive ab aditæ hæreditatis tempore, inchoare & trium, decem & viginti annorum spatiô complere possit, *l. Cùm hæres* 11. *ff. de Diverſ. temp. præſcript. l. fin. C. Communia, de Uſucap. &* §. *Diutina* 12. *Inſtit. de Uſucap.* Ratio *l. cùm hæres cit.* redditur; quia hæres, cùm in omne jus defuncti succedat, suâ ignoratione vitia defuncti, quocum una persona reputatur, non excludit. Ita cum Panorm. *in c. Si diligenti* 17. *n.* 30. & Dyno *in Reg. Poſſeſſor cit. n.* 42. *citt.* Covarr. §. 9. *n.* 1. Fachineus *Lib.* 8. *cap.* 66. Molina *disp.* 65.

53. *n.* 4. Haunold. *n.* 208. & Pirrhing *n* 68. cum *cit.* Covarr. *n* 7. excipiens Imprimis successorem in dignitate vel alio beneficio Ecclesiastico: cui, quòd istius titulum non hæredis instar ab antecessore, sed à collatore habeat, beneficium, quod ipse bonâ fide possidere cæpit, aliámve rem præscribenti, antecessoris mala fides non obstat.

54. Deinde etiam successorem hæredem, qui aliunde quàm à defuncto habuit justum titulum vg. donationis, emptionis, sicut vg. contingit, si defunctus rem, priùs alicui pignori datam, postea vendat alteri, eámque ab isto sive emptore hæres emat; talis enim rem, quam ex empto, ac proinde justo titulo possidet, ordinario tempore præscribit, *l. An vitium* 5. §. 1. *ff. de Diverſ. temp. præſcript. citt.* Covarr. *n.* 6. *in fine,* Molina *n.* 5. & Haunold. *n.* 217.

55. Dubium quintò & contentio inter DD. ingens est, an successori immediato, suam duntaxat & bonâ fide inchoatam rei possessionem computanti, mala fides authoris etiam noceat in tricenaria & quadragenaria præscriptione; eam enim & in hac & quanticunque temporis præscriptione successori nocere, suadet gemina ratio. Una est; quòd successor universalis non solùm omne jus habeat à defuncto, sed Juris fictione una eadémque cum eo persona censeatur; ut ejus vitia non excludat, illiúsque fictionis vigore reputetur possessor malæ fidei, de Canonico Jure omnem quanticunque temporis præscriptionem impedientis. Altera; quòd eôdem hôc Jure hæres in foro animæ exonerare teneatur conscientiam defuncti, *c. fin. de Sepult.* & *c. In literis* 5. *de Raptor.* exonerare autem istius conscientiam aliter non possit, quàm rei malâ fide ab eo possessæ restitutione: quibus rationibus ducti, cum Panormit. *in c. Si diligenti* 17. *n.* 30. Balbo *de Præſcript. pr. p.* 3. *p.* 2. *q.* 8 *n.* 12. Molina *disp.* 65. *n.* 4. & aliis Opinionem hanc ex Electoralis nostræ Universitatis TT. sustinet Haunold. *cit. Tract.* 5. *n.* 214. & viriliter propugnant ex JCT. is Fachineus *Lib.* 1. *Conſil.* 28. *à n.* 45. Georg. Everard. *Vol.* 1. *Conſil.* 10. *n.* 59. & *cit.* Rath. *cap.* 2. *n.* 51. sectus authoritatem istorum & aliorum Antecessorum Collegii nostri Juridici, eandem Opinionem in causa gravissima & longa hæredum successione præferentis.

Sed postremum hoc, juxta dicta, non probant *citt.* Molina *n.* 5. & Haunold. *n.* 217. quòd cum defuncto eadem persona solus hæres immediatus reputetur: non etiam remotiores; ne ex eodem capite duplex Juris fictio admittatur. Prius etiam, sive authoris malam fidem proximo hæredi, à propria & bonæ fidei possessione longissimi temporis præscriptionem inchoanti, obstare cum Baldo *in l. Nihil* 2. *C. de Uſucap. pro hærede n.* 2. Aretino *in l. Pomponius* 13. *v.* 1. *ff. de Adquir. poſſeſſ.* verisimiliùs negant Covarr. *in Reg. Poſſeſſor p.* 2. §. 9. *n.* 5. Vasquius *Lib.* 2. *Illuſtr. controverſ. cap.* 73. *à n.* 72. Thesaur. *QQ. Forenſ. Lib.* 1. *q.* 4. *n.* 11. secundum hanc sententiam judicatum asserens in Senatu Pedemontano &

Gilcken *de Præscript. p. pr. 2. memb. 1. cap. 16. n. 33.* Quorum hac de re sensus prævalet pondere rationis; quia etiam proximi hæredis in propria & longissimi temporis possessione fundatam præscriptionem nec Civilis nec Canonici Juris authoritas infringit; cùm Civili jure tanto tempore præscribatur cum mala fide vera, & conjuncta cum peccato; ut ea munitus fur quoque & prædo adversus pristini domini impetitionem defendatur, *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. & 40. annor. & l. 1. §. 1. C. de Annali except.* ac proinde multò magis cum mala fide solùm ficta, cum peccato non conjuncta, cujusmodi est hæredis, qui rem alienam esse ignoravit, ut nemo inficiatur: Canonicum autem Jus præscriptionem rejicit & irritat, quæ conjuncta est cum peccato & ex isto proveniente periculo animæ, *c. fin. cit.* quod mala fides solùm ficta in possessore, rem alienam non esse, syncerè existimante; ac proinde circa ejus possessionem non peccante, non inducit.

Neque rationi huic præponderant adductæ in contrarium. Prior; quia cùm fictitia identitas cum defuncti personæ tricenariæ & quadragenariæ præscriptioni non obstiterit de Jure Civili: eáque omni labe peccati, animæque periculò vacet, hæredi hodie quoque non officiet, hôc ipsô; quòd cum mala fide solum ficta perfecta Canonici Juris dispositione non afficiatur. Posterior; quia hæres ad exonerandam defuncti conscientiam non obligatur, quamdiu rem ab illo mala fide possessam & in se translatam esse alienam ignorat. Neque etiam post præscriptionem cum rei alienæ ignorantia completam; quia istâ completâ res aliena esse jam desiit, & ipsius propria esse jam cæpit beneficiô præscriptionis tricennariæ, nullum titulum expoſcentis, *l. Sicut l. Omnes citt. & can. Placuit 15. § Potest. 1. q. 3.* quòd prior dominus ob suam taciturnitatem rem à se abiecisse & alienásse Juris interpretatione videatur. Ut proinde præcedens vitium omne purgatum & defuncti conscientia, quantùm potest, exonerata jam sit; cùm hæc purganda fuerit restitutione rei alienæ, qualis jam desiit esse.

Dubium sextò & non levis momenti & controversia est, an mala fides antecessorum Provinciæ, Civitatis, Collegii, aut alterius Universitatis nociva sit successoribus; ut his, vg. jurisdictionem præscribentibus, quantumvis ipsi habeant bonam, mala tamen fides antecessorum defunctorum obstet. Id certè cum Innocentio *in c. Cura 11. de Jure Patron.* negant Vasquius *lib. 2. Illustr. controvers. cap. 71.* Balbus *de Præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 5. n. 3.* & Gilcken *Tract. simili p. & memb. 2. cap. 6. n. 22.* quòd mala fides sit quid facti, *l. Bonæ 48. §. 1. ff. de Adquir. rer. dom.* & cadere nequeat in ignorantem, præsertim justâ causâ: justam autem causam ignorantiæ habeat, qui in alterius locum succedit, *l. Qui in alterius 42. ff. de R. J.* Imò *cit.* Gilcken *n. 24.* ad successorum præscriptionem sufficere, ait, si antecessorum, rem alienam mala fide possidentium, parti majori successerint totidem bonæ fidei cives. Ratione eâ movetur; quòd ex utriusque Juris Regula ad omnes referatur, quod publicè fit per majorem partem, *c. 1. de Iù. quæ à majori & l. Quod major 19. ff. ad municipal.* & propterea considerandum sit, quâ fide, non à paucis numerô, sed à præcipua, sive majori provinciæ, civitatis, collegii, vel alterius universitatis parte res possideatur; ut illius jus potiùs conservetur bonâ plurium, quàm paucorum malâ fide labefactetur & convellatur.

Hâc tamen & aliis, quas *cit.* Gilcken congerit

congerit, rationibus suffultæ istorum Opinioni contrariam, & malâ antecessorum ejusmodi successorum bonam fidem convelli, constanter tenuerunt, & in facto consulti, tribus Germaniæ nostræ Universitatibus idē respondentibus, unanimi suffragiô subscripserūt Collegii nostri Juridici antecessores referente Fachineo *Lib. 1. Consil. 10. n. 29.* & testificante Rath *cit. cap. 2. n. 58.* quos è Collegio TT. novissimè secutus est *cit.* Haunold *n. 219.* Rationem reddunt; quia provincia, civitas, collegium & alia similis universitas semper eadem est, nec mutatur, quantumvis in singulorum decedentium locum alii atque alii succedant, *l. Proponebatur 76. ff. de Judiciis*; & propterea, sicut hæres, quòd eadem cum defuncto persona reputetur, istius vitia suâ ignorantiâ non excludit. *l. Cùm hæres cit.* ita mala antecessorum fides transeat ad successores; cùm, quam illi constituerunt, communitas istorum successione non immutetur. Unde alia huiusmodi successorum ratio, inquiunt, est, quàm aliorum, qui persona ab antecessore diversa censentur: & Baldus *in l. Imperium 3. ff. C. de Jurisdict. omn. jud.* in præscriptione Universitatis in majori istius parte bonam fidem initiô requiri, & rei alienæ scientiam oblivioni traditam pro bona fide non haberi, ait, hinc inferens, à populo jurisdictionem, vg. in castrum aliquod, si ab initio in mala fide sit, nunquam præscribi; quòd, cùm populus idem numerô semper sit, mala fides semper continuari videatur.

In hoc dissidio, sicut posteriorem hanc Opinionem ob DD. eam tuentium authoritatem veneror, sic rationi Juríque magis consentaneam censeo priorem; quia antecessorum mala fides successorum tricenariæ & longioris temporis præscriptioni non nocet de Jure Civili; cum isto talis præscriptio sine titulo & cum mala fide vera procedat: Juris autem Canonici dispositio resistit soli præscriptioni malæ fidei veræ; quòd hæc sola in animæ periculum vergat: fictam autem & cum peccato animæque periculo non conjunctam, qualis est hujusmodi successorum, rem, quam longissimo tempore possident, suam esse syncerè existimantium, non afficit; ac proinde in eo, quod Civili Jure obtinet, robore relinquit.

Dubium septimò est, an mala fides 58.
Prælati noceat Ecclesiæ. Ratio dubitandi est; quia servi rem, quam scit alienam, mentis mala fides impedit, ne res illa præscribi valeat à domino, eam alienam esse ignorante, *l. Pro emptore 2. §. 10. ff. Pro emptore.* Unde Prælati, Ecclesiæ vel Monasterii nomine rem alienam scienter mentis aut detinentis, mala fides Ecclesiæ vel Monasterio nocere videtur. Verùm §. *cit.* textus expresè de servo, rem 59.
alienam peculiari duntaxat nomine & sibi quodammodo emente, atque ita priùs sibi quàm domino acquirente agit & procedit. Casu autem, quô ejusmodi rem, non priùs sibi, sed immediatè domino acquirit, ipsius mala fides domini, bonam habentis, usucapioni non obstat, per ejusdem *l. §. 12.*

Quare ex hoc potiùs, quàm illo sive §. 10. argumentum ducendum, dicendúmque est, Ecclesiæ vel Monasterii præscriptioni solius Prælati malam fidem non obstare; quòd generaliter delictum personæ in Ecclesiæ detrimentum non debeat redundare, per *Reg. 76. in 6.* & Prælatus respectu Ecclesiæ vel Monasterii se habeat instar procuratoris, *can. fin. 12. q. 1. & c. Fraternitatem 2. de Donationibus*, & tutoris vel curatoris, *arg. c. 1. & c. Auditis 3. de in Integ. restit.* Guttierez *de Tutelis p. & cap. 1. n. 8.* & propterea, sicut mala fides procuratoris & alterius rerum alienarum administratoris domino, *l. Quod*

servo

ſervo 17. *ff. de Liberali cauſa & l. Quod vulgo* 11. *ff. Pro emptore*: & tutoris vel curatoris pupillo aut minori non nocet, *l. Is qui* 11. *§. 6 ff. Quod vi & clam & l. Neque* 198. *ff. de R. J.* ſic etiam Prælati & alterius rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratoris mala fides Eccleſiæ vel Monaſterio non debeat obeſſe, ut cum Panormit. *in c. fin. n. 41. & 42.* Bartolo *in l. Qui fundum* 7. *§. Procurator 6. ff Pro emptore* & aliis docet Balbus *de Præſcript. p. 2. pr. p. 3. q. 15. n. 2. & q.* 18. *n* 3 Gilcken *de Præſcript. p. & memb. 2. cap. 6. n. 23. citt.* Rath. *cap. 2. n. 55* & Haunold. *n.* 220. propter claros textus *c. Nihil 2. hîc, §. 6. cit. & l. Iniquiſſimum 5. ff de J. & F. J.* cujus *pr.* Iniquiſſimum videtur cuiquam ſcientiam alterius potiùs, quàm ſuam, nocere. 60.

Unde, ad Eccleſiæ vel Monaſterii præſcriptionem, propter Prælati malam fidem, impediendam vel interrumpendam, exigitur; ut rei alienæ conſcientiam præter ipſum habeat Capitulum vel Conventus, ſive major iſtius pars, Balbus *cit. n. 2.* quia Prælatus cum Capitulo ſeu conventu, vel majori iſtius parte ipſam Eccleſiam vel Monaſterium repræſentat. Niſi Eccleſia Prælatum vel Rectorem haberet ſine Capitulo; cùm enim in hujusmodi ſive non Conventuali Eccleſia Prælatus ſeu Rector ſolus idem poſſit, quod in Conventuali Prælatus cum Capitulo, Gloſſa *in c fin. V. Repelli, de Locato* & Felin. *in c. Edoceri 21. de Reſcript. n. 9. V. Etiam in aliis*, in Eccleſia, Capitulô carente, Prælati ſeu Rectoris ſolius, cùm Eccleſiam ſolus repræſentet, mala fides Eccleſiæ nocebit, Balbus *cit. n. 2. & 3.* Caſu tamen, quô Eccleſiæ Conventualis Prælatus malam fidem ſolus haberet, ad conſcientiam ſuam exonerandam Capitulum ſeu Conventum admonere deberet, rem, ab Eccleſia vel Monaſterio poſſeſſam, eſſe alienam; ut eô huic demonſtratô illius reſtitutio decerni poſſit, *citt.* Gilcken *cap. 6. n. 14.* Rath. *num. 58. lit. A.* & Haunold. *n.* 220.

Dubium octavò eſt, an ad præſcriptionem ſufficiat fides mala reſpectu non-domini, ſi reſpectu domini ſit bona puta, ſi res credatur eſſe Titii, cùm ſit Caji. Quod cum Felino *in c. Illud 8. n. 1.* & aliis affirmat Molina *cit. Tract. 2. diſp. 123. n. 4.* & ſuaderi videtur paritate habentis bonam fidem, reſpectu unius partis fundi; qui hunc præſcribit, etſi malam fidem habeat reſpectu alterius partis, ut idem Molina docet *Diſp. 63 n. 13.* Sed, etſi hoc verum, alia tamen ratio eſt habentis malam fidem reſpectu non-domini; quia iſte revera habet conſcientiam rei alienæ & poſſeſſionem conjunctam cum peccato mortali: in qua fundata præſcriptio generaliter rejicitur *c. fin. cit.* Contrà mali fide poſſidens unam partem fundi, reſpectu alterius, quem præſcribit, non habet conſcientiam rei alienæ & peccaminoſam poſſeſſionem; ac proinde ipſi non obſtat Conciliaris diſpoſitio *c. cit.* ut cum Covarruvia *cit. p. 2. §. 8. n. 5.* & Fachineo *Lib. 8. cap. 34.* docent *citt.* Palao *p. 22. §. 10. n. 2.* & Pirrhing *n. 76.* 61.

Porro bonam fidem circa rei, quæ aſſeritur præſcripta, poſſeſſionem in judicio allegandam, DD. paſſim monent cum Baldo *in l. Super longi* 11. *C. de Præſcript. long. temp.* Non allegandam ſolùm, ſed & probandam, aliqui voluêre apud Hunnium *Vol. 2. in Treutl. diſp. 22. q. 44.* hunc eorum ſenſum merito rejicientem, cùm; quòd in dubio quiliber præſumatur bonus, *l. Meritò 51. ff. Pro Socio, & c. fin.* junctâ Gloſſâ *fin. de Præſumpt.* & idcirco dolum allegans ad probationem adſtringatur, *l. Quotiens 18. §. 1. ff. de Probat. & l. Dolum 6. C. de Dolo*: tum verò; quòd bona fides præcipuè fundetur in igno- 62.

in ignorantia facti alieni, aut juris alii competentis: quam probatione non indigere, sed, si scientia non probetur, præsumi, Juris est omnino explorati, *l. Verius 21. ff. de Probat. & Reg. Præsumitur 47. in 6.* Quæ bonæ fidei præsumptio possessori eô saltem casu patrocinatur, quô titulum, saltem apparentem, aut putativum, habet, Bartol. *in l. Celsus 27. ff. de Usurp. & Usucap. n. 17.*

Eidem possessori, etiam titulô destituto, bonæ fidei præsumptionem patrocinari, desumi inde videtur; quòd defectus tituli & bona fides simul consistere valeant, ut cum Glossa *in l. Si quis 8. V. Tenuerit, C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* tradunt Accursius *in l. cit. V. Eôdem* & Alciatus *Reg. 3. præsumpt. 5. n. 3.* Sed eorum Opinio veritati consentanea non est, & apertè convellitur *l. Ero harede 11. §. fin. & ll. seqq. ff. de Haredit. petit.* quibus & *l. fin. C. Unde vi*, possessionis titulô & causâ destitutus, iis saltem casibus, quibus Jus commune titulum exigit, prædonis instar, ac proinde malæ fidei possessor apertè reputatur, Bartol. *cit. n. 17.* & Menoch. *de Arbitr. casu 225. n. 4.*

64. Præter casum, quô rem sine titulo detinet, existimatio bonæ fidei in possidente eliditur, & mala fides præsumitur, si ei rem empturo denuntiatum sit, eam esse alienam, *l. Si fundum 17. C. de R. V.* Bartol. *in l. Celsus cit. n. 18.* & *ibi* Baldus *n. 10.* si rem emit à statim consumpturo, prodigô, aleatore, luxuriosô, Panormit. *in c. Si diligenti 17. n. 26.* vel non servatis Juris solennitatibus, *arg. l. Quemadmodum 7. C. de Agricol. & censit. & Reg. Qui contra 82. in 6.* vel insolitis cautelis adhibitis contraxit; cùm in hoc dolus præsumatur, Glossa *marg. in l. Si quis 7. ff. de Condit. instit.* & Everard. *Legal. arg.*
65. *loco 104. n. 6.* si probetur, possessorem coram aliquibus fassum, se scire, rem esse alienam: vel eam alterius esse, duorum testimoniô constet, aut fama in vicinia sit, Felin. *in c. cit. n. 5.* & Menoch. *casu cit. n. 8.* si rem à procuratore, eam domini nomine vendente, emit, non inspectô mandatô, & hoc insufficiens vel nullum fuisse, postea deprehendatur, *citt.* Felin. *n. 5.* & Panormit. *n. 25.* si, rem alienam esse, scire potuit ex Jure communi vel municipali, *cit.* Menoch. *n. 16.* si, de jure suo dubitans, titulum procuravit saltem, postquam super re possessa in jus est vocatus, aut se vocandum vehementer metuere cæpit, Idem Menoch. *n. 10.* & Mascard. *de Probat. conclus. 1004. n. 50.* à quibus relatis his aliisque

Addi potest casus, quô penes ipsum 66.
rei possessorem existunt instrumenta, literæ & libri, eam alienam esse perspicuè perhibentes; ex his enim, illum malæ fidei possessorem esse, præsumi & probari, cum Cephalio *Consil. 361. n. 33.* Tiraquello *de Retract. Lign. §. 12. gl. 1. n. 9.* Wesenbecio *Consil. 8. n. 36.* & aliis docuêre celeberrimi duo Facultatis nostræ Juridicæ Antecessores Georg. Everardus *Vol. 1. Consil. 54. n. 134.* & Arnold. Rath. *Tract. cit. cap. 2. n. 27. & cap. 3. n. 34.* eâ ducti ratione; quòd quilibet scire & intelligere præsumatur tenorem instrumentorum & scripturarum, quæ in scriniis & archivio suo habet, eorum præsertim, quæ jura sua concernunt, aut pertinent ad officium & administrationem, *citt.* Mascardus *Conclus. 1300. n. 21.* & Gaill. *Lib. 2. Observat. 27. n. 2.* quia ea, quæ scire & intelligere debet & facilè potest, ignorare nemo censetur, *arg. l. Non est serendus 12. ff. de Transact.* cùm scire, & scire debere ac facilè posse de Jure paria sint, *l. Quod te 5. in fine ff. de Reb. credit.* & *l. Julianus 29.* ibi, *Qui sciret & scire potuisset ff. ad S. C. Maced.* ideóque ignorans, quod scire debuit, nullâ excusatione dignus judicatur,

§ *Ut itaque, in fine*, post *can. Ideo* 14. & *can. fin. dist.* 37.

ARTICULUS IV.

De Titulo.

SUMMARIUM.

67. *Præscriptio ordinariè exigit Titulum,*
68. *Seu causam ex se habilem ad dominium transferendum:*
69. *Non quidem validum:*
70. *Sed verum seu coloratum,*
71. *Aut saltem existimatum:*
72. *Nisi iste sit Venditionis.*
73. *Sine titulo longi temporis præscriptio non procedit,*
74. *Exceptis servitutibus realibus saltem continuis.*
75. *Longissimo verò tempore etiam res alia præscribuntur:*
76. *Nisi præscribenti adversetur Jus commune:*
77. *Non quidem aliquem incapacem reddens possessionis,*
78. *Neque ei quomodocunque:*
79. *Sed vehementer resistens,*
80. *Et ei, contra quem præscribitur, assistens.*

67. TErtia conditio, ad præscriptionem ordinariè requisita, est justus Titulus, *c. Si diligenti* 17. *l. Celsus* 27. *ff. de Usurp. & usucap. & l. Nullæ* 24. *C. de R. V.* quia est causa & fundamentum justæ possessionis; cùm sine eo bona fides haberi nequeat initiò possessionis; neque enim credere quis potest, se habere jus possidendi, nisi credat se habere titulum, ex quo hoc jus oriatur, Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. 5. pr.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. tract. 5. n. 178.*

68. Tituli nomine hîc intelligitur Causa possessionis, ex se habilis ad dominium transferendum: ut sunt legatum, fidei commissum, donatio, emptio, permutatio, do ut des, transactio, adjudicatio, solutio, sive rei in solutum acceptio, ejus pro derelicta habitæ occupatio &c. sic enim, licet donator rem, cujus dominus non fuit, sed esse bonâ fide existimabatur, donandô, ejus dominium non transferat in donatarium, in hunc tamen transfert conditionem præscribendi, *l. 1. Si is, qui alienam 2. ff. pro Donato.* Esse autem hujusmodi titulus potest quadruplex, &

69. Primò quidem Validus, vg. donatio, emptio Jure valida: cujusmodi titulô, qui rem possidet, eam præscribere non potest; quia, translatô per eum in rei dominiô, hæc jam est sua; cùm quod meum est, ex alia causa meum fieri non possit, nisi desierit esse meum, *c. Inter dilectos 6. V. Caterum. de Fide Instrument.* & Glossa *ibi V. Quod meum.* Propter quam causam, etsi quis rem ex pluribus causis sive titulis valeat possidere, *l. Possideri 3. §. 4. ff. de Adquir. possess.* non tamen illam ex omnibus, sed eô duntaxat titulô præscribit, ex quo illam priùs cæpit possidere, *§. Sic itaque 14. Instit. de Action. & l. Non ut 159. ff. de R. J.* ut rectè advertunt *cit.* Rath. *cap. 3. n. 28.* & Bruneman. *in l. Possideri cit. n. 8.*

70. Secundus Coloratus & apparens, sive, ut à DD. passim nuncupatur, verus, sed invalidus: Cujusmodi titulus est donatio vg. aut venditio, quæ, licet reipsa non valeat, quòd vg. à non domino facta sit, bonâ tamen fide pro valida habetur; atque idcirco in donatarium vel emptorem, licet non ipsum rei donatæ emptæve & traditæ dominium, usucapiendi tamen conditionem transfert, eúmque habilem efficit, ad eam certo tempore præscribendam. Et

dam. Et hic titulus indubitatè sufficit ad præscriptionem cujuscunque rei, Jure non prohibitæ possideri, Molina *Tract. 2. disp. 64. n. 1.* & Haunold. *Tract. cit. n. 222.*

71. Tertius Existimatus seu putativus: qualis titulus datur, quando ejusmodi causa aliqua, vg. legatum, donatio, emptio revera non præcessit, ex justa tamen causa creditur præcessisse, vg. si hæres rem quasi debitam ex legato, aut alius quasi donatam aut venditam tradat: cùm tamen legatum non sit, neque venditio aut donatio ulla præcesserit. Et hujusmodi titulum existimatum ad præscriptionem sufficere, cum *cit.* Rath. *n.* 11. & aliis JCT.is RR. tradit *cit.* Haunold. *n. 224.* & clarè expressum est *l. Non solum cit.* §. 1. ibi, *Si justam causam habuerit existimandi se hæredem extitisse, fundum pro hærede possidebit, l. Ea res 5. ff. pro Legato &c.*

72. Excipiendus tamen est Titulus Emptionis, quocum, si solùm existimatus & non coloratus sit, ordinariò decem aut viginti annorum tempore non præscribitur, per textum *l. Si existimans 48. ff. de Usucap.* ubi in præscriptione ex titulo Emptionis bona fides, quæ titulus fundat, non solùm traditionis, sed contractûs etiam tempore desideratur. Nisi præscribens rei emptionem servo, aut alteri mandaverit: & hic, eam tradens, mandantis nomine emptam asseruerit, *l. fin. ff. Pro suo*; quòd rem ita traditam possidens, in alieni facti ignorantia fundatò, ac proinde justò & tolerabili errore, eam emptam credat, Haunold. *l. cit. n. 234.*

73. Quartus est titulus Præsumptus: qui datur, quando ex diuturnitate temporis, quò rei possessio bona fide continuata est, legatum, donatio, emptio, aut alia ad dominii translationem sufficiens causa præcessisse à Jure præsumitur: etsi possessor legati, donationis, vel alium titulum in specie non valeat allegare, & fortassis omnino non præcesserit: cujusmodi titulus in præscriptione ordinariâ, quæ, si res mobilis triennio: &, si ea immobilis est, decenniò inter præsentes & inter absentes vicenniò completur, neutrò Jure præsumitur; ac proinde in ea coloratus, aut saltem existimatus titulus exigitur, Jure tam Canonicò, quàm Civili, *l. Celsus cit. l. Nullo 24. C. de R. V. & can. Placuit 15. §. Potest, 16. q. 3.* Balbus *de Præscript. p. 2. pr. p. 3. q. 6. n. 1.* & Covarruvias *cit. p. 2. §. n. 2.*

74. Excipiendæ tamen sunt Servitutes saltem reales continuæ, hoc est, quarum semel constitutarum usus semper durat, & factò hominis successivò non indigent, ut est aquæ ductus, suggrundii & similes servitutes; ad harum enim etiam ordinariam præscriptionem allegatio & probatio tituli necessaria non est, sed sufficit scientia & patientia domini, *l. 1. l. Si aquam 2. C. de Servitut. & l. Si quis 20. ff. Si servitus vendic.* quia in iis scientia & patientia domini locò tituli habetur, legibus illius servitutem, cùm prohibere posset, longo tempore permittentis tolerantiam pro consensu habentibus, Haunol. *Tract. cit. n. 225.*

75. In extraordinariis autem, hoc est, 30. vel 40. longissimi temporis & multò magis in centum annorum, etiam contra Ecclesias currentibus, præscriptionibus titulum allegare & probare regulariter, *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. & §. Potest. cit.* & in immemoriali nunquam est necesse, sed sufficit, quòd possessio toto ejusmodi tempore bonâ fide sit continuata; quia ipsa tanti temporis cum bona fide conjuncta possessio fundat præsumptionem tituli: &, si immemorialis est, vim Privilegii à Principe concessi & optimi juris habet, Panormit. *in c. De quar. a 4. n. 14. & 26.*

Dynus *in Reg. Possessor 2. in 6. à n. 26.* Balbus *cit. q. 6. n. 9. & 12.* & Covarruvias *l. cit. n. 12.*

76. *Regulariter*, inquam; quia casu, quò præscribenti Jus commune resistit: aut alia adversus eum præsumptio est, 40. aut etiam centum annorum cum bona fide conjuncta possessio non sufficit: sed necessaria insuper est allegatio & probatio tituli colorati, aut existimati, qui possessori tribuat causam præscribendi: vel possessio tanti temporis, cujus initii memoria non existit, per textum *c. 1. cit. in 4.* sic enim, propter Juris sibi adversantis resistentiam, Episcopus Ecclesias alienæ diœcesis, & Parochus vel alius quicunque decimas ex prædiis, intra alienæ parochiæ fines sitis, contra proprium Episcopum vel Parochum non præscribunt, nisi præter quadragenarii temporis lapsum probent titulum, vel ejusmodi Ecclesiam vel decimas possederint tantò tempore, cujus initii memoria non existit, Dynus *in Reg. cit. n. 27.* Balbus *q. cit. à n. 11.* & Covarruvias *l. cit. n. 2.* Unde

77. Dubium oritur, qualis Juris communis resistentia obstet præscriptioni quadragenariæ, titulò non munitæ. Quà in re inter DD. satis convenit primò, non exigi, ut Jus commune resistat potentiæ, sive capacitati rem aliquam possidendi; quia rem, cujus possessioni Jus ita resistit, vg. decimas à laicis, neque cum titulo quadraginta annis, neque immemoriali tempore præscribi posse, *c. Causam 7.* decisum & ratio est; quòd sine possessione præscriptio non procedat, *Reg. Sine possessione 3. in 6.* Panormit. *in c. Si diligenti 17. n. 34.* Molina *disp. 75. n. 6.* & Laiman. *in c. 1. cit. n. 1.*

78. Convenit inter plerosque secundò, non sufficere resistentiam Juris quamcunque; quia præscribenti servitutem in fundo alieno etiam resistit Jus commune, quò omnia prædia libera esse præsumuntur, *l. Altiùs 8. & l. Si in ædibus 9. C. de Servitut.* & tamen ad earum præscriptionem titulus necessarius non est, *l. Si quis 10. ff. Si servit. vendic.* Panormit. *in c. De quarta cit. 25.* & Dynus *in Reg. cit. n. 31.* sed necessaria est resistentia Juris, rei possessio- 79. nem cum vehementi edicto vetante prohibentis, sive, ut Jure, spectatò res pertinere non debeat ad possessorem: sed ad alium, cui eam competere Jus non tantùm simpliciter præsumit sed positive attribuit; ut eam ad extraneum, sive alium nolit pertinere; ac proinde ex ejus dispositione exurgat præsumptio malæ fidei in extraneo possessore titulum non exhibente: sicut extraneis clericis Jus commune resistit quoad jus percipiendi decimas ex prædiis, intra alienæ parochiæ fines sitis, provenientes, aut parochianis quoad immunitatem ab iis solvendis, & Episcopo quoad Ecclesias, intra alienæ diœcesis territorium sitas, aut istis quoad exemptionem ab Episcopi Jurisdictione ut rem hanc cum Covarruvia *Lib. 1. var. cap. 17. n. 7.* explicant *citt.* Molina *disp. 77. n. 4.* & Rath. *cap. 3. n. 33.*

Dissentiunt autem, an, ut ultra quadragenariam possessionem titulus exigatur, necessarium sit: ut Jus commune non solùm resistat possessori, sed etiam assistat adversario, sive ei, contra quem præscribitur; id enim necessarium esse, cum Panormit. *in c. Si diligenti cit. n. 35.* Felino *ibid. n. 7.* Franco *in c. 1. cit. n. 7.* Covarruvia *cap. cit. n. 6.* & aliis negant Barbosa *in c. cit. n. 9.* propter textum *c. 1. cit.* in præscribente, *Ubi est ei Jus commune contrarium*, titulum vel immemorialis temporis possessionem exigentis generaliter, & sine ulla mentione assistentiæ ejusdem Juris, adversario faventis.

Sed magis semper placuit doctrina Glossæ *in c. cit. V. Titulum*, Joan. Andr. *ibid.*

ibid. Alexand. de Nevo *in c. Si diligenti cit. n. 53.* Laiman. *in c. 1. cit. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 88.* ultra quadraginta annorum lapsum titulum eô solùm casu exigentium, quô Jus commune, sicut resistit possessori, ita ejus adversario, sive ei, contra quem præscribitur, assistit. Unde secundùm hos DD. una Ecclesia vel Monasterium contra Ecclesiam vel Monasterium aliud decimas, intra Parochiæ neutri subjectæ fines provenientes, quadraginta annis sine allegatione vel probatione tituli præscribit. Ratio est; quia, si Jus commune præscribentis adversario, sive ei, contra quem currit præscriptio, non assistat, quoad hunc possessori seu præscribenti Jus non resistit; ac proinde quoad eum non fundat malæ fidei aut ignorantiæ præsumptionem: propter quam titulus aut immemorialis possessio exigitur in præscribente. Confirmatur; quia, cùm præscribentis adversario Jus commune non assistit, intentionem suam in Jure communi, & ex hoc orta præsumptione fundatam neuter habet; ac proinde melior est conditio possidentis: & in hoc, ultra quadragenariam & bona fide continuatam possessionem, etiam titulum exigendi specialis ratio non apparet.

ARTICULUS V.

De Tempore, requisito ad Præscriptionem rerum Corporalium.

SUMMARIUM.

81. *Hoc varium est pro rerum & personarum varietate.*
82. *Res mobiles triennio contra quoscunque, etiam contra Ecclesias, saltem inferiores:*
83. *Imò contra Romanam:*
84. *Immobiles inter privatos præsentes 10. inter absentes 20. annis cum titulo,*
85. *Sine isto 30. annis præscribuntur.*
86. *Duo absentia uni præsentiæ anno æquivalent,*
87. *Saltem cum præscriptio contra absentem,*
88. *Imò & cùm contra reversum ac præsentem completur.*
89. *Eadem res 100. annis præscribuntur contra Ecclesiam Romanam:*
90. *Cujus privilegiū quoad exemptionē,*
91. *Non & jam quoad alia bona, exemptis prodest.*
92. *Quoad easdem res Ecclesiæ inferiores quadragenariâ,*
93. *Etiam contra alias Ecclesias:*
94. *Et quædam longiori præscriptione defenduntur:*
95. *Nisi rei præscriptio à privato fuerit inchoata.*
96. *Centum annis defenduntur civitates, pagi, Regna &c.*
97. *Non tamen quoad omnia bona.*
98. *Principi in summa potestatis signum competentia,*
99. *Ejúsque dignitati reservata nunquam præscribuntur:*
100. *Nisi ista aliis soleant communicari.*
101. *Bona vacantia aliter contra Seculares.*
102. *Aliter contra Ecclesiasticum fiscum præscribuntur.*
103. *Cùm Jus resistit, exigitur possessio quadragenaria cum titulo.*
104. *Vel immemorialis:*
105. *Quæ à centenaria possessione differt,*
106. *Et plus, quàm ista requirit.*
107. *Alia etiam est probatio centum annorum,*
108. *Et alia immemorialis:*
109. *Quæ illâ nequaquam est minor.*

81. QUantum Præscriptionis requisitum est legitimum Tempus possessionis, sine interruptione contiuuatæ, *l. Usucapio 3. ff. de Usurp. & Usucap.* quod varium est pro varietate rerum : & eorum etiam, contra quos præscripio currit : & quadrifariam distingui potest, in Breve, cujusmodi est quodcunque decenniô minùs: Longum decem inter præsentes & viginti annorum inter absentes : Longissimum triginta, quadraginta,aut sexaginta, vel etiam centum annorum, & Immemoriale sive,cujus initii memoria non existit. In particulari

82. Primò, res mobiles, ut sunt pecuniæ, vestes, gemmæ, annuli, torques; vasa, animalia &c. quanticunque pretii, dummodo furtivæ non sint, cum titulo triennio præscribuntur, *l. Unica C. de Usucap. transform. & pr. Instit. de Usucap.* sine titulo autem triginta annis, *arg. l. Sicut 3. & l. Si quis 8. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Ratio autem, cur præscriptioni illarum, quantumvis faciliùs, quàm res immobiles occultentur, angustius, quàm his tempus legibus definitum sit, est ; quòd mobilium amissione dominis plerumque minùs præjudicii inferatur : &, quando bona fide possidentur, non facilè soleant occultari : quando verò possidentur mala, præscriptioni obnoxiæ non sint.

Eôdem temporis spatiô res mobiles etiam pretiosissimæ præscribuntur contra Ecclesias, saltem inferiores, cæteráque loca sacra & religiosa, *Auth. Quas actiones, C. de SS. Eccles.* quâ illis quadragenariæ præscriptionis privilegium sic stabilitur, ut *usucapio triennii & quadriennii præscriptio in suo robore durare* permittatur. Hanc autem Authenticam, quantumvis Imperialis Constitutio sit, ab Ecclesia receptam & approbatam, patet ex *can. fin.* ibi, *Venerandæ leges Romanæ &c. 16. q. 3.* & sacrorum Tribunalium, ejus allegationem non minùs, quàm prophana admittentium, assiduô usu; ut proinde à Gratiano quasi Ecclesiasticus aliquis Canon in Decretum post *can. Jubemus 16. §. De Præscriptionibus cit. q. 3.* jure optimo sit relata. Unde

83. Dubium& controversia nascitur, an res mobiles trienniô præscribantur etiam contra Ecclesiam Romanam. Eas enim contra hanc non nisi centum annis præscribi, cum Panorm. *in c. Cùm dilectus 4. de Confirmat. util. n.* 12. & Sylvestro *V. Præscriptio 1. n. 7.* tenent Balbus *de Præscript. p. 5. pr. p. 1. num. 23.* Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. num. 5.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. num. 22.* & Arnold. Rath. *de Usucap. cap. 5. n.* 15. propter textus *c. Ad audientiam 13. & c. Cùm nobis 14.* quibus centenariæ præscriptionis privilegium Romanæ Ecclesiæ generaliter & sine ulla inter res distinctione adstruitur ac stabilitur,

Sed verius, contra hanc quoque res mobiles triennii lapsu præscribi, in suis *Tract. de J. & J.* defendunt Molina *Tract. 2. disp. 68. n. 4.* Lugo *disp. 7. n. 63.* & Haunold. *Tomo 1. Tract. 5. n. 28.* quos præter alios secutus est Barbosa *in c. Cùm nobis cit. n. 3.* Ratio, quam reddunt, unica, sed satis firma est ; quòd *c. Ad audientiam & c. Cùm nobis cit.* textus, etsi generaliter loquantur, clarè tamen referantur ad LL. Civiles, à quibus hoc privilegium originem ducit, scilicet ad *Auth. Quas actiones cit. Auth.* autem *ista* centenariam præscriptionem Romanæ Ecclesiæ concedens, si benè ponderetur, spectet solas actiones; quæ contra privatos decem, viginti,aut triginta,contra Ecclesias inferiores 40. annorum præscriptione excluduntur ; quod in solis immobi-

immobilibus contingit, ut colligitur ex *Novell. 9.* ex qua *Auth. cit.* est desumpta; hæc enim solùm loquitur de præscriptione temporis longissimi, quæ in solis immobilibus competebat. Unde *cc. citt.* de eadem, sive solorum immobilium præscriptione sunt exaudienda. Confirmatur; quia mobilia rarò centum annis perdurant. Unde, si minori temporis spatiò non præscriberentur, rarò & vix unquam contra Ecclesiam Romanam possent præscribi. Quæ fortassis ratio est, cur *Auth. cit.* inserta sint verba, *Usucapione triennii & quadriennii præscriptione in suo robore durantibus.*

84. Secundò, res immobiles, ut prædia, domus, fundi &c. cum titulo inter privatos præsentes decem, inter absentes viginti, *l. Unica cit. & pr. Instit. de Usucap.* sine titulo autem triginta annis præ-
85. scribuntur, *c. fin. C. de Præscript. long. temp. l. Si quis 8. §. 1.* junctâ Glossâ, *V. Tenuerit, C. de Præscript. 30. vel 40. annor. c. Sanctorum 9. hic & can. Placuit 15. §. Præscriptionum, 16. q. 3.* absentibus autem longius tempus, quàm præsentibus, indulgendi ratio fuit; quòd major negligentia sit eorum, qui præsentes non curant, nec revocant res suas; cùm præsentes rebus suis adesse, eásque à possessoribus citiùs & faciliùs, quàm absentes, valeant revocare, Perez *in C. de Præscript. long. temp. n.* 10. & Harprecht *in pr. cit. num.* 131.

Præsentes autem hôc locô rei possessor & dominus, sive is qui, & is, contra quem præscribit, censentur, si in eadem, vg. Bavaria: absentes, si in diversis provinciis vg. unus in Bavaria, alter in Austria, Tyroli, Palatinatu &c. commorentur, *l. fin. cit.* Jure Bavarico pro præsentibus die im Landt: die ausser Landts pro absentibus habentur. *cit.* Molina *disp. 69. n. 2.* Rath. *cap. 5. cit. num. 24.* & Manzius *in pr. cit. num. 83.*

Casu autem, quô is, contra quem 86.
præscribitur, partim præsens, partim absens est, unum præsentiæ duobus absentiæ annis æquivalere; ac proinde, si quinquenniô solùm præsens sit, ad complendam præscriptionem ultra illud decem annorum spatium decurrendum, traditur *Auth. Si quis, C. de Præscript. long. temp.* cujus ex *Novella 119. cap. 8.* desumptæ tenor est, *Quod si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, adjiciuntur ei supra decennium tot anni, quot annis ex decenio fuit absens.* Ubi

Dubium & inter duos clari nominis 87.
Jurium Doctoros agitata controversia est de casu, quô is, contra quem præscriptio currit, ejus inchoatæ tempore præsens, postea absens, & demum ante completos annos reversus & iterum præsens est: sicut accidit, cùm Titius post 6. annos præsentiæ, quatuor annis absens, iisque exactis reversus fuit; hôc enim casu, ut præscriptio legitimè completa dici possit, à reverso, sive iterum præsente, quatuor integris annis possessionem continuandam, Doctorum illorum alter voluit, & secutus est Cujacium *in l. fin. cit.* Perez *n.* 11. & Philip. Richter *in Auth. cit.* ubi adversus eum, qui post præsentiæ quinquennium totidem annis absens fuit, reversum, & iterum præsentem, ad complendam præscriptionem novum præsentiæ quinquennium requirit; quòd *Auth. & cap. 8. citt.* Imperialibus Constitutionib⁹ à tali tot annos supra decennium adjiciendos statuatur, quot annis absens fuit; ac proinde ab eo, qui post sex annos præsentiæ quatuor annis absens fuit, quatuor alii anni sint adjiciendi.

Sed iste, *Auth. & cap. 8. citt.* intelle- 88.
ctus & præsentiæ absentiæque annorum computatio displicere semper visa est TT.

hac in

hac in re cum Sylvestro *V. Præscriptio 1. 9. 7.* & Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 23.* Regulæ instar statuentibus, duos absentiæ uni præsentiæ anno generaliter æquivalere; & propterea præscriptionem adversus dominum, qui post octo præsentiæ & duos absentiæ annos reversus est, unô : adversus eum, qui post sex præsentiæ & quatuor absentiæ annos reversus est, duobus annis compleri : & nequaquam opus esse, ut priori duobus, posteriori autem casu quatuor adhuc annis rei possessio continuetur. Cui TT. sententiæ eò libentiùs subscribo ; quòd eam cum Azone *in Rubric. C. de Præscript. longi temp.* Jordano Lucubrat. *Lib. 14. Tit. 24. n. 339.* Barbosa *in l. Sicut 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor. num. 183.* Antonell. *de Temp. Legali Lib. 2. cap. 67. n. 2. & 3.* & aliis subtili suô calculô approbârit, imò vindicârit Magnificus D. Collega Dominic. Bassus *Justinian. decis. 46. n. 9.* quia, ut hic Doctor probè advertit, si adversus eum, qui post sex præsentiæ & quatuor absentiæ annos reversus est, non duo: & adversus eum, qui post quatuor præsentiæ & sex absentiæ annos rediit, non tres duntaxat: sed priori casu quatuor & posteriori sex integri anni ad præscriptionem complendam exigerentur, priori quatuor & posteriori casu sex integri anni omnino subducerentur, & præscriptio priori quatuor, posteriori verò casu sex annis suspenderetur ac dormitaret. Imò, sequeretur, quòd post quinque præsentiæ & octo absentiæ annos reversus possessionem aliis octo: & post quatuor præsentiæ & novem vel decem absentiæ annos reversus eandem aliis novem, vel omnino decem annis ad complendam præscipionem deberet continuare; itáque non absentiæ duntaxat, sed aliquot etiam, vel penè omnes præcedentis præsentiæ anni interirent, & inutiles evaderent: quas & similes sequelas à Justiniani mente alienas, & omnino absurdas laudatus D. Collega meritò censuit *n. 8.* quia *Auth. & cap. 8. citt.* Imperator ab eo, qui post inchoatam præscriptionem abest, tot annos, quot abfuit, ultra decennium adici solùm voluit, quando præscriptio in absentia completur; cùm aliàs continuatio possessionis tempore absentiæ adversus eum, qvi ante completam præscriptionem redit, præscribenti omnino inutilis redderetur: nulla autem ratio sit, cur tali casu inutilis reddita sit, quæ in abientiæ continuatione profuisset.

Tertiò, eædem res ac bona immobilia adversus Ecclesiam Romanam non nisi centum annis præscribuntur, *Auth. Quas actiones, c. Ad audientiam, c. Cum nobis citt. c. Si diligenti 17. & c. fin. n. 6.* in cujus tamen fine excipiuntur bona hæreticorum: qui, dum viverent, Catholici putabantur; talia enim ab eorum filiis & aliis possessoribus 40. annis præscribuntur: quantumvis ad Ecclesiam Romanam pertinere debuissent. Unde

Dubium oritur, an centenaria præscriptione etiam gaudeant Ecclesiæ exemptæ. Affirmant Archidiac. *in c. fin. cit.* quòd immediatè subjectæ sint Ecclesiæ Romanæ: negant Baldus *in Auth. cit.* & Guido *Pap. decis. 38.* quòd, illis Ecclesiæ Romanæ privilegiô omnes exemptos gaudere, nusquam sit expressum; & contrarium inde satis liqueat; quòd istorum aliqui centenaria præscriptione specialiter sint muniti. Quorum in speciem pugnantes sententias in concordiam alii reducunt ope distinctionis; vel enim, inquiunt, agitur de tollendo ipso jure exemptionis, vel de allis rebus & juribus Ecclesiarum exemptarum. Si posterius, contra eas speciali privilegiô non munitas perinde, ut contra non exemptas

emptas quadraginta annis præscribi, mox
91. statuetur. Si prius, ut Ecclesia, Monasterium exemptum Episcopo subijciatur, necessaria est præscriptio centum annorum : non quidem vi privilegii ipsi Ecclesiæ vel Monasterio competentis : sed; quòd contra exemptionem militans subjectionis præscriptio cedat in præjudicium Ecclesiæ Romanæ, munitæ privilegiô centenariæ præscriptionis: cujus interest, multos habere exemptos, & sibi immediatè subjectos, *Clement. Pastoralis 2. de Sent. & re judic.* Unde Ecclesia inferior exempta, licet non suo, Papæ tamen sive Ecclesiæ Romanæ jure se tueri potest contra Episcopum, ut cum Panormit. *in c. Ad audientiam cit. num. 12.* Felino *ibid. n. 17.* & aliis, Rotæ etiam *Decis.* allegatâ, docet Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. Lib. 3. q. 12. à n. 4.*

92. Quartò, eædem res ac bona contra Ecclesias inferiores, Monasteria, hospitalia, cæteráque sacra & religiosa loca præscribuntur quadraginta annis, *Auth. est. c. De quarta 4. & c. Ad aures 6.* quô privilegiô etiam gaudent ejusmodi res ac legata pauperibus relicta; quia his relicta ejusdem conditionis sunt cum iis, quæ Ecclesiis relinquuntur, *l. fin. C. de SS. Eccles. & Novell. 131. cap. 9.* Panormit. *in c. De quarta cit. n. 7.* & Covarruvias *in Reg Possessor p. 2. §. 2. num. 3. V. Imò & hæc.*

Non obstat; quòd *Novell. 9.* sicut Romanæ, sic etiam inferioribus Ecclesiis centenaria præscriptio indulta sit à Justiniano; quia constitutio illa quoad Ecclesias inferiores ab eodem Imp. revocata & abrogata est *Novell. 111.* non etiam quoad Romanam, ut colligitur *c. Cùm vobis cit.* verbis, *Tam Legali, quàm Canonica sit definitione statutum.* & ex verbis, *Venerandæ Leges Romanæ*, quæ habentur *can. fin. 16. q. 3.* Barbosa *in c. Cùm vobis cit. n. 2.*

Dubium hôc locô moveri solet, an 93.
quadragenariæ præscriptionis privilegiũ Ecclesiis, Monasteriis &c. etiam competat adversus alia ejusmodi loca & causas pias. Negant id aliqui apud Barbosam *in c. Ad aures cit. n. 3. in fine*; quòd privilegiatus privilegiô suô non utatur, vel defendatur contra pariter privilegiatũ, ut habet Regula desumpta ex *l. Sed & milites 8. pr. ff. de Excusat. Tut. & l. Assiduis 12. §. 1. in fine, C. Qui potior in pign.* Sed meliùs cum Panormit. *in c. Ad aures cit. n. 2.* Balbo *p. 1. pr. p. 5. pr. n. 4.* Covarruvias *cit. n. 3.* Tiraquell. *Privileg. causa pia 26.* Barbosa *l. cit.* affirmat, propter *c. Auditis 3. de in Integ. restit. c. De quarta, c. Ad aures citt.* aliorúmque passim obviorum textuum casus, & *c. Illud 8.* claram decisionem: quibus allegata Regula minimè adversatur, cùm; quia isti locus eô solùm casu est, quô privilegiatorũ utriusque causa par est: quod non accidit in casu proposito; Ecclesia enim, contra quam præscribitur, de damno vitando, præscribens autem de lucro captando certat: tum verò; quòd tali casu privilegiatus cum privilegiato non concurrat; cùm nullum privilegium concessum sit Ecclesiæ præscribenti: sed ei duntaxat, adversus quam præscriptio inchoatur; quia, ut Panormit. *l. cit.* advertit, Ecclesia privilegiata est, non quoad activam, sed passivam tantùm præscriptionem; ne per hanc res suas & jura minori, quàm quadraginta annorum, spatiô amittat.

Quintò, quoad easdem res & bona 94.
immobilia Monasteriâ Ordinis S. Benedicti & S. Salvatoris sexagenaria: Ordo Cistercienſium in Germania, uti etiam Ordines Mendicantes centenariâ præscriptione gaudent, ex privilegio Eugenii IV. Leon. X Pii IV. testibus Haunold. *cit. Tract. 5. num. 309.* & Donato *Tom. 1.*

Prax. Regular. p. 1. Tract. 12. q. 10. n. 6. & 10.

95. Casu tamen, quò res immobilis privati præsentis, postquam ab isto, titulum habente, præscribi cæpta est quinquenio, spectare cœpit ad Ecclesiam Romanâ inferiorem & speciali privilegio non munitam, ad complendam ejus præscriptionem non sufficiet aliud quinquennium: neque tamen etiam 30. sed 20. duntaxat anni requirentur. Si verò postea ad Ecclesiam Romanam, quinquaginta: &, si ad Monasterium Ordinis S. Benedicti spectaret, triginta anni necessarii forent; ut, sicut inter privatos duo absentiæ uni præsentiæ, ita cum adversus privatum cœpta præscriptio contra Ecclesias currere incipit, uni anno adversus privatum currenti, contra Romanam decem, contra Ecclesias istâ inferiores quatuor & contra Monasteria Ordinis S. Benedicti currenti, sex anni æquiparentur, ut *arg. Auth. Si quis cit.* cum Panormit *in c. De quarta cit. num. 20.* notant *citt.* Sylvester *q. 7.* Lessius *cap. 6. n. 25.* Molina *disp. 27. num. 5.* & Haunold. *n. 302.*

96. Sextò, centenaria præscriptione munitæ etiam sunt Civitates quoad quæcunque bona, tam mobilia, quàm immobilia, ipsis donata, legata, aut vendita, sed nondum tradita, *l. Ut Inter 23. pr. V. Sive itaque, C. de SS. Eccles.* cujus dispositionem per *Novell. 111.* quoad ipsas non correctam, cùm Covarruvia *cit. §. 2. n. 15.* & aliis censent Palao *Tract. 31. disp. Unica, p. 22. §. 12. num. 5.* & Rath. *cit. cap. 5. n. 40.* quòd istius Novellæ correctorio Jure de Civitatibus expressè nihil innovatum, ac proinde locus sit *arg. c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine, C. de Appellat.*

Idem Civitatum privilegium DD. passim extendunt ad Oppida & Pagos; ut his donata, legata, aut vendita, & nondum tradita, non nisi centum annis præscribantur: & multò magis ad Provincias ac Regna; ut illæ & hæc quoad Bona Principatui, vel Regni Coronæ, ut vocant, incorporata centenariæ præscriptionis munimine defendantur. Hæc tamen adeò liberalis extensio qua ratione nitatur, non satis assequor; cùm *l. Ut inter cit.* quâ à Civitatibus ad Provincias ac Regna argumentum ducitur, non generaliter de quibuscunque, sed iis duntaxat bonis loquatur, quæ civitatibus per donationem, legatum, aut fideicommissum & venditionem obvenerunt, & tradita necdum sunt. Unde, sicut, quod ex *l. cit.* ad hujusmodi Provinciæ aut Regno debita, expeditum: ita, quod generaliter ad omnia etiam incorporata bona ducitur, infirmum est argumentum, per tradita à Cravetta *de Antiq. Temp. p. 4. §. Absolutiò à n. 40.* Covarruvia *§. cit. n. 15.* & *cit.* Rath. *cap. 5. n. 42.* Unde

Dubium oritur, quanto ergo tempore cætera Principatûs & Regni bona juráque præscribantur. Non est autem hîc sermo de Juribus Principi competentibus in signum & recognitionem suprema potestatis; cùm ista præscriptioni obnoxia non sint, *l. Comperit. 6. C. de Præscript. longi temp.* Neque etiam de Juribus, ipsi reservatis ratione Dignitatis; nam etiam adversus hæc, si inferioribus communicari non soleant, ut leges condendi, non admissa exceptione vel appellatione remota procedendi, & causas ita committendi, sententiam, quæ in rem judicatâ transiit, revocandi &c. potestas, præscriptionem non procedere, ex communi aliorum sensu advertunt *citt.* Molina *disp. 75. num. 15.* & Palao *§. 14. n. 7.* Si autem aliquando, licet rarò, per viam privilegii inferioribus concedi & communicari soleant, ut vectigalia & tributa

tributa imponendi, legitimos natalibus, & infames integro statui restituendi, ætatis veniam concedendi, malefactores ultimo supplicio afficiendi &c. potestas, à vectigalibus & tributis immunitas &c. ea quidem præscribi : sed propter Juris resistentiam non possunt, nisi centum aut veriùs quadraginta annis cum titulo, vel tempore immemoriali, ut *arg. c. Super quibusdam 26. pr. V. Præterea, de V. S. & c. 1. hic in 6.* cum Covarruvia §. *cit. n. 3.* Lessio *cit. cap. 6. num. 14.* & aliis volunt laudati Rath. *num. 43. lit. A.* & Palao *num. 7.*

Sed de bonis, quæ Principi non Principatûs, sed privatorum jure competunt : ut villæ, prædia, tam urbana, quàm rustica, domus, horti, vineæ, pascua, Sylvæ, piscinæ &c. jam tradita & possessa; de tempore enim, quô hujusmodi Principum bona præscribuntur, admodum variant DD. sunt enim, qui ea centum annis, cum Molina *disp. 74. n. 4.* vel quadragenario cum titulo, vel immemorialis temporis lapsu præscribi velint cum Boerio *q. 264. n. 25.* Verùm, quia ex *l. cit.* ad bona jam tradita & possessa non rectè argui, jam monuimus : & de quadragenaria ejusmodi bonorum præscriptione clarus textus in Jure non habetur, Principem quoad ea privatorum jure censeri : neque ampliori, quàm istos præscriptionis privilegiô defendi, cum Baldo *in l. Jam pridem 2. pr. C. Communia, de Usucap.* Cravetta §. *cit. n. 33.* & Covarruvia §. 2. *n. 15.* satis probabiliter volunt *citt.* Rath. *num. 43.* & Haunold. *n. 303.*

101. Septimò, bona vacantia, sive mobilia sive immobilia sint, ex morte alicujus, sine legitimis hæredibus defuncti, fisco Seculari debita, diversimodè : & quidē, si isti tradita jámque incorporata sint, non nisi quadraginta annis præscribuntur, *l. Omnes 4. C. de Præscript. longi temp.* Covarruvias *cit. p. 2. §. 2. num. 7.* & *cit.* Molina. *disp. 73. n. 2.* Si verò ei denuntiata quidem, sed nondum tradita, vel occupata, à bonæ fidei possessore quatuor annorum spatiô, etiam sine titulo, *l. 1. C. de Quadrien. præscript. & l. Inter 10. ff. de Diverf. temp. præscript. cit.* Molina *num. 8.* & Bruneman. *in l. 1. cit. n. 3.* Si ei etiam denutiata non sint, ut cætera privatorum bona, cum titulo mobilia trienniô: immobilia inter præsentes decennniô & vicenniô inter absentes : sine titulo autem tricenniô præscribuntur, *l. Quamvis 18.* junctâ Glosâ *V. Diutina, ff. de Usucap. citt.* Covarruvias §. 2. *n. 8.* Molina *disp. 73. à n. 2.* & Haunold. *n. 290. & 292.*

Dixi autem; *Vacantia*, &, *Fisco Seculari.* Prius; quia vacantia ob delictum, vg. ob non solutum vectigal commissa & fisco addicta bona à reo istiúsque hæredibus quinquenniô præscribuntur ; ut hôc elapsô actio fisci penitus extinguatur, *l. Neque 2. C. de Vectigal. & commiss.* Posterius; quia ad fiscum Ecclesiasticum 102. delata bona, saltem immobilia, etiamsi occupata, tradita & denuntiata non sint, adversus Ecclesias inferiores quadraginta, & adversus Romanam centum annis præscribuntur, per textus pro quadragenaria & centenaria præscriptione allegatos, exceptô casu *c. 1. in 6.* Panormit *in c. Cùm vobis cit. n. 9.* & Haunold. *cit. n. 292.* quod tamen, non contemnenda ratione motus, Molina in dubium vocat *l. cit. n. 9.*

Octavò, quando rem aut jus aliquod præscribenti, (sicut vg. Episcopo jurisdictionem in Ecclesiam vel Monasterium diœcesis alienæ, Ecclesiæ decimas intra fines alienæ Parochiæ, inferioribus immunitatem à tributis, vel ista aut vectigalia imponendi potestatem & cætera Principi, reservata, quæ aliquando, sed 103.

rarò, communicari solent, præscribentibus) resistit Jus commune, aut alia malæ fidei præsumptio contra eum est, ad præscriptionem complendam necessaria est possessio quadraginta annorum cum titulo, aut, isto deficiente, omnino immemorialis, sive tanti temporis, cujus initii memoria non existit, ex famigerato Bonifacii VIII. *c. 1. in 6.* Ubi

104. Dubium & magni in praxi usûs quæstio est, quodnam tempus censeatur immemoriale. Etsi enim tale tempus & possessionem omnes vocent, cujus initium hominum memoriam excedit, juxta *l. In Summa 2. §. 7.* ibi *Cujus initii memoria non extat, ff. de Aqua pluvia & l. Hoc jure 2. §. 4.* ibi, *Cujus origo memoriam hominum, qui vivunt, excedit, ff. de Aqua quotid. & æst.* hominum etiam memoriam tempus & possessio excedere censatur, si excedat centum annos; quòd vita hominum ultra hos annos extendi non præsumatur, *l. An usufructus*

105. *56. ff. de Usufructu & quemad.* Non tamen omnes conveniunt in ejus à centenario discrimine; cùm non desint & à Georg. Everardo *Vol. 1. Consil. 8. num. 6.* longo ordine referantur DD. qui immemoriale tempus & possessionem cum centenaria confundant, & istius clara probatione etiam illam censeant demonstratam.

Sed parùm solidè, cùm; quia cum centenariæ possessionis probatione stare potest probatio, eam non esse immemorialem; si nimirum eam ante centum & quinque, decem vel quindecim annos fuisse penes alium, aut possessionem ante centum annos inchoatam per instrumentum aut testes de auditu probetur: tum verò; quia ad præscriptionrm etiam centenariam, quando præscribenti resistit Jus commune, aut alia vehemens malæ fidei præsumptio contra eum stat, necessarius est titulus, quem immemorialis non exigit, *c. 1. in 6.* cùm ipsa possessio tanto tempore & bona fide continuata, habeat vim tituli & privilegii à Summo Principe concessi, *§. Præterea & §. 1. citt.* imò eâ legitimè probatâ melior de mundo Titulus nequeat allegari, Glossa *in c. 1. cit. V. Titulus, & V. Nisi*, Panormit. *in c. Pervenit 5. de Censibus n. 3.* Cravetta *§. Absolutis cit. n. 9.* Balbus *p. 2. pr. p. 3. q. 6. num. 17.* & Covatruvias *cit. §. 3. num. 8.*

Meliùs itaque alii ad immemorialem possessionem exigunt; ut non solùm memoriam hominum, sed etiam centum annos excedat: atque insuper; ut de ejus initio non constet. Secundùm quos proinde immemorialis non est possessio, cujus initium quidem ignoratur, sed tamen scitur, id ultra centum annos non extendi; quòd eam, vg. ante 80. vel 90. annos, fuisse penes alium, aut penes modernum possessorem non fuisse, probetur. Neque etiam talis possessio est, quæ centum quidem annos excedere scitur, si de ejus initio vitioso, vg. quòd à violenta invasione, invalida donatione &c. initium acceperit, legitimè probetur, *citt.* Cravetta *n. 60.* Molina *disp. 76. n. 1.* Paleo *§. 12. n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 127.* 106

Neque tamen hinc legitimè infertur, immemorialem non esse possessionem, quam multò ante centum, puta, ante ducentos, vel trecentos, aut mille annos, penes modernum non fuisse, constat; quia nihilominus immemorialis est, si eam neque centum annis esse breviorem: neque, quando inchoata sit, probetur, *citt.* Molina *n. 3.* & Pirrhing *n. 128.*

107. Dubium ulterius est de probatione possessionis immemorialis: quæ diversa est ab ea, quâ centenaria probatur.

Istius enim sive centum annorum possessio-

possessionis legitima probatio habetur, quando rei possessionem à centum annis, antequam super ea lis moveretur, sine interruptione continuatam, ostenditur per instrumenta, vel per testes, jam quidem mortuos, sed quorum attestationes ante obitum ad perpetuam rei memoriam legitimè receptæ & in scriptis sunt redactæ, juxta *c. fin. pr. Ut lite non contest.* vel etiam per testes vivos, qui possessionem ante centum annos inchoatam, ex majorum relatione & fama publica à se cognitum: vel, si, quod rarissimè, aliquando tamen, contingit, centum annos ipsi pluribus & saltem octo, vel decem annis excesserint, & de suo visu testificentur, Panormit. *in c. Cùm vobis cit. n. 5.* Covarruvias §. *cit. n. 9.* & Molina *disp. 76. n. 4.*

108. Illa autem, sive possessio immemorialis, per scripturas rarò & legitimè non probatur: nisi eæ valde antiquæ sint & possessionem hominum memoriam excedere asseverent, Antonell. *de Temp. Legali lib. 2. cap. 112. n. 5.* Plerumque autem probari consuevit per testes: quorum depositionibus ut, possessionem hominum memoriam excedere, evincatur, exigi solet Primò; ut testes, eam 40. annis penes aliquem extitisse, à se visum testificentur: & propterea à DD. requiri passim solet, ut testes tempore litis motæ 54. ætatis annum excesserint, ex ratione; quòd id, de quo testificantur, ipsis jam puberibus debuerit accidisse. Verùm quia, licet testis esse nequeat, qui pubes non est, *l. Testium 3. §. 5. & l. Inviti 19. §. 1. ff. de Testibus*, pubes tamen, quando Jus aliud specialiter non exigit, de iis etiam, quæ in pupillari ætate vidit, testificari potest, secundùm Glossam *in §. 5. cit. V. Impuberes*, Bartol. *ibid. n. 2.* Panormit. *inc. Cùm nobis cit. n. 6.* & Farinacium *Prax. Criminal. q. 58. n. 53.* in testibus, de 40. annorum possessione visu à se cognitâ, deponentibus 50. aut etiam 48. ætatis annum sufficere, volunt *citt.* Molina *n. 4.* Palao *n. 10.* & Pirrhing *n. 129.* Secundò; ut iidem deponant, ita se semper vidisse, à majoribus suis audivisse, & contrarium, sive, possessionem penes eundem aliquando non fuisse, aut aliquando fuisse penes alium, à se nunquam visum, neque à majoribus aliquando auditum. Tertiò; ut iidem, à se ex communi opinione famâque & voce publicâ cognitum, asseverent. Ita DD. *citt.* cum Glossa *fin. in c. 1. cit.* Franco *ibid. n. 15.* Cravetta *cit. p. 4. V. Materia, n. 38.* Balbo *cit. q. 6. n. 24.* Covarruvia §. *cit. n. 8.* Moneta *de Decimis cap. 5. q. 8. n. 76.* & Antonello *cap. cit. à n.*

Neque hinc sequitur, possessionem 109.
& præscriptionem immemorialem esse centenariâ minorem; quòd illius probatio legitima habeatur, si testes 54. imò 48. annos excedant, & de 40. annis deponant: cujusmodi testium depositionibus possessio ac præscriptio centenaria probata non censetur; ac proinde ista major & difficilioris, quàm illa, sit probationis, ut ex *citt.* DD. voluit Cravetta §. *Absolutis, à n. 2.*

Sed perperam; quia ut *cit.* Covarruvias *n. 10.* advertit & suprà dictum est, probatione centenariæ probata non est possessio immemorialis, si centenariâ majoris possessionis initium ostendatur: &, quando præscribenti Jus resistit, non sufficit centenaria; cùm tamen sufficiat possessio immemorialis. Neque aliud evincit ratio Cravettæ; quia, licet à testibus, de immemoriali possessione deponentibus, non exigatur; ut eam centum annis longiorem fuisse, expressè asseverent: de hoc tamen sufficientem fidem faciunt, si illam penes eum, pro quo deponunt, 40. annis & antè semper fuisse, cùm ex visu proprio, tum ex auditu & relatione majorum, qui idem viderunt, &

ab aliis majoribus suis audierunt, & ex fama atque existimatione publica cognitum: &, contrarium neque à se, neque à majoribus suis unquam observatum, testificentur; cùm in tempore possessionis, attestationibus assertô, centum anni includi præsumantur, ut rectè observat Covarruvias *l. cit.*

ARTICULUS VI.

De Tempore Præscriptionis rerum Incorporalium.

SUMMARIUM.

110. *Res incorporales variæ sunt.*
111. *Beneficium contra Rectorem olim 10. aut 20.*
112. *Hodie trium annorum pacificâ possessione,*
113. *Etiam quoad ipsius titulum acquiritur:*
114. *Jurisdictio in Ecclesiam aliquando 40. annis sine titulo:*
115. *Aliquando cum isto, vel tempore immemoriali præscribitur,*
116. *Tam privativè, quàm cumulativè:*
117. *Servili conditioni 10. aut 20. annis præscribitur.*
118. *Eodem tempore ordinariè servitutes mixtæ.*
119. *Et reales, diversimodè tamen, acquirantur:*
120. *Imò & amittuntur:*
121. *Non eodem tamen modo Rusticæ & Urbanæ.*
122. *Actiones Civiles ex contractu 30. annis tolluntur:*
123. *Hypothecariâ,*
124. *Et nonnullis aliis exceptis.*
125. *Censum vel pensionem annuam exigendi juri,*
126. *Et ipsis quoque censibus præteritis ac futuris,*
127. *Tanquam à jure illo dependentibus 30.*
128. *Actionibus verò ex delicto ferè 20. annis:*
129. *Nonnullis brevioribus: aliis nullô unquam tempore:*
130. *Et specialis modô delictis successivis & connexis præscribitur.*

110. REs incorporales aliæ sunt Spirituales, hísque annexæ; ut beneficia, officia & jurisdictio Ecclesiastica, jus decimandi, eligendi, Patronatûs &c. aliæ meré Temporales sunt; ut servitutes, actiones, obligationes &c. De priorum ferè alibi, exceptis beneficiis & jurisdictione: Hôc proinde locô de istorum, & posterioris generis incorporalium præscriptionibus agetur.

111. Primò itaque beneficia Ecclesiastica quæcunque antiquô, instar immobilium, cum titulo 10. aut 20. annis: sine titulo 30. annis, saltem contra clericum verum ejus rectorem poterant præscribi, Barbos *de Præscript. p. 1. pr. p. 5. q. 10. n. 2.* Covarr. *in Reg. Possessor p. 2. §. 10. n. 9.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 70. n. 1.*

112. Novô autem Jure Regulæ *de Triennali possessore*, quæ est *33. Cancellariæ Apostolicæ*, beneficia illa contra quemcunque impetitorem trienniô præscribuntur ab iis, qui ipsa tantô tempore, bonâ fide & cum titulo colorato, scilicet Apostolicâ vel Ordinariâ provisione, aut aliâ quâcunque dispositione eorum, ad quos pertinet, sine Simoniaco ingressu possederint: dummodo in iis, si dispositioni sedis Apostolicæ ex aliqua reservatione generali, in Corpore Juris clausa, reservata sunt, se non intruserint. Ubi

Dubium

Dubium & controversia inter DD. est, an hujusmodi triennali possessione acquiratur beneficii titulus; ut possessor vi illius non solùm litibus molestari nequeat, sed illud, salvâ conscientiâ sine ulla dispensatione valeat retinere. Hoc enim cum *cit.* Covarruvia *n. 10.* & Azor *p. 2. Instit. lib. 7. cap. 34. q. 16.* negat Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 33. n. 3.* partim; quòd beneficium Ecclesiasticum non possit licitè sine Canonica institutione obtineri, ut habet *Reg. 1. in 6.* cujusmodi institutio non est possessio triennalis: partim verò; quòd, si dicta possessio tribueret titulum, sequeretur, Episcopum in Visitatione ab ejusmodi triennali possessore non posse exigere & examinare titulum beneficii: quod est contra communem sensum DD.

113. At multò probabilius est, ab ejusmodi possessore verè acquiri Titulum; ut secundùm naturam præscriptionis, non solùm alterius jus omnino extinguatur, sed beneficium sine nova collatione possit retineri; quia ex una, Papæ competit plenissima potestas disponendi de beneficiis Ecclesiasticis, eáque ob bonum publicum uni adempta in alterum transferendi, *c. Licet 2. de Prabend. in 6. & Clement. 1. §. fin. Ut lite pendente:* ex altera verò parte ejusmodi possessoribus titulum concedi, ferè necessarium fuit ad lites & conscientiarum scrupulos tollendos: qui ejus, de qua agimus Regulæ, videtur fuisse finis. Ita cum Rebuffo *Tit. de Pacif. possess. à n. 7.* Lud. Gomez *Reg. de Triennali possess. q. 42.* & Garcia *de Benef. p. 8. cap. 1. n. 15.* Sanchez *Lib 7. Moral. cap. 29 n. 89.* & aliis novissimè Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 284.* & Pirrl ing *ad hanc Rubric. n. 115.*

Unde à *Reg. 1. cit.* excipiendus est casus, quò beneficium, triennali bonæ fidei & pacificâ possessione, est præscriptum. Neque vera est sequela; quia ab eo, qui hujusmodi possessione munitus est, exigi nihilominus potest titulus; ut constet de bona fide possessoris: &, an titulum habeat coloratum, sive beneficium ab eo, ad quem pertinet, acceperit, ut rectè observat Lugo *Tract. de J. & J. disp. 7. n. 110.* qui tamen jure exigit; ut hujusmodi possessor beneficii Ecclesiastici non sit incapax: ut sunt laicus, hæreticus, spurius & alii, laborantes defectu, sive impedimento, in quo non facilè solet dispensari.

Secundò Jurisdictio, in unam, vel plu- 114.
res Ecclesias, aut certum territorium alicujus diœcesis, 40. annis præscribitur, *c. Auditis 15.* Qua in re tamen multùm interest, an Jurisdictio illa adversus proprium diœcesis Episcopum, vel adversus Prælatum eô inferiorem, aut etiam contra Episcopum extraneum præscribatur; adversus hos enim eam præscribenti, non tantùm proprio, sed etiam alteri Episcopo extraneo & Prælato inferiori; quòd ipsis respectu talium Jus commune non resistat, ultra quadragenariam possessionem probatio tituli, vel istius allegatio necessaria non est, *arg. c. De quarta 4. & c. Ad aures 6.* & arg. à contrario, *c. 1. in 6.* Si verò eam adversus proprium diœcesis Episcopum extraneus vel inferior Prælatus præscribat, 40. annis cum titulo colorato, vel immemoriali tempore continuata illius possessio probanda est, per textum *c. 1. cit.* quòd his eam præscribentibus resistat Jus commune, & istius assistentiâ proprius Episcopus defendatur, *c. 1. de Pactis*, & ex quo textus iste desumptus est Concil. Carthag. *can. 12. c. Cùm olim 18. pr. hîc c. Constitutus 6. c. Cùm venerabilis 7. de Relig. domib. & can. Omnes Basilicæ, 16. q. 7.* Balbus *de Præscript. p. 1. princip. p. 5. q. 11. n. 2.* & Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. 8 n. 3. in fine.*

An autem hujusmodi præscriptione 115.
Juris-

Jurisdictio adversus Episcopum privativè, hoc est, eô omnino exclusô, vel cumulativè, sive, ut ea simul cum Episcopo obtineatur; ut, sicut in causis fori mixti, locus præventioni sit, præscripta censeatur, pendet ex usu seu exercitio jurisdictionis tempore currentis præscriptionis; si enim totô istius tempore eam præscribens solus exercuit; privativè: & contrà solùm
116. cumulativè eam præscripsisse censetur, si non solus ipse, sed etiam Episcopus diœcesanus jurisdictionem exercuit; quia priori privativam: posteriori verò casu solùm commulativam habuit ejus possessionem: cui præscriptio commensuratur, *arg. Reg. Sine possessione 3. in 6.* Ita cum Rolando *Lib. 3. consil. 439. n. 11. in c. Auditis cit.* Barbosa *n. 5.* & Gonzalez *n. 9.*

Neque, ut nonnulli his opponunt, Episcopus sua Jurisdictione intra præscriptionis currentis tempus utendô hanc interrumpit, ac proinde, ut iidem inferunt, dari nequit casus, quô per viam præscriptionis jurisdictio cumulativè obtineatur; quia simplici Jurisdictionis usu privativam duntaxat ipsius præscriptionem interrumpit: non etiam cumulativam: nisi Prælatum inferiorem aut Episcopum extraneum, eâ uti volentem, prohiberet, & iste acquiesceret prohibitioni, ut iidem notant cum Panormit. *in c. Auditis cit. n. 14.*

117. Tertiò, etsi servitus personalis, sive, ut homo liber alterius servituti subjectus sit, nullô tempore valeat præscribi, *l. Usucapionem 9. ff. de Usucap. & l. fin. C. de Longi temp. præscript. pro libert.* libertas tamen bona fide possessa adversus dominum 20. inter absentes, & inter præsentes 10. annis præscribitur, secundùm *l. Præstat 2. C. eâdem Rubric.* textum, istiúsque expositionem traditam à Bruneman. *num. 3.*

118. Quartò, servitutes mixtæ, quæ à re debitæ sunt personæ, ut ususfructus, usus, habitatio, eôdem, quô res immobiles; ac proinde cum titulo 10. inter præsentes, & inter absentes 20. sine titulo autem 30. annorum spatiô præscribuntur, *l. Ult. fin. C. de Præscript. longi temp.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 70. n. 4.* & Haunold. *Tract. cit. n. 315.*

Quintò, servitutes merè reales, sive 119.
rei à re debitæ quæcunque, cum titulo inter præsentes 10. inter absentes 20. annorum præscriptione acquiruntur, *l. Ult. fin. cit.* Gomez *tom. 2. Var. cap. 15. àn. 2.* & Molina *disp. cit. àn. 5.* sine titulo autem reales servitutes eôdem tempore omnes præscribuntur; continuæ enim & quasi continuæ, ut aquæductus, suggrundii, tigni immittendi, stillicidii & similes servitutes inter præsentes etiam decenniô & vicenniô inter absentes præscribuntur, *l. 1. l. Si aquam 2. C. de Servitut. & l. Si quis 10. ff. Si servus vindic.* Ratio est; quòd dominus, vel is, cujus interest, jus illud exerceri sciens & tantô tempore permittens, sponte concedere censeatur: ipsique ejus scientiâ & patientiâ continuata possessio locô tituli succedat, Gomez & Molina *l. cit.* Discontinuæ autem, sive, quarum usus per intervalla est, ut itineris, aut actûs jumenti, aut vehiculi agendi per fundum alienum, & similes servitutes, ut sine titulo præscribantur, exigunt tempus immemoriale, *per l. Servitutes 14. ff. de Servitut.* vel potiùs communi DD. tenetu & Tribunalium usu receptam & Jure nostro Provinciali Landrecht *Tit. 26. art. 4.* confirmatam ejus interpretationem, Balbus *de Præscript. p. 2. pr. p. 4. q. n. 3.* Covarruvias *lib. 1. Var. cap. 17. n. 11.* & Haunold. *Tract. cit. n. 311.* Ratio diversitatis inter has servitutes ea reddi solet; quòd discontinuæ, eô ipsô; quòd per intervalla exerceantur, à fundorum dominis, contra quos præscribuntur, non ita facilè

facilè adverti, & quando inchoatæ sint, sciri possit, ut continuæ: quarum initium & continuatio, cùm facilè advertatur, eæ faciliùs, quàm illæ impediri possunt.

Etsi verò inter hujusmodi servitutes affirmativas vg. tigni immittendi, stillicidii, aquæ ductûs, itineris, actûs; & negativas vg. ædificium altiùs non tollendi, fenestram non aperiendi, quoad diuturnitatem temporis, ad præscriptionem requisiti, nulla: lata tamen inter eas differentia intercedit, quoad istius inchoationem; cùm affirmativarum præscriptio à die, quô quis illarum aliquâ, vg. per actualem tigni immissionem, commeationem per fundum, aquæ ductionē &c. uti cæpit: negativarum autem ab eo primùm die inchoetur, quô servitutē præscribere volens positivè prohibet vel impedit; ne altiùs tollat, fenestram aperiat, aut aliud quidpiam moliatur: & id moliens, prohibitioni acquiescit; quòd istæ à tali primùm die incipiant possideri, Glossa *in l. 1. V. Si quas, C. de Servitut. citt.* Gomez *n. 28.* Molina *n. 6.* & Palao *§. 13. n. 8.*

120. Sextò, simili modo, etsi iisdem servitutibus eôdem tempore, scilicet inter præsentes 10. & inter absentes 20. annis præscribatur: & à non utentibus amittantur, *l. fin. C. de Servitur.* inter servitutes tamen Rusticas & Urbanas notabile
121. illud discrimen est; quòd illæ non-usu tollantur, etiamsi prædii servientis dominus non exerceat actum, quô vg. vicinus servitute uti vg. per fundum ire, volens prohibeatur: imò etiam, si hanc vicino deberi sciat, *l. Hæc autem 6. ff. de Servitut. Urb. prad.* & dicta *n. 35.* Istæ autem sive Urbanæ solô non-usu ejus, cui debentur, non amittantur: sed insuper exigatur; ut is, qui servitutem debet, ab eáque libertatem præscribit, bonâ fide exerceat actum, quô usum servitutis vg. tigni immissionem impediat, séque à servitute liberum reddat, *l. Hæc autem cit.* Molina *disp. 66. & 70. utrobique n. 9.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 6. n. 10.* quòd hujusmodi servituti, sive ab ea libertatem præscribens ante prohibitionem, seu resistentiam non constituatur in ejus quasi possessione, sine qua præscriptio non procedit, per *Reg. Sine possessione 2. in 6.*

Excipienda tamen est servitus realis, vg. jus eundi per fundum: cujus usus non singulis, sed alternis tantùm diebus, vel mensibus, aut æstate tantùm competit; ad eam enim tempus duplicatum, ac proinde inter præsentes 20. anni requiruntur, *l. Si sic 7. ff. Quemad. servit. amitt. & l. fin. C. de Servitut.* quô tamen 20. annorum spatiô hujusmodi servitutem etiam inter absentes præscribi, existimant *citt.* Molina *n. 10.* & Palao *n. 9.*

Septimò, quantumvis Actionibus 122.
realibus cum titulo decem inter præsentes & inter absentes 20 annis præscribatur, *l. Unica C. de Usucap. transform. & pr. Instit. de Usucap.* Actionibus tamen personalibus & obligationibus Civilibus, ex contractu vel quasi, vg. mutui, commodati, tutelæ provenientibus, adversus creditores regulariter triginta duntaxat annorum præscriptio objici potest, *l. Sicut 3. C. de Præscript. 30 annor. & l. 1. §. 1. C. de Annali except. ubi* Interpp. & alii DD.

Excipitur tamen ab hac Regula pri- 123.
mò Actio hypothecaria, cum aliqua tamen distinctione. Si enim res hypothecata possideatur ab ipso debitore, aut hæredibus ejus, qui eam hypothecæ subjecit, adversus creditorem præscribitur non nisi 40. annis, currentibus à die, quô debitum erat solvendum, *l. Cùm notissimi 7. C. de Præscript. 30. annor.* Eodem temporis spatio à creditore secundo, cui res postea fuit oppignorata, adversus debitorem adhuc viventem: hôc autem mortuô 30.

annis præscribitur, *l. cit.* Si verò res hypothecæ subjecta ab aliquo tertio, qui nec debitor, nec creditor, aut eorum alterius hæres est, bonâ fide possideatur; quòd vg. ipsi, eam hypothecatam ignoranti, donata sit, ab eo ordinariô, hoc est, cum titulo, si mobilis, trium: si immobilis, inter præsentes 10. & inter absentes 20. sine titulo autem triginta annorum spatiô præscribitur, *l. 1. l. fin. C. Si adversus credit. l. Cùm notissimi cit. & l. Si quis 8. pr. C. de Præscript. 30. annor. citt.* Molina *disp. 69. n. 5.* Lessius *n. 36. & 37.* & Haunold. *n. 318.*

124. Excipiuntur secundò legata & fideicommissa: quæ adversus legatarium & fideicommissarium, non ordinario decem aut viginti, *l. Si duobus 3. §. 3. V. Sin autem avaritiæ, C. Communia, de Legat.* sed extraordinariô 30. annorum tempore præscribuntur, ex communi sensu DD. *citt.* Covarruvias *p. 3. cap. 3. n. 6.* & Lessius *n. 39.*

Excipiuntur tertiò actiones Revocatoriæ, quæ quadrienniô præscribuntur, *l. & §. 1. ff. Quæ in fraud. credit. & §. Item si, Instit. de Actionib.* Gomez *Lib. 3. Var. cap. 14. n. 5.* & *cit* Farinac. *q. 25. n. 164.*

Excipiuntur quartò actiones & obligationes, quæ aliàs decenniô & longiori (non breviori) tempore: contra Ecclesias aliáque sacra & Religiosa loca, nonnisi 40. & contra Ecclesiam Romanam centum annis præscribuntur, *Auth. Quas actiones*, junctâ Glossâ *V.*, *Durantibus*, *C. de SS. Eccles. citt.* Covarruvias *p. & §. 2. à n. 5.* & Molina *disp. 71. n. 3.*

125. Dubium &, sicut in praxi utilis, sic difficilis resolutionis controversia est de actionibus annuis, ex contractu vel ultima voluntate provenientibus, puta, de jure censum, vel præstationem annuam exigendi, & exhibendi obligatione, an contra privatum 30. & contra Ecclesiam vel Monasterium 40. annorum spatiô à debitore præscribantur, quoad omnes census vel præstationes, præteritas ac futuras.

Ratio dubitandi est de præteritis; quia, licet post 30. vel 40. annorũ lapsum præscriptum sit censibus, aut aliis præstationibus, ante tot annos jam debitis, præscriptum tamen non videtur debitis à decem vg. aut viginti annis proximè lapsis; cùm singulorum præscriptio currere primùm incipiat à die, quô census vel præstatio debita, & ille solutus, aut ista exhibita non est: annuorum autem censuum & præstationum aliqui à decem, aut viginti annis primùm debiti, & non exhibiti fuerint; ac proinde nondum lapsum sit tempus ad eorum præscriptionem jure requisitum. Confirmatur; quia debiti census & præstationes tot sunt, quot sunt anni, *l. Si in singulos 4. & l. In singulos 8. ff. de Annuis legat.*, & propterea etiam tot præscriptiones; quarum non omnes eôdem, sed aliis atque aliis annis singulæ inchoantur & perficiuntur. De futuris autem; quia ex una, respectu istorum debitor non est in possessione; cùm libertas ab eorum debito seu obligatione possideri primùm incipiat à die cessationis à solutione & præstatione eorum jam debitorum: illorum autem debitum, ac proinde ab eorum solutione & præstatione cessatio primùm sit futura: ex altera verò parte, sine possessione præscriptio non procedit, *l. 25. ff. de Usucap. & Reg. 3. in 6.*

Sed rationes istæ, quamcunque præ- 126
seferant, eâ tamen vi non pollent, ut impediant, quò minùs accedam Speculat. *Tit. de Emphyteusi §. 1. n. 52.* Alberici *in l. Si in singulos cit.* Menhacæ *Lib. 2. Controvers. illust. cap. 55.* & aliorum, annuis debitis & obligationibus contra privatos 30. & contra Ecclesias ac Monasteria 40. annorum cessatione præscribi, sine ulla inter legata & census ac præstationes alias, inter eas præteritas ac futuras differentia, statuentium communi sententiæ,

quam

quam ex præcipuis Universitatis nostræ Antecessoribus calculò suò approbârunt Nicol. Everard. Senior *Consil. 187 in fine*, Rath. *de Usucap. cap. 4. n. 8.* & novissimè Haunold. *cit. Tract. 5 n. 358.* Moveor, non tam *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript.* 127. *30. vel 40. annor.* tantò tempore omnem actionem extingui statuentium generali dispositione: quàm Canonicis sanctionibus *c. De quarta 4. & c. Ad aures 6.* quorum textuum priori clericus adversus Episcopum, decimationum & oblationum annuatim debitarum solutionem in judicio petentem, quadragenariâ præscriptione se tuetur, & sine ullo inter præteritas ac futuras discrimine liberatur: posteriori quadragenariâ cessatione à solutione decimarum omnis, ac proinde tam præteritas quàm futuras illarum præstationes respiciens, actio extingui asseritur: sicut usurarum singulis annis præstandarum debitum 30. annorum lapsu ita tollitur; ut, sicut sortem, ita etiam usuras, tam præteritas, quàm futuras, exigendi actio & solvendi obligatio cesset, *l. Eos 26. C. de Usuris.* Ratio est; quia esto, anni, pro quibus census & præstationes debentur, multi & distincti sint, unum tamen idémque jus, actio & obligatio respicit omnes, ut mirum non sit, unâ præscriptione omnes tolli.

Neque aliud persuadet in contrarium allata ratio utraque; quia, cùm singuli census & præstationes non debeantur nisi dependenter à jure eos exigendi & exhibendi obligatione, eò ipsò; quòd per cessationem ab eorum solutione ac præstatione debitor possidere & præscribere cæperit libertatem à jure eos exigendi & præstandi obligatione, possidere etiam cæpit libertatem à censibus & præstationibus, tam præteritis, quàm futuris, dependentibus ab illo: sive censuum & præstationum debitum ex contractu, sive ex ultima voluntate proveniat, per textum *l. Cum notissimi cit. §. 6. cit.* annuam pensionem ex legato debitam æquiparantis ei, quæ debetur ex contractu.

Neque huic de annuorum hujusmodi debitorum præscriptione sententiæ adversatur *§. cit.* quia Justiniani, in obligationibus, *Quæ dationem per singulos annos vel menses habent, tempora præscriptionum, non ab exordio obligationis sed ab initio cujusque anni vel mensis computari*, asserentis, mens alia non fuit, quàm creditorem, qui pensiones aliquot annis percepit, lapsis ab obligationis principio triginta annis non excludi; cùm utique pensiones jam solutæ non præscribantur. Computari ergo eam Imperator voluit à principio anni vel mensis, quò solutio facta non est. Non; quòd tot præscriptiones sint; quot anni & menses: sed, quòd una sit præscriptio, quæ ab anno solutionis non factæ primo initium ducat, *tit.* Rath *n. 4. lit. D.* & Haunold *n. 360.*

Minorem vim habet; quòd obligationibus in diem, cujusmodi præstationes & legata annua sunt, præscriptio ante diei adventum non currere dicatur *l. cit. §. 4.* quia hoc Jus ad obligationem annuam non spectat; nam ista, licet quoad effectum sive solutionem ac præstationem diversa, una tamen est: sicut obligatio de usuris præstandis in singulos annos, quæ omnes unica præscriptione tolluntur, *l. Eos cit.*

Octavò, obligationes & debita ex 128.
delicto, ex iisque ortæ actiones Civiles regulariter spatio 20. annorum, non à notitiæ, sed ipso criminis commissi die computandorum, præscribuntur, *l. Querelam 12. C. ad L. Cornel. de Falsi.* ut hôc tempore lapsò accusationi, imò etiam inquisitioni ex officio, locus amplius non sit; quòd hujusmodi inquisitio succedat locò accusationis, *c. Qualiter 24. de Accusat.* ac proinde sublato per viam præscriptionis jure

nis jure accusationis, etiam inquisitionis jus sublatum censeatur; ne, quod unâ viâ & directè prohibetur, viâ aliâ & indirectè concedatur, contra *Reg. Cum quid 84. in 6.* Clarus §. *fin. q. 51. n. 2.* Balbus *de Præscript. p. 4. pr. p. 4. q. 2. n. 2. cit.* Gomez *de Delict. cap. 1. n. 6.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 10. n. 3.*

129. Excipiuntur tamen imprimis, & brevioris temporis præscriptione tolluntur Actio injuriarum, quæ unius anni lapsu extinguitur, *l. Si non convitij 5. C. de Injuriis:* Actio sive accusatio adulterii, stupri, incestûs, lenocinii: quæ uti & cætera crimina obnoxia pœnæ Legis Juliæ de Adulteriis, & crimen etiam peculatûs, quinquennio præscribuntur, *l. Mariti 29. §. 5. & 6. ff. ad L. Jul. de Adult. l. Peculatûs 7. ff. ad L. Jul. Peculat.* nisi adulterium cum incestu sit conjunctum; hujus enim criminis accusationi ut præscribatur, vicennium exigunt *citt.* Clarus §. *Adulterium n. 20.* & Haunold. *n. 324.*

Excipiuntur deinde & per viam præscriptionis nunquam tolluntur crimina ejusdem adulterii cum violentia commissi: uti etiam stupri per vim illati, *l. Mariti cit. §. fin.* Parricidii, *l. fin. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* Apostasiæ, *l. Si quis 2. & l. Apostatarum 4. C. de Apostat.* suppositi partûs, *l. Qui falsum 19. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Falsis.* uti etiam Hæresis, læsæ Majestatis, Assassinii, falsatæ monetæ, Simoniæ, concussionis; horum enim accusatio, saltem dum rei vivunt, perpetuò durat, Balbus *cit. q. 2. n. 9.* Farinac. *q. cit. n. 29.*

130. Circa hanc tamen Actionum Criminalium præscriptionem duo notanda sunt. Primum est; quòd vg. in adulterio & cæteris carnalibus, aliisque delictis, tractum successivum habentibus, aut iteratis, præscriptio currere non incipiat, nisi à die commissi ultimi delicti, secundùm Gloss. *in l. Mariti cit. V. Commissi criminis, in fine,* Clarum §. *fin. q. 51. n. 3.* Farinac. *q. cit. n. 16.* Guazzinum *Defens. Reor. 2. cap. 2. n. 35.* Alterum; quòd, cùm plura, præsertim inter se connexionem habentia, delicta conjuncta sunt, magis attendatur, quod præscriptioni minùs obnoxium est: & magis perpetuum ad se trahat id, quod minùs perpetuum est, per ea, quæ, aliis DD. allegatis, tradunt Decianus *Tract. Criminali Lib. 3. cap. 37. n. 22.* & Guazzinus *cit. cap. 2. n. 87.*

ARTICULUS VI.

De Rebus, quæ obnoxiæ non sunt Præscriptioni.

SUMMARIUM.

131. *Præscriptioni obnoxium non est Matrimonium,*
132. *Ordo sacer,*
133. *Et Professio Religiosa:*
134. *Liber homo, res Sacra, Religiosa & Publica:*
135. *Principi specialiter Reservata,*
136. *Et sine privilegio prohibita possideri:*
137. *Obedientia, Visitatio & Procurationes:*
138. *Jus non observandi interdicta:*
139. *Res furtivæ & vi possessa,*
140. *Nisi tempore extraordinario:*
141. *Præscriptione Feudum introduci,*
142. *A Vasallo in extraneum transferri,*
143. *Et omnino extingui:*
144. *A domino directo acquiri utile dominium,*
145. *Non etiam hoc à Vasallo potest:*
146. *Nisi interversâ domini possessione,*
147. *Non præscribuntur res sine solennitatibus,*
148. *Aut simpliciter prohibitæ alienari:*
149. *Nisi tempore extraordinario.*

Demum

131. DEmum, ad præscriptionem requiritur; ut res non sit Vitiosa, aut prohibita præscribi. Cujusmodi præscriptioni obnoxiæ res, vel ex natura sua, vel ex legis aut Canonis dispositione, non sunt

Primò, Matrimonium carnale sive; ut conjuges sint, qui propter intercedens aliquod impedimentum dirimens conjuges esse Jure non possunt, *c. Non debet 8. §. fin. de Consang. & affinit.* aut contrà; ut, qui matrimoniò legitimè conjuncti sunt, conjuges non sint, Glossa *in c. Lator 7. V. Permanere, de Sent. & re*
132. *judic.* Uti & Sacerdotalis vel alius Ordo & cætera Sacramenta; quia Sacramenta omnia habentur ex institutione Divina: cui præscriptio, tanquam humanæ potestatis inventum, nequit prævalere, Balbus *de Præscript. p. 1. pr. p. 6. num. 3. & 53.*

133. Secundò, Matrimonium spirituale, sive Professio Religiosa ita; ut per viam præscriptionis quanticunque temporis non inducatur; quantumvis enim invalidè professus, si intra quinquennium non reclamet, ob ratificationis interea factæ præsumptionem postea non audiatur & pro vero professo habeatur, ex decreto Tridentini *Sess. 29. cap. 19. de Regul.* verus tamen Religionis professus sine novo consensu, ex comuni DD. sensu, nunquam evadit, *arg. c. 1. de Iis, quæ vi metúsve causa &c.*

Eodem modo Professio semel validè emissa per viam præscriptionis nunquam dissolvitur; ut, qui post eam in Religione, à Sede Apostolica approbata, editam Prælati obedientiæ & Regulari observantiæ se subducit, & ad seculum reversus bona tempralia, ante professionem obtenta, vel post hanc acquisita, tanquam propria retinet, ab obligatione, ex professione orta, nunquam liberetur: ut colligitur *ex can. Quod Deo, 33. q. 5. & c. Sicut nobis 17. de Regular.* quorum locorum priori, ejusmodi votum *Servandum*, asseritur, *perseveranter usque ad finem vitæ*: posteriori Innocentius III. clericum, post Religiosam professionem in seculo manentem, ad assumptionem habitûs & vitæ Canonicæ observantiam compelli jussit, ex ratione; quòd diuturnitas temporis, quô in seculo mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum allegari possit. Cujus ratio ulterior est non solùm; quòd, ut paulò post ostendemus, adversus obedientiam Prælato debitam nequeat præscribi: sed mala fides, insuper habita voti Religione in seculo perseverantis; in malefactis enim nulla temporis diuturnitas excusat; quid enim tam ridiculum, quàm meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti, existimare, sententia est JCT.i *l. Inficiando 67. §. 2. ff. de Furtis*, à Justiniano approbata *Novell. 138.* cujus *cap. 1. Malè*, inquit, *inventa, neque ex tempore confirmantur*, Glossa *fin. in c. Sicut cit. ubi* Panormit. *n. 3.*

Tertiò, aliæ res sacræ & religiosæ, 134.
ut templa, sacella, cæmiteria, calices & vestes sacræ, Reliquiæ, conditoria Sanctorum Cinerum &c. *l. Usucapionem 9. ff. & §. Sed aliquando 1. Instit. de Usucap.* Liber homo; ut fiat servus *l. & §. citt.* etsi libertatem præscribere possit servus, *l. fin. C. de Longi temp. præscript. pro libert.* Res publicæ, sive ad usum & commodum publicum deputatæ: ut viæ, plateæ & fora publica, theatra &c. *l. Usucapionem cit. & l. Præscriptio 7. C. de Operib. publ.* Ratio est; quod hujusmodi res nequeant possideri; nemo enim rem sacram, aut religiosam verè possidere potest; quamvis Religionem contemnat & rem pro privata & sua habeat: sicut nec liberum hominem, licet eum pro

suo vinciat, *l. Cùm haredes 23. §. fin. & l. Qui universas 30. §. 1. ff. de Acquir. possess.* sine possessione autem præscriptio non procedat, *l. 25. ff. de Usucap. & Reg. 3. in 6.* Rath. *de Usucap. cap. 4. n. 2.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 355.*

235. Quartò, Regalia, quæ Principi reservata sunt in recognitionem supremæ potestatis seu Majestatis, *l. Comperit 6. C. de Præscript. 30. annor.* uti etiam fines seu limites certi Regnorum, Provinciarum, *l. fin. C. de Fund. limitroph.* Diœcesium, Parochiarum, *can. Quicunque 4. cum seqq. 19. q. 3. & c. Super eo 4. de Parochiis*: de quorum prioribus actum supra *n. 98.* de posterioribus *Lib. 3. Tit. 29. à n. 30*

236. Quintò, res, quarum possessionis aliquis, vel simpliciter, vel sine privilegio capax non est, ut laici quasi possessionis Jurisdictionis spiritualis, Juris eligendi, conferendi, decimandi, ut pluribus ostenditur, *Lib. 1. Tit. 6. n. 46. Tit. 29 n. 29. Lib. 2. Tit. 2. n. 98. & Lib. 3. Tit. 5. n. 40. & Tit. 30. n. 76.* quòd, ut dictum, sine possessione præscriptio non procedat. Unde

Infertur, à simplici Sacerdote præscribi etiam longissimo & immemoriali tempore non posse potestatem confirmandi, conferendi Ordines minores & cætera, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & nulli alteri, præterquam ex delegatione Papæ, competere possunt, *arg. c. Quanto 4. de Consuetud.* Nisi ejusmodi potestatis præscriptio constanti fama & comuni persuasione privilegii Apostolici aliquando obtenti fulciatur: partim; quòd repugnet aliquid habere ex mera delegatione, & titulô præscriptionis obtinere, cùm; quod ex mera delegatione habetur, competat ex jure & voluntate aliena delegantis: quod autem titulô præscriptionis obtinetur, jure proprio competat; ac proinde non delegata potestas sit, ut arguit Card. de Lugo *Tract. de J. & J. disp. 7. n. 144.* partim verò; quòd simplex Sacerdos sine ejusmodi privilegio, saltem colorato, aut ex ejus aliquando obtenti fama præsumpto incapax sit potestatis Sacramenta illa conferendi; cùm solus Episcopus Ordinarius minister sit Sacramentorum Confirmationis & Ordinis, ut ex traditione Ecclesiæ & Tridentini *Sess. 7. can. 3. & sess. 23. can. 7.* constat: incapax autem possessionis incapax etiam sit præscriptionis, *l. & Reg. Sine possessione cit. & c. Causam 7. hic*, Azor *p. 1. Instit. Lib. 5. cap. 19. V. Consuetudo, qua presbyter* & Laiman. *in c. 1. de Suppl. neglig. n. 7.*

Sextò, Obedientia & Procurationes 237.
visitanti debitæ, & ipsa etiam immunitas à Visitatione; quæ à subditis adversus prælatum præscribi prohibentur, *c. Cùm non liceat 12. & c. Cùm ex Officii 16.* Ratio prohibendi fuit de Obedientia; quia illâ sublatâ subditi ab observantia recederent, nervus disrumperetur disciplinæ, & legibus evacuatis, Ecclesia Dei in nihilum redigeretur, *can. Monemus, 18. q. 1. & c. Cùm inter 5. de Consuetud.* De Visitatione; quia ejus præscriptione tolleretur optimum remedium reformandi Ecclesias, pravos mores corrigendi, & promovendi salutem animarum. De Procurationibus; quia Naturale & Divinum Jus dictat, in Ecclesiæ causa laborantibus & spiritualia ministrantibus necessariam sustentationem non subtrahendam; ne à Visitationibus magnô Diœcesium damnô absterreantur, Panormit. *in c. Cùm ex Officii cit. num. 4.* & Barbosa *ibid. n. 2. & 4.* quorum de Procurationibus doctrina, an, sicut comunis, sic & perpetua & indistinctè vera sit, *Lib. 3. Tit. 39. à n. 99.* discutiemus.

De Obedientia & Visitatione dictis non ab-

non adversatur; quòd præscribi valeat Exemptio à potestate & subjectione Episcopi, *c. Cùm olim, 4. V. Quia verò, de Privileg. & c. Cùm personæ 7. eâdm Rubric. in 6.* quia, licet per textus istos exemptio à subjectione, & cum ista conjunctum jus visitandi &c. tolli valeant translativè, hoc est; ut obedientia Episcopo debita postea alteri debeatur: tolli tamen nequit extinctivè, hoc est, ut nulli Prælato debeatur, Panorm. *in c. Cùm non liceat cit. n. 15.* & Gonzalez *ibid. n. 7.*

138. Septimò, Jus divina officia, alta voce & pulsatis campanis, celebrandi tempore Interdicti generalis, *arg. c. Cùm inter cit.* quia etiam istius præscriptio esset iniqua, utpote tollens nervum disciplinæ Ecclesiasticæ; cùm inducat neglectum Censurarũ Ecclesiasticarum, quibus quasi nervò aut frenò fideles continentur in officio, à peccatis & contumacia ad vitam bonam & obedientiam revocantur: propter quam causam *c. cit.* hujusmodi consuetudo reprobatur, Laiman. *in c. cit. n. 2.* & Palao *Tract. 31. disp. Unica p. 22. §. 15. n. 1.*

139. Octavò, Res furtivæ, uti & vi possessæ, vg. prædium, aut alia res immobilis, cujus possessione quis violenter est dejectus, *l. Sciens 7. C. de Usucap. pro empt. & §. Furtivæ 2. Instit. de Usucap.* Cujus rationem DD. reddunt ipsam authoritatem legis, ejusmodi res præscribi prohibentis. Hujus autem legalis dispositionis ratio est partim; quia furti & violentiæ vitia realia sunt, §. *Aliquando §. Instit. de Usucap.* vitii autem realis contagio quoslibet authoris primi successores comitatur, *l. Vitia 11. C. de Acquir. possess.* cùm cohæreat rebus, ad quoscunque istæ perveniant, *l. Sciens cit.* partim verò; ut furtivæ rei ablatio & violenta invasio coërceatur: &; ne ex suo vel alieno maleficio quisquam lucretur, sive fur, sive quivis alius, etiam bonæ fidei possessor, *l. cit.* Perez *in C. de Usucap. pro empt. n. 4.* & Manzius *in §. Furtiva cit. à num. 4.*

Quare hujusmodi res non solùm à fure & violento invasore, qui malæ fidei possessores sunt, & à bonæ fidei possessore, qui ab iis rem accepit, §. *cit.* sed à mediato quoque successore quocunque, furti & violentiæ scientiam non habente, & titulo munito, tempore saltem ordinario præscribi nequeunt: donec, re ad dominum suum reversâ, itáque furti & violentiæ vitiò purgatô, eam absque furto aut vi alius possideat, *l. Sequitur 4. §. 9. ff. de Usucap. &* §. *Aliquando cit.* Ordinariò, inquam; quia extraordinariô 140.
sive longissimô 30. vel 40. annorum tempore à quocunque furis, sed bonæ fidei successore præscribi ejusmodi res possunt, arg. à contrario ducto ex §. *Furtiva cit.* verbis, *Prædicto longo tempore possessa*; quòd hujusmodi longissimi temporis possessione vitium furti aut violentiæ, quô res affecta erat, purgetur, & omnis actio extinguatur, *l. Sicut 3. l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. annor.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 26. n. 1.* & Manzius §. *cit. n. 9.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 14.*

Nonò, præscriptioni obnoxia ali- 141.
quando non sunt Feuda: de quo, ut planiùs constet, quinque casus distinguere juvabit. Et primò quidem ad feudum constituendum, sive, ut res allodialis in feudalem transeat, triginta annorum longissimi temporis præscriptio sufficit, & contingit, cùm quis rem alienam allodialem seu liberam, tanquam feudalem bona fide 30. &, si ea Ecclesiæ sit, 40. annis possidet, & istius domino vasalli instar servitia exhibet, Feud. *Lib. 2. Tit. 26. §. Si quis per triginta 4. ubi* Ilsernia *n. 1.* & in suis *Tract. ac Feud.* Zasius *p. 6. n. 30.* Vulteius *Lib.*

teius *Lib. 1. cap. 9. n. 15.* Schrader *p. 5. cap. 4. n. 6.* & Rosenthal. *cap. 6. concluſ. 77. num. 2.*

142. Secundò, eâdem longiſſimi temporis præſcriptione feudum ab uno vaſallo in alium, & à verò vaſallo in putativum transferri poteſt: & contingit, quando vg. caſtrum aut prædium, à domino directo Titio ejúsque hæredibus in feudum conceſſum, Cajus vaſalli jure & bona fide 30. annnis poſſedit & domino exhibuit ſervitia, debita ratione caſtri vel prædii feudalis; eô enim tempore lapsô Cajus verus vaſallus evadit; ut non ſolùm Titius cum hæredibus ſuis caſtri aut prædii utile dominium amittat, ſed Cajum tanquam vaſallum locô Titii agnoſcere & habere dominus quoq; directus, etiam invitus, teneatur, Panormit. *in c. Ad audientiam 13. n. 14.* Clarus §. *Feudum, q. 45. n. 3. citt.* Schrader. *cap. 5. num. 9.* & Roſenthal. *cap. 9. concluſ. 97, n. 8.*

Neque tricennali hac præſcriptione dominum ad Cajum, Titii à ſe inveſtiti vaſalli locô, recognoſcendum non adſtringi, evincunt ejusdem *Lib. 2. Tit. 40. V. Præterea, & Tit. 55.* cujus *pr.* nullius temporis præſcriptio domino obſtare aſſeritur: obſtaret autem, ſi loco priſtini novum, & fortaſſis minùs acceptum, & quem habere non expediret, vaſallum recognoſcere invitus cogeretur. Qua ratione & §. *ac pr. citt.* textibus permoti DD. non pauci tricennali, præſcriptione adverſus vaſallum currente, dominum directum eô ſolùm caſu affici volunt, quô feudum per viam allienationis ad Cajum translatum ſcivit: non etiam, quô id ignoravit. Sed, etſi hæc Opinio æquitati ſatis conſentanea ſit, præſcriptione tamen illâ dominum non affici, neque textus, neque ratio evincit. Textus; quia uterque exaudiendus eſt de caſu, quô rei feudalis non utile duntaxat adverſus vaſallum, ſed directum quoque dominium præſcribitur adverſus ipſum dominum, ut iſte omnino excludatur; cùm hôc ſolùm caſu dominus amittat debita ſervitia, Imperii attenuentur vires, & honor minuatur: quibus incommodis ut obviaretur, & plenius provideretur Imperii utilitati, feudi alienatio ſeverè inhibita & malè alienati præſcriptio ſublata eſt §. *& pr. citt.* Ratio verò; quia incommodum illud, quòd priſtino alius, & fortè minùs gratus, vaſallus ſubrogetur, tanti non eſt; ut propterea etiam tricennalis longiſſimi temporis præſcriptio excludatur, præſertim cùm, ſalvô manente rei feudalis dominiô directô, ſervitia integra ipſi exhibeantur, ut probè advertit *cit.* Roſenthal. *n. 93.*

143. Tertiò, quin ipſum etiam rei feudalis dominium directum ab extraneo, vg. à Cajo, in quem illa à Titio translata eſt, 30. annorum ſpatio præſcribi & feudum extingui, ſi illa toto hoc tempore tanquam allodialis & propria, & non tanquam feudalis ſit poſſeſſa, cum Gloſſa *in §. Præterea cit. V. Præſcriptione*, Baldo *ibid. num. 4.* Alex. de Nevo *in c. Ad audientiam cit. num. 52. & 57.* ſuſtinent Balbus *de Præſcript. p. 4. pr. p. 4. q. 12. n. 9. & 12.* Gaill. *Lib. 2. obſervat. 160. n. 12.* Roſenthal. *Concluſ. cit. num. 19.* & apud hunc in Notis *lit. b.* communis Feudiſtarum aliorum, id deſumentium ex §. *Si quis per triginta cit.* non obſtantibus §. *Præterea & pr. citt.* verbis, *Nulla præſcriptione obſtante*, &, *Nullius temporis præſcriptione impediente*; quia, his ordinariam duntaxat 10. inter præſentes, & inter abſentes 20 non extraordinariam 30. vel 40. annorum præſcriptionem removeri, volunt; quòd, cùm Juris correctio reſtringenda potiùs, quàm extendenda ſit, veriſimile non ſit, Conradum & Fridericum Impp. §. *& pr. citt.* ejusmodi ver-

di verborum generalitate, etiam 30. & 40. annorum extraordinariæ præscriptionis, multis vigiliis excogitatum & inventum Jus verbô unô subvertere voluisse præsertim; cùm expresè non deroget longissimi temporis præscriptioni, tollenti omnem actionem, *l. Omnes 4. C. de Præscript. 30. & 40. annor.* quæ specialiter excepta non reperitur.

Neque, ut aliqui arguunt, hâc expositione *pr. cit.* dispositio otiosa evadit; quòd 10. & 20. annorum præscriptio remota jam fuerit §. *cit.* quia, ut apud *cit.* Rosenthal *in Notis lit.* 1. alii observant, illa propter hoc otiosa non evadit; cùm feudorum alienationes ac præscriptiones antè quidem à Lothario & Conrado Impp. prohibitæ: sed eæ præscriptiones insuper habitæ sint; & propterea à Friderico latæ & *pr. cit.* relatæ Constitutionis severitate in usum sint revocatæ. Quod, etsi verisimilitudine non careat, satis tamen probabiliter contrarium, *& §. ac pr. citt.* etiam 30. & 40. annorum præscriptiones sublatas; ac proinde rei feudalis dominium directum adversus istius dominum centum duntaxat annis vel immemoriali tempore præscribi, docent alii apud *cit.* Rosenthal *n.* 12.

144. Quartò, dominii utilis cum directo consolidationem & feudi extinctionem dominus directus adversus vasallum præscribit, si vg. isto sine hæredibus mortuô, primi acquirentis lineam extinctam, bonâ fide credens, id tanquam rem allodialem 30. annorum spatiô pacificè possideat, arg. §. *Sè quis per triginta cit. ubi* Baldus *n.* 11. Zasius *de Feud. p. 6. n. 33. citt.* Vulteius *cap. 9. n.* 17. & Rosenthal. *Conclus. 83. n.* 2.

145. Quintò, rei feudalis proprietatem sive dominiũ ejus directum adversus dominũ vasallus nullo tempore præscribit, propter defectũ possessionis; vasallus enim rei feudalis dominium non possidet; cùm non sibi possideat, sed domino: & ad servitia isti requirenti exhibenda sit obligatus: ab eâque obligatione non liberetur, quantumvis servitia dominus, quòd iis opus non habeat, centum, aut mille annis non requirat, *citt.* Vulteius *cap. 9. num. 18.* Schrader *p. 6. cap. 6. n. 62.* & Rosenthal. *cap. 6. Conclus. 82. n. 1.* Nisi tamen vasallus domino possessionem interverterit, vg. domino pro juramento, aut servitiis interpellanti, ea non præstandô aut feudi jus aliô modô negandô, vel castrum aut prædium, quòd possidet, allodiale & proprium, non feudale, asserendô; talibus enim actibus vasallus constituitur in quasi possessione libertatis ab onere seu obligatione feudali; ut, si rem ab eo tempore 30. annis bonâ fide possideat, ejus libertatem & plenum dominium præscribat, *citt.* Schraderus *n. 62.* & Rosenthal. *n.* 15. hactenus dicta latè declarantes. 146.

Decimò, Res, quæ sine certis solennitatibus nequeunt alienari; sic enim juxta dicta res Ecclesiarum non nisi quadragenariæ sexagennariæ: res pupillorum, quamdiu ætas pupillaris durat, ulli præscriptioni obnoxiæ non sunt: res autem minorum, quocunque etiam titulo possessæ, non ordinario, sed longissimo duntaxat 30. vel 40. annorũ spatio præscribuntur, *l. Non est 3. C. Quibus non obijc. longi &c. & l. fin. C. In quibus causis in integ. restit. cit.* Molina *disp. 79. n. 9.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 5. n. 366.* 147.

Multò magis, quàm istæ præscribi nequeunt res & bona, quæ alienari omnino prohibentur: ut fundus dotalis, res Majoratûs aut primogenituræ vinculo alligatæ, aut sub fideicommisso relictæ, cum aliqua tamen distinctione; si enim ejusmodi res, antequam ad eum statum devenirent, præscribi cœpissent, ipsæ, utî 148.

& aliæ res præscribi cœptæ, eodem tempore, quò aliæ res præscriberentur, per text. aut arg. *l. Si fundum 16. ff. de Fundo dotali*, Panormit. *in c. Cùm non liceat 12. n. 7.* Molina *disp. cit. num. 9. V. Quoad res.* & Bruneman. *in l. Si fundum cit. n. 2.* Si verò, antequam ad hunc statum pervenirent, præscriptio inchoata non fuit, præscribi ex communi sententia saltem possunt tempore, cujus initii memoria non existit; quia hujusmodi præscriptio habet vim tituli, & fundat præsumptionem, interveniſſe facultatem alienandi, ab ipso Principe indultam, ut cum altero Molina JCT.° *Lib. 4. de Primogen. cap. 10. n. 10.* advertit *idem* Molina Theologus *num. 9. §. Conveniunt* & Palao *cit. §. 15. n. 5.*

149. Imò eas, quantumvis non ordinariò decem aut viginti etiam cum titulo, *l. & §. fin. V. Sin autem avaritia, C. Commun. de Legat.* extraordinariò tamen 30. vel 40. annorum tempore, non solùm adversus possessorem & alienantem, sed etiam adversus successores quoscunque & familiam ipsam præscribi, plurium DD. Opinio est: quam satis probabilem cum Covarruvia *in Reg. Possessor p. 3. §. 3. n. 6.* censet Card. de Lugo *cit. disp. 7. n. 146.* Contrarium tamen, sive ejusmodi res & bona quæcunque longissimi & immemoriali minoris temporis spatiò non præscribi, non minùs probabiliter defendunt *citt.* Molina *n. 9.* & *10.* Fachineus *Lib. 7. cap. 12.* & Palao *cit. §. 15. n. 3.*

De Præscriptionis Suspensione & Interruptione.

SUMMARIUM.

150. *Præscriptio inchoatur à die captæ possessionis.*
151. *Inchoata aliquando suspenditur,*
152. *Ob notorium & generale agendi impedimentum:*
153. *Aliquando omnino interrumpitur:*
154. *Vel naturaliter, deficiente aliquo ejus requisito,*
155. *Vel civiliter, intercedente actu judiciali.*
156. *Triennalis, sententiâ:*
157. *Longi, litis contestatione:*
158. *Longissimi temporis præscriptio, citatione, imò denuntiatione,*
159. *Et aliquando, libellò judici porrectò, interrumpitur:*
160. *Nisi actor succumbat.*

150. PRæscriptio inchoatur seu currere incipit à die, quò res ei obnoxia bona fide & justo titulo, quando Jura hunc exigunt, incipit possideri: & completur præscripti temporis die ultimo, arg. *l. In omnibus 6. ff. de O & A.* cùm enim suum domino auferat &, quantumvis justa sit, speciem tamen quandam iniquitatis referat, tanquam odiosa, domini, qui de damno vitando certat, favore retardanda potiùs est, quàm in præscribentis, lucrum captantis, gratiam acceleranda, Hillig. *in Donell. Lib. 5. cap. 19. lit. d.* & Jordanus *Lib. 10. Lucubrat. Tit. 29. n. 69.*

151. Semel cœptæ præscriptionis cursus duobus modis: & aliquando quidem ita impeditur; ut propter intercedens illius impedimentum solummodo suspendatur, sive tempore aliquo quiescat & quasi dormiat: illo verò cessante iterum revivi-scat & procedat. Contingit hoc toto tempore durantis ætatis pupillaris personæ, contra quam res præscribitur, *l. Sicut 3. C. de Præscript. 30. annor. & Auth. Nisi C. de Bonis materni:* toto tempore, quò Ecclesia Monasterium &c. vacat, aut propter

propter Prælati captivitatem, exilium, &c. caret legitimo defensore, *c. De quarta 4.* ibi, *Nisi fortè interim pastoralis sedes caruisset pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset c. 1. & c. fin. Ne Sede vac.* &, quô vivit prælatus, cujus res malè alienantis factô Ecclesia est læsa, *can. Si Sacerdotes, 16. q. 3.* tempore hostilitatis & sævientis belli *c. Ex transmissa cit. n. 7.* Molina *Tract. 2. disp. 78. n. 9.*

Ratio, cur his casibus præscriptio suspensa non currat, ea reddi solet; quòd, impedimentis illis durantibus, is, contra quem præscribitur, pro rebus ac juribus suis conservandis & recuperandis agere non valeat. Quæ ratio non, ut videri potest, omnibus ab agendo impeditis ac-
152. commodatur: sed eos duntaxat adversus præscriptionis cursum tuetur, quibus, quò minùs agant, Juris aut etiam facti, non cujuscunque, sed generalis, sive communis & notorii atque omnibus patentis impedimentum obstat. Unde præscriptioni istiúsque cursui obnoxiæ sunt res, & jura ex necessaria & publica etiam causa absentium, Ecclesiarum & Monasteriorum, habentium Prælatos, in administratione, rerúmque ad ipsa pertinentium defensione ac recuperatione negligentes; cùm enim talium agere volentium impedimenta, non ita notoria, nec generalia seu communia sint, præscriptionum contra illa inchoatarum cursum non sistunt; ut pro rerum, Prælati in administratione negligentiâ vel culpâ amissarum, recuperatione ad in integrum restitutionis beneficium recurrere sit opus, Gonzalez *in c. Ex transmissa cit. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 132.* secuti Barbosam *in c. cit. num. 4. & de Offic. Episc. alleg. 132. num. 16.*

Licet autem relatorum Juris aut facti notorii ac generalis impedimentorum durantium tempore toto præscriptio non currat, sed planè quiescat ac dormiat, tempus tamen id antecedens conjungitur cum subsequente; ut, qui rem alienam immobilem privati præsentis, antequam ad pupillum perveniret, bona fide & justo titulo sex annis, aut ejusmodi rem Ecclesiæ, antequam ista vacaret, 20. annis possedit, pupillari ætate cessante, quatuor duntaxat: & Ecclesiæ Prælatô confirmatô, 20. annis opus habeat ad ejus præscriptionem legitimè complendam, Molina *disp. cit. n. 1.* & Haunold. *Tom. 1. de J. & J. Tract. 6. n. 349.*

Aliquando verò Præscriptionis cur- 153.
sus ita impeditur; ut omnino interrumpatur, & tempus possessionis, impedimentum antecedens, isto cessante, non prosit, neque ad præscriptionem complendam cum subsequente valeat conjungi: sed ista de novo debeat inchoari: ut colligitur ex *c. Illud cit.* ibi, *Si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit.* Interrumpi autem præscriptio potest, vel Naturaliter, vel Civiliter, secundùm Glossam *in c. cit. V. Interruptio*, & Panorm. *ibi n. 6.*

Naturaliter interrumpitur, quando 154.
post eam ritè inchoatam deficit aliquod ex ejus requisitis, scilicet possessio, aut bona fides, vel titulus resolvitur: vg. si, qui juris eligendi præscriptionem inchoavit, ab electione semel exclusus acquiescat, itáque excidat ejus juris quasi possessione: vel, qui prædium alienum bonâ fide possidere cœpit, scientiam rei alienæ, ac proinde malam fidem incipiat habere; tales enim, si rei possessionem semel amissam recuperent, aut eorum malæ fidei denuo superveniat bona, præscriptionem à novæ possessionis, vel bonæ fidei redeuntis tempore iterum debent inchoare, Covarruvias *in Reg. Possessor p. 2. §. 12. n. 12.* Molina *disp. cit. num. 10.* & Pirrhing *l. cit. n. 133.*

155. Civiliter autem interruptio fit, quando reipsa quidem nullum ejus requisitum deficit, fictione tamen & authoritate Juris perinde habetur, acsi deficiat, propter interventum alicujus actûs judicialis: puta, sententiæ definitivæ, litis contestationis coram judice competente, & in quibusdam casibus citationis, imò aliquando solius denuntiationis extrajudicialis, subscriptione tabellionis, vel trium testium munitæ. *l. Ut perfectiùs 2. C. de Annal. except.* Qua in re tamen opus est distinctione inter præscriptionem triennalem & longiores.

156. Triennalis enim, vg. rei mobilis emptæ & usucapi jam cœptæ, præscriptio non solùm tali denuntiatione ac citatione, sed ipsâ etiam litis contestatione non interrumpitur: sed procedit, & trienniô, dum lis pendet, lapsô completur, *l. Pro emptore 25. §. fin. ff. Pro emptore*, ita tamen; ut, licet, actore litem cœptam non prosequente, usucapio propter litem interrupta aut protracta non sit, casu tamen, quô ista, durante lite, perficitur & possessor postea condemnatur, rem ei, pro quô pronuntiatum est, restituere teneatur, *l. Si post 18. ff. de R. V.* quòd tali casu usucapio pro justa acquisitione non habeatur, ut post Covarruviam *in Reg. Possessor p. 2. §. 12. n. 4.* Molinam *cit. disp. 68. n. 12.* & Donellum *Comment. Lib. 20. cap. 6.* notat Bruneman. *in l. Si post cit. n. 1.* & Haunold. *cit. Tract. 5. n. 336.*

157. Longiores præscriptiones, saltem decennalis & vicennalis cum titulô, litis contestatione, corâ judice competente, nô solâ citatione, interrumpuntur, *l. Moræ 26. C. de R. V.* Unde is, cui super prædio alieno, novem annis bonâ fide & justô titulô possesso, lis movetur, ejus præscriptionem perficit: quantumvis, lite adhuc pendente, possessionis decennium compleatur, Bruneman. *in l. cit. num. 2.* dummodo litis contestatio eam prosequendi animô sit facta; si enim ex circumstantiis appareret, litem ab actore præscriptionis tantùm interrumpendæ & non in judicio perseverandi animô motam & contestatam, sicut fieri præsumeretur, si lis, nullô impedimentô, vel justâ causâ exigente, desereretur, ejus contestatione præscriptio non interrumperetur, ut desumitur ex *l. fin. C. de Præscript. 30. annor.* Felin. *in c. Illud cit. n. 1.* Covarruvias *cit. num. 4.* & Molina *l. cit. n. 14.*

Eâdem litis contestatione, & non solâ citatione, longissimi temporis 30. aut plurium annorum præscriptionem interrumpi, iidem volunt; quòd ista propter bonam fidem & excessum temporis Ordinariæ longi temporis præscriptioni titulô munitæ, æquiparetur. Contrarium tamen, eámque sola citatione vel denuntiatione interrumpi, cum aliis censet Bruneman. *in l. Morâ cit. num. 4.* permotus communi DD. sententiâ; quòd præscriptio odiosa, sive in odium negligentiæ introducta, cujusmodi 30. annorum est, *c. Vigilanti 5.* per solam citationem, vel litis denuntiationem interrumpatur, *l. Sicut 3. & l. Cum notissimi 7. pr. & §. 5. C. de Præscript. 30. annor.*

Hâc, sive citatione & conventione judiciali solâ, etiam interrumpuntur præscriptiones impropriè dictæ, quæ juxta dicta *n. 35.* fiunt ab eo, qui scit, se deberi, & meritò; quia, factâ conventione, jam cessat taciturnitas & silentium, cui talis præscriptio innititur, *citt.* Molina *num. 15.* & Haunold. *n. 339.* Non desunt DD. qui præscriptiones quascunque hodie solâ libelli oblatione interrumpi, velint, apud Arnold. Rath. *de Usucap. cap. 5. n. 77.* de quo quidquid sit, in Bavaria nostra ad præscriptionum interruptionem so-

nem ſolam citationem, ad inſtantiã partis emanatam, & reo inſinuatam, ſufficere, idem adertit *n. 78.* & deſumitur ex Landrecht *Tit. 9. art. 1.*

Quodſi poſſeſſoris citatio, propter ejus abſentiam, potentiam vel etiam impotentiam; quòd vg. infans aut furioſus ſit, absque tutore vel curatore, fieri non poſſit, vel ad interrumpendam Civilem ejus poſſeſſionem adiri judex & porrectô libellô de uſurpata rei poſſeſſione querela offerri: vel, ſi judicis copia haberi nequeat, querela in ſcriptis exponi Epiſcopo: &, ſi hoc etiam non liceat, eadem Notarii & hoc abſente aliorum teſtium manu ſubſcripta publicè proponi poteſt in loco, ubi poſſeſſor domicilium habet, *l. Ut perfectius cit.* Molina *disp. cit. n. 16.* & Palao *Tract. 31. diſp. Unic. p. 22. §. 16. n. 5.*

Rectè tamen hic DD. duo notant. 160.
Primum eſt, litis conteſtatione & citatione interruptam præſcriptionem non cenſeri, ſi actor, qui poſſeſſori litem movit, poſtea ſuccumbat, *citt.* Molina *n. 14.* & Haunold. *n. 340.* Alterum, præſcriptionem legitimè inchoatam adverſus Eccleſiam Romanam non interrumpi per ſententiam excommunicationis, ſingulis annis feriâ V. in Cœna Domini promulgari ſolitam, in occupantes bona Eccleſiæ Romanæ; quia ſententia illa ſpectat ſolos malæ, non bonæ fidei poſſeſſores, *citt.* Covarruvias *n. 5.* & Molina *n. 18.*

TITVLVS XXVII.

De Sententia & Re Iudicata.

ALlatis ab utraque parte probationibus exceptionibúsque, concluditur in cauſa, & procedítur ad Sententiam definitivam: quæ inſtantiæ; &, ſi in rem judicatam tranſeat, ipſi controverſiæ principali in judicium deductæ, finem imponit.

ARTICULUS I.

De Concluſione in Cauſa.

SUMMARIUM.

1. *Ante ſententiam fit concluſio in cauſa:*
2. *Quæ eſt renuntiatio ulteriorum allegationum:*
3. *His aliquando terminum ſtatuit Judex.*
4. *Concluſio excludit facti:*
5. *Non etiam Juris allegationes.*
6. *Poſt eam facti allegationes aliquando à judice injunguntur:*
7. *Et admittuntur in Criminalibus,*
8. *Et Matrimonialibus cauſis.*
9. *Aliquando etiam in aliis:*
10. *In judicio Summario & Appellationis:*
11. *Et quoties, eas admitti, juſta cauſa ſuadet.*

1. IN judiciis Ordinariis, præsertim Ecclesiasticis, Sententiæ definitivæ præmitti solet ac debet Conclusio in causa adeò; ut hanc sine vitio nullitatis omitti non posse, existimet Felinus *in c. Cùm dilectus 9. de Fide Instrument. n. 33.* Quod tamen cum Panormit. *in c. cit. n. 1.* eam ad Processûs justitiam potiùs, quàm substantiam pertinere: & aliis, hac in re Curiarum seu tribunalium consuetudine seu praxi standum, asserentibus negat Gaill. *Lib. 1. observat. 107. n. 1.* qui tamen *n. 2.* advertit, in Camera Imperiali nullam sententiam, ne interlocutoriam quidem publicari, nisi in causa legitimè sit conclusum.

2. Est autem Conclusio in causa Omnium probationum & allegationum ulteriorum renuntiatio, totiúsque causæ ad decisionem submissio, Innocent. *in c. Pastoralis 5. de Causa possess. n. 1.* in causa enim conclusum dicitur, quando, deductis probationibus exceptionibúsque, litigantes novis allegationibus renuntiant, *c. cit.* Speculat. *Tit. de Renunt. & conclus. n. 3.* & Gaill. *l. cit. n. 3.* quod facere possunt & solent non solùm expressè, sive disertis verbis asserendô, se nullâ ampliùs allegatione usuros: sed etiam tacitè, sine ejusmodi protestatione, ut ad sententiam definitivam procedatur, petendô. Deinde idem facere possunt vel simpliciter & absolutè, vel eventualiter duntaxat & sub conditione, vg. cùm litigantium unus iis renuntiat, si adversa pars nihil novi ampliùs attigerit: vel, si nihil novi emerserit &c. quâ ratione aliquando sibi consulit, qui allegationibus prior renuntiat; ne, si fortè adversarius novis probationibus utatur, contra eas excipiendi sibi adimat facultatem.

3. Ne verò, si partium altera, aliis aliisque & novis semper allegationibus, litem extrahere & conclusionem in causa, istiúsque definitionem impedire conetur, nullus controversiæ sit finis, judicis erit, ad omnia, quæ pro ipsa faciunt, allegandi unum alterúmve competentem, vg. unius aut alterius mensis, aut longioris vel etiam brevioris temporis, prout negotii circumstantiæ exigere videbuntur, terminum statuere, intra quem in causa concludat: aut, si id facere distulerit, ea habeatur pro conclusa, & ad sententiam procedatur, juxta *Novell. 115. cap. 2. cit.* Speculat. *n. 1.* & Engel *ad hanc Rubric. n. 2.*

Factâ conclusione nullas ampliùs allegationes facti, neque per testes & instrumenta, admittendas, Regulæ instar ex *6. Pastoralis & c. Cùm dilectus cit.* delomi solet; quòd sit terminus exclusivus omnium allegationum, eâque factâ, dicitur, de causa omnino liquere, Glossa *in c. Significaverunt 36. V. Liquere, de Test. & attest.* Felinus *l. cit. num. 1.* Covatruvias *Practic. cap. 20. n. 8.* & Gaill. *l. cit. n. 4.* 4

Dixi, *Allegationes Facti*, de quibus *cc. citt.* textibus est sermo; quia allegationes & informationes Juris, ut sunt Consilia & Judicia DD. qualia à nostra aliarúmque Literariarum Universitatum Collegiis Juridicis, & quandoque Theologicis à partibus peti solent, exhiberi etiam post conclusionem possunt; Legum enim Juriúmque allegatio nunquam prohibita est, Baldus *in Auth. Jubemus, C. de Judiciis n. 9. citt.* Felinus *n. 26.* & Gaill. *n. 13.* ubi tamen rectè monet, hujusmodi allegationes pro informatione judicis tantùm exhiberi, & parùm aut nihil prodesse, si factum, ex quo jus oritur, *l. Si ex plagis 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* sufficienter deductum & probatum non sit in Actis; cùm fidem, ad causæ decisionem valituram, non faciant, nisi quatenus factum, super quo conceptæ sunt, in Actis est deductum, *c. Quoniam 11. de Probat. & l. Acta 45. ff. de Re judic.* quia judex pronuntiare debet

debet ſecundùm allegata & probata *l. Illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præſid.*

6. Quoad Facti etiam allegationes Regula ſtatuta complures & notabiles patitur exceptiones; cùm novis ejusmodi allegationibus etiam poſt ejusmodi concluſionem locus ſit Primò, ſi judici ad plenam de cauſa informationem expedire videatur, novum inſtrumentum produci, aliásve probationes recipi; tali enim caſu iſtas partibus ex officio injungere non prohibetur, *c. Joannes 10. de Fide Inſtrument.* cujus notabilis textus eſt, *Cùm judex, qui usque ad prolationem ſententiæ, etiam poſtquam à partibus extitit in cauſa concluſum, debet univerſa rimari, poſſit interrogare de facto, quoties dubitationis aliquid occurrit.* Ratio eſt; quia judici nunquam in cauſa concluditur, quô minùs, ut officiô ſuô ritè fungatur, partem interrogare & ulteriorem probationem ab ea recipere valeat, *c. cit.* Panormit. *in c. Cùm dilectus cit. num. 3.* Felinus *ibid. n.* 13. & Gaill. *obſervat. cit. n. 5.*

7. Secundò, iisdem locus eſt in cauſis Criminalibus, ſaltem iis, quibus agitur de vita & membris; in his enim etiam parti, ſcilicet reo, ad probandam ſuam innocentiam novæ allegationes usque ad ipſam ſententiam permittuntur; cùm favore defenſionis ſemper ſint permiſſæ, *l. Unius 18. §. 9.* ibi, *Defenſionem quocunque tempore, poſtulante reo, negari non oportet, ff. de QQ.* tum verò; quia novæ probationes poſt concluſionem in cauſa ideo non recipiuntur; quòd per hanc illis ſit renuntiatum; defenſionibus autem, ac proinde probationibus, quibus innocentia demonſtretur, in cauſis Criminalibus, quibus de vita & membris agitur, renuntiare reus non potuerit; cùm propriæ vitæ ac membrorum dominus non ſit, *l. Liber homo 13. ff. ad L. Aquil.* & propterea, renuntiatione illâ non obſtante, recipi valeant & debeant omnia, quæ conferunt ad innocentiam demonſtrandam, *citt.* Felin. *n. 15.* & Gaill. *n.* 11.

8. Tertiò, in cauſis Matrimonialibus, ſaltem iis, quibus agitur de conjugii valore, *cit.* Gaill. *n.* 11. & Gonzalez *in c. Cùm dilectus cit. n. 7.* Ratio eſt; quia hujusmodi cauſæ propter ſuam arduitatem æquiparantur criminalibus, Bald. *in c. Ad noſtram 12. de Probat.* & Alexand. *Vol. 2. conſil. 143. n. 4.* Imò in iis ipſa ſententia, quantumcunque providè & circumſpectè, præſertim contra matrimonium lata, nunquam tranſit in rem judicatam, *c. Lator 7. de Sent. & re jud.*

9. Quartò, cùm probanda eſt exceptio Excommunicationis, *arg. c. 1. de Except. in 6.* &, quoties in cauſa vertitur periculum animæ; in talibus enim judex, etiam invitâ parte, novas probationes recipere poteſt, Felin. *ibid. n.* 12. de excommunicatione aliter ſentiens *n.* 21. & Maſcard. *de Probat. concluſ. 927. n. 23.*

Quintò, in aliis etiam cauſis, quando inſtrumenta aliæque allegationes, non tam ad probandum, quàm priores probationes declarandas producuntur; quia prohibitus probare, probationes à ſe factas declarare non prohibetur, Felin. *ibid. n. 11.* contra Roman. *in l. Admonendi 31. ff. de Jurejurando.* hujusmodi declarationem poſt concluſionem in cauſa non admittentem.

Sextò, ſi inſtrumenta primùm poſt concluſionem in cauſa de novo reperta, aut antè probabiliter ignorata ſint: idque producentis juramentô probetur, *arg. c. Paſtoralis 4. de Except. & l. Oratione 7.* ibi, *Et maximè ſi aliquid inopinatum emergat, ff. de Feriis, cit.* Felin *n. 16* Bartol. *in l. Admonendi cit. num. 3.* & Gonzalez *cit. n. 7.*

Septimò, caſu, quô, adverſâ parte præſente & non contradicente, inſtrumenta

menta, aliæque probationes novæ post conclusionem in causa producuntur, eorum receptio valet; quòd tali casu à conclusione recessum, eáve à judice revocata censeatur, Felin. *ibid. n.* 17. & Panormit. *in c. Cùm dilectus cit. n.* 3.

Octavò, quando in causa à partibus concluſum est cum protestatione & reservatione iuris, instrumenta & probationes alias producendi: quam tamen reservationem in Camera Imperiali non admitti vel attendi, notat *cit.* Gaill. *n.* 15.

Nonò, quando tutoris vel alterius administratoris negligentiâ probationes omissæ sunt, minor, Ecclesia, & quicunque minoris jure gaudent, ad earum productionem etiam post conclusionem in causa admittuntur beneficiò in integrum restitutionis, *c. Auditis 3. De in integ. restit. citt.* Felinus *n. 23.* & Gonzalez *n.* 7.

10. Decimò, in causis Summariis, in quibus judex ad instantiam unius partis, alteram interrogare, ab eáve instrumenti productionem petere potest, secundùm Glossam *in Clement. Sæpe 2. V. Interrogabit, de V. S. & cit.* Felin. *n.* 19. apud quem aliqui huic exceptioni locum esse negant in ejusmodi causis prophanis & aliis casibus, ab eodem Interp. Gaill. *observat. cit.* & Mascardo *de Probat. conclus.* 927. *àn.* 7. relatis.

Undecimò, in causis Appellationis instrumenta & probationes aliæ, quibus conclusio in causa in prima instantia obstabat, produci possunt in secunda, *l. Per hanc 4. C. de Temp. Appellat.* quòd ulteriori productioni renuntiandò de secunda instantia cogitâsse non videantur, Felin. *cit. n.* 23.

11. Duodecimò, demùm generaliter quandocunque litigantium alter ad instrumenti productionem admitti petit ex causa aliqua, quæ rationabilis & justa judici videtur, ab isto etiam post conclusionem in causa admitti potest, Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Actu 9. n. 48.* & Pirrhing *ad Rubric. de Fide Instrument. n. 42. in fine.*

ARTICULUS II.

De Natura & Varietate Sententiarum.

SUMMARIUM.

12. *Sententia est pronuntiatio Judicis:*
13. *Non etiam arbitri Compromissarii.*
14. *Dividitur in Definitivam & Interlocutoriam:*
15. *Quæ propriè dicta sententia est,*
16. *Et à Definitiva differt, quoad solemnitatem,*
17. *Appellationem,*
18. *Et revocationem.*
19. *Variis casibus revocari à proferente etiam ipsa nequit.*
20. *Et aliquando Simplex est.*
21. *Aliquando Mixta, habens vim definitivæ.*

SEntentia, sic dicta à *Sentiendo*, in genere est Pronuntiatio judicis super re, à litigantibus proposità, *Judicis*, inquam, non etiam arbitri Compromissarii; etsi enim arbitria ad judiciorum normam redacta sint, *l. 1. ff. de Recept. arbitr.* & Compromissarius quoque super re à litigantibus propositâ condemnandò vel absolvendò pronuntiet: controversiæ, quæ inter eos est, finem imponat: & propter similitudinem, quam cum sententia habet, arbitri pronuntiatio in Jure Sententia nominetur, *l Dum 27. §. 2. l. Si de re 51. ff. l. 1. pr. & l. Cùm antea 5. pr. V. Sin autem, C. de Recept. arbitr.* Sententia tamen Judicialis propriè non est per text.

per text. *l. Quid ergo* 13. §. 5. *ff. de Hu. qui not. infam.* Ratio est; partim defectus jurisdictionis, quam propriè dicta sententia exigit, & arbitro conferre privatorum in eum compromittentium consensus non potest, *l. Privatorum* 3. *C. de Jurisdict. omn. jud.* partim verò; quia à sententia propriè accepta licet appellare, &, si non appelletur, res dicitur Judicata: ab arbitri autem pronuntiatione appellare non licet, *l.* 1. *C. de Recept. arbitr.* neque, si non appelletur, res dicitur judicata; ut ei, pro quo pronuntiatum est, competat exceptio Rei judicatæ, *l. Ex compromisso* 2. *ff. Rubr. cit.* Hunnius *Vol.* 2. *in Treutl. disp.* 23. *q.* 1. & Haunold. *Tom.* 5. *de J. & J. Tract.* 5. *n.* 4.

14. Sententia propriè dicta, in Scholis tritâ & in Foro receptâ partitione, alia Definitiva, & alia Interlocutoria nuncupatur, juxta *Rubric. C. de Sent. & Interlocut.* quarum illa negotio seu causæ principaliter in judicium deductæ, absolvendô, finem imponit, Glossa *in Clement. Unic. V. Definitiva, de Sequestr.* Panormit. *in Rubric. n.* 4. & Speculat. *Tit. de Sententia,* §. 2. *n.* 3. Ista autem sive Interlocutoria ferè inter principium & finem causæ, non super principali negotio, sed super incidenti, vel emergenti aliquo articulo est, *l. Post sententiam* 9. *C. de Sent. & interlocut.* quâ vg. super libello emendando, danda vel neganda dilatione, procuratore vel teste admittendo, repellendóve &c. pronuntiatur, *citt.* Glossa, Panormit. *n.* 5. & Speculat. *n.* 1. *Ferè*, inquam, hoc est, à potiori; quia aliquando, scilicet in processu Executivo interlocutoriæ locus est post sententiam definitivam, *l. A. Divo* 15. §. 2 *ff. de Re judicata*, & aliquando, ubi non est aliquod judicii initium & finis, Vallens. *ad hanc Rubric.* §. 1. *n.* 6.

15. Hanc sententiæ partitionem ancipitem non obscurè reddunt *Rubricæ cit. & Rubr. ff. de Sent. & re judic. & de effectu Sentent. & Interlocut.* dum enim Sententiam Interlocutioni opponunt, judicis pronuntiationem solummodo interlocutoriam sententiam propriè non esse; ac proinde istius divisionem in Definitivam & Interlocutoriam Juri non consentaneam, innuunt, ut arguunt Duarenus *in l.* 1. *ff. de Re judic. & in hanc Rubr.* Zasius *n.* 4. Sed contra communem sensum DD. aliorum, qui, Definitivam nobiliorem speciem, & antonomasticè Sententiam esse ac vocari, inficias non eunt: hujus tamen generatim sumptæ nomine Interlocutoriam quoque judicis pronuntiationem comprehendi volunt; cùm hanc non obscurè comprehendat *l. fin. C. de Sent. & interlocut.* & clarè *l. Intra utile* 39. *pr. ff. de Minoribus:* &, si Sententiæ nomine propriè acceptô sola definitiva veniret, verba *Sententia definitiva*, tanquam duo ejusdem significationis vocabula non satis aptè conjungerentur, *l. Præses* 3. *l. Si judex* 12. *& l. fin. C. de Sent. & interlocut.* ut rectè observat Corvinus *in Enarrat. C. Rubric. cit.* post *pr.*

Neque obstant *Rubricæ citt.* quia iis Sententia specificè accepta Interlocutionibus opponitur, tanquam minùs nobili speciei illius, acceptæ generatim ferè, sicut *ff. de Exceptionibus, Præscriptionibus & præjudiciis*, Exceptioni opponitur Præscriptio, quam illius generatim sumptæ speciem esse, nemo est, qui in dubium vocet.

Inter duas autem Sententias illas, præterquam quòd negotio principali finem Definitiva, non etiam Interlocutoria imponat, complures differentiæ enumerantur à Maranta *de Ord. Judic. p.* 6. *de Sententia, à n.* 3. Notabiliores sunt 16.

Primò, Definitiva non valet, nisi parte citatâ, *l. de Unoquoque* 47. *pr. ff. de Re*

judic. & Judiciariô ordine obſervatô, *l. Hac lege 2. C. de Sent. ex brevic. recit. & l. Prolatam 4. C. de Sent. & interlocut.* quô tamen non ſervatô &, ſi magni præjudicii non ſit, etiam parte non citatâ, lata interlocutoria valet, Maranta *l. cit. n.* 11. & 20.

Secundò, definitiva in ſcriptis, *l. Hac lege cit.* interlocutoria autem etiam voce ferri poteſt: dummodo poſtea in actis deſcribatur, *citt.* Speculat. §. *8. n. 12. & 14.* & Maranta *n.* 12.

17. Tertiò, à definitiva poteſt appellari: non etiam ab interlocutoria, vim definitivæ non habente, de Jure ſaltem Civili, *l. Ante 7.* junctâ Gloſſâ *V. Diſcuſſore, C. Quorum appell. non recip.* quod tamen permiſſum eſt Jure Canonicô antiquô, à quocunque gravamine appellationem permittente, *c. Super eo 12. pr. de Appellat. & c. 1. eâdem Rubr. in 6.* quô locô hac de re pluribus agetur.

Quartò, quantumvis à definitiva ſaltem, ſi id ſtatim & non ex intervallo primùm fiat, vivâ voce: ab interlocutoria tamen, de Jure Canonicô permiſſa appellatio, non niſi in ſcriptis & expreſſis gravaminum cauſis, interponi poteſt, *c. 1. pr. de Appellat. in 6.*

18. Quintò, definitiva à judice, qui eam tulit, revocari nequit; quòd, cùm ea ſit lata, officiô ſuô, ſive bene, ſive malè, functus ſit, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* revocari autem ab eo ante ſententiam definitivam poteſt interlocutoria. Quod, licet de Civili in dubium meritò vocetur, Canonicô tamen & Tribunalium uſu approbatô Jure ſatis exploratum & proditum eſt, *c. Cùm ceſſante 60. de Appellat.* verbis, *Statuimus, ut ſi judex aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quô executioni mandatô alter litigantium gravaretur, & ſanô uſus conſiliô ab hujusmodi interlocutionis vel commi-*

nationis effectu, (ab illa vel hac recedendo, eámque revocando) *deſiterit, liberè in cauſa cognitione procedat.* Unde Interpp. cæteríque DD. magno conſenſu colligunt, poſſe judicem, appellatione ab interlocutoria ſua pendente, revocare ſententiam; ut is, qui appellavit (gravamine per ſententiæ revocationem ſublato) revertatur ad judicem, à quo fuit appellatum. Idem Regulæ inſtar tradi & deſumi etiam ſolet ex *c. Si à judice 10.* junctâ Gloſſâ V. Gravamen, *de Appellat. in 6.* & ex verbis, *Quod juſſit, vetuitve Prator,* interloquendô, *contrario imperio tollere & repetere licet: de ſententiis* definitivis *contrà, l. 14. ff. de Re judic.* Ratio eſt; quòd, cùm ſententiâ interlocutoriâ lis non finiatur, *l. Poſt latam 9. C. de Sent. & interlocut.* eâ latâ judex officiô ſuô nondum functus, & locus ſit arg. à contrario ducto ex *l. Judex 55. ff. de Re judic.* definitivæ revocationem ei, qui tulit, non permittente; quòd officiô ſuô jam ſit functus, *citt.* Maranta *n. 46.* Zaſius *in l. Quod juſſit cit.* & Gonzalez *in c. Cùm ceſſante cit. n. 2.*

Sunt tamen, & ab his DD. & Hau- 19.
noldo *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 18.* referuntur varii caſus, quibus contra Regulam illam judici, etiam interloquenti, ſententiæ ſuæ revocatio non eſt permiſſa: veluti Primò, ſi ea mandata jam ſit executioni; cùm enim tali caſu res integra ampliùs non ſit, revocari non poteſt, niſi de conſenſu partis utriusque. Secundò, ſi ea confirmata ſit, vel à Principe, vel à ſuperiore, ad quem ab ea bis provocatum eſt, malè appellatum pronuntiante: vel ab ipſo judice interloquente; quòd ſuper revocatione imploratus eam non revocârit, ſed geminârit. Tertiò, ſi de conſenſu partis utriuſque lata, vel adjuncta ſententiæ definitivæ, & iſtius quodammodo pars ſit; quòd judex vg. inſtrumentum Authen-

Authenticum aut testes idoneos & admittendos decernat, simùlque reum actori condemnet vg. ad solutionem. Quartò, si judex appellationem ab interlocutione sua ad superiorem admisit, & ab isto, ne in causa procedat, inhibitus fuit. Quintò, si interlocutoria vim habeat sententiæ definitivæ.

20. Sententia enim Interlocutoria duplex, & alia Simplex est, alia Mixta: quatum illa manet intra fines interlocutoriæ & negotio principali non obest: ut quâ conceditur dilatio, partes certâ die adesse jubentur, aliquid decernitur post sen-
21. tentiam definitivam &c. ista ulteriùs progreditur, & vim habere dicitur definitivæ; quòd, etsi negotium seu causa principalis per ipsam non definiatur, indirectè tamen tangatur & definiatur quæstio ad definitivam spectans: vel post ipsam, officiò judicis expirante, alia sententia non speretur, *cit.* Maranta *de Sententia, à n. 42.* Gaill. *Lib. 1. observat. 130. n. 6.* & Hunnius *cit. disp. 23. q. 2. in fine:* quales sententiæ interlocutoriæ sunt, quibus judex, se esse incompetentem: eum, qui in integrum restitutionem petit, ætate minorem non esse: actorem in possessionem ex secundo decreto mittendum, lapsa fatalia & appellationem desertã, pronuntiat: quibus reus absolvitur ab observatione judicii, imperatur mulcta, exceptio peremptoria admittitur, vel rejicitur &c. Maranta *l. cit. à n. 42.* Cujusmodi sententiæ vim definitivæ habere dicuntur; quòd huic, quoad appellationis interpositionem & alios Juris effectus, æquiparentur; ut sententiæ definitivæ vim habere & definitivam esse, aliquando paria esse videantur, Glossa *in c. fin. V. Inanes, de Elect. in 6.* Bald. *in l. Minoribus 6. C. Quibus ut indign. n. 8. cit.* Gaill. *n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 2.*

ARTICULUS III.

De Circumstantiis Sententiæ Definitivæ.

SUMMARIUM.

22. *Ferenda hæc est à judice competente,*
23. *Eóque non excommunicato,*
24. *Et, si plures sint, omnibus præsentibus:*
25. *Quorum discordantium numerus major prævalet minori:*
26. *In paritate, qui pronuntiant pro reo:*
27. *Nisi causa specialiter favorabilis sit.*
28. *Eadem ferenda est à judice sedente pro tribunali:*
29. *Nisi judicium Summarium sit,*
30. *Et partibus citatis ac præsentibus:*
31. *Nisi earum altera contumaciter absit,*
32. *Aut absentis impedimentum judex ignoret.*
33. *Eadem recitanda ex Scripto,*
34. *Nonnullis casibus exceptis.*
35. *In loco etiam publico,*
36. *Et congruo tempore ferenda est.*

1. DEfinitiva Sententia, de qua præ- 22.
cipuè agemus, ad sui valorem varias exigit Circumstantias & Conditiones.

Et primò quidem; ut proferatur à judice competente, sive habente jurisdictionem sufficientem ad dijudicationem causæ, quæ inter personas coram ipso litigantes est controversa, *l. Si quis 6. §. 10. ff. de Injusto rupto l. Militaris 2. & l. fin. C. Si à non compet.* quibus locis à non competente judice lata sententia nulla meritò habetur; eùm extra territorium, & supra jurisdictionem suam, hoc est, in-

ter personas, vel in causis sibi non subjectis, jus dicenti impunè non pareatur, *c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdict.*

23. Secundò, ab ejusmodi judice non excommunicato, *c. Ad probandum 24.* quò relatò Innocentii III. rescriptò sententia lata à tribus judicibus delegatis invalida pronuntiatur; quòd eorum unus publicè excommunicatus, & propterea jurisdictione, sive actuali istius usu, fuerit privatus, Glossa *in c. cit. V. Innodatus, ubi* Panormit. *n. 2.* & aliis DD. relatis Suarez *de Censuris Disp. 16. s. 1. n. 2.* Unde tamen arg. à contrario ex verbis, *Quòd excommunicationis vinculò esset publicè innodatus*, delumptò infertur, invalidam non fore sententiam & cætera acta excommunicati judicis, si ejus excommunicatio esset occulta, cùm; quòd talis non sit vitandus, per *Extravag. Ad evitanda* à Martino V. editam in Concilio Constantiensi: tum verò; quòd jurisdictionis defectum, quem talis patereturr, propter necessitatem, aut utilitatem publicam Ecclesia vel Respublica suppleret, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. & §. Veruntamen*, post *can. Infamis, 3. q. 7.* Glossa & Panormit. *l. cit.* Bartol. *in l. cit. n. 7.* Covarruvias *in c. Alma p. 1. §. 7. n. 9.* & Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 22. n. 31.*

24. Tertiò; ut, si judices ad causam aliquam delegati sint plures, jurisdictionem in solidum non habentes, sententia feratur, omnibus præsentibus; cùm, licet eam ex scripto ab eorum uno tantùm, sed omnium, vel saltem majoris partis in eam consentientis, nomine recitari sufficiat, *c. Cùm ab uno 4. in 6. & l. Duo 39. ff. de Re judic.* unò tamen eorum absente, cæteri procedere & sententiam ferre non possint: &, si hæc eò absente feratur, ipsò Jure sit nulla, *l. cit. & c. Causam 16. de Offic. deleg.* partim; quòd delegati in judicando diligenter custodire & accuratè observare debeant fines rescripti, *c. Cùm dilecta 22. de Rescript. & l. Diligenter 5. pr. ff. Mandati*: & hos excedentium acta omnia sint nulla, *c. cit. & c. Cùm venerabilis 37. de Offic. deleg.* partim verò; quòd, etsi cæterorum, in unam eandémque sententiam convenientium, numerus tantus sit; ut illò etiam præsente ac dissentiente prævaleret, fortassis tamen suis rationibus deductis alios in suam sententiam pertrahere potuisset.

Dubium est, quænam sententia præ- 25. valeat, si in una eadémque causa duo, vel plures judices proferant diversas. Quâ in re plurimùm interest, an sententias impari, vel pari utrinque numerò proferant diversas; cùm, si numerò impari id contingat, &vg. ex tribus in unam eandémque consentiant duo, tertiò proferente diversam, plurium sententia prævaleat, *l. Duo 93. ff. de Re judic.* quantumvis ipsis dignitate, prudentia, probitate præstare tertius videatur. Ratio est; quia in pluribus judicibus eidem causæ datis non tam eorum dignitas, prudentia, probitas, quàm numerus attenditur; cùm sententiæ authoritatem æstimare conveniat ex judicantis potestate & ex voluntate constituentis, cùm plures dat, parem omnibus potestatem conferentis, omniúmque fidem pariter approbantis: &, si non par omnibus, sed digniori, prudentiori, fideliori conferretur major, ejúsque sententia prævalere juberetur, eidem causæ datorum plurium judicum pronuntiatione lites suscitarentur potiùs & intricarentur, quàm perducerentur ad exitum & sopirentur; cùm prudentiâ, fide, probitate aliis parem aut superiorem se reputari velit quisque: nemò facilè inferiorem haberi patiatur.

Si numerò utrinque pari diversas sententias proferant, primâ fronte generatim neutra alteri prævalere videri potest, *arg.*

test, *arg. l. Ubi pugnantia 28. ff. de R. J.* ac proinde, vel communi illorum consensu tertium, vel plures alios assumendos, *can. 1. &c. 6. q. 4. & l. In offerendis 37. C. de Appellat.* vel adeundum superiorem; ut, quàm justam censuerit, sententiâ confirmet, *c. Per hoc 17. de Hæreticis, in 6. & l. Duo 28. ff. de Re judic.* ubi Modestinus respondit, duarum hujusmodi sententiarum utramque in pendenti esse, donec competens judex unam earum confirmârit.

26. Verùm, etsi hoc JCT. Responsum obtineat in judicibus, ad causas particulares Delegatis; quòd, si in rescripto aliud expressum non sit, jurisdictionem quoad exercitium & usum, non in solidum, sed pro parte duntaxat habeant; & propterea eorum unus sine altero procedere non possit, *c. Causam 16. de Offic. deleg.* alia tamen ratio est judicum Ordinariorum; his enim diversas proferentibus regulariter valet & alteri prævalet sententia, quæ lata est pro reo, ex Constitutione Gregorii IV. relatâ *c. fin.* & desumptâ ex *l. Inter pares 38. ff. de Re judic.* Ratio est; quia ex una, ex duobus judicibus ordinariis singuli jurisdictionem in solidum habent; ut uterque simul, vel singuli seorsim, hoc est, unus sine altero judicare valeat, *c. Prudentiam 21. pr.* junctâ Glossâ, *V. Teneatur de Offic. deleg. & l. Unica ff. de Offic. Consul.* & propterea sententiarum ab ipsis prolatarum, si contrariæ non essent, utraque subsistere deberet: ex altera verò parte, quando ob contrarietatem subsistere utraque non potest, æquum sit, ut latæ pro actore prævaleat ea, quæ lata est pro reo, cùm; quia istius causa favorabilior est, quàm illius, *l. Favorabiliores 125. ff. de R. J.* tum verò; quia Jura ad absolvendum promptiora sunt, quàm ad condemnandum, *c. Ex literis 3. de Probat. & l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Ita *in c. fin. cit.* Panormit. *num. 7.* Vivianus *pr.* Barbosa *n. 1.* & Gonzalez *n. 7.*

Neque aliud evincit *l. Ubi cit.* quia eò solùm casu urget, quò contrarietas reperitur in una eadémque dispositione, ut perspicuum est ex textu *V. Testamento*: neque *l. In offerendis cit.* quia procedit in ejus casu speciali; ut in aliis standum sit dispositione, *c. fin. & l. Inter citt.* Bruneman. *in l. In offerendis cit. n. 4.*

Dixi, *Regulariter*; quia non desunt 27.
& *c. fin. cit.* referuntur quatuor casus, quibus in hujusmodi judicum Ordinariorum discordia latæ pro reo prævalet sententia lata pro actore, scilicet cùm pro valore matrimonii, pro libertate, pro dote, aut pro valore testamenti pronuntiatur; pro his enim contra actorem lata sententia prævalet contrariæ, latæ pro reo: quos casus per modum exempli expressos: & propterea *c. fin. cit.* dispositioni in alimentorum & cæteris causis favorabilibus locum esse, *arg. c. 1. Ne Clerici vel Monachi, in c. fin. cit.* cum Panormit. *n. 17.* notat Vivianus §. *fin.* Barbosa *n. 7.* & Laiman. *n. 4.*

Quartò; ut sententia proferatur à 28.
judice Sedente pro tribunali, *c. fin. in 6. & Novell. 82. cap. 3.* quæ ejus solennitas ex lege Veteri Daniel. *cap. 7. v. 9.* ubi Antiquus dierum sedens describitur, desumpta, & in judicia introducta fuit partim; propter authoritatem ipsius Magistratûs: partim; ut innueretur sedatò deliberatòque animò, & omnibus accuratè perpensis, ad sententiam deveniendum: quod à judice sedente & quiescente facilius, quàm alium corporis situm referente, obtineri existimavit Baldus *in l. 1. C. de Sent. ex brevic. recit.* cùm, ut ait, *Ubi movetur corpus, moveatur & animus, nec in soliditate rationis perseveret*, Glossa *in c. fin. cit. V. Sedendo* & Menoch. *de Arbitr. Lib. 1. q. 61. n. 3.* Hoc tamen, ut in praxi

pariter & Theoria celeberrimus iste
29 JCT.us *n.* 1. monet, in causis solummodo Ordinariis procedit; in Summariis enim, in quibus de plano & sine figura judicii proceditur, definitiva etiam à non sedente prolata subsistit. *Clement. Sæpe* 2. ibi, *Sententiam stans vel sedens proferat, de V. S. Ubi* Glossa, *V. Stans*, Panormit. *n.* 74. & Barbosa *n.* 13.

30. Quintò, ferenda est, Partibus litigantibus legitimè, hoc est, trinâ vel unâ per emptoriâ citatione ad eam audiendâ vocatis, *Clement. Pastoralis* 2. *hîc*, *l. Ea quæ* 7. & *l. Consentaneum* 8. *C. Quomodo & quando jud.* quibus locis sententiæ, quæ lata est, alterò litigantium propter omissam denuntiationem absente, rei judicatæ firmitas negatur: nisi tamen factum sit ita notorium; ut liquidò constet, nullam excusationem defensionémque reo competere posse; tali enim casu sententiam, contra reum absentem & non citatum, latam valere, ex *c. Bona* 23. *de Elect. & c. Cùm olim* 12. *§. fin. hîc* cum Glossa, *V. Absenti*, traditur à Menochio *Recup. remed.* 15. *n.* 259. Unde

Dubium oritur de valore sententiæ latæ contra citatum quidem, sed absentem. Cui ansam præbent *c. Ex literis* 4. *de in Integ restit. & l. Diem* 27. *§.* 4. *ff. de Recept. arbitr.* quorum textuum priori post legitimam citationem absentis & condemnati appellatio, etiam impedimentò plenè non probatò, est admissa: posteriori contra suâ culpâ absentem lata sententia nulla habetur.

31. Sed hac in re crebriore DD. calculò approbata est distinctio; vel enim, inquiunt, citatus abest omnino contumaciter & ullâ legitimâ causâ non impeditus; vel non comparet ex legitima causa, vg impeditus infirmitate, vel ignorantia factæ citationis? Si prius, sententia, tam contra, quàm pro eo lata, Jure subsistit; ut contra eam appellans non audiatur, *l. Et post* 73. *§. fin. ff. de Judic. & l. Absentem* 7. *pr. V. Adversus ff. de Pœnis*, non obstantibus textibus in contrarium allegatis; quia *§.* 4. *cit.* agitur de litigatore non citato: & *c. Ex literis cit.* dispositio specialiter procedit in causa matrimoniali, in qua condemnatos contra sententias faciliùs audiri, infrà statuetur, & notat Gonzalez *in c. Cùm Bertholdus* 18. *n.* 11. Si posterius, & judex impedimentum
32 scivit, ab eo lata sententia nulla est, *l. Ea quæ cit. & l. Quæsitum* 6. *ff. de Re judic.* Si verò id ignoraverit, sententia ab eo lata etiam tenet: sed, impedimentò sive absentiæ causâ legitimè probatâ, retractatur, *c. cit. & l. Ab eo* 3. *C. Quomodo judex*, Gonzalez *in c. cit. n.* 8. Demum, si justum impedimentum non plenè probat, sententia quidem non statim retractatur, sed tamen illud allegans admittitur ad agendum contra eam; ut, si injusta esse probetur, infirmetur, Panormit. *in c. cit. n.* 35. & Vivianus *§. Nisi prius.*

Sextò, definitiva recitanda est ex
33 Scripto adeò, ut ea, quæ scripta & litigantibus, sine recitatione seu lectione, tradita: &, quæ sine scripto dicta & recitata solùm est, nec nomen sententiæ mereatur, nec ab ea provocare sit necesse, *cit. Clement. Sæpe & c. 1. in 6. l. 1. l. Hâc lege* 2. *l. Statuis* 3. *C. de Sent. ex brevi. recit.* Ratio scripturam exigendi specialis fuit ex unâ quòd hujusmodi sententia finem imponat controversiæ, *l.* 1. *ff. de Re judic.* & propterea, postquam probata est, corrigi & emendari à judice nequeat, *l. Hâc lege cit.* & de ejus veritate semper debeat constare, Glossa *in Clement. cit. V. In scriptis*: ex altera verò parte, si ex scripti recitatione non proferretur, sæpe contingeret, ut ejus tenor immutaretur, & in judicio prolata, veritas occultaretur in præjudicium ac ludibrium victorum,

Vivianus

Vivianus *in c. fin. cit. pr.* & Menoch. *cit. Lib. 1. q. 60. n. 4.*

34. Excipiuntur tamen Primò sententiæ latæ à Papa vel alio Principe supremo; hi enim tanquam humanis legibus soluti, *l. Princeps 31. ff. de LL.* istâ cæterisque Juris solennitatibus non adstringuntur, Glossa *in c. fin. cit. V. Illustrium, in 6.* Imò etiam latæ ab aliis Illustribus personis &, istarum instar, ab Episcopis: qui propter dignitatis suæ prærogativam sententias per alios recitare & publicare solent, *l. Hâc lege cit.* Quin, cùm super clericorum suorum causis civilibus Episcopus pronuntiat, scripturam omnino necessariam non esse, liquet *ex can. Si quis cum clerico, 11. q. 1.* Hoc tamen de minoribus intelligendum: & in majoris momenti ac præjudicii causis sententiam Episcopi ex scriptis per alios saltē recitandam, *in c. fin. cit.* cum Anchorano notant Francus *n. 7.* & Laiman. *n. 3.* Secundò, ab aliis etiam judicibus aliter, quàm ex scriptis fieri potest in causis exigui momenti: cujusmodi duorum triúmve auteorum, & inter personas viles agitatæ causæ censentur, *Auth Nisi breves, C. de Sent. ex brevic. recit. citt.* Franc. *num. 6.* & Laiman. *n. 3.* Tertiò, in causis notoriis; cùm in his Juris ordinem & solennitates observari non sit necesse, *c. Ad nostram 21. de Jurejurando* Farinac. *cit. n. 6.* Quartò, si aliud permittat Consuetudo; cùm enim istâ Juri Positivo derogetur, *c. fin. cit. de Consuetud.* utiq; introduci poterit; ut, sicut Interlocutoria, ita etiam definitiva solis verbis & per alium proferatur, Franc. & Laiman. *l. citt.*

35. Septimò, in Loco publico: & quidem, si judex Ordinarius sit & habeat certum tribunal, sententiam in eo proferre debet, *l. Jus 11. ff. de J. & J. & l. Cùm Sententiam 6. C. de Sent. & interlocut.* His tamen *ll.* non obstantibus, Episcopus de causis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, sententias per se, aut alium, ferre potest in quolibet loco non exempto suæ diœcesis, *c. Cùm Episcopus 7. de Offic. Ord. in 6.* quod cæteris etiam judicib⁹ Ordinariis conceditur in causis appellationis, & in aliis, in quibus summariè & de plano proceditur: vel, cùm ob vim hostilē, epidemicam luem grassantem &c. in proprio & consueto antecessorum suorū loco jus dicere non possunt: vel de consensu partium litigantium, & nonnullis aliis casibus, apud Marantam *de Ord. judic. p. 6. de Sententia, à n. 79.* Si verò judex ad unam vel plures causas particulares delegatus sit, cùm certum non habeat, locū congruū honestū ac tutum, in quo jus dicat, perinde, ut arbiter certum non habens, *l. Quid tamen n. 21. §. 10. ff. de Recept. arbitr.* eligere sibi ipse potest, Baldus *in l. Cùm Sententiam cit.* Si demum delegatus sit ad causarum universitatem, sententiam ferre debet in loco delegantis, *cit.* Maranta *n. 72. & 73.*

Octavò, Tempore congruo: Imprimis quidem, antequam triennii, si Civilis: &, si Criminalis causa sit, biennii lapsu instantia sit perempta, *l Properandæ 13. pr. C. de Judic.* saltem de Jure Civili, & ubi Instantiæ tempus usu observatur. Deinde post dilationis concessæ tempus exactum: & die non feriato, *l. Sive pars 3. C. de Dilationib. c. 1. & l. fin. C. de Feriis.* Demū interdiu: non de nocte, *c. Consuluit 13. de Offic. deleg.* Nisi judicium de nocte peragi exigat necessitas, vel permittat Consuetudo: vel id fiat de partium consensu, saltem tacito, ut, si præsentes non excipiant vel contradicant, Glossa *in c. cit. V. Tenebras, cit.* Maranta *à num. 90.* & Pirthing *ad hanc Rubric. n. 26.* 36

(o)

ARTI-

ARTICULUS IV.
De ejusdem Definitivæ Qualitate.

SUMMARIUM.

37. *Sententia definitiva continere debet Condemnationem vel Absolutionem:*
38. *Non tamen exprimere istarum causam:*
39. *Nonnullis casibus & causis excepta.*
40. *Eâdem condemnandus, qui litem in judicio est contestatus, etiam Procurator:*
41. *Non tamen de Jure Canonico & in Camera Imperiali.*
42. *Sententia definitiva regulariter esse debet certa,*
43. *Pura, & non conditionata,*
44. *Conformis libello,*
45. *Et consentanea Juri.*
46. *Non valet contraria Juri Constitutionis.*
47. *Contra jus Litigatoris lata ferè subsistit.*
48. *Eadem conformis esse debet probabiliori sententiæ DD.*
49. *Etsi causam minùs probabilem rectè suscipiat Advocatus.*
50. *Cùm utriusque causæ merita æqualia sunt, locus non est gratificationi:*
51. *Sed divisione, transactione &c. lis componenda:*
52. *Nisi causa beneficialis,*
53. *Vel litigantium alter possessor,*
54. *Vel alterius causa favorabilis sit.*
55. *Secundùm Acta judicialia contra privatam scientiam reus condemnandus est,*
56. *In Civilibus & Criminalibus minoribus:*
57. *Et Secundùm aliquos DD. etiam in majoribus & Capitalibus causis.*
58. *Verùs contra privatam scientiam condemnari nequit in hâ,*
59. *Et aliquando etiam in Matrimonialibus causis,*
60. *Sive Jus, sive ratio spectetur.*
61. *Contra acta judicialia ex privata scientia reus condemnari non potest.*
62. *Nisi aliquando à Supremo Principe.*
63. *Omissas allegationes Facti judex non supplet:*
64. *Nonnullis casibus excepta.*
65. *Pœna, in judices, per imprudentiam vel imperitiam,*
66. *Vel contra conscientiam suam malè judicantes, Civili,*
67. *Et Canonico Jure constituta.*

SEntentia definitiva, à judice Competente, partibus præsentibus, aut saltem citatis, debitô locô, tempore modóque prolata, continere debet Condemnationem vel Absolutionem, *c. Illa 3. de Accusat. & l. 1. ff. de Re judic.* sive per formalia, *Condemno aut Absolvo*, sive per virtualia & illis æquipollentia verba expressam; sic enim judex Titium absolvisse, si eum Caio actori nihil debere: & vicissim condemnâsse censetur, si eum solvere, vel, quod ab eo petitum est, præstare jusserit, per claros textus *l. Quid tamen 21. §. 1. ff. de Recept. arbitr. l. Ait prætor 5. §. 1. & l. In sententiis 59. pr. ff. de R. J.* Ratio est; quia, cùm ad actûs formam, non certa, sed in genere duntaxat verba exiguntur, virtualia & æquivalentia sufficiunt, Bartol. *in l. 1. cit. n. 4.* & Speculat. *Tit. de Sententia §. 2. num. 3.* Unde cum isto Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 34.* nullam, imò nec sententiam fore docet, si judex, super causa ad suum tribunal de- 37.

bunal deducta pronuntiaturus, partibus prælegeret super ea expeditum Responsum JCT.^rum, nisi sub initium aut finem exprimeret, à se id approbari & secundùm id pronuntiari.

38. Causam autem, quâ ad condemnationis vel absolutionis sententiam judex permotus est, exprimi regulariter necessarium, imò consultum non est, cùm; quòd in dubio ad eam justâ causâ permotus esse præsumatur, *c. In præsentia 6. de Renuntiat. & c. Sicut 16. in fine, hîc:* tum verò; ne, qui condemnatus est, ab ipsa expressa ad appellandum & sententiam impugnandam facilè animetur, Felinus *in c. Sicut cit. n. 22. ubi* Panormit. *n. 11.*

39. Sed hoc, ut dictum, *Regulare* non perpetuum est; quia in Criminalibus, præsertim excommunicationis & appellationis causis: &, quando in pronuntiando à Jure communi, speciali Ordinatione, vel Statuto, aut recepta Consuetudine receditur, causas, ob quas censura illa aliáve pœna infligatur, *c. 1. de Sent. Excommunicat. in 6.* vel in prima instantia lata sententia revocetur, *c. Cùm Bertholdus 18. hîc*, vel à Juris communis &c. præscripto recedatur, *arg. l. Sciendum ff. de Appellat. recip.* exprimi, est necesse: eodémque modò, cùm ab observatione judicii, propter ineptam petitionem actoris in libello factam, reus absolvitur, & nonnullis aliis casibus, sententiæ causam exprimendam, cum Glossa *in c. Sicut cit. V. Exprimatur* & Speculat. *§. 5. num. 14.* rectè observat Laiman. *in c. cit. n. 3.*

40. Porrò sententia in eum, qui litem contestandò suo vel alterius nomine judicium suscepit: &, si illam contestatus est procurator, in eum, non in dominum ferenda sententia est, *l. 1. C. de Sent. & interlocut.* quia procurator, litem cum adversario contestandò, factus est domin⁹ litis, *l. Procuratoribus 22. l. Nulla 23. C. de Procurat. l. 1. §. Licet, de Procurat. in 6.* & cum eo quasi contraxit, atque iniit mutuam obligationem, *l. Quacunque 56. ff. de O. & A.* eámq; ob causam, sicut citationes & similes actus judiciales in eum expediuntur, sic etiâ verba sententiæ in eum concipiuntur ac proferuntur, *l. Si Procurator 9. ff. de Doli except.* licet reipsa & in effectu dominus intelligatur condemnatus, *l. Etiamsi 4. C. Mandati.* Unde etiam, licet ipse condemnetur, executio tamen in bonis domini fit, & adversus procuratorem judicati Actio denegatur, *l. Si se non obtulit 4. pr. ff. de Re judic.* Nisi sine mandato litigârit, vel in rem suam procurator sit datus; hôc enim casu pro domino habetur: uti &, si principali seu domino hæres extiterit, *pr. cit. & l. Si quis 31. pr. ff. de Procurat.* Speculat. *de Sententia, §. 5. n. 6.* Donell. *Comment. Lib. 27. cap. 3.* Perez *in C. de Sent. & interlocut. n. 7.* & Bruneman. *in l. Si se non cit. n. 1.*

Excipiuntur tamen causæ Criminales & Matrimoniales; in his enim, uti & in beneficialibus aliisque spiritualibus causis, sententiam in dominum, non in procuratorem concipiendam, *in c. Querelam 24. de Elect.* notant Glossa *V. Oeconomi*, Ant. de Butr. *n. 45.* Panormit. *n. 10.* & Laiman. *n. 5. ubi* cum Gonzalez *in c. cit. n. 5.* de Jure Canonico in aliis quoque causis sententiam in dominum absentem proferri posse: & in Camera Imperiali, in qua lites omnes per procuratores agitantur, easdem (præterquam in causis injuriarum ad evitandam infamiam) semper in principales, seu dominos concipi, observat cum Gaill. *Lib. 1. observat. 111. n. 3.* ex præscripto ipsius Ordinationis, *p. 1. Tit. 25.* magis attendentis rem ipsam & effectum, quàm legum Imperialium subtilitates à JCT.^is Gentilibus adinventas; cùm reipsa cum adversario quasi contrahat & litem per

41.

procuratorem conteſtetur ipſe dominus; nam *qui facit per alium, perinde eſt, acſi faciat per ſe ipſum*, Regula eſt 72. *in 6.* Molina *Tract. 2. de J. & J. diſp. 551. num. 4.*

42. Eadem ſententia, ſive in dominum, ſive in procuratorem feratur, eſſe debet Primò Certa; ut quid, quantúmque adjudicetur, exprimatur: etiamſi de incerta quantitate ſit actum, §. *Curare 32. Inſtit. de Actionibus*; cùm is finis ſententiæ ſit, ut lis ſopiatur: quod non fit, ſi pronuntiatio ſit interta, Perez *in C. de Sent. Quæ ſine certa quant.* Intellige, ſi rei petitæ præſtatio non pendeat ex electione debitoris, *l. Ubi autem 75. §. 8. ff. de V. O. & §. Si quis 31. V. Huic autem, Inſtit. de Actionibus*: & reſpectu rei principalis, de qua agitur: non reſpectu acceſſoriorum & expenſarum; talium enim determinationem neceſſariam non eſſe, ex quotidiana praxi docet *cit.* Haunold, *num. 43.*

43. Secundò, Pura & non lata ſub conditione, *l. 1. §. 5. ff. Quando appell.* quod per ſententiam conditionatam non imponatur finis controverſiæ: ſed judicium maneat in pendenti. Hoc tamen de conditione de futuro & omnino extrinſeca, ut *Abſolvo te, ſi navis ex Aſia venerit*: non de conditione de præſenti, vel præterito eſt intelligendum; ſub his enim, uti & ſub conditione pendente ex iis, quæ in judicio fiunt, vg. *abſolvo, ſi juraveris, ſi privilegium, vel aliud inſtrumentum exhibueris, ſi tale ſtatutum extat: Condemno te in centum, ſi non ſolveris intra decem dies &c.* ſententiam fieri poſſe, ex communi aliorum ſenſu docent *citt.* Perez *n. 26.* & Haunoldus *n. 39.*

44. Tertiò, Conformis libello, *Clement. Sæpe 2. §. Verùm*, ibi, *Juxta petitionis formam pronuntiatio ſequi debet, de V. S. c. Qualiter 24.* ibi, *Ut juxta formam judicii ſententia quoque forma dictetur, de Accuſat. & l. Ut fundus 18. ff. Communi divid.* idque in tribus. Imprimis quidem in re, quæ petitur; ut, ſi libello intentatum eſt poſſeſſorium, ſuper poſſeſſione, & non ſuper proprietate pronuntietur. Niſi cauſa ſit Criminalis; in hac enim judex reum ad pœnam, quæ ſibi juſta videtur, condemnare poteſt ac debet, quantumvis in libello eam non expreſſerit, aut aliam inſtigi petierit accuſator, *cit.* Maranta *à n. 61.* & Vallenſ. *ad hanc Rubric. §. 3. n. 8.* Deinde in cauſa petendi; ut, ſi res ex cauſa dotationis, aut venditionis, in libello petatur, non ex alia adjudicetur. Demum in actione; ut eam, quæ inſtituta eſt, judex ſequatur, eſto, actor aliam pinguiorem habuiſſet, *citt.* Vallenſ. *n. 8.* & Haunold. *n. 17.*

Quartò, Conformis Juri: cui contraria ſententia, etſi unanimi DD. calculô pro nulla habeatur, multùm tamen intereſt, an ea alicujus Conſtitutionis, vel litigatoris duntaxat juri adverſetur; cùm ea, quæ ſacrorũ Canonũ legúmve manifeſtæ ordinationi expreſsè adverſatur, ut, quâ pro valore ab impubere conditi teſtamenti, electionis celebratæ à ſuſpenſis, vel alienationis rei Eccleſiæ imobilis aut pretioſæ, à Prælato ſine juſta cauſa vel debitis ſolennitatibus factæ, pronuntiatur ex ratione; quòd impubes teſtari, contra *l. Quæ ætate 5. ff. Qui teſtament. fac.* Suſpenſi eligere, contra *c. Cùm inter 16. de Elect.* Prælati res Eccleſiaſticas quascunque pro libitu alienare poſſint, contra *c. 1. c. Tua 8. de lit, quæ à Prælat. &c. textus*, pronuntiatio ipſo jure nulla eſt, *c. 1. hîc*: &, quia ſententiæ nomen non meretur, *L. Si ſe 4. §. 6. ff. de Re judic.* in rem judicatam non tranſit: &, quantumvis appellatio non interponatur, revocari non tantùm à ſuperiore, ſed

riore, sed ab eo etiam, à quo prolata est, judice potest, *c.* 1. *cit. l. Si expressim* 19. *ff. de Appellat. & relat. & l.* 1. *C. de Sent. & interlocut.*

Dixi, *Expressè*, &, *Contra Jus manifestum.* Prius; quia, ut ipso Jure nulla sit sententia, lata contra jus Constitutionis, necesse est; ut error Juris, puta, impuberem testari, suspensum eligere, Prælatum liberè alienare posse, in ipla sententia exprimatur, *l. Expressim cit.* & hanc illi adversari, non tantùm per argumentum deducatur, Jason *in l. Prolatis* 32. *ff. de Re judic.* Posterius; quia, si Jus, sive legis aut canonis sensus dubius sit & varios admittat intellectus, sententia contra ipsum lata ipso Jure irrita non est; cùm ejusmodi lex aut canon non sit propriè dictum Jus; quia hoc esse debet manifestum, *can. Erit autem lex* 2. *dist.* 4. Panormit. *in c.* 1. *cit. n.* 9. idem *num.* 12. tradens de sententia, lata contra Decretalem seu Bullam Extravagantem, non clausam in Corpore Juris &, de qua dubitatur, an sit recepta. Contra eam tamen, quæ Romæ duntaxat promulgata est, latam sententiam de Stylo Curiæ Romanæ pro nulla haberi, monet Cochier *de Jurisdict. Ord. in Exempt. p.* 1. *q.* 50. *n.* 6.

47. Contrà sententia lata contra jus litigantis, pronuntiandò vg. testamentum, electionem, aut alienationem validam esse, ex falsa suppositione; quòd testator pubes, electores non suspensi, vel alienatio à Prælato ex justa causa & cum debitis solennitatibus sit facta, etsi injusta sit, de Jure tamen subsistit: &, si contra eam non appelletur, in rem judicatam transit, per *text. c. Cùm inter* 23. *in fine & l.* 1. §. 2. *V. Quodsi. ff. Quæ Sent. sine, appellat.* quia Juris præsumptio est, judicem rectè processisse, Panormit. *l. cit. num.* 7. ubi tamen rectè advertit, si talis sententiæ injustitia esset notoria, etiam ipsam irritam fore, *c. Inter cæteras* 9. quòd injustitiæ notorietas eam Juris præsumptionem tollat.

48. Quintò, sententia conformis esse debet communi, aut etiam probabiliori & usu receptæ Sententiæ Doctorum: ut cum Sylvestro *V. Opinio q.* 2. Soto *Lib.* 3. *de Justitia q.* 6. *art.* 5. & aliis docet Laiman. *Lib. & tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. Ratio est; quia judex à Republica constituitur cum expressa vel saltem tacita obligatione, pronuntiandi secundùm majora merita causæ: cujusmodi cæteris paribus sunt, quæ in meliori ratione & communi vel probabiliori DD. sententia fundantur: quod ipsum exposcere videntur, qui officium judicis implorant. Et profectò huic rationaliter iraſceretur, eúmque injustitiæ redargueret, qui videret, se, quantumvis melioribus fundamentis nitatur, condemnari, causámque adjudicari adversario, minùs probabilia pro se afferenti, contra Regulam, *In Judiciis non est acceptio personarum habenda*, quæ est 12. *in 6.*

49. Alia quàm Judicis ratio est Advocati, à quo patrocinium clientis, causam probabilem foventis, contra adversarium probabilioribus fundamentis nixum suscipi potest, arg. à contrario ducto ex *l. Rem non novam* 14. §. 1. *C. de Judiciis* ubi causæ improbæ desperatæque & ex mendacibus allegationibus compositæ patrocinari prohibetur, Navarrus *Manual. cap.* 25. *num.* 28. Guttierez *Lib.* 1. *Q. Q. Canon. cap.* 13. *n.* 24. Lessius *Lib.* 2. *de J. & J. cap.* 31. *n.* 52. & alii. Ratio est; quia advocati officium est, proponere ea, quæ sunt Juris & facti, & rationes, quæ faciunt pro cliente; ut judex, iis perspectis & cum iis, quæ pro adversario militant, collatis, officiô suô meliùs fungatur. Quod cùm cliens per se possit, etiam poterit per alium, juxta *Regul.* 68. *in 6.* & maximè per advocatum, à Jure

concessum, ut vicariam operam præstet parti litiganti, Menoch. *de Arbitr. casu 369. n. 1.* Ubi

60. Dubium &, sicut frequentis usûs, sic magni momenti quæstio est, pro quo pronuntiare judex teneatur, quando, tam ratione, quàm Juris & DD. authoritate consideratâ, æquè probabilem causam fovere uterque actor & reus videtur. Sunt, qui tali casu à judice pro arbitrio, cui vult, parti causam posse adjudicari: & perinde, ut cùm ad beneficium Ecclesiasticum vacans duo æquè digni præsentantur, gratificationi locum esse, velint. Et utinam in praxi nunquam amicitiæ, vel alteri necessitudini, aut sordibus plus, quàm causarum meritis tribuatur! Quis enim non videt, quàm hoc alienum à natura Justitiæ? quæ exposcit; ut, sicut suum cuique, sic paria tribuantur iis, quorum paria merita & jus est æquale. Quàm à Divini Humaníque Juris, personarum acceptionem à tribunalibus arcentis, Regulis remotum? Quàm parùm conveniens officio Judicis? à quo procul abesse debet omne judicium pendens ab affectu, aliunde quàm à causæ meritis procedente. Quàm non consentaneum justo desiderio atque expectationi litigantium? quorum unus meritò indignaretur, si, cum æquale jus haberet cum altero, minùs, quàm iste, aut hic totum & ipse nihil consequeretur.

61. Quare cum Suarez *de Charitate disp. 13, de Bello s. 6. n. 4.* Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 9. n. 45.* Laiman. *cit. cap. 5. n. 16.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 2. n. 9.* & aliorum TT. communi & certa sententia statuendum est, tali casu judici regulariter à sententia, pro alterutra parte ferenda, abstinendum: & partis utriusque meritorum omnimodam æqualitatem, & ex ista provenientem juris incertitudem declarandam; &, vel causam referendam ad judicem superiorem, vel litigantibus suggerenda media & modos, quibus ex ipsorum consensu controversia terminetur: cujusmodi sunt compromissum in arbitros, ab ipsis, vel à judice eligendos, rei litigiosæ divisio, vel si hanc non admittat, transactio, aut amicabilis compositio: vi cujus unus litigiosam, alter aliam rem, vel certam pecuniæ quantitatem consequatur.

62. Neque rei ita litigiosæ paritas ulla est cum beneficio Ecclesiastico; hoc enim collitigantium uni adjudicatur partim; quòd hoc ex natura & institutione sua unidumtaxat, & sine diminutione vel divisione, debeat conferri, *c. Tua 20. de Prab. & c. Unic. Ut benef. sine diminut.* & neq; sorti committi, neq; *c. Ecclesia 3. de Sortileg.* super eo transigi, vel ulla pactio inita valeat, *c. Super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pactis*; ut proinde minimè mirum, sed necessarium sit, id totum uni adjudicari; partim verò; quòd ex duobus idoneis ad id præsentatis neuter jus reale & absolutum, sed à superioris electione dependens habeat; ut proinde in eo unus sine alterius injuria &, quem ordinarius vult, instituí possit: etsi, uni ita adjudicari non valeat res litigiosa, cùm, quæ uterque affert, æquè probabilia, & merita paria sunt, Palao *Tract. 1. disp. 2. p. 10. n. 2.*

63. Dixi, *Regulariter*; quia non desunt casus & causæ, quibus, etsi probationes & ex his orta utriusque partis merita paria sint, judex tamen pro altera pronuntiare potest ac debet: & Inprimis quidem, cùm litigantium pars altera est *in* possessione; in hac enim defendenda est, donec adversæ partis jure constet, *c. Ex literis 3. V. Quod si, 1 de Probat. & l. fin. C. de R. V.* 64. Deinde in causis favorabilibus; ut sunt matrimonii, testamenti, dotis, libertatis, alimentorum, viduarum, pupillorum &c. pro quibus in pari probabilitate & dubio

contra

contra reos pronuntiandum, patet ex *c. fin. hic.* Demum in causis Criminalibus; in his enim sententiam pro reo, quantumvis ejus innocentia minùs probabilibus argumentis defendatur, ferendam, communis sensus DD. & ratio est; quòd Respublica minùs lædatur absolutione nocentis, quàm innocentis condemnatione, *l. Absentem 5. ff. de Pœnis*; & propterea ad illam, quàm hanc Jura sint proniora, *l. Semper 9. ff. de R. J.* imò ad hanc exigant probationes luce clariores, *l. fin. C. de Probat.*

65. Sextò, ferenda sententia est secundùm publicas Allegationes & probationes factas in judicio, *can. Judicet 3. q. 7. & l. Illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præsid.* Ubi Dubium &, TT. pariter ac JCT. torum in diversa euntium, maximis studiis agitata controversia est, an judex condemnare valeat reum, per testes aliásve legitimas probationes convictum: quem tamen ipse, privatâ & certâ scientiâ, novit esse innocentem. Qua in re

Covenit inter omnes, adhibenda judici omnia media, quibus reus liberetur; ut, testium aliarúmque probationum falsitate detectâ, de veritate constet: vel reus clam fugâ sibi consulere possit: vel, causâ remissâ ad superiorem, coram ipso innocentiæ sibi cognitæ testimonium perhibendum, S. Thomas 2. 2. *q. 64. art. 6. ad 3.* & Cajetanus *ibid. q. 67. art. 2.*

56. Convenit etiam inter plerosque, casu, quô de probationum, quibus reus convictus est, falsitatè constare non potest, reum condemnari posse in causis Civilibus: imò etiã in Criminalibus minoribus, quibus agitur de mulcta pecuniaria, privatione officii & similibus pœnis infligendis. Ita contra Panormit. *in c. Pastoralis 28. §. Quia verò, de Offic. deleg. n. 8.* Imola *in l. A Divo 15. ff. de Rejudic.* Lessius *Lib. 2. cap. 29. n. 84.* & Laiman. *Lib. 3. Tract. 6. cap. 2. n. 8.* Ratio est; quia ex una, pœnes Rempublicam est dominium altum in hæc bona; ut ea subditis, pro pace & tranquillitate publicâ conservandâ, ut dictum *Lib. 1. Tit. 2. n. 55.* possit auferre: ex altera verò parte, leges ac statuta, iisque præscriptum Judiciorum Ordinem in sententiis ferendis observari, interest Reipublicæ: ad cujus pacem & felicitatem ejus observatio plurimùm confert. Unde privatus, licet innocens, bonis suis &c. potiùs privandus est, quàm cum damno publico ab illorum Ordine recedatur.

In causis autem Criminalibus Capi- 57.
talibus, quibus agitur ad pœnam mortis, aut mutilationis, innocentem ita convictum condemnari posse, cum S. Thoma 2. 2. *q. 67. art. 2.* defendunt Navarrus *Manual. cap. 25. n. 10.* Clarus §. *fin. q. 66. n. 2.* Covarruvias *Lib. 1. Var. cap. 1. n. 3.* & moventur Imprimis illô Deuteronomii, *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur, cap 17. V. 6.* Deinde, Rescriptô Innocentii III. §. *Quia verò cit.* Ordinarium obligantis ad executionem sententiæ delegati, etiamsi eam injustam sciat: & effatô S. Ambrosii relatî *can. Judicet cit.* Ubi *Bonus judex*, inquit, *nihil ex arbitrio suo facit & domesticæ propositio voluntatis, sed juxta leges & jura pronuntiat.* Tertiò; quòd judex gerat personam publicam, quæ ex officio suo secundùm publicam, non privatam, notitiam debet judicare; ne aliàs via aperiatur judicibus, affectus suos & injustitias privatæ scientiæ obtentu palliandi. Demum; quòd ob bonum commune licitum sit, occidere innocentem; sicut contingit in expugnatione turris, in qua plures sunt innocentes: imò aliquando ob bonum privatum: sicut accidit in cæde furiosi aggressoris. Cur non idem liceat ad tuendum Ordinem Judiciarium, ob bonum publicum & publicis legibus præ-

scriptum. Ita DD. *citt.* quorum Opinio, etsi magnâ

58. Majori tamen probabilitate niti semper visa est sententia *citt.* Panormit. & Imolæ, negantium, reum, quantumvis probationibus in speciem legitimis, vg. duobus vel tribus testibus omni exceptione maioribus convictum, ad eiusmodi pœnam posse condemnari: quam cum *citt.* Lessio *n. 78.* & Laiman *n. 8.* ex RR. propugnant Card. Lugo *de J. & J. disp. 37. n. 45.* Haunold. *cit. tract. 2. n. 39.* & Pirrhing *ad Rubric. de Officio Judic. n. 10.* Rationem reddunt partim; quia Magistratus humanus non est dominus vitæ ac membrorum: sed hoc reservatum est soli Deo: *Non est alius Deus præter me: Ego occidam & ego vivere faciam*, Deut. *cap. 32. V. 39. Tu es domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*, Sap. *cap. 16. V. 13.* Deus autem ipsi non dederit potestatem occidendi innocentem, *Insontem & justum non occides*, Exodi *cap. 23. V. 7.* Unde à Magistratu humano, qui est minister Dei, à quo acceptum gladium portat, Roman. *cap. 13. V. 4.* neque per legem, neque per sententiam præcipi potest; ut, qui scitur esse innocens, occidatur; quia aliàs egrederetur limites sibi concessæ potestatis: partim verò, quia innocentem propriâ, aut ab alio, quàm à Deo, vitæ ac membrorum domino, acceptâ potestate directè occidere intrinsecè malum non minùs est, quàm carnaliter cognoscere non suam; ac proinde, sicut ad hanc accedere non licet certò scienti, eam suam non esse, etsi suam esse legitimè probaretur, & à iudice pronuntiaretur: ad eámque ut suam cognoscendam per censuras Ecclesiasticas compelleretur, *c. Literas 13. §. Porro, de Restit. Spoliat. & c. Inquisitioni 24. de Sent. Excommunicat.* ita etiam mortis sententiam ferre, & latam etiam exequi non licet in eum, qui privatim innocens esse certò scitur. Neque, ut aliqui asserunt, verum est, eum, qui publicè probatur nocens, non esse innocentem; quia alienæ calumniæ nocentem facere non possunt: &, si possent, nocens etiam fuisset Susanna, quam Sacer textus pronuntiat innocentem, Daniel, *cap. 13. V. 51.*

Utraque hæc ratio, sicut ad mortis 59.
vel mutilationis pœnam condemnari eum, qui privatim innocens esse scitur, ita etiam pro coniugii valore aut nullitate secundùm allegata & probata pronuntiari non posse, evincit à iudice, qui privatam, sed certam scientiam habet de valore eius, quod esse nullum: & de nullitate eius, quod validum esse, in iudicio est probatum, cùm; quia corporum matrimoniô coniungendorum dominium Deus sibi reservavit: & Magistratui humano, eorum legitimè coniunctorum vinculum solvendi, aut istô corpora inhabilia coniungendi non contulit potestatem: tum verò; quia, legitimô coniuge relictô alteri copulari, & non suam carnaliter cognoscere, intrinsecè malum est, ullóque iussu vel permissione humanâ licitum fieri non potest, Matth. *cap. 19. V. 6. c. Literas 13. §. Porro & V. In primo c. Inquisitioni 24.* Quæ causa est, cur, etsi revera non sint, causis tamen Criminalibus æquiparentur Matrimoniales, quibus de initi coniugii valore agitur vel nullitate, *arg. c. Causa 9. de In integ. restit.* Baldus *in c. Ad nostram 12. de Probat.* & Gaill. *Lib. 2. observat. 94. n. 1.*

Pro contraria Opinione allegata, 60
quamcunque veri speciem, illam tamen persuadendi vim non habent; quia ex Deuteronomio allatus textus Imprimis non procedit de casu, quô de accusati innocentia iudici certô constat, argumentô alterius textûs, ex Exodo deprompti. Deinde eô solummodo cavetur; ne unquam interficiatur, qui non duorum saltem vel trium

trium testimoniô est convictus: non autem præcipitur; ut, qui iis est convictus, semper occidatur; quis enim aliàs locus foret *can. Præsul 2. q. 4.* & aliis sanctionibus Ecclesiasticis, plurium testimonium variis casibus exigentibus, *c. Licet 23. de Test. & attest.* Minùs quàm textus sacer urget Innocentii III. Rescriptum *§. Quia verò cit.* quia istô sermo non est de sententia mortis aut mutilationis; cùm talem Papæ delegatus, utpote clericus, nequeat proferre, *can. 1. dist. 51. & c. Sententiam 9. Ne clerici vel Monachi.*

Pronuntiatum Ambrosianum, sicut tertiô locô adducta ratio, secundùm notitiam publicam procedendum persuadet, quando agitur de rebus obnoxiis Reipublicæ sive potestatis humanæ dispositioni: qualis cùm non sit vita innocentis, hunc, sicut obstante publica notitia summo Principe inferior judex non valet absolvere, ita contra propriam conscientiam non poterit condemnare. Neque inde periculum est; ne aperiatur via palliandi injustitias; quia, ut taceam, quòd hujusmodi casus rarissimus & pene Metaphysicus sit, judici, allegatis & probatis contrarium asserenti, si asserta non probet, fides in externo Foro non adhibetur.

Ad ultimum expedita responsio est; quantumvis enim licitum sit, innocentem occidere indirectè: directè tamen id non licet extra casum, id exigentis necessariæ defensionis, quô vim vi propulsare licet; ac proinde furiosum aggressorem, materialiter duntaxat nocentem, inculpatæ tutelæ moderamine observatô, occidere à natura est permissum, *can. Jus Naturale 7. dist. 1. c. Significâsti 18. §. fin. de Homicid. & l. 1. ff. de J. & J.*

61. Dubium contrà secundò est, an condemnari valeat reus, qui privatim scitur nocens, si innocens esse legitimè probetur. Certum est, condemnari non posse à judice inferiore; quia istè observare debet legibus præscriptum Ordinem Judiciarium: cujus violatio plus obest Reipublicæ, quàm ei nocere possit absolutio nocentis, *l. Absentem 5. ff. de Pœnis.*

A judice autem supremo, sive Principe condemnari eum posse, cum Felino *in §. Quia verò cit.* docet Covarruvias *cit. cap. 1. n. 7.* quòd sit supra leges, *l. Princeps 31. ff. de LL.* & propterea ad earum observantiam, præsertim tali casu, non adstringatur. At meliùs cum Lessio *cit. cap. 29. n. 94.* id hunc ordinariè posse, negat *cit.* Haunold. *n. 28. arg. can. 1. & can. Judex 2. q. 1.* quia Princeps saltem secularis, regulariter majorem potestatem non habet, quàm in eum transtulit Respublica: quæ, ne ei viam sterneret ad tyrannidem, probabiliùs eos duntaxat occidendi potestatem contulit, qui nocentes esse, publicè convincerentur. *Ordinariè*, inquam; quia excipiendus est casus, 62.
quô grave damnum ipsi, aut Reipublicæ immineret ab occulto proditore vel insidiatore, in quem ob potentiam judicialiter procedi non potest; talem enim à Principe, certam criminis notitiam habente, è medio tolli posse, communis sensus est DD. quod id exigere videatur necessaria defensio sui ac Reipublicæ, ipsi permissa Jure Naturali, *cit.* Lessius *n. 100.* & Lugo *n. 52.*

Dubium tertiò est, an judex allega- 63.
tiones à partibus omissas ex officio supplere, & secundùm eas pronuntiare possit. Qua in re satis conspirantibus DD. suffragiis approbata, & *l. Unica C. Ut quæ desunt advocatis &c.* insinuata distinctio est inter ea, quæ sunt Juris & Facti; etsi enim judex legem vel canonem, uti & statutum vel consuetudinem receptam, à parte vel ejus advocato omissam allegare, *l. cit.* clarè, & non obscurè permittatur *c. Bona 3.* junctâ Glossâ *V. Curavimus allegari,*

legari. de Postul. Prælat. quòd aliàs ferre nequeat sententiam Juri conformem, contra *c.1. hâc Rubr. & l. fin. in fine, C. de Appellat.* Ea tamen, quæ sunt Facti, supplere & allegare non potest; quòd hæc discere à partibus, non eas docere debeat: &, si suppleat, se suspectum reddat & obnoxium recusationi, Panormit. *in c. Bonæ cit. n. 9.* & Bartol. *in l. Unic. cit. n. 2.* Quare judex quidem, cùm leges ad propositum minùs facientes allegantur, aliis ad id magis accommodatis uti, loci speciale statutum proferre, & secundùm id pronuntiare potest: regulariter tamen proponere non debet exceptiones, vg. doli, metûs, producere testes, instrumenta &c. ne, quòd alteri æquè plus faveat, à partium altera tanquam suspectus, meritò recusetur.

64. Dixi, *Regulariter*, non *semper*; quia non pauca, quæ in facto consistunt, ex officio à judice supplenda, commemorant *cit.* Panormit. *n. 9.* & Laiman *in c. Bonæ cit. n. 2.* Veluti primò, quæ ipsi, ut judici vg. ex confessionibus vel attestationibus legitimè receptis, ex instrmentis à parte productis, & aliis in judicio actis sunt nota. Secundò, quæ sunt notoria; ac proinde non indigent probatione; ut, si actorem, procuratorem, testem excommunicatum ex officio repellat, *c. Exceptionem 12. de Except. & c. 1. ibid. in 6.* Tertiò, quæ in animarum periculum vergunt, vg. impedimenta matrimoniorum; ne ista contrahantur. Quartò, in causis piis, puta, Ecclesiarum, pupillorum, aliarúmque miserabilium personarum. Quintò, cùm adversus contumaciter absentem proceditur ad sententiam definitivam, in ipsius jura inquirere, & pro ipso ea etiam, quæ ad factum pertinent, in judicio supplere judex potest, Panormit. *l. cit.* Plures casus & latè dabunt Matth. Stephanus *de Offic. Jud. Lib. 3. à cap. 5.* & ex eo Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 2. à n. 3.*

Dubium quartò est de pœna judicis malè judicantis. Ita autem judicari ab eo contingit, si careat gemino sale, Scientiæ unô, altero Conscientiæ, Bald. *in l. Hac lege 2. C. de Sent. ex brevic. recit. n. 7.* 65.

Si sale Scientiæ carens per imprudentiam, vel imperitiam malè judicârit, ad litis sumptus, aut æstimationē, sive damnum & interesse parti læsæ præstandum condemnatur: non quidem in solidum, sed in quantum, considerată culpâ, æquum visum fuerit Religioni ejus, qui ea de re pronuntiabit, *pr. Instit. de Obligat. ex quasi delicto, l. Si quis 5. §. 4. ff. de O. & A. & l. fin. ff. de Var. & extraord. cognit.* nisi imprudentia & imperitia sit ex culpa lata; cùm enim ista dolo æquipareat, *l. 1. §. 1. ff. Si mensf. falsf. mod. dix.* & dolus præsumptus nuncupetur, ex ea malè pronuntians judex in solidum obligatur, Decius *in l. 1. §. 1. V. Hac autem, ff. Quod quisque jur. in alt. n. 3.* Clarus *§. fin. q. 83. n. 2.* Menoch, *de Arbitr. casu 339. n. 5.* & Gaill. *Practic. Lib. 1. observat. 153. n. 4.* Neque ab hac pœna judicem liberat; quòd à sententia per imprudentiam vel imperitiam lata, pars læsa appellare, cùm facilè posset, intermiserit: imò appellatio ab ea fuerit interposita & delerta, Panormit. *in c. Sæpe 44. de Appellat. n. 17. ubi* Decius *n. 10.* & *cit.* Menoch, *à n. 10.*

Si sale conscientiæ carens malè judicavit dolô, interest, an gratiâ, timore, odióve ductus, vel pecuniâ corruptus malè judicârit; cùm, si priori modo id fecit, ex delicto ad litis æstimationem & omne damnum atque interesse in solidum teneatur & condemnetur, *l. Filiusfamilias 15. ff. de Judiciis, ubi* Petr. Barbosa *à n. 47.* & Bruneman. *n. 6.* Si posteriori modo & pecuniâ corruptus malè judicavit in causa pecuniariâ, ultra omne litis damnũ restitu- 66.

restituendum parti læsæ, *l. fin. C. de Pœna jud. qui malè jud.* ejus, quod datum est, triplum, & duplum ejus quod promissum est, à Comite rerum privatarum exigi ab eo potest: sitque infamis. Si verò ita judicavit in causâ Criminali; confiscatis omnibus bonis, in exilium mittitur, *Auth. Sed novo, C. Rubr. cit. & Novell. 124. cap. 2. cit.* Menoch. *casu 342. à num. 15.* & Bruneman *in Auth. cit. à n. 14.*

67. Imperialibus his accessit Constitutio Canonica ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi edita, & relata *c. 1. in 6.* quâ, cùm judices Ecclesiasticos monuisset, sollicitè curandum & attendendum, *Ut in causarum processibus nihil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, præmium & expectatio præmii justitiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, & in concipiendis sententiis & ferendâ præoculis habeant solùm Deum*, subiecit, *Si quis autem judex Ecclesiasticus ordinarius aut etiam delegatus famæ suæ prodigus & proprii persecutor honoris contrà conscientiam & contra justitiam in grävamen partis alterius in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes, ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis parti, quam laserit, nihilominus condemnandus &c.*

Quæ nova & pœnalis Constitutio strictam exposcit interpretationem & ultra verborum propriam & Juridicam significationem trahenda non est; ut eâ prodita suspensio ab officio, sive ab executione Ordinis ac Jurisdictionis, non solùm ad suspensionem à beneficio non extendatur: sed non afficiat arbitros compromissarios; cùm hi veri judices non sint, Glossa *in c. cit. V. Injudicio:* Neque judices Seculares, cùm; quia eâ de solis Ecclesiasticis est sermo: tum verò; quia suspensio laicos ligare nequit, Glossa *ibid. V. Ecclesiastici*: Neque ex Ecclesiasticis comprehendat Episcopalis Ordinis Prælatos, juxtà *c. Quia periculosum 4. de Sent. excom. in 6.* Neque etiam alios judices Ecclesiasticos, per solam imprudentiam, vel imperitiam malè judicantes; cùm lata sit in eos, qui gratiâ, timore, vel odiô ducti; vel præmiô, sive pretiô datô, promissôve corrupti injustam sententiam ferunt; Glossa *magna in c. cit.* Neque etiam Auditores vel Executores; cùm hi propriè iudices non sint, Glossa *V. Injudicio cit.* & Joan. Monach. *in c. cit. à n. 8. ubi* Laiman *n. 1. & ad hanc Rubr.* Pirrhing *n. 119. not. 2.* qui cum Franco *in c. cit. n. 5.* in iudicibus Ecclesiasticis ad contrahendam suspensionem exigunt Imprimis; ut malè iudicent contra conscientiam simul & contra iustitiam, & non sufficere, aiunt, si contra conscientiam suam iustè, vel iniustè secundùm conscientiam suam iudicent malè. Deinde; ut sententia ita lata litigantium partium alteram gravet; & non sufficere, asserunt, si earum alteram extra iudicium, vel iniustè alios vg. tabellionem, testem, nuntium gravent. Demum; ut litigantium alteram iniustè & contra conscientiam suam iudicandô gravent gratiâ, timore, vel odiô ducti, vel corrupti pecuniâ iustiúsve promissione.

ARTICULUS V.

De Re Judicata;

SUMMARIUM.

68. *In hanc Sententia transit, si ab ea non appelletur,*
69. *Ex tacitô partium consensu.*
70. *Excipitur Sententia I. quæ nulla,*
71. *II. Aut lata est prò vel contra valorem Matrimonij;*
72. *Hæc enim tractatur,*

73. *Quando ejus observantia peccatum nutrit,*
74. *Et matrimonium mutuô consensu non convalescit.*
75. *Eadem ratio est sententia pro,*
76. *Non etiam contra Sponsalia lata.*
77. *Retractationi etiam obnoxia est sententia Divortij:*
78. *Etsi is, cujus favore lata est,*
79. *Imò uterque conjux professus sit Religionem.*
80. *III. Lata in causa Beneficiali.*
81. *IV. Sententia Censurarum.*
82. *V. Uti & qua ex instrumentis vel testimoniis Falsis,*
83. *VI. Ex juramento Necessario,*
84. *VII. Ex consilio unius Doctoris vel in arte experti,*
85. *VIII. Ex probationibus præsumptivis,*
86. *IX. Ex causa, qua ad non causam transiit,*
87. *X. Vel ex probationibus Jure reprobatis est lata.*
88. *Res, inter alios acta, non nocet, vel prodest aliis:*
89. *Nisi, cum actio eis competeret, alium agere finant:*
90. *Vel causam habeant ab eo, qui agit:*
91. *Vel eorum causa sit connexa:*
92. *Vel legitimè citati non comparuerint.*

68. IN Rem Judicatam Sententia transit, cùm victus ei vel expressè, vel tacitè, vg. solutioni, ad quam condemnatus est, terminum petendô, acquievit, *l. Ab eo 3. C. Quomodo jud. & l. Ad solutionem 5. C. de Re judic.* vel ab ea intra decem dies, à prolatione, vel saltem eius prolatæ notitia, computandos, non fuerit appellatum, per textus *c. Consultationem 15. hic, Auth. Hodie C. de Appellat. & Novell. 23. cap. 1.* Ratio est; 69. quòd intra tempus illud, cùm posset, non appellans, in Sententiam tacitè consentire, & iuri suo renuntiare censeatur, præsumptione Juris & de Jure; ut postea non admittatur prôbatio in contrarium, etiam per instrumenta de novo reperta, *c. Subortata 21. in fine*; quòd res iudicata pro veritate accipiatur, *l. 207. ff. de R. J.* interpretatione Juris, id statuentis propter Rerum Judicatarum authoritatem, *l. Ad solutionem cit.* quæ facit; ut, quod ius non est, ius sit & fiat; ut aliquis litium sit finis, Perez *in C. de Re judic. n. 2.* & Gonzalez *in c. Lator 7. n. 6.*

Neque dictis, de non appellantis in Sententiam consensu, adversatur; quòd *c. Concertationi 8. de Appell. in 6.*, non appellanti adversus sententiam alia remedia concedantur, *Nisi in eam consenserit*: quibus verbis, ex solâ appellationis omissione condemnati in sententiam consensum non rectè inferri, indicatur. Non, inquam, hoc adversatur; quia, licet solâ illius omissione in sententiam consentire non censeatur, ad excludenda alia remedia, vg. in integrum restitutionis adversus sententiam: consentire tamen interpretatione ac præsumptione Juris censetur ad effectum; ne ad ipsius iustitiam de rigore discutiendam, eâmque corrigendam & retractandam ampliùs agatur; cùm ad hoc introductum appellationis remedium omiserit, Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 12. n. 34.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 100. n. 1.*

Sunt tamen varii Casus & Causæ: 70. quibus, licet intra decendium appellatum non sit, sententia tamen in Rem Judicatam non transit; ac proinde, allegatâ probabili causâ, peti potest; ut de causa iteratò cognoscatur ac pronuntietur: cuiusmodi sunt

Primò Sententia, quæ irrita est ipsô Jure; talis enim, etiam nullâ appellatione interpositâ, & ab eius prolatione, vel no-

vel notitia integrô decenniô, ne dicam, decendiô elapsô, rei iudicatæ non consequitur authoritatem; cùm de nullitate agi & sententia retractari, secundùm communem ac receptam doctrinam, usque ad 30. annos valeat, teste Gaill. *Lib. 1. Observat. 127. n. 8.*

71. Secundò Sententia lata in causa Matrimoniali per notabiles textus *c. Lator 7. e. Tenor 10. c. Consanguinei 11. hîc & c. Fraternitatis 6. de Frigid. & Malef.* Pro quorum declaratione

Dubium duplex moveri potest. Primum de sententia, quæ lata est pro vel contra matrimonii valorem; hanc enim perinde, ut cæteras Sententias, in rem judicatam transire, suadetur geminâ ratione. Una est; quòd decendii lapsu sortiatur effectus rei judicatæ; cùm mandetur executioni, *c. Fraternitatis cit.* & postea ab Ordinario, qui eam tulit, appellari nequeat ad Archiepiscopum; quia iste respectu subditorum suorum suffraganeorum judex competens, extra causas appellationis, non est, nisi certis casibus Jure expressis, *c. 1. de Offic. Legati c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ord & c. 1. pr. V. Non sic, eâdem Rubric. in 6.* Panormit. *in c. Lator cit. n. 10.* Felin. *ibid. n. 4.* & Covarruvias *cit. §. & num. 12. V. Tertiò.* Altera; quia sententia lata pro matrimonio, contra quod conjugum unus metum, vel conditionem alterius servilem allegat, retractari ampliùs nequit; quod intra decem dies non appellans in eam præsumatur consensisse, ut *in c. cit.* cum Glossa *fin.* tradunt Panorm. *n. 8.* Felin. *n. 2.* Alexand. de Nevo *n. 8.* Covarr. *§. cit. n. 19.*

72. Sed hac in re à generalibus Juris Regulis divertendum, statuendùmque est, Sententiam contra, aut etiam pro valore Matrimonii, quâcunque circumspectione & ex quibuscunque probationibus lata, & confirmata etiam sit, in Rem Judicatam non transire, eámque authoritatem obtinere, ut, compertô errore, non valeat retractari; cùm, hôc detectô, illam revocari posse & debere, apertè decisum sit *c. Lator cit.* ubi Alexander III. *Mandamus*, inquit, *quatenus, si constiterit, eos per judicium Ecclesiæ non fuisse legitimè seperatos, Ecclesiámque deceptam, ipsos, redintegratô Matrimoniô, faciatis sicut virum & uxorem in simul permanere.* Cui consonant decisiones *c. Tenor 10. c. Consanguinei 11. eâdem Rubr. & c. Fraternitatis cit.* Non minùs clara & solida est ratio; quia neque sententia judicis, neque authoritas Juris, neque partium litigantium consensus efficere potest; ut Matrimonium, quod inter duos semel validè contractum consummatúmque est, reddatur nullum, & ipsis viventibus dissolvatur, juxta illud, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, Matth. *cap. 19. V. 6.* Eadem fere ratio est Sententiæ latæ pro valore Matrimonii, propter impedimentum dirimens vg. ligaminis, consanguinitatis, affinitatis inter conjuges intercedens, invalidè contracti; cùm hoc validum reddi non valeat authoritate Judicis, aut partium consensu: quô tamen cæteræ sententiæ, accedente Juris authoritate, in rem judicatam transeunt, *c. Quoad consultationem cit.* ibi, *Cùm per hoc videretur per interpretationem Juris latæ Sententia paruisse.* Ita *in c. Lator cit.* Ant. de Butr. *n. 8.* Imola *n. 7.* Alex. de Nevo *n. 11.* Barbosa *n. 2.* Covarruv. *cit. n. 12.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 100. à n. 1.*

73. Neque hanc resolutionem enervant aut dubiam reddunt contra eam allatæ rationes. Prima; quia Sententiæ pro vel contra Matrimonium latæ, cùm peccatum nutriant, executioni non plenè mandantur, neque mandari possunt; ut vi earum, per appellationem non suspensarum, condemnatus vel uti Matrimoniô,

vel aliud inire valeat, quando id, pro quo judicatum est, revera invalidum: aut contrà validum esse, certò scit, contra quod fuit pronuntiatum. Et, licet ejusmodi sententia post decendium propter errorem circa ejus valorem executioni mandetur: & pro ejus revocatione per viam appellationis adiri nequeat Metropolitanus, adiri tamen pro ea, allegatâ verisimili injustitiæ causâ, per viam simplicis querelæ potest non solùm Papa, istiúsve Legatus, *c.1. de Offic. Legati:* sed ipse etiam judex, qui eam tulit. Imò iste, compertò errore, ad ejus revocationem procedere ex Officio potest, ac debet, per *c. Porro 3. de Divortiis*, verba, *Tui officij interest, Matrimonia illa dissolvere, quæ illicitè contracta noscuntur*; quia judex ex officio tenetur tollere peccata: gravissimum autem peccatum ejúsque periculum incurritur, si in conjugio perseverent conjuncti illegitimè, aut legitimè conjuncti separentur, Glossa *fin. cit.* Barbosa *in c. Porro cit. n. 6.* & *cit.* Sanchez *n. 3.*

74. Altera; quia, quòd in rem judicatam transeat, & retractari nequeat sententia lata pro Matrimonio, metu, aut cum servo inito, inde provenit; quòd ejus observantia non contineat peccatum; cùm matrimonium, pro cujus valore pronuntiatum est, novò utriusque consensu subsistere possit. Quod cùm non fiat in aliis sententiis, pro vel contra matrimonium latis, hæ in rem judicatam non transibunt, *citt.* Panormit. *n. 9.* Covarruv. *n. 17.* & Sanchez *n. 13.* An dicta etiam de matrimonio metu &c. inito, post irritata à Tridentino *Sess. 24. cap. 1. §. Qui aliter, de Ref. Matr.* conjugia Clandestina, generaliter, aut quando procedant, *Lib. 4. tit. 3. à n. 24.* statuetur.

75. Ex dictis infertur, quæ vis sit Sententiæ latæ in causa Sponsalium de futuro; cùm enim, quæ contra sponsalia lata est, sine peccatò observari, imò sponsalia legitimè contracta ipsorum contrahentium mutuò consensu dissolvi possint, *arg. c. Omnis 1. de R. J.* Contrà, quæ ob 76
non probatum impedimentum dirimens pro sponsalium valore lata est, hôc ipsò; quòd personas inhabiles ad conjugium compellat, peccatum foveat, illa, non etiam ista: sive contra, non etiam pro sponsalibus lata Sententia rei judicatæ firmitatem consequetur, Panormit. *in c. Juravit 6. de Probat. n. 5.* Ant. de Butr. *ibid. n. 6.* & Sanchez *cit. n. 13. in fine.*

Alterum dubium est de Sententia 77.
Divortii, an ipsa quoque non transeat in Rem Judicatam. Qua de re variæ sunt Sententiæ DD. Eam in rem judicatam transire, *in c. Ex literis 5. de Divort.* negant Hostiens. *n. 2.* & Joan. And. *n. 10.* quòd, sententiam matrimonialem in rem judicatam nunquam transire, clarè insinuetur *c. Lator cit.* Contrà affirmant Ant. de Butrio & Imola *in c. cit. in fine*; quòd huius & aliorum *cc. citt.* dispositio spectet solam sententiam, pro vel contra Matrimonii valorem latam.

Horum Interpp. contrarias Opiniones Sanchez *Lib. 10. de Matr. disp. 9. n. 4.* cum Felino *in c. Lator cit. n. 9.* & Boich. *in c. Quanto 7. de Divort. n. 7.* distinctionis beneficiò in concordiam reducere nititur: & quoad ea quidem, quæ sunt in favorem coniugis adulteri, divortii sententiam in rem iudicatam non transire, ait; ut innocens audiatur, quandocunque agit ad reconciliationem, neque ei opponi valeat exceptio Rei Judicatæ. Quoad ea verò, quæ in illius odium & favorem innocentis sunt, eam in rem iudicatam transire docet; ut lapsò appellationis terminò sententiæ iniustitiam probare, & ad reconciliationem agere volens non audiatur. Rationem reddit; quia divortii sententia fertur in odium adulteri no-

teri nocentis. Unde æquitas exigit, ut non cedat in innocentis damnum & favorem nocentis: quod tamen eveniret, si illi, ad reconciliationem agere volenti, obstaret exceptio rei judicatæ: & hæc proficeret ei, contra quem est judicatum, *l. Evidentia 16. ff. de Except. rei judic.*

Sed hac distinctione non opus: imò vix locus ei est; cùm casu, quô, an Divortii sententia in rem judicatam transeat, quæstio esse possit, ferè innocens, aut nocens sit conjugum uterque. Unde præ ipsa arridet Opinio prima: quacum fere, sicut pro vel contra valorem matrimonii latæ, sic etiam divortii sententiæ in rem judicatam transitus negari potest; cùm casu etiam illo, quô Ecclesiam deceptam: &, vel conjugum alterum criminis adulterii probationibus falsis convictum, vel ejus criminis reum utrumque fuisse constat, conjugium redintegrare in conscientia teneatur is, cujus favore divortii sententia lata est: &, si renuat, ista ex officio retractari à judice, vel condemnatus adversus sententiam viClausulæ generalis *l. 1. §. fin. ff. Ex quibus caus. major.* petere in integrum restitutionem, &, hâc impetratâ, allegatarum criminis probationum falsitatem ostendere: vel eum, cujus favore sententia lata est, ejusdem criminis perpetrati reum esse, probare possit, illâque, aut hôc legitimè probatô, matrimonium sit redintegrandum. Palao, *Tract. 28. disp. 3. p. & §. 6. n. 6.* Ratio est partim periculum peccandi, cui divortium conjuges plerumque exponit: partim verò; quòd casu, quô conjux per divortii sententiam condemnatus innocens, aut nocens etiam alter est, conjugii redintegrationem petendi jus competat Jure Divino, divortium perpetuum innocenti, non nocenti, & ex solius fornicationis causâ permittens Matth. *cap. 19. V. 9.* ut adeò hâc causâ cessante dimissum conjugem innocentem innocens, & nocens etiam nocentem recipere teneatur, *arg. c. Intelleximus 6. & c. fin. de Adult. & Stupr.*

78. Atque hæc etiam procedunt casu, quô is, cujus favore divortii sententia lata est, susceptione sacri Ordinis, vel Religionis porfessione mutavit statum; quia editum ab eo continentiæ votum non obligat in præjudicium alterius: cui etiam nocenti, si ipse quoque nocens est: & innocenti, detectâ sententiæ injustitiâ, debitum reddere tenetur, SS. DD. Angelicus *in 4. dist. 35. art. 5.* & Seraphicus *dist. cit. in Expos. lit. n. 5.* Sylvester *V. Divortium, n. 24.* Gaëta *in can. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 215.* & aliis relatis Sanchez *disp. cit. n. 9.* aliter sentiens, & ad matrimonii redintegrationem à neutro agi posse, asserens casu, quô statum mutavit, &

79. Religionem professus est uterque. Sed ad illius redintegrationem hôc quoque casu agi ab utroque posse, cum Rosella *V. Divortium, n. 2.* veriùs existimat Palao *cit. §. 6. n. 8.* quòd professionem in præjudicium alterius, ad conjugale debitum & conjugii redintegrationem jus integrum retinentis, emiserit uterque, & juri illi legitimè neuter renuntiârit; cùm religionem professi sint, ducti errore & falsa persuasione; quòd ad debitum & conjugii instaurationem alter non habeat jus, alter non obligetur.

80. Tertiò, in Rem Judicatam non transit sententia lata in causa Beneficiali, arg. ductô à matrimonio Carnali ad Spirituale. Circa istam tamen Laiman. *in c. Cùm dilectus 32. de Elect. n. 2.* & Gonzalez *n. 5.* utendum censent distinctione; cùm sententia quidem in ejusmodi causa in rem judicatam transeat quoad eum, qui succubuit & in præjudicium ipsius; quia non appellandô sententiæ acquiescere, eámque observare sine peccato potest.

Non tamen in præjudicium Ecclesiæ & quoad eum, qui vicit; ut beneficium sine Canonica institutione obtinere, salvâ conscientiâ, valeat & retinere; cùm iste etiam post lapsum decendium ad ipsius peccatum & Ecclesiæ damnum impediendum judici denuntiari, *c. Constitutu 46. de Appellat.* vel ab isto contra eum inquiri & ad amotionem procedi possit: nisi triennali possessione & huic favente Cancellariæ Apostolicæ Regulâ *33. Tit. 25. à n. 12.* explicatâ defendatur.

81 Quartò, Sententia Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti; cùm excommunicatus, licet post decendii lapsum nequeat appellare, petere tamen valeat absolutionem, vel per simplicem querelam de talis sententiæ injustitia queri, Panormit. *in c. Consanguinei 11. cit. n. 9. & ibi* Alexand. de Nevo *n. 15.* Eodem modo probari postea potest, aliquem excommunicatione ligatum contra sententiam, quâ, eam ab aliquo non contractam, est pronuntiatum; quia etiam in tali sententia militat eadem ratio, quæ in causa matrimoniali, scilicet periculum animarum, *cit.* Panormit. *n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 58.*

82 Quintò, quæ lata est ex Falsis instrumentis, vel testimoniis, præsertim, si testes pecuniâ corrupti fuerint, *l. Divus 33. ff. de Re judic.* quamvis etiam citra corruptelam sola falsitas sufficiat ad rescissionem, ut *in l. cit.* notant Duarenus & Bruneman. *n. 2.* dummodo condemnatus, adversarium suum testibus corruptis vel falsis instrumentis usum, atque istorum fidem judicem secutum fuisse, legitimè probet, *c. Cùm J. & A. 22. hic & l. Falsam 3.* junctâ Glossâ *V. Testationem, C. Si ex fals. instrument.* & *ibi* Perez *n. 2.* ubi tamen cum Panormit. *in c. cit. n. 6.* rectè monet, casu, quò prolatis instrumentis pluribus, quibusdam falsis, quibusdam veris: aut plurium, quorundam corruptorum, aliorum verò idoneorum & omni exceptione majorum testium depositionibus receptis, judex vera secutus sententiam tulit, hanc in rem judicatam transire & esse confirmandam, per textũ *c. cit.* ibi, *Etiamsi conspiratores*, ad testimonium dicendum inhabiles, *aliqua deposuerint contra Abbatem, qua tamen per aliorum* idoneorum *testium dicta sufficienter probata sint, processum confirment.* Ratio est; quia *Utile per inutile non debet vitiari*, ut habet *Reg. 37. in 6.*

Sextò, sententia lata ex juramento 83. Necessario, in supplementum probationis à judice parti delato; ex eo enim condemnatus ad juramenti falsitatem & sententiæ injustitiam, per instrumenta de novo reperta impugnandam, admittitur, *l. Admonendi 31.* junctâ Glossâ *in Casu, ff. de Jurejurando.* Aliter res se habet, quando sententia lata est ex juramento Judiciali, parti à parte delato; talis enim (excepto casu, quò quis, legatum sibi à defuncto relictum, falsò jurâsse, inspectis instrumenti tabulis, convincitur, *l. fin. C. de Reb. credit.*) propter instrumenta de novo reperta non retractatur, per *l. Admonendi cit.* textum & Glossam *fin.* Ratio discriminis est; quòd ex juramento, à parte parti delato, lata sententia utriusque consensu litem definiat, *l. 1. C. de Reb. credit.* & propterea vim habeat transactionis, *l. Quod si 21. ff. de Dolo*: quæ prætextu instrumenti postea reperti non retractatur, *l. Sub pretextu 19. C. de Transact.* Contrà juramentum necessarium, non ex utriusq; consensu, sed alterâ parte invitâ, à judice deferatur, Maranta *de Ord. judic. p. 6. de Sententia, n. 146.* Zoesius *in Rubr. ff. de Jurejurando, n. 52.* & aliis DD. relatis, Bruneman. *in l. Admonendi cit. à num. 5.*

Septimò,

84. Septimò, lata ex Consilio alicujus Doctoris seu JCT.i aut ex judicio unius, vel plurium in aliqua arte expertorum; eam enim, quandocunque istos arte sua deceptos, & illius Consilium non consentaneum Juri ex istius magis peritorum judicio constat, retractari posse, cum Ant. de Butr. Felino *in c. Proposuisti 4. de Probat. n. 10.* & Interpp. aliis vult *cit.* Maranta *à n. 130.*

85. Octavò, lata ex depositionbus testium de credulitate, aut aliis probationibus præsumptis; talem enim, quandocunque id, quod credebatur, & præsumptionem falsam fuisse, manifestum evadit, retractari posse, *arg. l. Si qui adulterii 34. C. ad L. Jul. de Adult.* monent *cit.* Butr. Felin. & Maranta *n. 133.*

86. Nonò, quando causa, ex qua aliquis condemnatus est, ad non causam transit, sicut contingit, cùm vg. sartore, aut sullone propter pannum, aut vestimentum, suâ culpâ amissum, ad solutionem pretii condemnatô, quod amissum est, recuperatur; tali enim casu revocanda sententia & pretium restituendum est, *l. Si fullo 2. ff. de Condict. sine causa, ubi* Brunemann. *n. 1.* & Rob. König *ad hanc Rubric n. 53.*

87. Decimò, sententia lata ex probationibus à Jure reprobatis, vg. ex purgatione vulgari per duellum, aquam frigidam aut ferventem, ferrum candens; cùm talis ipso jure non subsistat, Bald. *in l. Libertorum 12. C. de Testibus, & cit.* Maranta *n. 139.* plures hujusmodi sententias recensens.

88. Dubium hòc locô est, an Res Judicata aliis, quàm condemnato, aut victori, noceat, vel prosit. Aliis quoque eam obesse, vel prodesse, suadetur non contemnendâ ratione; quòd res judicata faciat jus, controversiis imponat finem, & pro veritate habeatur, *l. Ingenuum 3. ff. de Statu hominum, l. Sive contra 3. ff. de Agnosc. Lib. & l. Res judicata 207. ff. de R. J.* ac proinde non solùm inter partes eôdem judiciô agentes, sed inter alios quoque locum habere, eisque obesse debeat, vel prodesse.

Nihilominus inter alios Judicatum aliis, qui diversum & par jus habent, regulariter non prodesse, nec obesse, clarè decisum *c. Quamvis 25. & l. Res inter 2. C. Quibus res judic. non nocet,* & expedita ratio est; quia litem contestandô litigantes in judicio inter se quasi contrahunt in ordine ad eundem judicem, *l. Licet 3. §. 11. ff. de Pecul.* & propterea, sicut contractus contrahentes, non alios, sic etiam hic quasi contractus obligabit solos collitigantes; ne alteri per alterum, præsertim suâ voluntate contra se actis acquiescentem, iniqua conditio & damnum inferatur, contra *Reg. Non debet 74. ff. & 22. in 6.* Unde Res Judicata pro veritate quidem habetur, & jus facit: at inter solas partes, quarum controversiæ in judicium deductæ finem imponit: eáque in re ferè convenit cum confessione & probationibus judicialibus, quæ non præjudicant, nisi confitenti, & in ordine ad personam, respectu cujus sunt factæ, *c. Inter 6. V. Nec attestationes, de fide Instrument. & l. fin. ff. de Interrogat. in jure fac.* A lege autem & canone differt; quòd istorum obligatio ad omnes se extendat, *c. 1. de Constitut.*

Dixi *Regulariter*; quia *c. Quamvis cit.* excipiuntur duo casus, quibus res inter alios judicata aliis nocet. Prior est, quô is, cui actio, vel causæ defensio principaliter competebat, vg. debitor, maritus, emptor, super rei vg. fundi oppignorati, in dotem dati, aut venditi proprietate alterum, puta creditorem, socerum, aut venditorem agere permittit; quia, cùm ejusmodi rei proprietas ad debitorem, maritum, emptorem pertineat; ac pro- 89.

ac proinde de eorum præjudicio principaliter agatur, super ea agere, eámve in judicio defendere principaliter ad ipsos, secundariò autem ad creditorem, socerũ, aut venditorem pertinet; & propterea illi, si istos super ejusmodi re litigantes ab actione vel defensione removere, cùm possent, omittant, in actionem defensionémve, ab illis susceptas, consensisse, per *Reg. Qui tacet 43. in 6.* neque ex re judicata damnum injustum pati videntur, Panormit. *in c. Quamvis cit. n. 7.* & *ibi*

90. Laiman. *n. 2.* Posterior est, si is, qui causam ab aliquo habet, vg. creditor, super re, vg. fundo sibi oppignorato, litigare sine ulla protestatione super jure suo passus est debitorem, à quo causam habet; etsi enim super rei oppignoratæ proprietate actio & defensio principaliter competat debitori, non creditori: iste tamen, eô ipsô, quòd super re sibi oppignorata illum litigare cernens, de jure suo protestatus non est, in litis ab illo motæ prosecutionem visus est consentire, Panormit. *in c. cit. n. 9.* & *ibi* Alex. de Nevo *n. 8.*

91. Præterea & tertiò excipiuntur, & aliis, quàm litigantibus, sententiæ aliquando nocent in causis connexis; sic enim, cùm de Ordinationis, Electionis, Præsentationis nullitate agitur contra ordinantem, electores, patronum, collatorem, contra istos latæ sententiæ præjudicant ordinato, electo, aut aliter proviso, si litis motæ conscii illos agere permiserunt, *arg. c. Quamvis cit.* cùm; quòd hi causam & jus ab illis habeant: tum verò; quòd, illos agere permittendô, ipsi egisse videantur, Panormit. *l. cit. num. 29.* Neque obstat; quòd ordinato, electo, aut aliter proviso, non præjudicet sententia condemnatoria ad pœnam, quæ ordinanti, electori &c. infligitur ob commissam ab iis in ordinatione, vel electione Simoniam &c. quia quoad hanc inter eos non est connexio; cum Simonia ab illorum altero duntaxat potuerit esse commissa, per textus *c. Matthæus 23.* & *c. Nobis 17. de Simonia, citt.* Panormit *n. 23.* & Alex. de Nevo *n. 12.*

Quartò, sententia præjudicat aliis, 92. quorum interest, si legitimè citati cùm possent, non comparuerunt. Contra alios autem, etsi iis non noceat; ut res etiam respectu illorum pro judicata habeatur: tamen facit præsumptionem, ut iis perinde, ut publicâ diffamatione, vel indiciis gravatis, purgatio Canonica valeat indici, juxta *c. Significâsti 5. de dolt. cit.* Alex. de Nevo *n. 15.* & Pirthing *ad hanc Rubric. n. 83.* Plures exceptiones dabit Panormit. *l. cit.*

ARTICULUS VI.

De Rei Judicatæ Retractatione.

SUMMARIUM.

93. *Regula de judicato, prætextu instrumenti noviter reperti,*
94. *Aliarúmque probationum supervenientium, non retractando.*
95. *An ea in foro interno procedat, gravis controversia est.*
96. *Id negantium ex utroque Jure,*
97. *Et ratione deprompta fundamenta.*
98. *Quæ intentum evincunt, si sententia mala fide sit obtenta.*
99. *Bonæ fidei litigatori rem judicatam in foro animæ prodesse,*
100. *Decisione Canonica & Legali,*
101. *Ratione,*
102. *Paritate Judicati cum Transactione & Præscriptione,*
103. *Et solutione in contrarium objectorum ostenditur.*

103. Ea

104. *Ea de re sensu Authoris.*
105. *Novorum instrumentorum productio admittitur in negotio publico:*
106. *In causis privatorum, I. Si ea sint Capitales:*
107. *II. Si instrumentis sententia rei antè judicatæ contraria ostendatur:*
108. *III. Si testamenti tabulæ producantur:*
109. *IV. In causis 25. annis minorum & Ecclesiæ,*
110. *Quibus in integrum restitutionis auxiliô subvenitur:*
111. *V. Quô etiam succurritur prodigis ac furiosis.*
112. *VI. Si instrumenta ante producta non sint ob ignorantiam,*
113. *Saltem spectatâ æquitate & Praxi.*
114. *VII. Si instrumenta produci ex alio impedimento non potuerunt.*
115. *VIII. Adversus sententiam, ex juramento Suppletorio:*
116. *Non etiam ex Judiciali, à parte delato, latam.*

93. REgula utriusque Juris est, Sententias definitivas, in causis privatorum latas, postquam in rem judicatam transierunt, novorum instrumentorum postea repertorum prætextu non retractari, *c. Inter 20. c. Suborta 21. hâc Rubr. l. Imperatores 35. ff. & l. Sub specie 4. C. de Re judic.* quorum proinde textuum in iisque fundatæ Regulæ vigore debitor ex mutuo in judicio conventus, &, quod illud non fuerit probatum, absolutus, à creditore chirographum, postquam sententia in rem judicatam transiit, repertum exhibente pro solutione conveniri, & sententiæ rescissio peti non potest. Simili modô creditor, cujus pater solutionem à debitore acceptam apochâ datâ confessus est, si illius patri exhibitæ ignarus debiti solutionem etiam ipse exigat à debitore, per sententiam condemnato, & intra decendium ab eo non appellante recipiat, tutus est; ut, licet debitor instrumentô liberatorio, sive apochâ, postea repertâ, solutum quasi indebitum repetat, sententia non retractetur, & creditor ad soluti restitutionem non compellatur, propter authoritatem Rei Judicatæ, in quam ubi sententia transiit, ei acquiescendum est; ne lites, quas diminui & expediri publicè interest, *c. Finem 5. de Dolo & l. Quidam 21. ff. de Rebus creditis,* denuo instauratæ evadant immortales, *l. Res judicata 2. C. de Re judic.* Panormit. *in c. Suborta cit. n. 10. & 13.* Molina *Tract. 2 de J. & J. disp. 568. num. 1. & 2.* Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. num. 123.* & Bruneman. *in l. Sub specie cit. n. 2.* ubi in 94.
causis, novorum instrumentorum productionem non admittentibus, alias quoque probationes vg. testes novos produci non posse, ait cum Mynsingero *Centur. 4. observat 65. in fine.* Unde

Dubium & difficilis resolutionis 95.
controversia oritur, an huic utriusque Juris Regulæ locus etiam sit in foro interno; ut in allatis exemplis ex mutuo debitor in judicio absolutus adversus creditorem, & iste adversus debitorem, ad iteratam solutionem exhibendam per sententiam condemnatum, tuti sint: & ille solutionem, iste ejus iteratæ restitutionem facere in foro animæ non teneantur, post sententiæ pro ipsis latæ transitum in rem judicatam. Simili modô, casu, quô Titio post sententiam super prædio adversus possessorem pro se latam, istiúsq; in rem judicatam transitum & executionem exhibentur, aut ipse reperit instrumenta, ex quibus prædii, in quæstionem & judicium deducti, dominum Cajum

pristinum ejus possessorem fuisse, apertè constat, dubium est, an Titius prædium sibi per sententiam adiudicatũ post istius in rem judicatam transitum, salvâ conscientiâ, tanquam suũ valeat retinere, vel id Cajo restituere teneatur; his enim casibus, sive Regulæ propositæ locum in foro animæ esse, quis asserat, sive id inficietur, ex Jure & ratione deprompta & in utramque partem militantia argumenta occurrunt.

96. Et Regulæ quidem illi in foro animæ locum non esse: &, quandocunque de partis judiciô victæ jure ex instrumentis noviter repertis vel probationibus aliis constiterit, sententiam, rei judicatæ authoritate non obstante, retractandã, probatur Primò percelebri rescriptô Innocentii III. *c. Significantibus 2. de Purgat. vulg.* relati, & furti in judicio condemnati innocentiâ, sicut ante, sic & post sententiæ in rem judicatam transitum, compertâ, universa, quæ illius criminis prætextu ablata fuerant, restitui præcipientis.

Secundò, Canonicâ non minùs claræ in hanc rem sunt Imperiales definitiones *l. Si fullo 2. ff. de Condict. sine causa & l. In commodato 17. ff. Commodati*, quarum priori fullo aut sartor, si vestis amissæ pretium ex locato conventus restituit, & postea vestem dominus recuperavit, pretium Condictione dati sine causa repetere potest: ex posterioris autem *§. fin.* commodatarius, si rei sibi commodatæ & perditæ pretium domino dederit, re postea in istius potestatem redactâ, aut hanc sibi præstari, aut pretium reddi, Jure petit.

Tertiò, eôdem Jure spectatô, sententia judicis non tollit obligationem naturalem, conscientiam adstringentem; cùm, si verus debitor à creditore in judicio conventus absolvatur, naturâ maneat obligatus, *l. Julianus 60. pr.* &, quod sua sponte ante sententiam soluit, nequeat repetere, *l. Judex 28. ff. de Condict. indebit.* quòd naturali obligatione ex contractu ortâ non liberetur, sed ea post sententiam liberatoriam perseveret; cùm judex in Jus Naturale nullam habeat authoritatem, *§. Sed naturalia 11. Instit. de J. N. G. & C.*

Quartò, ex pacto nudo, ex metu levi ad extorquendum contractum injustè incusso, ex læsione infra dimidium justi pretii in judicio conventus, si per sententiam absolvatur, naturali obligatione, ex ejusmodi actibus ortâ, non liberatur: sed pactum adimplere, injusto etiam levi metu extorta restituere, justi pretii defectum supplere vel rescisso contractu rem restituere in foro animæ tenetur, sententiæ absolutoriæ transitu nihil ipsi patrocinante, per tradita *Lib. 1. tit. 35. n. 15. Tit. 40. n. 26. & Lib. 3. Tit. 17. n. 57.* luculentô indiciô propositæ Regulæ resque judicatæ authoritatem in foro interno non eandem esse, quam obtinet in externo.

Quintò, Jus & æquitas Naturalis 97. non permittit; ut quis cum alterius detrimento & injuria locupletetur, *Reg. Jure naturæ 206. ff. & Reg. Locupletari 48. in 6.* quod tamen accidit, si proposita Regula in foro animæ procedat.

Sextò, sententia judicis fundatur in præsumptione justitiæ & meritorum causæ ejus, pro quo est pronuntiatum, *c. Bonæ 23. V. Contra, de Elect. & c. Cùm inter 13. in fine hîc:* præsumptio autem compertæ veritati cedit, *l. Si chirographum 24. & l. Cùm de Indebito 25. ff. de Probat.* præsertim in foro Conscientiæ, in quo super omnia veritas est, ut dicitur Esdræ *Lib. 3. cap. 3. V. 13.*

Septimò, si is, cui vg. prædium adjudicatum est per sententiam, post isti-

us in rem judicatam transitum & executionem illius consequitur dominium; ut, salvâ conscientiâ, id retinere valeat: licet postea ex Instrumento noviter reperto perspicuè appareat, id fuisse alienum, ansa malitiosis hominibus præbetur, spe dominii rei judicatæ authoritate obtinendi, alios injustis litibus vexandi: quô exemplô & malitiæ fomentô vix aliquid publicè perniciosius est.

98. His Juris definitionibus ac rationibus convicti plerique alicujus nominis DD. propositam de Rei Judicatæ authoritate Regulam in foro animæ suffragari negant ei, qui malâ fide, sive, cùm litigandi justam causam se non habere sciret, judicium nihilominus subiit & sententiam pro se tulit. An & ei, qui bonâ fide litem contestatus sententiam pro se tulit, dissensio inter eos est; hunc enim etiam Regulæ illius authoritate in foro Conscientiæ non defendi, cum Innocentio *in c. Quia plerique 8. de Immunit.* Panormit. *ibid. n. 21. & in c. Cùm inter cit. n. 8.* Felino *in c. Novit 13. de Judic. n. 5.* & Interpp. aliis docent Sylvester *V. Sententia, n. 11.* Adrian. *Quodlib. 6. art. 1. V. Ex quo infero,* Sotus *Lib. 3. de Just. q. 4. art. 5.* Azor *p. 3. Instit. Lib. 1. cap. 16. q. 3. §. Caterùm* & alii, fundamentis
99 ante deductis innixi. Contra quos Joan. Andr. *in c. Novit. cit.* Hostiensis *in Summa, hâc Rubr. §. Quot sunt, ad finem,* Rosella *V. Restitutio 4. n. 9.* in eam rem allegans S. Bernardinum Fortun. Garcias *in l. Veluti 2. ff. de J. & J. n. 24.* & non obscurè Laiman. *Lib. 1. tract. 4. cap. 17. n. 3.* aliisque DD. *citt.* Simon Felix Moralis disciplinæ percelebris Magister *in Resolut. M. S.* qui, Regulam illam interno quoque foro accomodatam, argumentis ex iisdem fontibus petitis conantur persuadere.

100. Et, Jure quidem id apertè proditum, aiunt *c. Cùm inter cit.* cujus *V. Quamvis*, ab adversa parte laudatus Innocentius III. sententiam, quam ex donationis invalidæ, & hanc secutæ pariter infirmæ confirmationis instrumentis contra litigantium alterius partis jus latam esse, agnovit, observandam, ait; *Quòd quantùm ad litigantes ipsos jus ex ea factum sit, postquam in rem transiit judicatam*, minimè obscurò argumentô, sententiam, quæ in rem judicatam transiit, in foro etiam Conscientiæ observandam, cùm; quia Papa ex ea inter litigantes jus ortum ait, ut eô uti possint: tum verò; quia Abbati jurisdictionis in Archipresbyterum, eâ ipsi adjudicatæ, exercitium adstruit & hunc ad fidelitatem & obedientiam illi præstandam obligat: postquam, donationem, quâ sententia nitebatur, invalidam esse, innotuit: quod sapientissimus Pontifex procul dubio non fecisset, si Abbatem quoad exercitiũ illud, compertâ donationis nullitate, in conscientia securum non esse judicâsset; cùm sacrorũ Cannonũ conditores nunquam scienter aliquem defendant in peccato *arg. c. Novit. cit. & can. De Viduis, 27. q. 1.* sed ex fine suo animarum obvient periculis & caveant; ne peccatorum vinculis irretiantur, & irretitæ diu detineantur, *c. 1. de Constit. in 6. cc. fin. de Consuet. & de Præscript. c. Cùm contingat 28. de Jurejurando c. Licet 2. eâdem Rubr. in 6. &c.*

Apostolico Innocentii rescripto affine est responsum Pauli JCT. ,hæredi, qui ad divisionem hæreditatis tanquam cohæredem admiserat eum, qui revera cohæres non erat, *Cognitâ rei Veritate* & errore detectô, rerum hæreditarium repetitionem denegantis, casu, quô rerum hæreditariarum adjudicationes à judice sunt factæ, *l. Cùm putarem 36. ff. Famil. herc.* quòd per adjudicationem a qua provocatum non est, & secutam solutionem

rerum dominium translatum sit,& Condictio indebiti Vindicatióque cesset.

101. Rationem Juris textibus non minùs ponderosam reddunt ; quia Respublica rerum nostrarum domina magis est,quàm nos simus ; ut ejus Princeps aliúsve supremus magistratus,ex causa necessitatis, vel utilitatis publicæ, de rebus ac juribus privatorum sibi subditorum disponere eorúmque dominium vel quasi ab uno in alterum transferre valeat;ut ejusmodi res ac jura ab eo, in quem translata sunt, illæsâ conscientiâ retineantur & obnoxia non sint restitutioni : supremi autem tam Ecclesiasticæ, quàm Secularis Reipublicæ magistratus,ad imponendum finem litibus & dominiorum certitudinem stabilendam, constituerunt ; ut res Judicata haberetur pro Veritate, *l. Res judicata 207. ff. de R. J.* júsque constitueret inter partes litigantes, *c. Cùm inter cit. c. fin. de Except. in 6. & l. Cùm putarem cit.* &,si super eodem articulo eôdem modô stabiliter judicatum esset,vim legis publicæ obtineret, *l. Nam imperator 30. ff. de LL.* ut ob instrumenta noviter reperta aliásque probationes supervenientes esset irretractabilis, *c. Suborta,l. Imperatores & l. Sub specie citt.* ut super ea inita transactio,& contra eam lata sententia ipso Jure non subsisterent,*l. In causa 32.C.de Transact. & l.1.C. Quando provoc. non est necesse*,ut eâ etiam per errorẽ adjudicata retinerentur,aut præstarentur, *c.Cùm inter cit. & l. Servum 65.§.2.ff ad S. C.Tertull.*& præstita repeti non possent, *l. Cùm putarem &c.* Demum istorum & similium Juris textuũ vigore Res Judicata tantæ authoritatis est;ut*De non ente Ens, & de Ente non-ens, ex albo nigrum & album ex nigro, ex indebito debitum,ex isto indebitum facere, ipsiúsque naturæ instar juribus dare originem, eáque perimere, augere & diminuere*, tritis JCT.um phrasibus dicatur apud Marantam *de Ord. Judic. p. 6. de Sententia, n. 198.* Tuschum *Practic. V. Res conclus. 267. à n. 54.* & Barbosam *Axiomat. Lib. 16. cap. 54. n. 18.* Quibus & justissimis Juris utriusque definitionibus & assertionibus DD. cùm adjudicatorum dominium vel quasi adstrui,firmari, transferri &c. perspicuè significetur, Rei Judicatæ authoritas in foro etiam interno obtinebit ; cùm *Justè possideat, qui authore Prætore* reique judicatæ *possidet* authoritate, *l. Justè 11. ff. de Adquir. rer. domin.*

Confirmatur hæc ratio,eâque rebus 102. judicatis asserta vis, exemplis Transactionis ac Præscriptionis ; quarum illa bonâ fide celebrata, & hæc legitimè completa, publicæ utilitatis intuitu, eâ vi pollent ; ut, licet ex instrumentis noviter repertis transigenti nullum jus competiisse,rémque præscriptam alienam fuisse, constet, ea tamen,quæ transactione accepta,retentáve, aut præscriptione acquisita sunt,retineri illæsâ conscientiâ possint per tradita *Lib. 1. tit. 36. n. 6. & Lib. 2. tit. 26. à n. 5.* Cùm ergo Res Judicata quoad vim & authoritatem æquiparetur Transactioni, *c. 1. de Litis contest. in 6. l. Post rem 56. ff. de Re judic. l. Nec minorem 20. C. de Transact.* & Præscriptioni, *l. 1. §. fin. ff ad S. C. Tertyll.* Bartol. *in l. Omnes §. ff. de J. & J. n. 41.* sicut his, sic & rei judicatæ vis sua in foro animæ constabit,cùm; quia, sicut illis, sic & rei judicatæ authoritate res ac iura transferri & acquiri, asserant: & accepta,retentáve repetitioni & restitutioni obnoxia esse, negent sanctiones Canonicæ & Legales ; tùm verò; quia iudicatum non minus firmum esse,ex eadem cessationis litium & certitudinis dominiorum causa publicè interest; cùm, ut Cicero *Pro Sylla* ait, *Status Reipublicæ sive publica salus maximè rebus judicatis contineatur* ; & propterea, licet Ordinationes pri-

tiones, privilegia & cætera acta Tyrannorum ipso Jure irrita sint, *l. Decernimus 16. C. de SS. Eccles. & l. Omnes 6. C. Theodos. de Infirm. quæ sub tyran.* iudicia tamen & lites privatorum per res iudicatas decisæ minimè retractentur, *per text. l. Valeant 9. C. Theodos. eâdem Rubr. & arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prator.*

Quare, sicut eum, qui bonâ fide super re transegit, eámve possidendo præscripsit: sic & eum, qui eâdem fide litem contestatus sententiam pro se tulit, postquam ista in rem transiit iudicatam, in conscientia tutum esse, DD. *citt.* sententia est: saltem si adversus iudicatum neque in integrum restitutionis imploratum auxilium, neque supplicatio Principi oblata, vel ista non admissa & auxilium illud denegatum fuit. Ita DD. pro hac Opinione *citt.* qui pro Rei Judicatæ ad externum forum restrictione deducta satis commodâ solutione diluunt.

103. Primum; quia *c. Significantibus cit.* relata sententia retractationi obnoxia fuit; quòd in rem non transierit iudicatam; cùm ex textu liqueat, eam contra Juris ordinem exprobatione, non solùm non integra & merè præsumptiva, sed omnino fallaci & Jure reprobata, scilicet ex Purgatione vulgari per duellum fuisse prolatam: cuiusmodi sententias in rem iudicatam non transire, sed compertâ veritate retractari, dictum est *n. 87. & in c. cit.* cum Glossa *in fine* notant Hostiens. *V. Restituant*, Panormit. *n. 4.* Barbosa *n. 1.* & Pirrhing *ad Rubr. de Purgat. Vulg. n. 7.*

Secundum; quia *ll. citt.* decisiones in utroque foro procedunt; cùm, veste, aut re commodatâ redactis in potestatem domini, vestis pretium fullo aut sartor, idémque, aut rem commodatarius repetant in foro etiam externo, & sine rescissione sententiæ, reíve iudicatæ retractatione; quòd causa, ex qua pretium solutum est, transierit ad non causam, & sententiæ vigore pretium solutum sit in defectum seu compensationem amissæ vestis, aut rei commodatæ; ac proinde his à domino recuperatis pretium aut res ipsa Jure repetatur; ne cum re sine causa etiam pretium retineatur, Bartol. *in l. Si Fullo cit. n. 1.* Molina *disp. cit. n. 8.* & Bruneman. *in l. 2. cit. n. 1. & in l. In commodato cit. n. 8.*

Tertium; quia obligatio Naturalis ante & post sententiæ in rem iudicatam transitum eum duntaxat stringit, qui debiti conscius malâ fide litigavit, & sententiam absolutoriam pro se tulit: non etiam illum, qui bonâ fide judicium subiit; quòd obligatio Naturalis ante sopita per ignorantiam, post transitum illum peremptа sit, non tam pronuntiatione judicis, quàm authoritate Juris, sicut Transactione & Præscriptione, sic & sententiæ in rem judicatam transitu & executione rerum juriúmque dominium vel quasi transferentis, actionésque & obligationes extinguentis, *arg. c. Cùm inter & l. Cùm putarem cit.*

Quartum; quia, licet ex nudâ pactione, ex metu levi, aut infra dimidium læsione non detur Actio, à debito tamen & obligatione, qui ita pactus est, metúve levi, aut infra justi pretii dimidium proximum læsit, non absolvitur per sententiam, quæ transeat in Rem Judicatam; cum adversus eum imprecationi officii judicis nobilis & denuntiationi Evangelicæ sit locus: partim verò; quia pactioni etiam nudæ seu simplici contraveniens est in mala fide: cujus vitiô etiam laborat, qui, metu etiam levi incusso, aut infra dimidium proximum læsit.

Quintum; quia, sicut Transactionis & Præscriptionis, sic etiam Rei Judicatæ beneficiô tutus, ne rem sibi adjudicatam restituat, locupletior non fit cum alterius injuria & detrimento injusto; cùm id fiat

ex diſpoſitione legis, publicæ utilitatis intuitu promulgatæ à ſupremo Reipublicæ Magiſtratu, ejusmodi causâ poſcente, de rebus ac juribus privatorum diſponendi habente poteſtatem, ut dictum *n.102 & Tit. 26. à n. 6.*

Sextum; quia eſto, quòd Res Judicata fundet præſumptionem juſtitiæ & meritorum ejus, pro quo judicatum eſt, ſicut 30. vel 40. annorum lapſus fundat præſumptionem juſti tituli & poſſeſſionis rei præſcriptæ, illius tamen authoritas & firmitas non nititur ejus præſumptionis veritate, ſed Ordinatione Legali & ſalute ſeu felicitate Reipublicæ, quæ *rebus judicatis maximè continetur*; cùm publicè magis expediat; ut res judicatæ firmæ, quàm ut ſemper juſtæ ſint, ut ait Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n. 6.*

Poſtremum; quia rei judicatæ interno foro accommodata vis proximum injuſtis litibus vexandi nullum eſt fomentum; cùm exploratum ſit, eum, qui dominii conſequendi ſpe ſuper re, quam ſcit alienam, litem movet, in judicio verſari malâ fide: cujus vitiò laboranti Rem Judicatam in Conſcientiæ foro non ſuffragari, ex dictis conſtat.

104. Poſterior hæc Opinio de Rei Judicatæ in foro animæ authoritate Canonicâ deciſione *c. Cùm inter cit.* & rationis pondere prævalet. Prior tamen potior eſt ſpectatâ Legali ſanctione *l. Julianus cit.* & numerò pro ea militantium DD. quorũ aſſeclæ Rei Judicatæ vim præſumptioni, quòd ſententia juſtè prolata ſit, præcipuè innixi; atque idcirco ad externum forum reſtringendam, inde etiam deſumunt; quòd ſi is, pro quo pronuntiatum eſt, ſententiam injuſtam eſſe in judicio confiteatur, ea retractetur juxta dicta *Tit. 23. n. 37.* non obſcurò argumentò, Rei Judicatæ authoritatem in animæ foro cedere compertæ veritati.

Ne autem pro Regulæ ad externum forum coarctatione deducta communiori huic Opinioni adverſentur, ejus Aſſertores *c. Cùm inter cit.* aliósque textus & JCT.orum dicta, Rei Judicatæ vim extollentia, exaudiunt de foro Contentioſo, in quo, etiam ſecundum ſacros Canones licita, non omnia foro Pœnitentiali congruere, docent apud Felin. *in c. Novit cit. n. 6.* Neque hac in re paritatem probant Rei Judicatæ cum Tranſactione aut Præſcriptione; quòd tranſactio mutuò, eòque verò & expreſsò conſenſu tranſigentium: Res Judicata autem tacitò duntaxat & merè præſumptò non appellantis conſenſu & renuntiatione nitatur: & dominii etiam quoad forum animæ tranſferendi vis Præſcriptioni clariùs quàm Rei Judicatæ adſtruatur, Felinus *cit. n. 6.* Utcunque autem iſta ſe habeant,

Regulæ hactenus ſtabilitæ & declaratæ vis in utroque foro ſolùm procedit in cauſis Privatorum; cùm ad has aperte reſtricta ſit ab Impp. Antonino & Vero *l. Imperatores cit.* ex cauſa hujusmodi novorum inſtrumentorum uſum diſertè permittentibus *In negotio publico:* ut eſt cauſa fiſci vel civitatis, Bruneman. *in l. cit. n. 3.* 105.

In privatorum etiam cauſis Excipiuntur à nonnullis Primò ſententiæ latæ in cauſis Criminalibus: & meritò, ſi iſtæ ſint Capitales; cùm enim talis in eum, qui privatim ſcitur innocens, ſecundùm allegata & probata nequeat proferri, juxta dicta *n. 58.* executioni etiam mandari non poterit, quandocunque & quomodocunque rei innocentia fuerit explorata. Secus eſt in ſententia non Capitali; cùm enim iſta à Regula excepta non reperiatur, innocentiæ probatione poſt ſententiæ in rem judicatam tranſitum repertâ, pro ejus retractatione Principi erit ſupplicandũ, Panorm. *in c. Subercipi* 106.

ta cit. n. 20. & Molina *cit. diſp. 568. n. 4.*

Excipi-

107. Excipitur secundò casus, quô instrumentô de novo repertô ostenditur, in causa decisa iam antè latam sententiam contrariam; hôc enim casu posterior sententia Jure invalida est, *l. 1. C. Quando provoc. non est necess.* cuius dispositio correcta non est *c. Inter 20. cit.* quia hôc textu posteriori ei, quæ priùs lata per appellationem intra decendium interpositam suspensa non fuit, contrariæ sententiæ valor eô solùm casu adstruitur, quô prima in iudicio exhibita & de eius valore disputatum fuit; quòd hôc casu iudex, posteriori contrarium pronuntiandô, priorem declarare nullam & revocare, intelligatur: non etiam casu, quô prior sententia in iudicio non exhibita, aut si in isto exhibita, eius tamen valori nihil oppositum fuit; hoc enim si contingeret, primæ contraria sententia secunda valore destitueretur, *l. 1. cit. & §. Definitiva*, post *can. Ei qui, 2. q. 6.* Glossa *in c. Inter cit. V. Posthabita*, Felinus *ibid. n. 23*, & Alexand. de Nevo *n. 45*.

108. Excipiunt tertiô, & ad rescissionem sententiæ, à qua intra decendium provocatum non est, prætextu noviter reperti testamenti agi posse, cum Baldo *in l. Imperatores 3. §. 1. ff. de Transact.* Felino *in c. Suborta cit. n. 12. & VV.* aliis tradit Oddus *de Restit. in integ. p. 2. q. 73. art. 4.* ductus *l. 1. ff. Test. quemad aper.* cuius *§. 1.* Gaius JCT.9 *Neque enim*, inquit, *sine judice transigi, neque apud judicem exquiri veritas de his controversiis, quæ ex testamento proficiscuntur, aliter potest, quàm inspectis cognitisq; verbis testamenti.* Unde sententiam, testamenti noviter reperti prætextu, retractandam: idque Jure constitutum, Felinus ait, *Favore ultimæ voluntatis, ut exitum habeat.* Cuius favore noviter reperti testamenti prætextu etiam retractatur transactio, *l. Imperatores 3. §. 1. cit.* & iuramentum, *l. fin. C. de Reb. credit.* quibus quoad vim & robur sententia comparatur, *l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando & l. Post rem 56. ff. de Re judic.* Gaill. *Lib. 2. observat. 70. n. 9. & 11.*

Excipiuntur quartò causæ Minorum 109.
& Ecclesiæ: Illorum propter *l. Minor 36. ff. de Minoribus*, ubi relatus Paulus JCT.9 *Minor*, inquit, *omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium repetere*, multóque magis de novo reperta, quæ antè ignorabat, instrumenta producere potest. Istius verò sive Ecclesiæ; quòd fungatur Jure minoris, *c. 1. c. Auditis 3. de In integ. restit.* eiúsque causa negotium publicum reputetur, *arg. can. Jus publicum, 11. dist. 1.* ut sicut in fisci & civitatis, sic & in Ecclesiæ causa adversus iudicatum novorum instrumentorum productio admittenda sit; quòd Ecclesia & Civitates æquiparentur.

Verùm, quia *c. Suborta cit.* in causa 110.
agitata inter Ecclesias, *Privilegij* Apostolici *de novo reperti prætextu*, sententiam retractari non debere, Innocentius III. rescripsit, quoad sententiæ contra Ecclesiam latæ retractationem, instrumentorum aliarùmque probationum novarum prætextu, eius causam publico negotio æquiparari, *in c. cit.* meritò negant Panormit. *n. 14.* Laiman *n. 7.* & Gonzalez *n. 8.* & minori atque Ecclesiæ adversus iudicatum eiusmodi prætextu, non Ordinariô Juris communis *l. Imperatores cit.* sed Extraordinariô in integrum restitutionis remediô succurri & sententiam retractari, docent ducti textibus *l. Minor cit. & c. 1. de in Integ. restit. in 6.*

Neque, hac in re Ecclesiæ extraordinarium restitutionis remedium non prodesse, inde rectè arguitur; quòd *c. Suborta cit.* sententiæ adversus eam latæ reíque iudicatæ retractatio simpliciter denegetur; quia in *c. cit.* casu restitutio intra quadriennii

driennii Jure concessum tempus vel omnino non petita, vel denegata fuit adversus aliam Ecclesiam, existentem in possessione, *arg. l. Verùm* 11. §. *fin. ff. de Minoribus* præsertim munitam assistentiâ Juris communis, Ecclesias & Monasteria, in diœcesi sita, Episcopi iurisdictioni subiicientis, *can. Omnes basilicæ*, 16. *q.* 7. *can. Monasteria*, 18. *q.* 2. *c. Cùm venerabilis* 7. *& c. Cùm dilectus* 8. *de Relig. domib.* Gonzalez *cit. n.* 8.

111. Excipiunt quintò, & novorum instrumentorum prætextu sententias contra prodigos & furiosos latas retractari, docent Bartol. *in l. Imperatores cit. n.* 1. & Felinus *in c. Suborta cit. n.* 17. Rationis locô reddens paritatem cum Minore; quòd, ut Glossa *in l. Orationis* 2. *V. Eôdem C. de Curat. furios.* notat, privilegia & beneficia Minoribus Jure concessa porrigantur ad prodigos & furiosos; quòd hi quoque regantur per curatores: quam Glossam à multis receptam, ait Felinus & amplectitur Oddus *cit. q.* 75. *n.* 16. *&* 17. Gomez *Tom.* 2. *Var. cap.* 14. *n.* 30 *ad finem*, & alii apud Bruneman. *in l. cit. n.* 4.

112. Excipiunt sextò & adversus judicatum, sicut Minorem & Ecclesiam, sic & eum, qui instrumenta noviter reperta ex probabili ignorantia non produxit, ad agendum ex iis restituendum, aliqui asserunt ex clausula generali, *Si qua alia mihi justa causa videbitur, in integrum restituam*, *l.* 1. *ff. Ex quacausa major. restit.* Verùm, quia ex una, his Prætoriani Edicti verbis subiicitur, *Quatenus per leges, plebiscita &c. licebit*: ex altera verò parte, *l. Imperatores & c. Suborta citt.* instrumentorum ex ignorantia non productorum casum perspicuè comprehendunt verbis, *Sub prætextu novorum instrumentorum postea repertorum*, qualia vel maximè sunt, quæ litigatori cognita non fuerunt, exceptionem hanc accuratiores Juris Interpp. ac DD. teste Bruneman. *in l. Sub specie cit. n.* 4. non admittunt, eâ etiam ducti ratione; quòd, in judicio victus ob instrumenti non producti ignorantiam, succubuisse videatur casu fortuitô: quô læsis etiam Minoribus in integrum restitutionis auxiliô non subvenitur, *l. Verùm* 11. §. 5. *ff. de Minorib.* Ergo neque victus ob instrumenti aut alterius probationis ignorantiam: quâ laborantes si ad denuo agendum restituerentur, rerum iudicatarum authoritas vacillaret, contra *l. Servo* 65. §. 2. *ff. ad S. C. Tertyll.*

Neque exceptio hæc rectè desumitur ex *l. Si mater* 11. *ff. de Except. rei jud.* quia hôc locô mater ad denuo agendum solùm admittitur ex nova causa, libellô ante oblatô non comprehensa: quô casu ei, qui ex certa causa egit, ex alia agenti rei iudicatæ exceptionem non obstare, cum Donello *Lib.* 22. *Comment. cap.* 5. *lit. Q.* notat Bruneman. in *l. cit. n.* 2. & supra *Tit.* 3. *n.* 15. est dictum. Neque etiam *l. Argentarius* 10. §. *fin. ff. de Edendo*; quia plus non evincit, quàm eum, qui ob defectum rationum, ab argentario non exhibitarum, succubuit, ad agendum contra adversarium denuo admitti posse, quando argentarius, aliàs conveniendus, non est solvendo, & dolô malô factū est, ne rationes ederentur: quô casu rem judicatam condemnato antè, quòminùs ad agendum ex instrumento postea reperto restituatur, non obstare, cum Fachineo *Controvers. Lib.* 1. *cap.* 51. *in fine*, concedit Haunold. *Tract.* 5. *cit. num.* 113. 119. *&* 139. cùm exceptionem hanc, licet Juri minùs consentanea sit, æquitate magnâ niti, monuisset *n.* 136. Eandem in praxi & foro observari, ait Bruneman. *in l. Sub specie cit. n.* 5. & utriusque Juris DD. frequentiori calculô approbatam, ostendit Oddus *cit. q.* 73. *art.* 3. §. *Sed contra.*

Excipiun-

114. Excipiunt septimò noviter reperta, vel obtenta instrumenta, quæ is, qui in judicio victus est, producere non potuit; quòd ea ante perdiderit, aut fuerint in manibus alterius, à quo ea, debitô conatu adhibitô, non potuerunt obtineri; huius enim summariam fidem si fecerit, eum saltem vi clausulæ generalis ad hujusmodi instrumentum admittendum, cum Innocentio *in c. Ultra 55. de Test. & attest. n. 2.* Felino *in c. Suborta cit. n. 15.* Panormit. *n. 15.* & Alex. de Nevo *à n. 52.* censet Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 42. ad finem.*

Quam exceptionem, licet Jure satis non expressam, æquitati tamen valde consentaneam, ait Haunold. *l. cit. n. 115.* hujusmodi litigatori utilem cautelam à DD. suggeri monens; ut apud judicem protestetur, se nunc à productione instrumentorum impediri, sibique reservare jus illis utendi, quàm primùm copiam sit nactus; tali enim protestatione admissâ eum tutum, censet *n. 116.*

115. Excipitur octavò sententia, lata ex probatione semiplena, accedente in plenæ defectum juramentô Necessariô, à judice delatô; nam & hæc novorum instrumentorum prætextu retractatur, *l. Admonendi 31. ff. de Jurejurando:* idque, si is, contra quem judicatum est, illa intra quadriennium in judicio produxerit, & noviter reperta jurârit, ope in integrum restitutionis fieri, cum Felino *in c. Suborta cit. n. 18.* docent *citt.* Oddus *q. 74. art. 5.* Molina *n. 5.* & alii apud Bruneman. *in l. cit. n. 18.* & Gonzalez *cit. n. 8.* Ratio est; quia in sententia, lata ex juramento Necessario, à judice delato, cessat ratio, propter quam instrumentorum noviter repertorum productio adversus sententiam, quæ in rem judicatam transiit, non admittitur, *l. Imperatores l. Sub specie, 6. Inter & c. Suborta citt.* quia his textibus illa ideo non admittitur; quòd actoris intentio reive exceptio judici comperta sit ex probationibus legitimis, in judicio receptis: quod non accidit in sententia, lata ex juramento necessario; cùm hoc à judice deferatur ob alterius legitimæ probationis defectum; & propterea, cùm veritas ex productis, quæ noviter reperta sunt, instrumentis ostendi potest, illorum productio meritò admittitur & præfertur. Accedit; quòd sententia lata ex probationibus præsumptivis & privilegiatis, ut est necessarium seu suppletorium juramentum, in rem judicatam non transeat; ut, quandocunq; ex iis creditum falsum esse ostenditur, retractari valeat, ut *arg. l. Si quis adulterij 34. C. ad L. Jul. de Adult.* cum Innocentio *in c. Tuanos 8. de Cohabit. cler. n. 5.* tradit Gaill. *Lib. 2. de Pace, cap. 8. n. 2.* & dictum *n. 85.*

Alia ratio est sententiæ, latæ ex ju- 116.
ramento Judiciali, à parte parti delato; cùm juramentum hoc vim habeat transactionis, *l. Admonendi cit. in fine,* quæ instrumentorum noviter repertorum prætextu non retractatur, *l. Sub prætextu 19. C. de Transact.* quòd omnia jura omnésque probationes, tam testium quàm instrumentorum, transactione factâ, cassentur, *c. 1. de Transact. ubi* Panormit. *n. 4.* & Bruneman. *in l. Admonendi cit. n. 20.*

ARTICULUS VII.

De Rei Judicatæ Executione.

SUMMARIUM.

117. *Executionem Condemnatoria,*
118. *Non Absolutoria sententia exigit.*
119. *In illa etiam non Victori:*
120. *Sed judici Ordinario,*

121. *Et Delegato summi Principis:*
122. *Non inferioris Ordinarii, vel arbitro competit,*
123. *In secunda instantia latam aliquando primæ:*
124. *Aliquando secundæ instantiæ judex exequitur.*
125. *Condemnato in Actione Reali Jus ferè nullum:*
126. *In Personali quatuor mensium tempus indulget.*
127. *Damnati ad pœnam corporalem statim plecti solent.*
128. *Executio in re, quæ est adjudicata,*
129. *Secus priùs in mobilibus:*
130. *Dein in immobilibus & juribus est facienda.*

117. POstquam Sententia Condemnatoria legitimè prolata in rem judicatam transiit, nihil superest, nisi executio: quæ ultima ejus & usque adeò necessaria perfectio est; ut, sicut leges, executione destitutæ, nihil in Republica utilitatis, ita & sententia nullas vires habeat, si destituatur executione. Ne igitur inanis & vacua sit, postquam rei judicatæ authoritatem consecuta est, mandanda est executioni, *can. Sicut, 2. q. 1. & c. Quod ad consultationem 15. Con-*
118. *demnatoria*, inquam, non etiam absolutoria sententia; hæc enim, quoad rem principaliter petitam & in judicium deductam, nullâ indiget executione; quia hanc ipsa sententia secum trahit, neque aliquô judicis factô est opus; cùm id, super quo judicio contendit, reus jam habeat, & adversus actoris impetitionem in posterum tutus sit exceptione Rei Judicatæ, *l. 1. §. 2. ff. Ut in possess. legat.* Nisi actor condemnatus sit in expensis; quoad has enim executione opus etiam reus haberet, Zœsius *in l. Miles 6. §. Qui judicati 2. ff. de Re judic. n. 7.* Gaill. *Lib. 1. Observat. 113. n. 18.* & Hunnius *Vol. 2. in Treutl. disp. 48. §. Caterùm.*

Quoad has autem & sententiæ con- 119.
demnatoriæ etiam, quoad rem principaliter petitam & adjudicatam, executio non competit ipsi victori, §. *Qui judicati cit.* secundùm quem textum is, sententiæ executionem propriâ authoritate attentans, ex re justa injustam, adeóque odiosam facit; ut actione Furti & Vi bonorum raptorum teneatur. Ratio executionem ei ita severè prohibendi luculenta fuit; ne occasio tumultibus præberetur; cùm, si pars victrix illam sibi vendicaret, fortassis ei resisteret victa, ideóque facilè veniretur ad manus, rixas, digladiationes: ad quæ incommoda avertenda officium judicis & Magistratuum publica authoritas est constituta, *l. Unica C. Ne quis in sua Caus. & l. Non est Singulis 176. ff. de R. J.* Zœs. *n. 1.* & *in ff. hic*, Hunn. *q. cit. pr.*

Quare ejus Sententiæ executio com- 120.
petit soli Magistratui, & præcipuè judici Ordinario, qui eam tulit, *c. Si quis 4.* junctâ Glossâ, *V. Sollicitudine, de Foro compet. & l. Cùm quædam 19. ff. de Jurisdict.* uti etiam Delegato Papæ, *c. In literis 9. &* 121.
c. Pastoralis 28. §. Præterea, de Offic. deleg. vel alterius Principis aut Magistratûs supremi: dummodo non appareat, exequendi potestatem ab isto sibi reservatam, Maranta *de Ord. Judic. p. 6. actu 3. n. 30.* & Menochius *de Arbitr. q. 74. n. 48.*

Eandem potestatem Episcopi & cu- 122.
juscunque alterius ordinarii Magistratûs inferioris delegato, *in c. Si quis cit.* cum eâdem Glossâ adstruit Panormit. *n. 32.* & adstruendum suadet ratio; quia ipsa causæ commissione commissa censentur omnia, quæ ad illam pertinent, & sine quibus ea nequit expediri. Alii tamen cum Felino *in c. cit. n. 5. citt.* Maranta *n. 4. & 5.* & Menochio *n. 52.* à se latæ sententiæ executionem hujusmodi delegato, uti & arbitro

bitro compromissario Jure competere, negant; quòd, sententiâ latâ, omne ejus officium expiret; ac proinde eam ad ipsum delegantem spectare volunt, propter textum *l. A. D. Pio 15. ff. de Re judic.* cuius *pr.* judicum à se datorum vel arbitrorum sententiam exequi, dicuntur Magistratus Ordinarii, qui eos dederunt. Nisi tamen delegato ipsa etiam exequendi potestas sit commissa; cùm rei iudicatæ executio non minùs, quàm cognitio definitióque ab ordinario iudice per delegationem valeat transferri, *arg. l. fin. ff. De eo, cui mandata est*, Perez *in C. de Execut. rei jud. n. 3.*

Neque inferiori quoque delegato sententiæ suæ, etiâ seclusô speciali mandatô, executionem competere, evincunt pro eo allegati text9 *c. In literis cit. & c. Cùm sicut 2. De eo, qui mitt. in poss.* quia utroq; sermo est de Papæ delegato: qui, cùm æquiparetur, imò maior sit quocunque Ordinario, *c. Sane 11. de Offic. deleg. & c. Pastoralis cit.* §. *Quia verò*, executio ei (sicut & Vicario generali; quòd iudex Ordinarius etiam ipse sit, *c. Non putamus 2. de Consuetud. in 6. & c. Romana 3. pr. de Appell in 6.*) rectè adstruitur, quantumvis ea inferiorum Ordinariorũ, & Ecclesiasticorum delegatis non concedatur, *arg. l. A. D. Pio cit. & Auth. Et qui jurat C. de Bonis auth. judic. possid.* cuius textu delegato inferioris, propter rei contumaciam actorem in possessionem ex primo decreto mittendi, potestas disertè denegatur.

123. Maius dubium est de iudice Appellationis. Non quidem, si, malè iudicatum & bene appellatum pronuntiandô, primæ instantiæ sententiam reformet; hôc enim casu executionem ipsi competere, vix est, qui inficias eat, Speculat. *de Execut. Sent.* §. 2. *n.* 10. Berlich. *Pract. conclus.* 9. *n.* 7. & Haunold. *Tom. 5. de 7. & 8. Tract. 5. n.* 534. sed, si sententia illa confirmetur. Quô casu DD. communiter distinguunt inter modos, quibus ea confirmatio fit: &, licet, quando sententia solùm tacitè, scilicet lapsa fatalia, aut appellationem desertam pronuntiandô, confirmatur, executionem iudici *A quo* competere, haud gravatè concedant; quòd ita superior iurisdictionem in negotio principali 124. ad se non devolutam pronuntiet, casu tamen, quô iste, meritis causæ excussis, malè appellatum & à iudice, qui sententiam tulit, bene iudicatum, expressè pronuntiat, sententiam suam confirmatoriam exequi ipse potest, per *l. Præcipimus 32.* §. 2. *C. de Appellat.* & *Auth. Si quis*, ibi, *Et executioni propriæ tradat*, *C. de Episcop. aud.* Maranta *cit. p. 6. actu 3. n. 6.* Farin. *Prax. Criminal. q. 34. n. 115.* Berlich. *cit. n. 8.* Bruneman. *in l. Præcipimus cit. n. 4.* & Haunold. *l. cit. n. 537.*

Neque in contrarium facit; quòd iurisdictio iudicis *A quo*, per appellationem dicatur suspendi, non tolli: quod tamen eveniret, si sententiam suam confirmatam executioni mandare non ad ipsum, sed ad superiorem pertineret. Non, inquam, hoc in contrarium facit; quia suspendi illius iurisdictio dicitur, non eô sensu; quòd executio semper ad ipsum revertatur, cùm hoc non fiat, quando eius sententia reformatur: sed partim; quòd appellatione interpositâ manus eius quasi ligentur; ut nihil innovare valeat, aut mutare: partim verò; quòd causa ad ipsum à superiore remittatur, & de Jure revertatur, casu, quô sententia definitiva interposita appellatio deseritur, aut pronuntiatur esse nulla: uti &, quando sententia solùm interlocutoria confirmatur; hujus enim executio ad ipsum pertinet, *c. Cùm in Ecclesia 38. de Appellat.* Speculat. *Tit. de Execut. Sent.* §. 2. *n.* 11. *citt.* Maranta *n.* 7. & Haunold. *n.* 535.

125. Executioni autem Sententiæ non statim, ut in Rem Judicatam transiit, locum esse, leges voluerunt: sed humanitatis gratiâ indulserunt condemnatis spatium aliquod temporis, quô primùm lapsô id; quod judicatum est, præstent. Id autem spatium non idem semper, sed pro temporum varietate varium: & hodie quoque non idem in Reali, quod in Personali actione condemnatis est constitutum; cùm in Reali possessor condemnatus mox, ut sententia Rei Judicatæ vim & firmitatem consecuta est, rem alienam actori, cui ea adjudicata est, restituere teneatur & compellatur, *l. Qui restituere 68. ff. de R. V.* Speculat. *de Execut. Sent. §. 4. n. 1.* Quodsi eam statim restituere non valeat, atque idcirco temporis spatium aliquod petierit, judex ei terminum præfiget, & interim de restitutione facienda sufficientem cautionem præstare jubebit, §. *Si ad exhibendum 3. Instit. de Offic. judic.* Glossa *in c. Quærenti 26. de Offic. deleg. V. Quadrimestre, ubi* Laiman *n. 2.* & Perez *in C. de Usuris rei judic. n. 1.*

126. In actione autem & debito Personali condemnato ad solvendum conceditur tempus quadrimestre, à latæ, vel, si ab ea appellatum est, confirmatæ sententiæ die computandum, *c. Quo ad 3. cit. l. Eos qui 2. & l. Sancimus 3. pr. C. de Usur. rei judic.* nisi ex justa causa videatur prorogandum, & probabiliùs etiam abbreviandum, *l. Qui pro tribunali 2. ff. de Rejudic.* Glossa *in c. cit. V. Arctari, ubi* Felinus *n. 8.* & Laiman *n. 4.* vel longius brevíusve alicubi observandum sit ex Jure speciali; tempus enim illud locorum moribus, statutis, atque edictis, coarctari posse, & hodie variè coarctatum, testis est Perez *cit. n. 1.*

127. In causis Criminalibus, si reus condemnatus sit ad pœnam, saltem corporalem, sententia statim, ne expectatô quidem decendiô, ad appellandum à Jure indultô, executioni mandari consuevit, *l. Cùm nihil 18. C. de Pœnis*, Bartol. *in l. Qui ultimo 29. ff. eâdem Rubr. n. 7.* & Laiman *in c. Quærenti cit. n. 2.*

128. Porro, cùm reus ad rem aliquam certam & determinatè petitam condemnatus est, executio facienda est in ea, si extet, *c. Cùm aliquibus 6.* quia facienda est secundùm judicis condemnationem, *l. Si se non obtulit 4. §. 3. ff. de Re judic.* Neq; reus, ut aliud pro alio solvat: aut actor, ut aliud pro alio, & pro re, quæ ipsi adjudicata est, ejus æstimationem, aut pignus tantùm, accipiat, sunt compellendi.

129. Quodsi ad rei æstimationem vel debiti solutionem condemnatus paratam pecuniam non habeat, ad judicis officium pertinet, executionem ita facere; ut, quantùm fieri potest, cum minori ipsius damno procedatur. Quare imprimis res ejus mobiles séque moventes oppignorandæ, vel distrahendæ: aut, si emptor non inveniatur, creditori pro quantitate debiti adjudicandæ, *l. A D. Pio 15. §. 2. ff. de Re judic.* quòd mobilium séque moventium, quàm immobilium facilior minúsque damnosa distractio sit. Deinde, si 130. res mobiles non sufficiant, ad immobiles §. *cit.* minùs pretiosas: &, si hæ ad extinctionem debiti sufficientes sint, non statim ad pretiosiores est deveniendum; ne, si res magni pretii pro modico debito distrahantur, justô majori damnô reus afficiatur, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. cit. n. 583.* Demum, si res etiam immobiles, vel nullæ, vel ad debiti omnimodam extinctionem non sufficientes sint, perventur ad jura, chirographa & instrumenta obligationum: vel denuntiatur debitori; ne creditori suo condemnato solvat, *arg. l. Nomen. 4. C. Quæ res pig. oblig. poss.*

Ab hoc tamen ordine hodiernis moribus multùm recessum, & executio in quibuslibet rebus fieri solet: prout illa magis

magis expedita, minúsque debitori damnosa esse videtur, Perez *in C. de Execut. rei judic. n. 13.* qui hac de re plura dabit cum cæteris Legistis.

ARTICULUS VIII.

De Litis Expensis.

SUMMARIUM.

131. *Expensa litu quadam Voluntaria, alia Necessaria,*
132. *Et istarum quatuor classes sunt.*
133. *In judicio succumbens à Voluntariis excusatur.*
134. *Necessarias præstat, si temerè coram judice,*
135. *Vel coram arbitro litigavit:*
136. *Etiamsi renuntiârit luis, vel temerè litigantis sit hæres,*
137. *Et victus sit in judicio Criminali:*
138. *Nisi ad pœnam sanguinis sit actum.*
139. *Expensa ferè non præstantur, nisi taxata à judice, & juramentô confirmatæ sint.*
140. *Ab iis victum excusat justa causa litigandi:*
141. *Cujusmodi variæ sunt.*
142. *In dubio justam litigandi causam habuisse victus non præsumitur,*
143. *Licet de calumnia jurârit,*
144. *Præsertim, si victus sit in instantia secunda:*
145. *Nisi justam causam habuisse probetur,*
146. *Aut vicerit in instantia prima,*
147. *Vel quoad articulum aliquem justè litigârit.*
148. *Advocato, in propria causa vincenti, interesse:*
149. *Non etiam litis expensa adjudicantur.*
150. *In expensis non petitis victum condemnare judex potest: non tenetur.*
151. *Petitas & non adjudicatas de suo præstat.*
152. *Peculiaris actio pro expensis victori non competit,*
153. *Nisi ex contractu vel delicto debitæ sint.*
154. *Condemnatus in expensis litis non tenetur ad damna & interesse:*
155. *Nisi condemnatus sit ratione contumaciæ vel retardati Processûs.*
156. *Expensarum per sententiam definitivam facta taxatio non à prima,*
157. *Sed à secunda instantia judice revocari potest.*

EXpensæ, quæ in litis ingressu & 131.
prosecutione fiunt, vel Voluntariæ vel Necessariæ sunt. Voluntariæ, sive, ut etiam nuncupantur, Delicatæ sunt, quæ in litem, causâ non exigente, fiunt: ut sunt sumptus itineris solitô majores, liberales donationes victoriæ obtinendæ spe in ipso litis principio collatæ in advocatos, annuáque salaria pro litis progressu ipsis constituta &c.

Necessariæ verò, sive, ut *c. Cùm dilecti 6. ad finem, de Dolo & Contum.* vocantur, Legitimæ & moderatæ expensæ sunt, sine quibus juxta Curiarum morem factis lis expediri commodè non potest, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. à n. 170. ubi* cum Speculat. *Tit. de Expensis §. 6. n. 21.* & Gaill. *Lib. 1. Practic. observat 151. à n. 2.* hujusmodi expensarum quatuor classes constituit. Prima continet sumptus, qui fiunt ad instruendum Processum: ut sunt, quæ advocatis pro concipiendis libellis, faciendis aliis scripturis & productis, ad ipsam causam pertinentibus 132.

tinentibus: quæ procuratoribus ad partium jura scripto & voce proponenda & exhibenda: quæ Notariis & similibus pro conficiendis instrumentis, aut Cancellariæ pro reddendis processibus, pro copiis Actorum & aliis scripturis necessariis, & ad causam principalem immediatè spectantibus, dantur. Secundam constituunt, quæ fiunt pro examine & cibariis testium, detractis, quæ insumpsissent domi, & computatis etiam lucris, quæ domi percepissent, & testificationis occasione omittere sunt coacti. Ad tertiam pertinent sportulæ, quæ judicibus delegatis & aliquando Ordinariis, certum salarium non habentibus, non tanquam munus, sed tanquam merces & laboris suscepti compensatio dantur, quarum mentio fit *Novell. 82. cap. 9.* ubi hujusmodi sportulis modus præscribitur. Quarta complectitur sportulas, quæ executoribus, apparitoribus, nunciis dantur, *l. 1. C. de Sportul. & sumptibus &c.* Quô præmissô

133. Certum est, victum in judicio ad præstandas victori expensas merè Voluntarias & delicatas non teneri, neque in iis à judice condemnandum, ex mente *citt.* Gaill. *n. 11.* Haunold. *n. 172.* & Eminentiss. de Luca *de Judiciis disc. 38. n. 17.* cùm enim tales expensæ ad causæ instructionem & litis prosecutionem necessariæ non sint, eas, qui fecit, sibi imputare debet.

134. Dubium ergo solùm est de Necessariis. Quas victori præstandas à victo, & hunc ad earum solutionem illi condemnandum, Regulæ instar statui & desumi solet Primò ex *l. Properandum 13. C. de Judiciis*, cujus §. *6.* relata Imperialis definitio est, *Sive autem alterutrâ parte absente, sive utrâque præsente lis fuerit decisa, omnes judices sciant, victum in expensarum causam victori esse condemnandum, quantum pro solitis expensis litium juraverit: non ignorantes, quod si hoc prætermiserint, ipsi de proprio hujusmodi pœnæ subjacebunt, & reddere parti laesa coarctabuntur.* Secundò ex *c. Finem 5. de Dolo*, ubi Innocentius III. statuit, ut, postquàm intentionem suam altera pars fundaverit, reliqua ad solvendas alteri parti moderatas expensas, si in probatione defecerit, condemnetur. Tertiò ex *c. Calumniam 4. de Pœnis*, quô relatus Alexander III. disertè præcipit; ut de cætero in causis pecuniariis victus victori in expensis condemnetur. Quartò ex ratione; cùm enim victus movendô litem, eámve sibi motam subeundô immediata & finalis causa sit, propter quam victor expensas in litem fecit, æquum omnino justúmque est; ut eas refarciat, *arg. c. fin. de Injuriis & damno dato.* Quintò demum ex stylo Curiæ Romanæ, in qua rei condemnationem in expensis processûs, etiamsi justam causam litigandi habuerit, semper fieri, cum Baldo *in Auth. & generaliter C. de Episc. & Cleric. n. 5.* & Jasone *in l. Properandum 13. §. 6. cit. n. 7.* testantur *cit.* Speculat *§. 1. n. 4. ad finem*, Cassador. *Decis. 13. de Rescript. n. 2.* Gonzalez *in Reg. de Annali q. 41.* & novissimè *cit.* de Luca *n. 7.* quem Romanæ stylum etiam aliarum Curiarum praxi esse receptum, notat Petr. Barbosa *in l. Eum, quem temerè 79. pr. ff. de Judiciis, num. 62.*

Verùm Regula hæc, sive Jus, sive ratio & frequentior Curiarum praxis spectetur, nequaquam perpetua, atque; ut ejus generaliter conceptæ rigor ex litigantibus in judicio victis non paucos indebitè gravet, constitutô inter eos discrimine, temperanda & reducenda est ad æquitatem; ut

Primò quidem victori in expensis litis Necessariis condemnandus sit victus, qui, cùm

qui, cùm juſtam litigandi cauſam non haberet, litem temerè ſuſcepit. Temerè autem litigare dicitur non dolô & malitiâ, ut calumniatores ſolent: ſed, qui imprudenter & inconſultò, hoc eſt, debitâ diligentiâ non adhibitâ & ſine prævio cauſæ examine, conſilióque adverſario litem movit, aut ab eo ſibi motam ſuſcepit, ut cum Panormit. *in c. Finem cit. n. 21.* & Bartolo *in l. Eum, quem temere cit. n. 2.* docent Pacianus *Lib. 2. de Probat. cap. 25. n. 78.* Menoch. *de Arbitr. caſu 194. n. 29.* & *cit.* Barboſa *àn. 3. & num. 10.* ubi tanquam temere litigantem adverſario in expenſis plerumq; condemnandum, ait, qui oblatum libellum mutavit: qui Petitoriô, quod intentârat, ſuſpenſô ad Poſſeſſorium tranſit: qui perſonam, cui reverentia debetur, ſine venia & Prætoris juſſu in jus vocavit, contra *l. Generaliter 13. ff. de In jus voc.* Hujusmodi autem temerariũ multóq; magis calumnioſũ litigatorem victori in expenſis condemnandum, ad eúmque pro Regula allegata Jura reſtringenda, evincunt *l. Eum, quem temerè cit. §. 1. Inſtit. de Pœna tem. litig. & c. Calumniam cit.* quorum textuum primi *pr.* relatum Ulpiani reſponſũ eſt, *Eum, quem temerè adverſarium ſuum in jus vocâſſe conſtitit, viatica litisque ſumptus adverſario ſuo reddere oportebit:* Secundi verò, *Hæc autem* Imp. vult, *Ut improbus litigator damnum & impenſas litis inferre adverſario ſuo cogatur:* poſtremô laudatus Alexander III. *Sacris*, ſive Canonicis inſtitutis conſonare ait, ſanctionem Imperialem, *Quæ calumniam & audaciam temerè litigantium condemnandô in expenſis compeſcit.*

135 Atque hôc modô reſtricta Regula ex communi DD. ſententia procedit Primò in temerario litigatore coram arbitro compromiſſario; quia arbitria redacta ſunt ad normam & ſimilitudinem judiciorum, *l. 1. ff. de Recept. Arbitr.* Jaſon *in cit. §. 6. n. 1.* & Speculat. *Tit. de Arbitrù §. 7. n. 73.* Secundò in eo, qui renuntavit liti; nam & hic condemnandus eſt in expenſis, ſaltem factis ante renuntiationẽ, quam facere, invitô adverſariô, non poteſt, *cit.* Jaſon. *n. 2.* & Bellamera *Deciſ. 14. àn. 1.* 136. Tertiò in temerarii litigatoris hærede; quia ad hunc litis inſtantia tranſit cum omnibus cohærentibus, ac proinde etiam cum refectione temeratiæ litis expenſarum, *cit.* Jaſon. *n. 2.* niſi defunctus in eas condemnatus eſſet propter contumaciam; cùm enim iſta ſit dictum, *l. Omni 6. §. 2. ff. de Re milit.* exquo cum hæres non teneatur, §. *His autem 9. Inſtit. de L. Aquil. &* §. *1. Inſtit. de Perpet. & temp. act.* ad contumaciæ expenſas præſtandas non obligatur *l. Unic. §. fin. ff. Si quis jus dic. non obtemp.* Quartò in temerario litigatore in judicio 137. Criminali, *l. fin. C. de Fruct. & lit. expenſ.* ut actor in objecti Criminis probatione deficiens generaliter: reus autem ſuccumbens tum demum in expenſis condemnandus ſit, cùm ei nulla Sanguinis, vel Corporis afflictiva pœna irroganda venit: non etiam, cùm tali eſt afficiendus; quia in expenſis litis condemnatio fit propter temerariam ſuſceptionem litis, *l. Eum, quem temerè &c. citt.* reus autem in cauſa Cri- 138. minali, ad Sanguinis alitúmve Corporis afflictivam pœnam vergente, etiamſi cauſam injuſtam foveat, temerè tamen & malitioſè litigare nunquam præſumitur; cùm ei quôvis modô ſanguinem ſuum tueri ac defendere ſit permiſſum, *l. 1. ff. de Bonis eor. qui ante ſent. mort.* ut adeò eum, cùm de ſanguinis pœna imponenda agitur, ad expenſarum refectionem condemnandum, negent Baiard. *ad Clari §. fin. q. 62. n. 10.* Weſenbec. *in pr. Inſtit. de Publ. jud. num. 11.* Modeſt. Pictor, *p. 4. q. 11. àn. 5.* & *cit.* Berlich. *p. 4. Concl. 19. n. 38.*

Secundò

139. Secundò, litigator etiam temerarius ad expensarum refectionem condemnandus non est, antequam victor expensas fecerit liquidas, easque probârit, *l. Sanctimus* 15. *C. de Pœnis:* &, parte, sive litigatore victô citatô, judicis moderatione taxatis minores se non feciſſe, juramentô confirmârit, *Auth. Post jusjurandum C. Rubr. cit. & Novell. 82. cap. 10. cit.* Gaill. *Observat.* 151. *n.* 11. Quod salubriter constitutum est partim; ne sumptuum æstimatione immodicâ pars victa plus justô gravetur: partim verò; ut via periuriis obstruatur, ut de Contumaciæ expensis dictum est *Tit.* 14. *n.* 42. Qua in re tamen duo notanda sunt Primum est, in expensis judicialibus, ubi earum certa taxa constituta est, easque necessariò & verè erogatas victor probârit, victum usque ad probatæ quantitatis teruntium sine judicis taxatione condemnandum, Carpzovius *Forens. Constit. 31. definit 8.* Alterum, plurium Curiarum praxi in expensis legitimè probatis & judicis moderatione taxatis victum condemnari: etiamsi victoris juramentô non fuerint confirmatæ, *citt.* Berlich. *num. 69.* & Haunold. *n. 175.*

140. Tertiò, in litis expensis victori condemnandus victus per se non est, quando justam litigandi causam habuit, *arg. l. Qui solidum 78. §. 2. V. Nec aliud, ff. de Legat. 2.* Glossa *in c. Finem cit. V. Expensas, ubi* Panormit. *n.* 22. Jalon *in cit. §. 6. n. 3.* Covarr. *Practic. cap. 27. n. 3.* Menoch. *de Arbitr. casu 177. n. 1. & cit.* Gaill. *Observat. 152. n. 3.* Ratio est; quia litis expensarum refectio in judicio victis Jure imposita est in pœnam temeritatis, *l. Eum, quem temere cit.* is autem, qui justam litigandi causam habuit, temerè non litigavit, quamvis actori succubuerit.

141. Quænam autem justa litigandi & à refectione expensarum excusantes causæ sint, Jure neque, ut de exhæredationis causis, expressum in specie, neque generali Regulâ definitum; atque idcirco relinquendum est prudentiæ & arbitrio judicis, de iis ex causarum & personarum in judicio victarum qualitatibus aliisque circumstantiis conjicientis ac pronuntiantis, *citt.* Panormit. *n.* 25. Jason *n. 1.* Menoch. *n. 2.* & Haunold. *n. 182.* qui pro aliqua judicum & arbitrorum instructione complures ejusmodi causas enumerant, & esse censent Primò, si victus pro se habuit Opinionem unius vel alterius Doctoris Classici, aut aliàs Juris scientiâ excellentis, saltem, si illa veri simili ratione nitatur, & aliorum DD. torrenti non obluctetur. Secundò, si victus, antequam subiit judicium, super causa sua consuluit Jurium peritos saltem duos, aut Collegium eorum, hique Responsô super ea conceptô redditoque tanquam justam approbârunt: uti &, si plures fide digni viri, ipsum justam causam fovere, asseverârunt, idque victus in judicio probârit. Tertiò, si Jura pro & contra litigatorem militantia ambigua eorúmque pugnantes itâque varii intellectus sint; ut, quis communi & frequentiori vel meliori DD. calculô approbatus sit, non facilè cognoscatur. Quartò, si victus intentionem vel exceptionem suam semiplenè probavit in causa, in qua ad juramentum Suppletorium se admittendum potuit sperare. Secus esset, si tale juramentum vel causa non admisit, vel id sibi deferendum sperare non potuit; cùm tali casu, se propter sufficientis probationis inopiam vincendum, potuerit ac debuerit prævidere. Quintò, si intentionem vel exceptionem suam probavit testibus, qui tanquam excommunicati, falsi criminis rei &c. sunt reprobati; vel, qui aliter deposuerunt in judicio

judicio, quàm extra hoc rem se habere jactârunt. Sextò, si actor sibi debitô plus petiit. Septimò, si victus litem superioris vel Papæ aut alterius Principis jussu suscepit. Octavò, si victus ad suscipiendam litem inductus fuit probabili, & aliter, quàm per calumniæ juramentum, probatâ ignorantiâ: sicut esset, filii, qui in patris sui defuncti arca reperisset instrumentum debiti, quod solutum fuisse ipse ignoravit; cùm, qui alteri succedit, justam ignorantiam habere videatur, *l. fin. ff. Pro suo, & Reg. Is, qui in jus 46. in 6.* Nonò, si actor debitorem de solutione non interpellatum in jus vocari petiit, & reus comparens debitum confiteatur, seque ad solutionem paratum profiteatur; quia condemnatio in expensis evitari ab actore facilè potuit extrajudiciali interpellatione debitoris pro solutione. Decimò, si victus fuit persona valde honesta & magnæ spectatæque fidei ac vitæ, vel munita privilegiô, ipsam eximente à condemnatione in expensis, *l. fin. C. de Fruct. & lit. expens.* Quas & similes causas alias expendunt DD. *citt.* & Berlich. *cit. Conl. 78. à n. 25.*

Dixi tamen suprà, *Per se*; quia etiam, qui justam litigandi causam habuit, si succumbat, victori in expensis litis condemnandus est Imprimis, cùm id statutô vel consuetudine, sive curiæ alicujus praxi est introductum: sicut de stylo Curiæ & Rotæ Romanæ perhibet *cit.* de Luca *num. 10.* quem Stylum non admodum commendabilem & reformatione dignũ ipse vocat *Relat. Curiæ Rom. disc. 32 n. 101.* Deinde, si per contractum & stipulationem voluntariam atque extra judicium promissæ sint litis expensæ, *citt.* Jason *n. 3.* Berlich. *n. 15.* & Haunold. *n. 177.* qui propterea, contrahentes bene sibi prospecturos, aiunt, si expensas litis in contractibus stipulentur, & providè curent; ut id contractuum instrumentis per Notarium inseratur. Demum, si actor vel reus in jus legitimè vocatus, justô impedimentô cessante, ac proinde contumaciter absit; talis enim in expensis ob suam contumaciam factis alteri parti condemnandus est: quantumvis justam litigandi causam habeat & in causa vincat, *l. Properandum 13. §. 6. cit. V. Et siquidem citt.* Jason. *n. 7.* Speculat. *§. 4. n. 1.* & Berlich. *n. 20.* Ex dictis

Dubium secundum nascitur, an victus justam litigandi causam habuisse in dubio præsumatur. 142. Et de actore quidem id DD. communis sententia negat; quòd, an litem alteri moveri expediat, vel non, ut *l. Qui in jus alterius 42. ff. V. Hæc autem, ff. de R. J.* monemur, diligenter non considerâsse, neque rerum juriúmque peritos consuluisse: sed ad litigandum facilè se induci permisisse; ac proinde reum, licet non calumniosè, temerè tamen in jus vocâsse videatur. Reum contrà, etiamsi succubuerit, justam tamen litigandi causam habuisse in dubio præsumi, existimat Haunold. *cit. Tract. 5. n. 181.* quòd plerumque in jus vocetur inopinus, imparatúsque, non ita diligenter, ut actor, explorare valeat, an litem subire, vel cedere sibi expediat: júsque suum indefensum temerè relinquere non debeat, *l. Illud quoque 40. pr. in fine, ff. de Hæredit. petit.* Sed contra communem aliorum DD. reum quoque, si ulla justæ causæ conjectura non appareat, talem causam habuisse præsumi, inficiantium; quòd tali casu ex ipsa adversæ partis victoria is, qui victus est, licet non dolô & calumuniandi animô, sine sufficiente tamen causæ discussione atque consilio; atque idcirco temerè judicium subiisse videatur; ut locus in eo quoq; sit, *l. Eum, quem temere & §. Hæc autem citt.* Ita cum *citt.* Jasone *n. 10.* & Panormit. *num. 22.* docent Covarruvias

cit. cap. 27. num. 3. pr. Menoch *Lib. 2. præsumpt. 87. n. 1.* & duo Barbosæ Petr. *in l. Eum, quem cit. n. 31.* Augustin. *in c. Finem cit. n. 9.*

143. Dubium tertiò est, an justâ causâ ad litigandum motus quis præsumatur ex præstito calumniæ juramento. Ex isto enim justam præsumendam; atque idcirco eum, qui de calumnia vitanda juravit, in expensis non condemnandum, vult Glossa *in c. Finem cit. V. Expensas;* quòd juramentum illud præsumptionem calumniæ excludat, *juxta dicta Tit. 7. n. 26.* Verùm, quia condemnatio in expensis non Calumniæ duntaxat, sed Temeritatis quoque pœna est, *l. Eum, quem temerè cit.* & juramentum illud solam calumniæ, non etiam temeritatis præsumptionem elidit, is quoque, qui exactum calumniæ præstitit juramentum, victori in expensis condemnandus est, si alterius justæ causæ non appareat indicium & conjectura, ut cum *cit.* Covarr. *num. 1. §. Secunda,* Menochio *Lib. 5. præsumpt. 45. n. 4.* & aliis resolvit Barbosa *in l. Eum, quem cit. à n. 17.*

144. Dubium quartò est, an ad refectionem expensarum victori condemnandus sit, qui à sententia in prima instantia contra se lata appellavit, & succubuit etiam in secunda. Id enim cum Glossa *V. Expensas cit.* & Panormit. *n. 24.* indiscriminatim asserit *cit.* Gaill. *observat. 152. n. 4.* quòd iteratò victus malam causam foviisse & calumniosè, vel saltem temerè litigâsse & appellâsse convincatur.

145. Verùm, quia à judicis inferioris pronũtiatione ad superiorem provocandi justæ causæ non rarò dantur, appellantis in secunda instantia victi in expensis condemnatio perpetua non est, eárumque compensationi eò casu locus erit, quò victum, sicut ad litigandum, sic etiam ad appellandum justâ causâ, vg. propter causæ valde intricatæ arduitatem, aut Juris ambiguì expositionum varietatem, motum appareat: uti &, quò in secunda instantia non ex deductis in prima, sed ex novis & antè non cognitis probationibus est victus, ut argumentò à contrario ductò desumitur ex *c. Sacro 48. de Sent. excom.* cujus §. *Verùm* appellans, si succubuerit, in expensis condemnandus dicitur, *Nisi fortè ipsum probabilis error excuset,* Glossa *in c. cit. V. Probabilis error, citt.* Speculat. *§. 4. n. 2.* & Haunold. *n. 178.* rectè monens, in appellante iteratò succumbente, ut à refectione expensarum excusetur, majorem causam exigi, quàm in eo, qui succubuit in instantia prima; quòd temeritatis præsumptio fortior ex iterata, quàm una condemnatione oriatur.

Quodsi in secunda victus sit appel- 146.
latus, qui in prima instantia sententiam pro se tulit, expensas inter se compensari consueviſſe, testis est *cit.* Gaill. *n 5.* adeò; ut se non meminisse asserat, aliter observatum, propter authoritatem primæ sententiæ, ex qua litem ab appellato non temerè susceptam rationabiliter præsumitur: eáque præsumptio non eliditur, nisi, primam sententiam manifestè injustam fuisse, appareat. Unde, an appellatus victus quoque in expensis condemnandus sit, arbitrio & prudentiæ judicis relinquendum, rectè monent Panormit. *in c. Finem cit. n. 25.* & Baldus *in l. Generaliter 12. §. 1. C. de Reb. credit. n. 8.*

Dubium quintò est de victo, qui ju- 147.
stam litigandi causam habuit quoad articulum unum, non etiam quoad alterum. Qui neque in omnibus expensis condemnandus, neque ab omnibus absolvendus: sed ratio habenda est expensarum, singulis articulis respondentium ita; ut expensarum respondentium articulo, quoad quem justam litigandi causam habuit, compensatio: victi autem condemnatio fiat in

fiat in expensis respondentibus articulo, quoad quem ejusmodi causam non habuit, ac proinde temerè litigavit. Ita cum Boerio *Decis. 74.* & Ant. Fabro *in Cod. tit. 18. definit. 27.* Haunold. *cit. Tract. 5. num. 181.* cùm, etiam pro rata temporis expensarum compensationem & in iis condemnationem faciendam, resolvisset casu, quò victus litigandi causam justam, quam in principio litis habuit, in ejus progressu desiit habere; ac proinde litem justè susceptam temerè est prosecutus.

148. Dubium sextò est, an advocatus in propria causa per se litigans & victor petere à victo valeat expensas, quas facturus erat, si alterius advocati operâ fuisset usus; id enim asserit Henric. Bover. *Singular. V. Expensa, n. 9.* & suadet ratio; quòd, causam propriam agendò vel defendendò per se, impeditus fuerit à lucro, quod percepturus fuisset, agendò causas alienas: eadémque ratio sit ipsius, quæ est artificis, in lite sibi mota victoris: à quo lucri ob litis sibi motæ prosecutionem omissi compensatio peti Jure potest; ne officium suum ipsi sit damnosum, contra Regulam *l. Sed si quis 17. ff. Quemad. test. aper.*

149. Verùm, esto propter hanc rationem advocatus artificis instar lucrum cessans petere valeat titulò interesse, peti tamen ab eo nequeunt expensæ, quas, si causam suam per se non egisset, facturus fuisset in advocatum; quia revera in litem nihil expendit, sed peritiâ industriáq; suâ usus est in commodum suum: sicut, qui ob vires corporis & sanitatem ad locum judicii venit sine equo, quò alius minùs valens fuisset usus, expensas petere, & dicere nequit, si viribus minùs valuissem, usus fuissem equò, *citt.* Jason *num. 14.* Gaill. *Observat. 151. n. 16.* Menoch *Casu 154. à n. 4.* Berlich. *n. 51.* & Haunold. *n. 191.*

Dubium septimò est, an victi in expensis condemnationem à judice peti sit necesse. Ratio dubitandi est; quòd judex officiũ suum pro privato interesse nemini nisi imploranti debeat impendere, *l. Dies 4. §. ff. de Damno infecto*; cùm, ut *l. 40. ff. de Judiciis* Papinianus ait, *Non quidquid judicis permittitur potestati, id subiiciatur Juris necessitati.* Verùm, licet ex hac ratione litigatorem temerarium in expensis non petitis condemnare judex non teneatur, &, ut illas de sua substantia resarciat, à victore nequeat conveniri: in illis tamen etiam non petitis victum condemnare ex officio permittitur, *l. Sancimus 15. C. de Judiciis, & l. Ædiles 25. §. 8. ff. de Ædilit. Edicto.* Ratio est; quia ad officium judicis pertinet, reprimere litigantium temeritatem, etsi non fuerit requisitus: quod cùm per expensarum adjudicationem fiat, hæc non facilè omittenda est; ut ejusmodi litigatorum improbitas refrenetur, *citt.* Jason *n. 30.* Panormit. *num. 34.* & Maranta *de Ord. judic. p. 6. de Libelli oblatione n. 18.* 150.

Quodsi in expensis condemnatio fuerit petita, adeò necessaria est; ut judex eam omittens victori expensas resarcire de suo teneatur, *l. Properandum 13. §. 6. & l. Sancimus cit.* licet petitæ non fuerint expressè, sed virtualiter duntaxat & implicitè, vg. libellò petendò; *Ut sibi jus & justitia administretur omni meliori modò*; quòd talem clausulam apponens judicis officium non solùm super principali, sed etiam super accessoriis implorâsse intelligatur, *arg. l. fin. C. de Fruct. & lit. expens. citt.* Gaill. *Observat. 151. n. 21.* Berlich. *num. 60.* & Haunold. *n. 192. in fine.* 151.

Dubium octavò est, an, lite principali per sententiam terminatâ, litis expensæ à victore peti valeant actione peculiari. Ratio dubitandi est; quòd, lite finitâ, of- 152.

ficium judicis cesset; cùm, ex quo tempore sententiam definitivam tulit, judex esse desinat, *l. Judex 55. ff. de Re judic.* & victor, sententiæ acquiescens, in omissionem condemnationis in expensis consensisse videatur. Rationi huic non nihil, nec nimiùm tribuendum, & inter expensas statuendum est discrimen; quantumvis enim ex ratione illa, lite per sententiam definitivam terminatâ, peti amplius nequeant expensæ debitæ officio judicis mercenario: ut ferè sunt, quarum condemnatio fit propter litigatoris victi
153. temeritatem & in iustius pœnam, juxta *l. Eum, quem temerè, & §. l. 1. cite.* peti tamen possunt expensæ, quæ debentur jure actionis: ut sunt, quæ debentur ex conventione & stipulata promissione, aut etiam ex delicto. Ratio discriminis est; quia ex rescripto Imperiali post absolutum dimissúmque judicium nefas est, litem alteram consurgere ex litis primæ materia, *l. Terminato 3. C. de Fruct. & lit. expens.* Quæ ratio in expensis ex conventione & delicto debitis cessat; cùm, si hæ actione peculiari petantur, lis nova non ex lite veteri, sed ex conventione, vel delicto consurgat, Jason *in §. 6. cit. n. 28.* Faber *in Cod. Lib. 7. tit. 18. definit. 3. n. 5. & definit. 4. n. 3.* Bruneman. *in l. Terminato cit. num. 1. & 6.* & Berlich. *cit. concl. 78. n. 57.* qui tamen *num. 63.* subiicit, licet prioris generis sive officio judicis mercenario debitæ expensæ peti nequeant post judicium absolutum jamque dimissum, earum tamen petitioni locum adhuc esse statim post latam sententiam & in ipso tribunali, antequam partes discedant. Quin *citt.* Jason *n. 32.* Panormit. *n. 25.* Speculat. *§. 6. num. 4.* Gaill. *n. 12.* & Bruneman. *n. 3.* hujusmodi expensarum antè non petitarum petitioni locum adhuc esse volunt toto die, quò judex sententiam definitivam tulit; quòd per totum illum diem ejus, quam tulit, sententiæ defectus valeat supplere. Hoc tamen *cit.* Berlich. *num. 62.* negat; cùm propter *l. Judex cit. & l. Si depositi 4. C. Depositi* textus: tum verò; quòd, ubi sententia lata judiciúmque dimissum est, officium judicis mercenarium cesset, & partium litigantium alterutri ex sententia acquisitum sit jus, quòd ipsi sine suo facto auferri nequit, *l. Id, quod nostrum 14. ff. de R. J.*

Dubium nonò est, an, condemnatus 154
in expensis, litis ex sententia victori teneatur ad restitutionem damnorum, deteriorationum & interesse. Quod cum *cit.* Jasone *n. 1.* & Boerio *Decis. 52. n. 6.* negant *cit.* Gaill. *n. 14.* Zanger *de Except. p. 3. cap. 17. n. 43. cit.* Berlich. *n. 100.* & alii: ducti *l. Properandum 13. §. 6. cit.* quâ Imp. victum in expensarũ causa victori esse condemnandum, ait, *Quantum pro solitis expensis litium juraverit.* At, licet hoc verùm sit, si condemnatio fiat in expensis victoriæ, & in his facta condemnatio damna & interesse non comprehendat: nisi sententia se referat ad instrumentum, in quo victus promisit solutionem cum omnibus damnis & interesse. Aliud tamen dicendum est de con- 155
demnatione in expensis, factis ratione contumaciæ vel retardati processûs; cùm ex tali sententia victus non solas expensas litis, sed etiam damna, deteriorationes & interesse restituere teneatur, ex mente *citt.* Jason. *num. 13.* Boerii *n. 6.* Gaill. *n. 14.* Berlich. *n. 97. 98.* & aliorum, id desumentiũ ex *l. Sancimus cit. & Non ignoret 4. C. de Fruct. & lit. expens. & §. 1. V. Hæc autem omnia, Instit. de Pœnis temere litig.* Rectè tamen DD. *citt.* cum Ant. Thesauro *Decis. 67. n. 4.* monent, ad contumaciæ & retardati processûs expensarum refectionem condemnatum ad interesse & damna solùm intrinseca: non etiam ad extrinseca reficienda teneri; ac-

que idcirco victum teneri negant ad reparanda damna, quæ victor, dum ad locum iudicii iter faceret, à latronibus est passus.

156. Dubium decimò est, an, si expensarum adjudicatarum quantitate justò majori victus, aut minori victor se gravatum querantur, judex taxationem revocare & errorem corrigere valeat. Qua in re interest, an expensæ per sententiam interlocutoriam vel definitivam taxatæ & adjudicatæ sint; cùm enim juxta dicta *n. 18.* interlocutoriam judex revocare valeat usque ad executionem, *l. Quod jussit 14. ff. de Re judic.* etiam expensarum eâ adjudicatarum taxationem revocare & corrige-

157. re valebit: etsi revocare & corrigere nequeat taxatas & adjudicatas per sententiam definitivam, *arg. l. Terminato 3. C. de Fruct. & lit. expens.* cùm enim judex, ubi sententia definitiva lata, & partes dimissæ sunt, functus sit officiò suò. *l. Judex 55. ff. de Rejudic.* sicut revocare & corrigere sententiam definitivam nequit quoad causam principalem in judicium deductam, sic idem non poterit quoad expensas accessorias; cùm de his idem Juris sit, quod est de causa principali, *arg. l. Si depositi 4. C. Depositi, cit.* Berlich. *n. 92.* & Carpzov. *definit. 18. n. 4.* Quare tali casu parti, quæ expensarum taxatione se gravatam arbitratur, ad appellationis præsidium erit recurrendum, *l. fin. C. Quando provoc. non est necess.* Bartol. *in l. Ab executore 4. C. de Appellat. n. 13. citt.* Speculat. *§. 6. n. 3.* & Berlich. *num. 94.*

TITVLVS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus & Relationibus.

Nihil in judicio frequentius est, quàm ut collitigantium altera pars, se per judicis Sententiam injustè gravatam, conqueratur; & propterea, ne ista in Rem Judicatam transeat, & mandetur executioni, causam per Appellationis aut Relationis viam transferat ad superiorem: nec rarò, cùm gravamen à judice sibi inferendum timet, eum tanquam suspectum recusandò, removeat à cognitione. De Appellatione ab Electione aliáve provisione Beneficiali actum iam est *Lib. 1. tit. 6. à n. 278.* Quà proinde intactâ hôc loco illius generales duntaxat Regulas exponemus.

ARTICULUS I.

De Natura & Speciebus Appellationis.

SUMMARIUM.

1. *Appellationis varia significatio.*
2. *Et propriè sumptæ definitio.*
3. *Eâ nunquam ad inferiorem,*
4. *Etiam vi statuti, provocatur:*
5. *Nisi in secunda instantia superior constituatur.*

6. *Appellatio aliquando Naturali*
7. *Plerumque Positivo Jure competit.*
8. *Alia Judicialis, alia Extrajudicialis,*
9. *Quarum hæc ab illa multùm differt:*
10. *Alia Legitima, alia Frivola, aut Frustratoria est.*

1. APpellationis nomen non eandem, etiam in Jure, significationem semper habet; aliquando enim debitoris pro solutione interpellationem *l. Fidejussor 16. §. 1. ff. de Fidejuss.* aliàs blandam alienæ pudicitiæ attentationem, *l. Item apud 15. §. 15. & 20. ff. de Injuriis*: aliquando imprecationem officii judicis, *l. 1. §. 1. ff. Ex quib. caus. major.* & demum ab iftius gravamine provocationem ad judicem superiorem, *Rubric. & text. hîc* Scaccia *de Appellat. q. 1.* Postremô hôc, & sacri prophanique Juris Interpp. ac DD. & Juris ipsiusmet frequentissimô usu approbatô sensu accepta

2. Appellatio est provocatio à minore sive inferiore judice, ratione alicujus gravaminis, facta ad superiorem, *can. Omnis 3. &c. 2. q. 6. l. Imperatores 21. ff. & l. Præcipimus 32. C. hîc. Ad superiorem*, inquam,

3. non ad parem: multò minùs ad inferiorem; quia par in parem, & multò magis in superiorem inferior non habet imperium sive jurisdictionem, ut illius factum revocare & errorem corrigere possit, *can. Inferior 4. dist. 21. c. Innotuit 20 de Elect. & l. Nam Magistratus 4. ff. de Recept. arbitr.* Unde

4. Non desunt DD. qui nullitatis indiscriminatim arguant statutum, vi cujus à superiore judice ad inferiorem provocetur; quòd adversetur naturæ appellationis, majorem jurisdictionem exigentis in eo, ad quem, ipsâ interpositâ, provocatur, *l. 1. §. 3 ff. hâc Rub.* Quod, licet ita sit, nihil tamen prohibet, quò minùs *is*, qui aliàs superior est, in causa Appellationis inferior sit, & superiorem agnoscat, seque subjiciat ei, in quem aliàs imperium habet, *l. Est receptum 14. ff. de Jurisdict. &* 5.
l. Sed cùm 13. §. 4. ff. ad S C. Trebell. Il-
lustre hujus rei exemplum exhibet Aurea Bulla *Tit. 5.* cujus *§. fin.* Imperator, quem omnibus principibus superiorem esse, nemo ambigit, quoad proprias causas & lites Electoris Palatini jurisdictioni se submisit. Quare id, de quo sermo est, statutum eô ipsô, quòd à superiore conditum ejúsque authoritate publicatum sit, validum erit; cùm ejus vi superior respectu causæ, in qua ad eum, qui aliàs inferior est, ab ipso provocatur, propriâ suâ voluntate inferior sit potestate personæ, ipsius imperio in aliis subjectæ, Hunnius *Vol. 2. in Treutl. disp. 33. q. 4* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 274.*

6. Introducendæ Appellationis causa fuit, ut iniquitate vel imperitiâ judicantium, & aliquando propriâ suâ, aut eorum, per quos judicium susceptum est, ignorantiâ vel negligentiâ oppressis illatum gravamen removeatur, *c. Suggestum 15. & l. 1. ff. hîc.* Quodsi nullâ justa ratione, sed litis duntaxat protrahendæ studiô Appellationis usus aliquando sit, id non vitio rei, sed litigantium, saluberrimô & ad oppressorum levamen comparatô remediô ad calumniam temerè abutentium, depravationi est adscribendum; ut id non impediat, quò minùs Appellatio ad defensionem adversus iniquitatem, & ad innocentiæ præsidium instituta ab Innocentio III. asseratur *c. Cùm speciali 61. §. Porro & l. 1. ff. hâc Rubr.* ut adeò

Non vulgo tantùm, sed magni nominis DD. persuasum sit, Appellationem introductam Jure Naturali, quô adversus vim atque injuriam defensio cuique est permissa, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. & l. 1. §. 27. ff. de Vi armata.* Unde Gaill. *Lib. 1. observat.*

observat. 71. *n.* 3. & Mynsinger *Cent.* 1. *observat.* 14. eam statutò vel consuetudine adimi non posse, docent *arg.* §. *Sed Naturalia* 11. *Instit. de J. N. G. & C. c. fin. de Consuetud. & c. Venientes 19. de Jurejurando*, ex quo planum est, Appellationis beneficium nemini, etiam vi consuetudinis, esse denegandum.

Verùm, quia non quæcunque, sed necessaria, hoc est, ea tantùm defensio Juris Naturalis est, sine qua quis se tueri non potest, sive, quâ ablatâ adversus vim atque injuriam se tuendi facultas omnis est adempta, *l. Scientiam 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Clement. Pastoralis 2. §. Caterum de Sent. & re jud.* & Exodi *cap.* 22. *V.* 2. non semper, sed eô duntaxat casu Appellatio Juris Naturalis est, quô, perpensis negotii circumstantiis, illatum à judice gravamen removeri, & sententiæ iniquitate oppressus jus suum consequi aliter non potest.

7. Quare, cùm hoc regulariter non contingat: sed is, qui judicis iniquitate se opprimendum non ex vano suspicatur, ejus recusatione, *c. Causam 17. c. Suspicionis 39. de Offic. deleg. & l. Apertissimi 26. C. de Judiciis*: & sententiæ, ab eo latæ, injustitiâ gravatus in integrum restitutionis impetratione, *c. Cùm venissent 2. c. Tam ex literis 5. De in integ. restit. & l. In causa 16. §. fin. ff. de Minoribus* vel simplicis querelæ aut supplicationis viâ gravamen removere possit, *c. Concertationi 8. hîc in 6. & l. Unic. C. de Sentent. Præf. Prætor.* Appellationis remedium determinatè Positivô Jure competit, non Naturali, ut cum Balboa *in c. 1. hâc Rubr. n.* 13. *cit.* Scaccia *q. 16. limit. 1. n.* 13. & aliis defendit Gonzalez *in c. Pastoralis 53. pr. n. 3.* quòd regulariter judicis pronuntiatione gravatorum defensio Naturali Jure determinata non sit: &, licet non generaliter in omnibus, in certis tamen casibus & causis, non solùm pactione, sive ipsorum litigantium mutua conventione remitti: sed etiam Principis causam cum clausula, *Appellatione remotâ*, delegantis rescriptô removeri, *c. 1. de Rescript. c. Super 25. & 27. §. Si verò, de Offic. deleg. c. Pastoralis 53. pr. hîc & l. 1. ff. A quib. appell. non est*, judici *De non appellando* concedi privilegium, Aureæ Bullæ *Tit.* von der Churfürstl. Freyheit / eadem appellatio in certis causis inhiberi lege, *c. Ad nostram 3. c. Constitutis 46. & hîc & l. Unic. C. de moment. possess.* &, huic parem vim habente consuetudine, adimi possit: eámque istius vi, sententiam Capitalem, omnium maximè præjudiciosam passis, ademptam, Magister usus luculenter doceat & observet, *cit.* Gaill. *Lib. 1. observat. 1. n. 28.*

Dividi Appellatio à DD. passim solet in Judicialem & Extrajudicialem: Quam partitionem etsi aliqui non consentaneam Juri Civili, & ab isto solum Judicialem agnosci velint: veriùs tamen istô etiam, & non Canonicô tantùm, Jure prodita est; cùm à creatione Magistratûs, ab honoris vel muneris publici collatione appellatio permittatur *l. 1. §. 3. ff. Quando appell. sit.* Eâ ergo partitione retentâ, Judicialis Appellatio vocatur, quæ interponitur ab actibus judicialibus, sive de his, quæ in judicium veniunt, aut circa illud accidunt antè, vel post litis contestationem, vel sententiam definitivam: Extrajudicialis, quæ fit ab actibus, vel decretis extrajudicialibus inferioris judicis extrajudicialiter procedentis, vg. in nominatione ad onus, vel munus publicum, in deferenda alicui tutela dandáve possessione, vel alicujus privati gravamen inferentis aut illaturi vg. in præsentatione, electione, collatione beneficii, aut jam facta, aut etiam futura, ne fiat, *c. Cùm nobis 19. c. Auditis 29. de Elect. c. Bonæ 51. hîc, c.* 8.

hîc, c. Concertationi 8. in 6. & l. 1. §. 3. cit.

9. Inter duas has appellationes valde notabiles differentiæ sunt; quia Imprimis Judicialis propriè, Extrajudicialis autem impropriè dicta Appellatio est, istiúsque nomine simpliciter prolatô ferè sola judicialis intelligitur: eámque ob causam statutis, appellationem certæ pœnæ subjicientibus, tanquam odiosis, ab actu extrajudiciali ad superiorem provocantes non comprehendi, ex communi sensu notat Alex. de Nevo *in c. Cùm sit 5. à n. 13.* Deinde judicialis supponit judicium, & à solo judice ejúsque gravamine, in illo non primùm inferendo, sed illato fit: extrajudicialis autem judicium non supponit, & non solùm à judice extrajudicialiter procedente, sed à parte quoque interponitur, ut colligitur ex *c. Bona cit. & c. Constitutis 46. hîc.* Demum judicialis præterita suspendit, eâque pendente, acta invalida sunt, & per viam Attentati revocantur: non etiam gesta, pendente appellatione extrajudiciali: nisi forte ipsi appellationi repugnent. Ratio discriminis est; quòd judiciali appellatione interpositâ judicis iurisdictio suspendatur, *citt.* Scaccia *q. 2. art. 3.* Hunnius *q. 4.* & Haunold. *à n. 278.*

10. Utraque hæc Appellatio, si ex iusta & legitima causâ interponatur, Rationabilis & Jústa: si verò morandi solutionem aut iudicii protrahendi causâ fiat, Frustratoria: si demum ex levi causa aut pro re minima fiat, Frivola dicitur, & perinde, ut frustratoria, reiici debet & solet, Vallens. *ad hanc Rubr. §. 1. n. 5.*

ARTICULUS II.

De Iis, quibus Appellatio Jure permissa est.

SUMMARIUM.

11. *Appellatio generaliter permissa est,*
12. *Etiam excommunicato:*
13. *Qui tamen extrajudicialiter non appellat.*
14. *A sententia contra alium lata sub,*
15. *Vel alienô nomine appellare licet:*
16. *Ipsi etiam judici, cùm successor eò condemnati.*
17. *Aliquando litigantium uterque appellat.*
18. *Pro appellante lata sententia etiam correis prodest,*
19. *Si tria concurrant:*
20. *Etsi contra illum lata bis non obsit,*
21. *Non appellat, qui sententiam approbavit,*
22. *Vel ob veram contumaciam est condemnatus:*
23. *Neque is, cujus delictum est notorium:*
24. *Et qui, se non appellaturum simpliciter,*
25. *Aut juratus promisit:*
26. *Neque etiam, qui in ea causa non detulit adversarij appellationi,*
27. *Vel contra se tulit tres sententias conformes.*

REgula est, appellare permissum ti omnibus, iudiciali pronuntiatione gravatis, *§. Cùm ergo*, post *can. Ideo, 2. q. 6. l. 1. ff. l. Et in majoribus 20. l. Si quis 30. &c. hîc*, etiam Excommunicato, *c. Inter 5. & c. fin. de Except.* quia appellatio species quædam est defensionis, *c. Cum speciali 61. §. Porro*, excommunicato in ius vocato non minùs, quàm eius adversario, permissa; ne inter collitigantes inæqualitas inducatur, & Reo non liceat, quod permissum est Actori, contra *l. Non debet 41. ff. & c. Non licet 32. de R. J. in 6.*

Neque

12. Neque excommunicati appellationem elidit; quòd etiam reus à sententia iudicis ad superiorem provocans in secunda instantia evadat Actor; cùm per illam sibi illatum gravamen removeri petat: actoris autem partibus fungi nequeat excommunicatus: &, si fungi velit, excipiendô ab adversario, vel à iudice ex officio valeat repelli, *c. Intelleximus 7. de Judiciis*. Quæ ratio, appellationis remedium excommunicatis Jure non indultum esse, persuasit Hostiensi *in c. Cùm inter cit.* & Decio *ibid. n. 21.* Sed immeritò; quia appellans non est Actor voluntarius, sed necessarius; cùm agat coactus necessitate defensionis, sententiæ in rem iudicatam transitu sibi auferendæ, si intra decendium non appellet: Actoris autem necessarii vice fungens excommunicationis exceptione à iudicio non removeatur, hôc ipsô; quòd legitimæ defensionis copia ei non denegetur, *c. Cùm inter cit.* ut *ibi* cum Panormit. *n. 15.* notant Vivianus *pr.* Laiman. *n. 3.* & Pirrhing *ad Rubric. de Except. n. 5.*

13. Sed hæc de Appellatione Judiciali: non etiam de Extraiudiciali procedunt, cùm; quia *c. Cùm inter & c. fin. citt.* de gravamine *A judicibus per sententiam condemnantibus*, & à gravamine eâ illato; ac proinde sola iudiciali appellatione est sermo, ut probè advertit Gonzalez *in c. Cùm inter cit. n. 10.* tum verò; quia appellatio extrajudicialis ad litem coram Ordinario iudice inchoandam tendit: eámque interponens, non actoris necessarii, sive actionem intentatam propulsandô, se defendentis: sed voluntarii, institutâ actione alterum impetentis, rationem haber, actoris autem voluntarii, sive ad iudicium provocantis partes in se suscipere excommunicatus non permittatur, *citt. c. Intelleximus & c. Cùm inter, in fine*, ubi ipsi etiam actoris reconventio denegatur; & tanquam reus solùm necessarius, sive, cùm per citationem in ius vocatur: non etiam tanquam voluntarius, sive, cùm pro suo commodo ultro comparet, admittitur, ut ex communi DD. sententia docent Suarez *de Censur. disp. 16. s. 4. n. 12.* & Pirrhing *ad Rubric. de Judiciis n. 40.*

14. Neque solùm appellare permissum est iis, contra quos sententia est lata: sed etiam aliis, quorum suo nomine interest, sive, quibus illa præiudicium generare, aut damnum inferre potest, ut desumitur ex *can. Non solet, 2. q. 6. c. Cùm super 17. de Sent. & re judic. & l. A. sententia 5. pr. ff. hic*; sic enim à sententia, lata contra Procuratorem non appellantem, eius principalis, *l. cit.* §. 2. emptore super proprietate litigante & victô, venditor: &, hoc victô, appellare emptor potest, *l. cit. §. 3.* Sic maritus à sententia super dotis proprietate lata contra socerum: creditor ab ea, quâ, ipsô ignorante, pignus alteri est adiudicatum, *arg. l. Sape 53. V. Scientibus, ff. de Re judic.* fideiussor à sententia lata contra debitorem principalem, pro quo intercessit, Glossa *in l. A. sententia cit. V. Pro, eo.* Sic cohæres pro condemnato cohærede, & pro victo hærede instituto legatarii appellare suô nomine possunt, *l. cit. pr. & §. 1.*

15. Ii etiam, quorum alieno nomine interest, rectè appellant, veluti Procurator pro domino, *c. Non injustè 14. de Procurat. & l. Dominus 9. C. hic.* Tutor & Curator pro pupillo vel minore, *l. Si actor 10. C. & l. Tutor 27. ff. Rub. cit.* Coniunctus cum cautione de rato pro coniuncto, ut Pater pro Filio, & vicissim ille pro illo: Maritus pro Uxore: pro subdito Dominus, Episcopus aut Abbas pro clerico vel Monacho, & hi in causa suæ Ecclesiæ, vel Monasterii appellare possunt, Speculat. *Tit. de Appellat. §. 1. n. 15.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 10.* Sic etiam ratione humanitatis

manitatis receptum est; ut pro damnato ad supplicium, etiam invitò ac reluctante, provocare quilibet possit, *l. Addictos 29. C. & l. Non tantùm 6. ff. hîc*; cùm innocentem defendi & beneficiò hominis hominem affici, omnium interest, *l. Servus 7. ff. de Servis export.* Perez *in C. hîc n. 5.* & Vallens. *ibid. §. 2. n. 1.*

16. Quin ipsi quoque iudici à suamet pronuntiatione, cùm istâ condemnato succedit, appellare permissum, vult Glossa *in l. 1. ff. de Except. rei vendit.* Non quidem casu, quô sententiam iniquam dolô tulisset; istô enim latam iudicialis sententiæ legem pati: & eô, quod in alterum statuit, iure uti, etiam ipse deberet, *c. Cùm omnes 6. de Constitut. & l. 1. ff. Quod quisque juris in alt.* Sed casu, quô intentionis vel exceptionis, ab auctore suo non satis fundatæ, probationem ex facti circumstantiis accuratiùs ponderatis novam & omnino sufficientem ipse afferret; cùm, si huiusmodi probationẽ in secunda instantia afferret, eáque vinceret, non à se iniustè, aut imperitè iudicatum: sed ab eo, cui successit, ius suum ignoratum, aut non bene in iudicio deductum, constaret, Zœsius *in ff. ad hanc Rubric. n. 7.*

17. Interdum à sententia, quatenus sibi præiudicium afferre videtur, provocat uterque, *c. Si duobus 7.* si nimirum illa contineat plures articulos, quorum unus actori, alter reo adversatur, vg. si pro actore pronuntietur in causa principali: ad litis autem expensas non, ut ipse petiit, condemnetur reus, sed eæ huic remittantur, aut utrinque compensentur, Glossa *in c. Significaverunt 11. V. Absolvit, de Except. ubi* Panormit. *n. 7.*

18. Si in causa pluribus communi à sententia, contra omnes lata, unus tantùm provocârit, & in iudicio appellationis vicerit, eius victoriæ emolumentum etiam pertinebit ad reliquos, qui non appellârunt, *c. Una 72. l. Si qui 10. §. fin. ff. hâc Rubr. l. 1. & l. fin. C. Si unus appell.* sicut Principis rescriptum in una eadémque pluribus communi causa impetratum ab uno, ad eúmque solum directum, omnibus ex æquo prodest, *l. 1. C. de Divers. rescript.* quòd, ubi eadem est ratio, idem jus constitui oporteat, *l. Illud 32. ff. ad L. Aquil.* Ut autem secundùm *textum citt.* pro uno lata sententia correis omnibus prosit, tria concurrere debent. Primò; 19. ut omnes correi, sive ejusdem, super una eadémque re vel jure motæ, litis sint consortes. Secundò; ut non diversis, sed unâ eadémque sententiâ, omnes sint condemnati. Tertiò; ut is, qui appellavit, non speciali, vg. privilegii ipsi soli, non etiam aliis competentis: sed jure ac defensione omnibus communi adjutus sententiam pro se reportârit; si enim appellans beneficiô minoris ætatis adversus sententiam in integrum fuisset restitutus, restitutio hæc ipsi soli, non etiam cæteris litis consortibus prodesset, *arg. l. Unic. C. Si in communi in integ. rest.* Panormit. *in c. Una cit. n. 2.* Scaccia *de Appellat. q. 5. n. 50.* Perez *in C. Si unus ex plurib. appell. n. 3.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 349.*

Neque *c. Una & ll. citt.* dispositioni 20. adversatur; quòd, inter alios acta, aliis non prodesse, Regulæ instar asseratur *c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. & l. Sæpe 63. pr. ff. de Re judic.* quia Regulæ illi, præter casus ad *Rubric. præced. An. 89.* relatos, locus non est in secunda instantia, sive causa appellationis; in hac enim à plurium correorum, eâdem primæ instantiæ sententiâ commune gravamen passorum, uno interpositæ appellationis, & in istius judicio pro eo latæ sententiæ emolumentum ad consortes transire, æquitatis ratione dictante, Jurium conditores voluerunt, *c. & ll. citt.* quòd, cùm grave-

gravamen omnium idem & ex eâdem judicis inferioris pronuntiatione ortum: idémque omnium jus & communis defensio sit, appellationis judex gravamen illud per sententiam removendô, non eum duntaxat, qui provocavit, sed cæteros quoque indebitè gravatos, pronuntiare videatur; cùm rectè appellatum & malè judicatum pronuntiandô pro eo, qui appellavit, idem judicare debeat pro cæteris, qui à sententia non appellârunt; quia, sicut jus, ita gravamen omnium unum & individuum, unâque & individua defensio est; ut, sicut gravamine illatô uni, affici cæteros, ita inferioris judicis sententiâ hos quoque gravatos judicari necesse sit ab eo, qui eâ unum gravatum ex defensione omnibus communi decernit, Laiman. *in c. Una cit. n. 3.* & Gonzalez *n. 1.*

Neque etiam; quòd unius à sententia appellantis condemnatio in secunda instantia facta ipsi duntaxat: non aliis etiam litis consortibus noceat, *l. Scio* 3. §. 2. *ff. hîc*; quia Jura, sicut ad absolvendum, quàm condemnandum, *l. Arrianus* 47. *ff. de V. O.* sic etiam ad emolumenta victoriæ, quàm condemnationis damna aliis communicanda, sunt proniora, *can. Interrogatum* 21. junctâ Glossâ, *V. Profitetur*, 2. q. 5. *c. Significâsti* 5. *& l. Denuntiâsse* 17. §. 6. *ff. ad l. Jul. Adult.* Accedit; quòd facilè contingat, ut correorum unus metu vel errore inducatur ad confessionem sibi præiudicio sam, vel testimoniis, aut instrumentis falsis convincatur: & propterea, si eius condemnatio ad litis consortes pertineret, necessaria defensio his facilè auferretur, *citt.* Perez *n.* 3. & Haunoldus *num.* 251.

21. Regula tamen hæc de Appellationis generali permissione suas patitur exceptiones; cùm appellatio denegetur non solùm iis, qui contra se latam sententiam expresse vel tacitè approbârunt; *c. Gratum 20. de Offic. deleg.* itáque appellationi renuntiârunt: sed aliis quoque &

Primò quidem condemnato ob contumaciam veram; quòd peremptoriè citatus protestatus sit, se nolle comparere, *l. 1. C. Quorum appell. non recip. & l. Ex consensu 53.* junctâ Glossâ, *V. Litis damno, ff. de Re judic.* quia, ut appellans à iudice audiatur, indignus est, qui iudicem audire, eíque parere per contumaciam renuit, Maranta *de Ord. iudic. p. 6. Tit. de Appellat. n. 273.* 22.

Secundò, delinquens notorius, & qui de crimine sponte (non solùm vi tormentorum) & ore propriô (non per procuratorem, etiam speciale mandatum habentem) confessus est, vel legitimis atque indubitatis probationibus convictus, *c. Pervenit 13. c. Consuluit* 14. *& l. Observare 2. C. Quorum appell. non recip.* Ratio est; quòd appellatio instituta sit ad removendum gravamen iniustè illatum, *c. Suggestum* 15. de quo conqueri nequit, cuius crimen, vel per evidentiam facti, vel per legitimas probationes & confessionem in iure factam, notorium est, *§. In manifestis*, post *can. Qua Lotharius*, 2. *q.* 1. *cit.* Maranta *n. 281.* & Farinac. *Prax. Criminal. q.* 101. *n.* 114. 23.

Tertiò, qui, à iudice se non provocaturum, ante sententiam est professus, *l. 1. §. 3. ff. Quib. appell. non licet*, præsertim cum iuramento, *c. Quæstioni* 21. quô textu relatæ Alexandri III. Constitutioni non adversatur decisio eiusdem Papæ, illi, qui Ecclesiæ mandato se pariturum iuravit, si mandatum, sive sententiam iudicis iniustam esse advertat, appellationem, iuramentô non obstante, permittentis, *c. Ad hæc* 10. quia istius de mandato, sive sententia iniustâ, ab eáque legitimè factâ appellatione: illius verò, sive *c. Quæstioni cit.* decisionem de sententia, seu mandato iuri conformi, & iniustum gravamen non 24. 25.

inferente, eique frivolè oppositâ appellatione, *in c. cit.* cum Panormit, *num. 5.* exaudiunt Vivianus §. *fin.* & Laiman. *n. 2.* quòd iuramentum, præstitum circa materiam Juris & iustitiæ, ultra Juris & iustitiæ limites non sit extendendum, ut cum Glossa *in c. 1. V. Declaramus, de Jurejurando in 6.* docent Sylvester *V. Juramentum. q. 3.* & Suarez *de Juramento, cap. 32. n. 12. in fine,* secundùm quos proinde DD. qui sententiæ se pariturum iuravit, ad iustæ tantùm & Juri conformis sententiæ observantiam se obligâsse censetur. Huic *citt.* textuum conciliationi, etsi non adverser, eius tamen, qui, se non provocaturum, disertè cum iuramento promisisset, appellationi à sententia, cuius iniustitia notoria non est, in Civilibus nunquam deferendum, existimo; quia renuntiatio appellationis in Civilibus & proprium interesse concernentibus causis licita, §. *3. cit. & c. Directa 39.* ibi, *Postmodum eâ renuntiante appellationi*: & proterea eiusmodi promissione & huic adiectô iuramentô standum est, per Regulam *c. Cùm contingat 28. de Jurejurando & c. Quamvis 2. de Pactis in 6.*

26. Quartò, qui in eadem causa non detulit legitimæ appellationi sui adversarii, *c. Constitutis 23. & c. An sit 42.* cùm, quod quisque iuris in alium statuit, eô ipsum quoque conveniat uti, *l. 1. ff. Quod quisque juris in alium & c. Omnes 6. de Constitut. In eadem,* inquam, & *Legitima.* Prius; quia in causa sive negotio omnino diverso & cum eo, in quo appellanti non detulit, connexionem non habente, legitimè appellantem audiendum, *arg. c. Dilectis 55.* notat Glossa *fin. in c. An sit cit. & ibi* Panormit. *n. 4.* Posterius, propter *c. An sit cit.* verba, *Post appellationem legitimè interpositam*, ex quibus, à contrario ductô argumentô, deferendum est appellationi provocantis: etiamsi ab eo adversarii sui frivolæ aut frustratoriæ appellationi non sit delatum, Laiman *in c. cit. n. 1.*

Quintò, qui in eadem causa, & super eodem articulo, tres conformes sententias contra se tulit; ab earum enim ultima, etiam intra decendium, appellare condemnatus prohibetur, *c. Sua 65. hâc Rubr. & l. Unicâ C. Ne liceat in una &c.* cùm; quòd adversus tertiò condemnatum sit præsumptio, quòd foveat iniustam causam, & ad litem duntaxat prorogandam appellet; cùm aliquem in eadem causa, & articulo, & à tribus diversis iudicibus gravari, Jura non præsumant: tum verò; ne lites facilè excedant vitam hominis, aut omnino immortales fiant, contra Regulam *c. Finem 5. de Dolo & l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis.* In articulo tamen ab eo, in quo ter succubuit, diverso: & in quo bis victus & toties victor fuit: imò etiam à sententia tertia contra se lata, si ista novum gravamen afferat, appellare aliquem non prohiberi, *in Rubric. & l. cit.* cum *cit.* Maranta *n. 270.* rectè advertunt Perez *n. 3.* & Bruneman. *n. 1.* etsi à Cameræ Imperialis & Galliæ tribunalium usu tertia & aliquando quarta appellatio, trium conformium sententiarum exceptione non obstante, recipiatur; ne Imperii Romani status, in territoriis suis plures instantias constituendô, supremi tribunalis iurisdictionem eludere valeant, Gaill. *Lib. 1. observat. 72. n. 3.* & Mynsinger *Centur. 1. observat. 5.*

ARTICULUS III.

De Actibus, à quibus Appellatio est permissa.

SUMMARIUM.

28. *Appellatio regulariter permissa à quavis sententia;*

29. *Dum-*

29. *Dummodo ea sit valida,*
30. *Et definitiva, vel istius vim habeas,*
31. *Etiam de Jure Canonico Moderno.*
32. *Non appellatur I. à sententia Capitali,*
33. *II. Et reo confesso infligente pœnam Legalem.*
34. *III. A correctione Prælati:*
35. *Nisi procedat judicialiter,*
36. *Vel in correctione excedat modum,*
37. *Et excessus specificè exprimatur.*
38. *IV. A condemnatione Officialis.*
39. *V. A mero executore, modum non excedente.*
40. *VI. A sententiis Censurarum,*
41. *Saltem quoad effectum suspensivum.*
42. *VII. Ab executione Electionis confirmatæ.*
43. *VIII. A sententia in Possessorio Momentaneo:*
44. *Secus ab ea in Ordinario lata.*
45. *IX. A sententia, decernente aperationem testamenti &c.*
46. *X. In causis non admittentibus dilationem.*
47. *XI. A sententia notoriè justa.*
48. *XII. In causis delegatis,* Appellatione remota.
49. *Quæ clausula appellationi etiam rationabili obstat:*
50. *Nisi, huic illam non obstare,*
51. *Vel appellari posse, Jure simpliciter sit expressum.*

28. SIcut omnibus, ita, de Jure saltem Canonico antiquo, in omnibus causis, tam Criminalibus, quàm Civilibus, ab omni Sententia valida, etiam Interlocutoria duntaxat, imò à quocunque alio gravamine illato: &, si hoc extrajudiciale sit, inferendo, appellare regulariter est permissum, *can. Liceat, can. Si quis, 2. q. 6. c. Cùm sit 5. c. Super eo 12. c. 1. pr. in 6. Clement. 3. &c.*

Dixi, Imprimis *A valida*; quia à sententia, quæ à judice incompetente, contra non citatum, vel contra sententiam priorem, quæ in rem judicatam transiit: quæ expressum errorem contra Jus, vel Constitutionem, aut aliud vitium substantiale continet, & propterea invalida est, appellare non est necesse, *l. Si expressim 19. l. Ex consensu 23. ff. hîc l. 1. &c. C. Quando provoc. non est necess.* cùm; quia appellatio sententiam priùs latam suspendit, ad eámque rescindendam tendit: id autem, quod nullum est, suspendi ac rescindi non potest: tum verò, quia sententia ipso Jure nulla non producit actionem judicati, cujus infringendæ causâ appellationis remedium est introductum, Zœsius *in ff. Quæ sent. sine appell. resc. n.* 2. & Perez *in C. Quando provoc. non est necess. n.* 1. In dubio tamen de nullitate alternativè peti potest, ut sententia declaretur nulla: aut, si valida sit, contra eam appellari, Bartol. & alii DD. *in l. Expressim cit.* 29.

Deinde dixi, *de Jure Canonico & Antiquo.* Priùs; quia Jus Civile appellationem ab interlocutoria non concedit, *l. Ante sententia 7. C. Quorum appell. non recip. l. Si clericus 2. C. de Episcop. aud. & l. Apertissimi 16. C. de Judiciis.* Eam autem appellationem inhibendi ratio potissima fuit; ut litigantium, quocunque gravamine prætenso, ab ejusmodi sententiis provocandò, causam principalem in infinitum extrahentium, & adversarios suos maximis sumptibus defatigantium, malitiis & calumniis obviaretur. 30.

Excipitur tamen & appellationem etiam hôc Jure admittit Sententia Interlocutoria, quæ vim habet definitivæ & alicujus jus totum absorbet, ut in casu *l. Intra 39 ff. de Minoribus:* postquam non speratur definitiva, vg. si judex se pronuntiet incompetentem, aut reum ab

observatione judicii absolvat: ex qua illatum gravamen per definitionem, aut appellationem ab ista, nequit reparari, vg. si judex aliquem jubeat incarcerari vel torqueri, *l. Ante sententiam 2. ff. de Appell. recip.* Panormit. *in c. Super eo cit. n. 3.* Bartol. *in l. Ante sententiæ 7. cit. n. 12.*

31. & Laiman. *in c. cit.* 1. Posteriùs; quia hæc Juris Civilis dispositio post Tridentinum iterum observanda est in appellationibus à Locorum Ordinariis, ex decreto ejus S. Concilii *Sess. 13. cap. 1. & Sess. 24. cap. 20 de Reformat.* appellationes ab eis interpositas per superiores quoscunque recipi vetantis, nisi à definitiva, vel definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, Barbosa *in cap. 20. cit. n. 19.* casus, quibus ab Ordinariorum interlocutoriis sententiis appellatio est permissa, complures referens *à n. 21.*

32. Demum dixi, *Regulariter*; quia variis casibus appellationes non recipiuntur; sic enim primò in Imperio Romano ex inveterata, & Imperialis Cameræ Ordinat. *p. 2. tit. 28. §.* Item nachdem/ & Recessu *1530. §.* Item als auch/ approbata Consuetudine non admittuntur appellationes reorum in Causis Criminalibus Capitalibus, In peinlichen Sachen/ die Leibstraff auff ihnen tragen / Gaill. *Lib. 1. Observat. 1. n. 28* & Mynsinger *Centur. 4. Observat. 41.* Cui Consuetudini ansam procul dubio dedit; quòd in talibus casibus ad sententias condemnatorias ferendas cum maxima circumspectione & nunquam nisi in notoriè delinquentes, crimina confessos, aut indubitatis & luce clarioribus argumentis convictos, procedatur. Quantumvis de Jure (nonnullis casibus ob suam atrocitatem exceptis) in hujusmodi non minùs, quàm in Civilibus causis appellationem permissam, perspicuum sit ex *l. Non tantùm 6. ff. l. Addictos 10. l. Si quis 29. C. hic & l. Addictos 6. C. de Episc. audient.* eâmque Capitali sententiâ damnatis non denegandam, magna ratione suadeatur; quòd, cùm ad defensionem comparatô appellationis præsidiô Jura succurrere vel maximè voluerint iis, qui judicialis sententiæ iniquitate oppressi præjudicium & damnum pati possunt, præaliis concedendâ videatur iis, quibus iniqui aut imperiti judicis pronuntiatio vitæ cum infamia amittendæ jacturam & damnum omnino irreparabile afferre potest.

33. Secundò, à Sententia, quâ crimen confessus, & convictus ad pœnam lege definitam condemnatur, *arg. c. Quia nos 32.* junctâ Glosâ *V. In communi, hic, & l. Si quapœna 244. ff. de V. S.* Ratio est; quòd à tali pœna appellans queri videatur de gravamine illato, non tam iniquitate judicantis, quàm ipsius legis: quæ, cùm justa & pro communi omnium bono & utilitate Reipublicæ lata sit, secundùm *can. Erit autem lex 2. dist. 4.* & S. Thomam *1.2. q. 90. art. 4.* injustè neminem gravat: imò ab ea provocans non obscurè redarguit ipsum summum Principem, cujus authoritate leges conditæ sunt aut approbatæ, Gonzalez *in c. Irrefragabili 13. de Offic. jud. Ord. n. 4.*

34. Tertiò, à legitima, hoc est, secundùm Regulas Ordinis & SS. Canones facta Correctione Regularis, vel contra disciplinam Ecclesiasticam Secularis Prælati, *c. cit. c. Licet 12. de Offic. Ord. c. Ad nostram 3. & c. Reprehensibili 26. hic*, quæ Juris communis Constitutiones confirmatæ sunt privilegiis Apostolicis, pluribus Ordinibus indultis, & à Barbosa *in c. Ad nostram cit. n. 3.* & Haunold, *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 516.* relatis. Ratio est partim; quòd ab ejusmodi correctione appellans tendat ad Regulam & SS. Canones redarguendos iniquitatis: partim; quòd cor-

quòd correctio legitima, quæ fit secundùm Canones, sit quædam istorum executio: à qua, ut mox patebit, appellatio non datur.

35. Excipiendi tamen sunt casus Imprimis, quô Prælatus adversùs Religiosum procedit judicialiter; ab hujus enim sententia definitiva & interlocutoria, gravamen per definitivam irreparabile inferente, appellationem permissam, ex Tridentini *Sess. 13. cap. 1. de Reformat.* cum Fagnano *in c. Ad nostram cit. n. 6.* desumit Pirrhing *ad hanc Rubric. num. 44.*

36. Deinde, quô idem, non judicialiter, sed per viam paternæ correctionis ad Religiosi sibi subjecti emendationem procedens, in correctione modum notabiliter excedit, vg. eum ob levem defectum detinendô in carcere; hujusmodi enim excessu gravato appellationis remedium non denegatur, *c. Irrefragibili cit. & c. De Priore 31. hîc*, Panormit. *in c. Ad nostram cit. n. 1.* circa quem tamen casum

37. Notanda sunt duo. Primum est; quòd, licet Religiosis appellantibus, neque Jus commune, neque specialia Ordinum privilegia obstent, nihilominus, ut eorum appellationi deferendum sit, non sufficiat, à sententia, vel etiam ab ejus injustitia, generaliter appellari: sed necessaria sit specifica expressio causæ, scilicet, quòd in correctione modus excedatur; cùm enim Jus extra specialem casum appellationi à paterna correctione resistat, quandocunque ab ejus excessu provocatur, iste exprimendus erit: quantumvis aliàs in appellatione à definitiva causæ expressio non exigatur, *l. 1. §. fin. & l. Sed si 2. ff. hîc*, Panormit. *in c. Ad nostram cit. n. 9.* Alterum: quòd appellatio à correctione Prælati solùm effectum devolutivum, non etiam suspensivum pariat; cùm executionem non suspendat, ut ex Concilii Trident. *Sess. 22. cap. 1. & sess. 24. cap. 10. de Reformat.* desumit & S. Congregat. Cardinal. declaratione firmat Fagnanus *in c. Ad nostram cit. n. 8.*

38. Quartò, Officiali, vg. Notario, nuntio, executori, à judice suo, ob malè gestum officium, condemnato appellandi facultas adempta est, *l. Nulli 3. C. Quorum appell. non recip.* quòd Juris & de Jure præsumptio sit, eum, si de delicto in officii administratione commisso legitimè non constitisset, non fuisse condemnandum: atque etiam; ut officiales, si pœnam interpositâ appellatione eludi & differri non posse, sed præsentem esse videant, officiô suô ritè fungantur & ab omni sorde abstineant, Glossa *in l. cit. V. Nulli, ubi* Salycet. *n. 1.* Speculat. *Tit de Appellat. §. 2. n. 4.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 101. n. 85.* In alia tamen causa, puta, cùm de patrimonio suo litigant, aut de crimine officium suum non concernente condemnantur, Juris communis, sententiâ gravatis recursûs ad superiorem auxilium offerentis, sicut cæteris, sic etiam officialibus non denegari, aliis DD. *citt.* idem monet *n. 87.* & Scaccia *de Appellat. q. 17. limit. 16. à n. 5.*

39. Quintò, ab Executione sententiæ, factâ à mero executore, nisi in ea modus excederetur, *c. Novit. 43. l Ab executore 4. ff. hîc & l. Ab executione 2. C Quorum appell. non recip.* Ratio est; quia gravamen, quod per eam infertur, potiùs sententiæ judicis, à quo procedit & pendet, quàm executioni imputatur; cùm actus mandanti potiùs, quam exequenti tribuatur, Barbosa *in c. cit. num. 3.* & Gonzalez *ibid. n. 9.* Si verò in executione modum excedat, vg. eam in re alia, vel in plus, quàm est judicatum, vel ante tempus, vel non servato ordine, puta, priùs in bonis immobilibus, quàm mobilibus, faciendô, vel partes judicis, aut sententiæ interpretationem assumendô, quòd mero exe-

mero executori non conceditur, *l. Si ut proponis 6. C. de Execut. rei judic.* ab ipso etiam, tanquam injustum gravamen inferente, appellare licebit, *c. Quoad 15.* ibi, *Non audietur appellans, nisi modus executionis Canonicus excedatur, de Sent. & re judic. ubi* Glossa *V. Excedatur*, Panormit. *n.* 24. & Alexand. de Nevo *n.* 47.

40 Sextò, à Sententiis Censurarum, saltem quoad effectum suspensivum; etsi enim à sententia Excommunicationis & Interdicti provocari valeat ad superiorem, ut hic de ejus injustitia cognoscere
41. possit: ea tamen semel lata secum trahit executionem, & animam ligat; ut proinde ejus effectus per appellationem non suspendatur: sed excommunicatus à fidelium communione: suspensus & interdictus à Divinis officiis, ab ingressu Ecclesiæ, & cæteris spiritualibus statim debeat abstinere, *c. Ad hæc 37.* junctâ Glossâ, *V. Interdictum, hîc, & c. Is, cui 18. de Sent. Excom. in 6.* Imò, appellatione, quæ sententiam vg. excommunicationis subsecuta est, non obstante, censuratus, ut ab aliis vitetur, possit publicè denuntiari, *c. Pastoralis 53. §. Verum*, etiam post Concilium Constantiense; cùm per editam in isto *Extravag. Ad evitanda*, nullus favor, aut privilegium ipsis censuratis sit indultum, ut rectè advertit Suarez *de Censur. disp. 3 s. 15. n. 22.*

Aliud esset, si sententia excommunicationis primùm post appellationem legitimè interpositam esset lata; talis enim excommunicatio, cùm nulla sit, *c. Per tuas 40. §. Nos igitur, de Sent. Excommunicat.* non obstat appellanti, quò minùs, tam in Divinis, quàm in humanis, cum aliis fidelibus valeat communicare, ut desumitur ex *c. Ad præsentiam 16.* Neque refert; quòd hôc textu talis dicatur absolvi; quia id exaudiendum est de absolutione ad cautelam: quam petens non hôc ipsô, se ligatum confitetur, ut *in c. cit.* cum Glossa, *V. Absolvi*, advertunt Laiman. & Gonzalez uterque *n.* 2.

Quin, etsi post jam latam suspensionis & Interdicti sententiam interposita appellatio illius effectum non impediat in spiritualibus, hunc tamen impedit, si ejusmodi sententiâ quis in temporalibus, vg. à capienda possessione, ab ingressu in civitatem vel palatium, à perceptione fructuum, à voce activa & passiva &c. suspendatur, vel interdicatur; quia Regula Juris communis est, sententiæ effectum per appellationem suspendi; ac proinde ab ea exorbitans dispositio sive exceptio *c. Ad hæc & c. Is, cui citt.* sententiam suspensionis ab officio divino & ejusmodi interdicti per appellationem suspendi, non permittens, ad suspensionem & interdictum temporalium extendenda non est, ut cum Panorm. *in c. Ad hæc cit. n. 1.* & Alexand. de Nevo *n.* 3. notat Laiman. *n.* 2.

Septimò, ab Executione Electionis 42
confirmatæ, ne electus & confirmatus investiatur, sive mittatur in corporalem possessionem, *c. Constitutù 46.* cùm; ne Ecclesia diu vacet contra textum *c. Nepro defectu 41. de Elect.* tum verò; quòd præsumptio sit, appellationem interponi malitiosè, ad differendam investituram, Glossa *in c. Constitutis cit. V. Exceptionis.* Accedit; quòd possessionis traditio rationem habeat executionis: à qua interpositæ appellationi de jure non est deferendum, *c. Novit & l. Ab executione citt.* Gonzalez *in c. Constitutù cit. n. 4.* Nisi tamen casus appellandi esset valde rationabilis, puta, si confirmato opponeretur defectus proprietatis manifestus, & qui probari in continenti posset, vg. quòd Electores vel Confirmans caruerint potestate eligendi vel confirmandi: vel electus non sit clericus: aut confirmationem per fallas literas impetrârit, *c. Super eo 2. de*

5. *de Crimine falsi:* vel ei obiiciatur aliud crimen, infamiam inducens, *c. Accedens 23. de Accusat.* Accusationem tamen vel denuntiationem confirmati post investituram facilè admitti, patet ex *c. Constitutis cit.* & *ibi* cum Glossa *fin.* notant Vivianus *in Ration.* & Gonzalez *n. 5.*

43. Octavò, à Sententia lata in Possessorio Momentaneo, in quo summariè, sive, Juris ordine non servato, soláque facti specie & verisimilitudine attentâ, proceditur; ne partes veniant ad arma, *l. Unica C. Si de Momenti possess.* quia talis sententia non affert præjudicium perpetuum: sed quod, institutò Possessoriô Ordinariô, facilè potest reparari. Quæ Juris Civilis dispositio, etsi §. *Sunt etiam, V. De possessione,* post *can. Ei, qui, 2. q. 6.* Canonizata videatur Hunnio *in Treutl. Vol. 3. disp. 33. q. 38.* & Haunold. *cit. Tract. 5. n. 393.* melius tamen alii de Jure Ecclesiæ antiquo id verum esse negant; cùm propter *c. Cùm sit, & c. Super eo citt.* textus, appellationem concedentes à gravamine quocunque: tum verò; quòd §. *& V. cit.* contineatur merum Jus Civile, in Decretum ex Justinianeo Codice translatum à Gratiano: qui ei Juris Ecclesiastici vim tribuere non potuit, ut dictum *in Proemio n. 90.* Etsi verô, spectatô antiquô, res ita se habeat, novissimò tamen ejus Jure ab Interlocutoriis Ordinariorum, definitivæ sententiæ vim non habentibus; ac proinde à Possessorii Momentanei decreto appellare non licet, ex Decreto S. Synodi Trident. *citt. Sess. 13. cap. 1. & Sess. 24. cap. 28. de Reformat.*

44. Dixi, *Momentaneô;* quia à sententia lata in Possessorio Ordinario, in quo, servatô Juris ordine, de partium possessione contenditur & definitivè pronuntiatur, appellari, sicut de Civili, arg. à contrario *l. Unica cit.* Momentaneæ possessionis causam excipiente, sic etiam de Canonico Jure posse, exploratum est ex *c. Cùm ad Sedem 16. de Restit. Spoliat.* ubi à sententia lata in ejusmodi causa Possessoria provocatum est ad Sedem Apostolicam, & ab ista primæ instantiæ sententia reformata: & desumitur ex *Clement. Unica, de Causa possess. & Clement. Unica, de Sequestrat.* Ratio est; quia in hujusmodi Possessorio lata sententia, cùm afferat vel auferat commoda possessionis, est magni præjudicii, nec reparabilis, nisi Petitoriô judiciô institutô, *citt.* Hunnius §. *Quocirca* & Haunold. *Tract. 5. à n. 391.*

45. Nonò, à Sententia, per quam aperiri testamentum, aut hæres institutus mitti jubetur in possessionem bonorum hæreditatis, *l. fin. C. Quor. Appell. non recip.* usq; adeò, ut ab ea interposita appellatio ne devolutivũ quidem effectum consequatur, juxta *l. Quisquis 6. C. Quorum appell. non recip.* ubi non soli provocanti, sed ipsi etiam judici, provocationi deferenti, pœna irrogatur, Beroius *Quæst.* 24. Fachineus *Lib. 1. Controvers. cap. 76.* & Hunnius *cit. disp. 33. q. 39.*

46. Decimò, in aliis causis, non admittentibus dilationem, *l. fin. cit.* veluti cùm pro alimentis futuris inopiâ laboranti debitis, pro stipendiis aut salariis præstandis, pro aggeris necessaria refectione &c. pronuntiatur; ab hujusmodi enim sententiis facta appellatio, etsi effectum devolutivum consequatur, executionem tamen non suspendit, Bruneman. *in l. Abstinendum 4. C. Rubr. cit. à n. 1.*

47. Undecimò, quoties sententiæ justitia notoria, & appellatio manifestè frivola, aut frustratoria est, per text. *c. Cùm Appellationibus 5. pr. in 6.* quia appellatio inventa est; ut esset innocentiæ præsidium, non defensio iniquitatis, Glossa *in c. cit. V. Deferendum.*

48. Duodecimò, in causis à Papa, vel alio

Principe, aut Magistratu supremo delegatis cum clausula, *Appellatione remota*: de qua tamen

Dubium non leve est, an eâ non frivola duntaxat & frustratoria, sed rationabilis quoque & justa appellatio removeatur. Ratio dubitandi de una parte est; quia frivolæ appellationi deferendum non est: etiamsi causa sine tali clausula committatur, *c. Cùm appellationibus cit.* Unde clausula ista, si frivolam tantùm & frustratoriam removeret, parùm aut omnino nihil operaretur: de altera verò; quia Princeps, causam etiam cum tali clausula committens, non censetur alicui auferre Jure Naturali concessum jus se defendendi, sicut per alias legitimas, ita etiam per appellationis viam *l. Ut vim 3. ff. de J. & J.* propter quam rationem clausam illam de frivola duntaxat appellatione intelligendam, non pauci, neque postremi in Jure nominis DD. volunt. Contra quos

49 Statuendum est, clausulâ illâ removeri appellationes etiam justas ac rationabiles, si eæ Jure specialiter non sint expressæ & permissæ, ut desumitur ex *c. Pastoralis 53. pr.* & *ibi* cum Panormit. *n. 2.* Joan. Andreæ *n. 13.* & aliis docent Fagnanus *n. 26.* Hunnius *cit. disp. 33. q. 3.* Perez *in C. hâc Rubr. n. 22.* Haunold. *Tract. cit. n. 407.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 26.* & communiter alii, propter priorem partem rationis dubitandi.

Neque contrarium persuadet posterior; quia imprimis per dictam clausulam non tollitur appellatio, quoad omnem effectum, sed solummodo quoad suspensivum. Deinde, juxta dicta *à n. 6.* appellatio Juris Naturalis eô solùm casu est, quô est remedium necessarium ad justitiam consequendam. Cùm ergo etiam, justâ appellatione remotâ, condemnatus justitiam consequi valeat, superiorem adeundô per viam simplicis querelæ, vel per supplicationem &c. non tollitur aliquid, determinatè concessum Jure Naturali, Gonzalez *in c. 1. de Rescript. n. 7.*

Neque etiam textus *c. Ut debitus 59.* quô ex quacunque probabili, hoc est, justa causa appellatio conceditur: & *c. Edoceri 21. de Rescript.* ubi, quamvis inhibita sit appellatio, tamen ex rationabili causa appellari posse, disertè asseritur. Non, inquam, hi textus obstant; quia prior non loquitur de judice dato cùm clausula, ut *appellatione remota* procedat; ac proinde ejus generalis dispositio per specialem *c. Pastoralis cit. pr.* limitanda est, secundùm Regulam *Generi 34. in 6.* Posteriorem autem de appellatione permissa ex rationabili causa, Jure expressâ, Fagnanus *l. cit. n. 27.* & alii intelligunt, ut cum *c. cit. pr.* concilietur, *arg. l. Non est novum 26. &c. ff. de LL.* Haunoldus verò *n. 419.* cum Panormit *l. cit. n. 5.* eum exponit de appellatione, quæ, licet effectum devolutivum pariat, ut superior de sententiæ justitia cognoscere possit, jurisdictionem tamen judicis *A quo* non suspendat: qui proinde, appellatione non obstante, sententiam suam mandare potest executioni.

Porrò casus, quibus appellatio, & 50
jusmodi clausulâ non obstante, permissa est, varii referuntur à Glossa *in pr. cit. l. Expressè*, & Speculat. *Tit. de Appellat. §. 2. num. 28.* veluti, si judex alterius partis consanguineus non deferat exceptioni suspecti, *c. Postremò 36.* Si non admittat exceptionem citationis, factæ ad locum non tutum, *c. Ex parte 43.* Si non faciat exprimi res petitas in libello, *c. Significantibus 49.* Si spoliato deneget restitutionem, *c. Ex conquestione 10. de Restit. Spoliat.* Quibus laudatus Gonzalez addit casus sententiæ dolô prolatæ, & quô infertur gravamen notorium; quod fieri cen-

51. ri censetur omni casu, quô appellari posse, etiam simpliciter & nullâ prædictæ clausulæ factâ mentione, in Jure asseritur, ut etiam docent, *citt.* Pirrhing *n. 70.* & Hunnius *q. 3. §. Illud equidem*, rectè notans, clausulam illam non obstare, quò minùs interveniens aliquis tertius pro suo interesse valeat appellare; id enim *c. Super eo 15. de Offic. deleg.* expresse & meritò permittitur; quia commissiones seu delegationes, præsertim ad lites strictam exigunt interpretationem: & propterea ultra suos terminos, ad casus & personas non expressas, non sunt extendendæ, *c. Cum olim 32. c. P. & G. 40. de Offic. delegati & §. Is, qui 8. Instit. de Mandato.* Imò, si ex causæ pluribus articulis unus, *Appellatione remota*, committatur, clausula ista appellare volenti in cæteris, cum illo non connexis, non obstabit, per expressum textum *c. Inquisitioni 71.* & rationem jam adductã, Glossa *in c. cit. V. Præmissa, ubi* Vivianus *in fine*, & Laiman *n. 1.*

ARTICULUS IV.

De Judice, â quo Appellatur.

SUMMARIUM.

52. *Appellatur à judice sententiam ferente.*
53. *Non ab arbitro compromissario,*
54. *Etiam de Jure Canonico:*
55. *Neque à judice Reductionis, ejus sententiam confirmante:*
56. *Neque à Principe supremo,*
57. *Et à Papa ad Concilium generale:*
58. *Neque ab istius aut Collegii Cardinalium,*
59. *A Curiarum supremarum,*
60. *Et S. R. J. Electorum &c. sententiis.*
61. *Neque etiam ab Episcopo, cujus jurisdictio est prorogata.*

APpellatur ferè ab omni judice, 52
qui sententiam tulit: nec solùm Delegato, sed & Ordinario, *can. Omnis &c. 2. q. 6. c. Quoniã 21. & l. Præcipimus 32. §. 3. C. hic*, etiam à Judice partium consensu impetratô, *c. Causam 14. de Sent. & re judic. & l. Ex consensu 23. pr. ff. hic*, & ab arbitro Juris, sive ex istius præscripto ab ipsis partibus litigantibus electo, *c. Ab arbitris 11. de Offic. deleg. in 6.*

Non etiam à Compromissario, sive 53.
electo communi & mutuô partium consensu, *can. A judicibus cit. q. 6.* Ratio differentiæ reddi ea solet; quòd iste, sive Compromissarius liberè ac sponte: ille verè, sive arbiter Juris ex istius præscripto vel præcepto judicis eligatur: æquum autem sit; ut appellationis remediô potiùs succurratur iis, qui ad arbitri electionem sunt compulsi, quàm aliis, qui eos omnino liberè ac sponte elegerunt; cùm isti sibi imputare debeant, quòd in ipsos ultro consenserint, Glossa *sin. in c. Ab arbitris cit.* ubi Anchoranus *in fine*, & aliis relatis, Barbosa *in c. cit. n. 5.* Cui rationi, ne à judice partium consensu impetratô provocanti obstet, aliæ adjungendæ sunt partim; quòd per appellationem suspendatur jurisdictio ejus, à quo ad superiorem provocatur: jurisdictionem autem habeat solus Juris, non etiam Compromissarius arbiter; cùm ea dari privatorum consensu non possit, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdict. omn. jud.* partim verò; quòd appellatio introducta sit; ut ejus remediô infringatur Actio Judicati: ex compromisso autem & arbitrorũ pronuntiatione Judicati Actio & Exceptio non detur, *l. 1. C. & l. Ex consensu 2. ff. de Recept. arbitr. ubi* Baldus,

Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 262.* Pirrhing *ad Rubric. de Arbitr. n. 5.* & Gonzalez *in c. Non sine 2. ejusdem Rubricæ n. 11.*

54. Neque, appellationem à Compromissariis Jure saltem Canonico permissam, cum Gratiano §. *Quod de Arbitris*, post *can. A judicibus*, 30. *cit. q. 6.* nonnulli rectè desumunt ex verbis, *Si ex consensu partium judices electi fuerint, liceat provocare*, quæ sunt *can. Sanè 31. cit. q. 6.* quia, eam Gratiani observationem falsam, disertè pronuntiat, & à Compromissario hôc etiâ Jure non appellari, notat Glossa, *in §. Quod de cit. V. Valebit.* Ne autem huic Glossæ adnotationi *can. Sanè cit.* verba adversentur, postremis hujus verbis, liceat provocare, præponenda est particula *Non*; quia, verba illa negativè legenda & exaudienda, omnino exploratum est ex Concilii Carthaginensis III. *can. 9.* ex quo verba illa in Decretum sunt translata; ita enim *can. Sanè cit.* subjectô *Versu Liceat*, disertè adnotatur, & docent Tholosanus *Lib. 5. Partit. Jur. Canon. Tit. 3. cap. 1. n. 2.* Anton. August. *Lib. 2. de Emendat. Gratiani cap. 3.* Gonzalez *in c. Non sine cit. num. 15.* & Haunold, *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 344.*

55. Dubium est, an appellari valeat à judice, ad quem pro laudi sive sententiæ Compromissarii Reductione ad arbitrium boni viri est itum. Variant DD. aliis cum Bartolo *in l. 1. ff. de Legat. 2. n. 17.* id negantibus, quòd Reductionis judex succedat in locum arbitri; ac proinde istius naturam & conditionem sortiatur, & obnoxius non sit provocationi, *arg. l. Si cùm 10. §. 2. ff. de Injuriis*: aliis affirmantibus cum Baldo *in l. Unic. C. Ne liceat in una ter &c n. 7.* quòd pro Reductione adeundus sit judex Ordinarius, scilicet is, quem adire oportuisset, si actor, viâ compromissi relictâ, in judicio litigare voluisset, ut *arg. l. Quoniam 2. C. Ubi & apud quem restit.* docent Panormit. *in c. Cùm dilectus 6. de Arbitr. n. 10.* Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 12. n. 10.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 114.* à judice autem Ordinario rectè appelletur, nisi expresè vetitû sit, *l. Et in majoribus 20. C. hic:* ex qua ratione licet horû Opinionem Juri magis consentaneâ existimem cum Covarruv. *cap. 12. cit. n. 5.* non displicet tamen, quam hic Doctor insinuat, distinctio: quâ à Reductionis judice appellatio cum priori negatur, si arbitri judicium confirmet: &, si hoc reformet, cum posteriori concedatur, favore compromissi & judicii compromissariorum, quod correctioni obnoxium non esse, Jura volunt, *c. Per tuas 9. c. Exposita 11. & l. Dein 27. §. 2. ff. de Arbitr.* ut *Lib. 1. Tit. 43. n. 44.* est dictum.

56. Excipiuntur, & provocationi à sua pronuntiatione obnoxii non sunt Imprimis judices non recognoscentes superiorem, ut in spiritualibus & Ecclesiasticis est summus Pontifex: in temporalibus etiam Imperator & Principes ac Magistratus supremi: à quorum sententiis eô ipsô, quòd appellatio ab inferiore ad superiorem facienda sit, provocari non posse, extra dubium est, *can. Ipsi 16. can. Cuncta 17. &c. 9. q. 3. l. 1. §. 1. ff. A quibus appell. non licet.* Nisi aliquando ab ipsis contra sententiam à se latam melior informatio admittatur, vel cõtra eam supplicetur, aut restitutio petatur, Gonzalez *in c. Si duobus 7. n. 1. cit.* Maranta *n. 248.*

57. Quin ab Ordinationibus ac Mandatis Papæ, hoc est, ab ejus sententiis, præceptis, legibúsque, censuris ac pœnis, specialiter vel generaliter latis, ad futurum generale Concilium, in causis saltem spiritualibus hísque annexis appellantes, & qui his auxilium ac favorem præstiterint, ipsô factô incurrunt excommunicationem, latam à

latam à Pio II. *Constitut.* quæ incipit *Execrabilis*, editâ Calend. Februarii *1459.* à Julio II. confirmatam *Constit.* quæ incipit *Suscepti*, editâ Calend. Jul. *1509.* & sedis Apostolicæ absolutioni reservatam Bullæ Cœnæ *Can.* 2. Suarez *de Censur. disp.* 21. *s.* 2. *à n.* 15. & Palao *Tract.* 29. *disp.* 3. *p.* 3. *à n.* 1.

Neque in contrarium facit; quòd *can. Nos, si incompetenter* 2. *q.* 7. Leo Papa Imperatoris Ludovici & legatorum eius iudicio, super excessibus per calumniam sibi imputatis, se submiserit; quia submissio hæc ex propria demissione potiùs, quàm Juris necessitate facta est: neque eâ Imperatori ulla in Papam iurisdictio data, sed potiùs ab isto ad tollendum diffamationis scandalum innocentia ultro fuit demonstrata, Engel *ad Rubr. de Major. & Obed. n.* 6.

58. Dein ferè, sicut à Principibus & aliis Magistratibus supremis, ita etiam appellari in Republica Ecclesiastica nequit à sententia Concilii Generalis legitimè con-
59. gregati & Capiti suo uniti: à sententia sacri Collegii Cardinalium, & ab ultima sententia Rotæ Romanæ: & in Statu Politico à supremis Conciliis Imperatoris, ut in Imperio est Camera Spirensis, hodie Wezlariensis, Regum Parlamenta; quòd in his eminere censeatur Authoritas ipsorum Principum supremorum, quorum nomine instituuntur & Authoritate sententiæ proferuntur, *citt.* Tholosan. *p.* 5. *Tit.* 15. *cap.* 73. Maranta *p.* 6. *Tit. de Appellat. n.* 251. & Haunold. *Tom. & Tract.* 5. *de J. & J. n.* 338.

60. Ex privilegio etiam in Imperio Romano à quatuor Electorum Secularium: ab Archiducum Austriæ, Burgundiæ, Saxoniæ & Wirtenbergiæ Ductum sententiis appellatio non admittitur, teste Lud. Lindenspir. *Monit. Polit. ad Auream Bull. tit.* 11. & Berlich. apud *citt.* Haunold. *à n.* 339.

Demum appellationi à sua pronun- 61.
tiatione propter reverentiam obnoxius non est Episcopus, cuius iurisdictio est prorogata, *l. Episcopale* 8. *C. de Episc. aud.* Imò etiam, si hæc prorogata non sit, ut ex *Auth. Si quis, l. cit.* immediatè subiecta, &, ut ab Episcopi sententia veris subditis, & multò magis extraneis eius iurisdictionem prorogantibus, provocare liceat, noviter inducente, colligit Petr. Barbosa *in l.* 1. *ff. de Judiciis, Art. ult. n.* 21. eúmque secuti August. Barbosa *in l. Episcopale cit. n.* 3. & Bruneman. *n.* 2. De quo quidquid sit, meritò quis ambigat, an *l. cit.* indultum privilegium aliquando fuerit canonizatum, etsi hoc DD. non obscurè supponant.

ARTICULUS V.

De Judice, ad quem Appellatur.

SUMMARIUM.

62. *Appellatio facienda est gradatim,*
63. *Neque regulariter valet, quâ immediatus superior præteritur:*
64. *Nisi ad hunc actæ provocationi adversa pars acquiescat.*
65. *Ab Archidiacono &c. ad Episcopum, aut ejus Vicarium,*
66. *Non immediatè ad Archiepiscopum:*
67. *Etiam ab Episcopi delegato ad Vicarium:*
68. *Ab isto, perinde ut ab Episcopo, ad Metropolitanum:*
69. *Ab hoc ad Primatem:*
70. *Et ab omnibus ad Papam appellandô provocatur:*
71. *Præterquam à subdelegato Papali delegati,*
72. *Non totam causam & iurisdictionem suam*

73. *Sed istius partem tantùm subdelegato committentis.*
74. *A duobus subdelegatis, cum uno ejusmodi delegato procedentibus, ad Papam itur.*
75. *Ab inferioribus ad Legatum Apostolicum,*
76. *Et ad quatuor Patriarchas majores:*
77. *Aliquando ad alios iudices mediatos ex speciali Jure,*
78. *Aut, speciali causâ poscente, immediatè appellatur.*

62. EAdem Appellatio regulariter facienda est gradatim ad superiorem proximum & immediatum: non, istô præteritô, ad mediatum ac remotum *c. Dilectu 55. hîc, & c. Romana 3. §. Ab Archidiaconis, in 6.* ut non liceat, omissô immediatô, statim provocare ad ipsum Imperatorem, *l. Imperatores 21. pr. ff. & l. Addictos 29. C. hîc,* cùm; ne iurisdictiones confundantur, & mediatorum judicum authoritas abeat in contemptum: tum verò; ne occupationum multitudine Princeps obruatur, *l. Præcipimus 32. pr. C. hâc Rubr.*

63. Neque à sacris Canonibus solùm inhibetur appellatio, quâ, immediatô vg. Episcopô præteritô, ad mediatum superiorem, scilicet Archiepiscopum, provocatur: sed eam omnino invalidam esse, aliqui desumunt ex *c. Dilecti cit.* textu. Alii tamen, istius tenore accuratiùs ponderatô, eam, & à superiore, per ipsâ adito, acta pro validis habent, si ad hunc interpositæ appellationi pars adversa nihil opposuit. Moventur; quòd *c. cit.* sententiam ab hujusmodi judice superiore latam non tenere, ideo dicatur; quòd judex iste appellationi, ad se interpositæ, oppositam exceptionem non admiserit. Ita cum Glossa *in c. cit. V. Post hujusmodi,* Panormit. *in c. cit. n. 7.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 295.* Quam istorum interpretationem nonnihil difficilem reddit; quòd clerici judicis non sui jurisdictionem prorogare mutuô consensu non valeant, *c. Significâsti 18. de Foro Compet. & c. 1. pr. ibid. in 6.* quod tamen contingeret, si, parte contra appellationem ad mediatum judicem non opponente, istius acta & sententia valerent; quia mediatus judex ita competens in causa appellationis evaderet mutuô partium consensu. Sed difficultas hæc tanta non est; ut à *citt.* & aliis etiam DD. receptam interpretationem convellat; quia, ut taceam; quòd, *cc. citt.* dispositionem de secunda instantia, sive appellationis causa non procedere, aliqui existiment, clericos etiam, licet non expresse, juxta *cc. citt.* tacitè tamen judicis non sui jurisdictioni se subjicere posse, non obscurè desumitur ex *c. Postulâsti 14. & c. Dilecti 17. de Foro compet.* 64.

In Foro itaque Ecclesiastico ab Archidiaconis, Archipresbyteris & similibus judicibus inferioribus ad Episcopum: Sede vacante, ad Capitulum, vel utriusque Vicarium Generalem, *§. Ab Archidiaconis cit.* Sede autem non vacante à Capitulo ad Episcopum provocatur, *c. Accollatione 11. in 6.* 65.

Neque aliud evincitur ex eo; Quòd *c. Referente 7. de Præb. & dignit.* omissô Episcopô, statim ad Archiepiscopum sit provocatum: & ex eo etiam; quòd ad hunc, non ad Episcopum, appellandum sit ab Officiale seu Vicario Generali, *pr. cc. Romana 1. de Foro compet. & 3. de Appellat. in 6.* Imo consuetudo, quâ ab isto ad Episcopum provocatur, disertè reprobetur, *c. Non putamus 2. de Consuetud. in 6.* Quia in *c. Referente cit.* casu ab Archidiacono ad Archiepiscopum provocatum immediatè est vi consuetudinis Ecclesiæ Rhemen- 66.

Rhemensis, ut cum Glossa *ibi V. Appellavit*, existimat Barbosa *n. 3.* vel potiùs; quia Archidiaconus intra sui Archidiaconatûs limites exercuit jurisdictionem quasi Episcopalem, Episcopo non subordinatam; cùm non solùm instituendi, sed etiam destituendi potestatem exercuerit, presbyterum unâ Ecclesiâ privandô; & propterea ab ipso immediatè ad Archiepiscopum fuerit appellandum: sicut etiam fieri oportet in locis, in quibus exercet officium Vicarii generalis; cùm enim in his idem tribunal habeat cum Episcopo, ne ab eodem ad eundem provocetur, non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum erit appellandum, Gonzalez *in c. Dilecti cit. n. 10.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 91.*

67. Dubium hìc est, an à delegato Episcopi ad ipsius Vicarium generalem valeat appellari. Non ad hunc, sed ad Episcopum delegantem appellandum, vult Panormit. *in c. Dilecti cit. n. 3.* quòd à delegato appellandum sit ad delegantem, vel istius in officio successorem, *c. Super quæstionum 27. §. Porro, de Offic. deleg. & l. 1. pr. ff. Quis & à quo appell.* præsertim tali casu, quô Episcopus causam Vicarii jurisdictioni subtrahere videtur. Verisimiliùs tamen, etiam tali casu provocari ad Vicarium posse, censet Alexand. de Nevo *in c. Dilecti cit. à n. 9.* partim; quòd tribunal & jurisdictio Episcopi ac Vicarii non sint diversa, *c. 1. de Offic. Vicarij in 6.* & propterea appellationem ad Episcopum recipere, de eáque cognoscere Vicarius possit, *c. Dilecti cit.* partim verò; quòd, licet tali casu Vicario subtracta sit causa principalis, non tamen idcirco subtracta ei sit causa appellationis omnino diversa: nisi ex circumstantiis aliud colligatur; nam à diversis non est bona illatio, *arg. l. Inter stipulantem 83. §. 5.* ibi *Sed hæc dissimilia sunt, ff. d. V. O.* Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 95.*

Ab Episcopo, Sede vacante, à Capitulo, & utriusque Vicario generali ad Metropolitanum sive Archiepiscopum provocatur, *c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin. c. Dilectis 55. hìc & cc. Romana citt. pr.* etiam in causis, in quibus temporalem jurisdictionem Episcopus exercet, *c. Romana 3. cit. §. Debet.* Ratio est; quia Archiepiscopi sunt immediati superiores Episcoporum adeò; ut istorum Principes nuncupentur *can. Cleros 1. V. Omnes autem, distinct. 21.* 68.

Neque his adversatur; quòd Appellatio & Recusatio æquiparentur *c. Super eo 12. V. In causis:* & tamen, recusatô Episcopi Vicariô, Recusationis causa coram Episcopo, non coram Archiepiscopo proponenda sit & probanda, *c. Si contra 4. V. fin. de Offic. deleg. in 6.* quia, esto in utraque idem fere, cùm eadem: aliud tamen tam in Appellatione, quàm Recusatione observandum est, cùm, ut in proposito casu, non eadem ratio est utriusque; quia de substantia Appellationis est, ut fiat ad tribunal, sive judicem superiorem: de Recusationis autem causa etiam par, vg. ad eandem causam condelegatus, *c. cit. pr.* imò & minor, videlicet arbitri, cognoscere possunt, *c. Suspicionis 39. de Offic. deleg. & c. Ab arbitris 11. ibid. in 6.* Glossa *fin. in §. cit.* Accedit; quòd appellatio respiciat jurisdictionem, quæ eadem est in Episcopo & ejus Officiale, sive Vicario generali, *pr. c. Romana 3. cit. & c. Non putamus 2. de Consuet. in 6.* Recusatio autem personam: quæ, cùm diversa sit, & recusatô Vicariô, non eô ipsò etiam Episcopus recusatus sit, mirum non est; quòd de Vicarii Recusatione cognoscere valeat Episcopus: etsi cognoscere nequeat de causa Appellationis, quâ ab illius sententia est provocatum. Ita *in c. Si contra cit.* cum Anchorano *in fine*, Laiman *n. 3.* & Gonzalez *in c. Si duobus cit. n. 5.*

Ab Ar-

69. Ab Archiepiscopis ad proprium Patriarcham seu Primatem, cui illi parent, *can. Conquestus, 9. q. 3.* Ab hoc ad sedis Apostolicæ Legatum, qui immediatè ipsi
70. præest: ab isto demum ad ipsam sedem Apostolicam, seu Romanum Pontificem; quòd in terris superiorem non habeat, provocatur, ut latè explicant Scaccia *de Appellat. q. 8.* & Gonzalez *l. cit. n. 5. 6. & 9.* ubi utiliter monent, appellatione factâ ad Papam, causam ab Auditore Cameræ Apostolicæ examinari: nisi sit spiritualis, vg. Beneficialis, Matrimonialis; quòd istarum cognitio spectet ad Signaturam Justitiæ, vel sacræ Rotæ Auditores.

Quantumvis autem hæc regulariter ita sint: &, præteritis proximis, sive immediatis, ad mediatos judices & summum principem appellatio Jure Civili inhibita sit *l. Imperatores cit.* sanctionibus tamen Ecclesiasticis imprimis à quocunque judice Ecclesiastico appellari immediatè ad Papam potest, *can. Si quis vestrum 3. can. Ad Romanam 7. can. Placuit 8. can. Quoties 15. &c. 2. q. 6. c. Si duobus 7. & c. Dilecti 66. hic*, Panormit. *in c. cit. n. 11.* Speculat. *de Appellat. §. 4. pr.* & Maranta *de Ord. judic. p. 6. de Appellat. n. 358.* partim propter plenitudinem potestatis, quâ in Ecclesia Papa præcellit; cùm sit Ordinarius Ordinariorum, & cum his concurrentem habeat jurisdictionem, *c. Si duobus cit.* neque jurisdictionem, tam ordinariam, quàm delegatam, aliis communicandò, suam à se abdicet, ut Imperator. Glossa *in c. cit. V. Ad sui judicis:* partim verò; ut subditi ad Papam immediatè provocandò sumptibus & laboribus releventur, *c. 1. pr. in 6.* cessèntque dubia & disputationes, quisnam proximus sit judex, Covarruvias *Pract. cap. 4. n. 9.* Barbosa *in c. Dilecti cit. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 90.*

71. Excipienda hìc est Appellatio à subdelegato delegati Papæ; ab isto enim per viam appellationis non immediatè Papa, sed istius delegatus est adeundus, cum notabili tamen distinctione; vel enim Papæ delegatus sibi commissam causam & jurisdictionem totam, nullâ reservatione factâ, transtulit in subdelegatum: vel causam non totam, sed aliquam duntaxat ejus partem, aut articulum vg. inquisitionem, testium, aliarùmque probationum receptionem, subdelegato commisit, aliquid de jurisdictione vg. prolationem sententiæ, vel istius executionem sibi reservando?

72. Si prius, à subdelegato non ad delegatum, sed ad delegantem primum, scilicet ipsum Papam est appellandum, *c. Super quæstionum 27. §. Porro, de Offic. deleg.* Ratio est; quòd causam totam sine reservatione in subdelegatum transferens desinat esse judex, & à Papa acceptam jurisdictionem amittat, & amissam non recuperet per appellationem; cùm istam interponentes litigantium personæ privatæ eam nequeant conferre, *l. Privatorum 3. C. de Jurisdict. omn. jud.* Panorm. *in §. Porro cit. n. 4.* Vivianus *§. Secus* & Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 21. n. 5.*

73. Si posterius, à subdelegato non ad delegantem primum, sive Papam, sed ad ejus delegatum, est appellandum, *§. Porro cit. c. Si delegatus 7. V. Ad eum & c. Si à delegato 14. de Offic. deleg. in 6.* Nisi iste mortuus, aut excomunicatione, vel aliter esset impeditus; hôc enim etiam casu ad Papam appellandum, liquet ex *c. Si is 10. eâdem Rubric. in 6.* Ratio, cur ad delegantem, qui de jurisdictione aliquid sibi reservavit, & non impeditum appellandum sit, est; quòd tali casu delegatus permaneat judex illius causæ, *c. Cùm te 18. de Offic. deleg.* ubi autem Papæ delegatus judex remanet, ad ejus honorem conservandum parcendúmque partium laboribus &

bus & expensis, ad ipsum, non ad alium sit appellandum, §. *Porro cit.* Accedit; quòd tali casu appellatio ad ipsum Papam frustra interponeretur; cùm, si id fieret, ut à Papa causa delegetur alteri, læderetur honor primi delegati, à quo pars appellans gravata non est, sed à subdelegato. Si autem id fieret; ut causa de novo eidem delegetur, id frustra foret, hôc ipsô; quòd primò delegatus causæ judex remaneat. Unde, ne appellatio huic immerenti probrosa, & damnosa sit partibus, hæ non ad Papam, sed ad delegantem, provocare permittuntur, Panormit. *in* §. *cit. n. 5.* Francus *in c. Si delegatus cit. n. 8.* Vivianus *in* §. *Porro cit. pr.* Scaccia *de Appellat. q. 7. n. 64. & cit.* Molina *n. 6.*

74. Eô tamen casu, quô trium judicum, ad unam causam decidendam à Papa delegatorum, duo aliis, etiam non in totum, vices suas subdelegant, & à duobus his subdelegatis, in illa causa cum tertio delegato procedentibus, partium alteri gravamen inferretur, ab ipsis non ad duos delegatos, qui subdelegandô vices suas aliis commiserunt: sed ad delegantem primum, sive Papam, appellandum est, ex Rescripto Bonifacii VIII. relati *c. Si duo ex* tribus *3. de Offic. deleg. in 6.* Cujus ratio ea est; quòd hôc casu non tam duorũ subdelegatorum, quàm delegati, licet unius, persona attendatur, partim; quod jurisdictio delegata tanquam dignior subdelegatæ sit præferenda, *arg. c. Sedes* 11. *de Offic. deleg.* partim verò; ne, si ad delegati condelegatos provocetur, à pari ad parem, non ad superiorem appellatum videatur, contra Regulam *c. Innotuit 20. de Elect. & l. Nam & magistratus 4. ff. de Recept. arbitr.* Vivianus *in c. Si duo cit. ubi* Anchoranus *n. 3.* Barbosa *n. 2. & 3.* & Gonzalez *in c. Super quæstionum cit. n. 10.*

75. Secundò, ad sedis Apostolicæ legatum, in Provincia sua existentem, præteritis judicibus intermediis, vg. ab Episcopo ejúsque Vicario generali, præteritô Archiepiscopô, appellari posse, ex *c. 1. de Offic. Legati*, colligit Panormit. *in c. Dilecti cit. n. 12.* & docet Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 371.*

Tertiò, ex speciali sedis Apostolicæ 76.
privilegio ad quatuor Patriarchas majores, scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum, in provinciis eorum jurisdictioni subjectis, appellari, immediatis judicibus omissis, immediatè potest ex Constitutione Innocentii III. in Concilio Lateranensi *c. Antiquo 23. de Privileg.* relatâ.

Non rectè quidem ex hoc textu id desumi, cum Ant. de Butrio *in c. cit. n. 11.* existimat Henriquez *Lib. 10. cap. 19. §. 3.* & nullô Jure id expressum, ait Haunold. *Tom. 15. de J. & J. Tract. 5. n. 285.* quòd *c. cit.* textu, ad Patriarchales quidem illas Sedes in provinciis suis provocari: non etiam id, omissis judicibus intermediis, fieri posse, asseratur. Imò subjectis verbis, *Salvis Appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis*, non obscurè insinuetur, provocationem sine gradatione ad hanc Sedem solam permissam. Verùm, quia his verbis Innocentius Papa & laudati Concilii PP. aliud non voluerunt, quàm à quocunque judice etiam in Provinciis illis &, Patriarchali præteritâ, ad sedem Apostolicam interpositis appellationibus humiliter esse deferendum, *arg. c. Si duobus 7. hîc*, ex iis ad dictarum quatuor Sedium Patriarchas in Provinciis suis appellari, inferioribus judicibus præteritis, immediatè non posse, perperam infertur; cùm si, ad ipsos appellationem ita interponi, vetuissent: & à partibus litigantibus gradatim ipsi quoque adeundi essent, quoad appellationem Patriarchales illæ sedes speciali aliquâ prærogativâ,

seu privilegiô non gauderent, contra apertum textũ *c. Antiqua cit.* cujus *pr.* Antiqua earum privilegia renovari, asserunt. Panormit. *in c. cit. n. 9.* Tholosan. *Syntag. Lib. 15. cap. 9. n. 6. citt.* Maranta *n. 371.* & Scaccia *q. 7. à n. 104.*

77. Quartò aliquando, omissis intermediis, recurri ad mediatos judices potest vi Privilegii, *arg. c. Antiqua cit.* uti & vi consuetudinis legitimè præscriptæ, ut ex *cit. c. Romana 3. pr. in 6.* Verbis, *De Jure*, cum Glossa *ibi, & in c. Dilecti cit. V. Per hujusmodi*, desumunt *citt.* Panormit. *n. 9.* & Maranta *n. 374.* cùm enim legitimè præscripta consuetudo jurisdictionem tribuere possit non habenti, *c. Dilecti 4. de Arbitris & c. Cùm contingat 13. de Foro compet.* Barbosa *in pr. cit. n. 4.* multò magis judicis eam habentis jurisdictionem valebit prorogare. Ita cum Glossa *in c. Romana cit. V. de Jure*, Panormit. *in c. Dilecti cit. n. 9.* & Gonzalez *n. 8.*

78. Quintò, si judex proximus notoriè deneget justitiam, vel rationabiliter suspectus & recusatus sit: si excommunicatione aliáve censurâ ligatus, vel detentus sit captivitate: si procul sit absens, vel in loco non tuto commoretur, eô omissô, superior adiri potest, *citt.* Maranta *n. 375.* & Scaccia *à n. 43.* ubi alios hujusmodi casus dabunt.

ARTICULUS VI.

De Appellationis Interpositione ac Receptione.

SUMMARIUM.

79. *Appellatio coram judice, si potest:*
80. *Secus coram aliis interponi potest,*
81. *A definitiva sententia in continenti vivâ voce:*
82. *Ex intervallo interponitur in scriptis.*
83. *Quô modô ab interlocutoria saltem ad Papam, appellatur.*
84. *Appellatio à definitiva nullius:*
85. *Ab interlocutoria certa causa expressionem requirit:*
86. *Nisi vim habeat definitivæ.*
87. *A definitiva ex quacunque causa,*
88. *Ab interlocutoria facta, solâ causâ expressâ justificatur,*
89. *Nonnullis casibus exceptis.*
90. *Judicis manus ligat interposita à definitiva:*
91. *Cui quoad appellationem æquiparatur, quæ vim habet definitivæ.*
92. *Appellatio à definitiva recipi debet:*
93. *Nisi frivola sit.*
94. *Huic etsi deferre non teneatur judex,*
95. *Superior tamen de ea,*
96. *Et de interlocutoria frivolè factâ cognoscit:*
97. *Et causam aliquando remittit ad inferiorem:*
98. *Aliquando ipse definit & exequitur.*
99. *De interlocutoria novissimô Jure aliud est constitutum.*
100. *Appellationi interposita renuntiari consentiente:*
101. *Non etiam contradicente parte adversâ, potest.*

79. INterponenda Appellatio est coram judice, qui sententiam tulit, si is in loco publico haberi queat, *arg. l. 1. §. 10. ff. Quando appell.* Qui, si non unus, sed duo, vel plures de causa cognoverunt ac pronuntiârunt, coram omnibus simul congregatis: vel, si eorum copia simul haberi nequeat, separatim coram singulis, vel majori eorum parte appellatio interponi potest, *Clement. Si à judicibus 1.* Sietiam hoc fieri non possit, coram

coram uno, vel iis, quorum copia habetur, appellari potest, adjectâ protestatione, Panormit. *in Clement. cit.* Vivianus *pr.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 85.*

80. Si ne unius quidem copia detur, aut sententiâ gravatus, quò minùs coram ipso judice compareat, justô metu impediatur, protestatione super hoc interpositâ: vel, si metus etiam hanc excludat, absque ea coram viris probis & honestis, vel coram Notario & testibus provocare ad superiorem, *c. fin.* vel hunc statim adire, eique appellationem suam porrigere potest, *l. 1. §. 10. cit. & can. Biduum 29. §. Adeundi 2. q. 6.* Panormit. *in c. fin. cit. n. 3. ubi* Barbosa *à n. 18.* & Laiman. *n. 1.*

81. Non eodem autem modô à definitiva & ab interlocutoria judicis sententia appellatur; ab illa enim, aliquando in continenti, aliquando ex intervallo, appellatio interponitur. In continenti, sive à judice adhuc pro tribunali sedente, &, antequam ad actus extraneos divertat, ea fieri potest vivâ voce & stante pede, ut loquuntur, proferendô verbum, *Appello*, vel *Provoco*, *l. Sed & apud 2. ff. l. Alitigatoribus* 14. junctâ Glossâ *V. Illico*, *C. hîc*, aut eis quoad sensum æquivalentia, vg. *Me Papæ*, vel alterius superioris, *protestioni submitto*, *c. Ad audientiam 34.* quod mox in Acta referri à Notario debet, *c. Quoniam 11. de Probat.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appell. n. 135.* Scaccia *de Appellat. q 4. n. 18.* & Pirrhing *ad hanc*

82. *Rubric. n. 101.* Ex intervallo, sive, postquam judex, à tribunali surgens ac recedens, ad extraneos actus divertit, non ampliùs provocatur vivâ voce, sed in scriptis, oblatô ei libellô appellatoriô, *l. A sententia 5. §. fin. ff. hîc* Quis, adversus quem, à qua sententia, & ad quem provocetur, exprimente, §. *Ego*, post *can. Post appellationem, 2. q. 6. l. 1. §. fin. ff. hîc* Speculat. *Tit. de Appellat. §. 6. pr. & cit.* Maranta *n. 130.* Nisi causa sit Summaria & momenti levioris; in talibus enim vivâ voce, nullôque libellô oblatô, appellari, etiam ex intervallo, potest, *Auth. Nisi, C. de Sent. ex pericul. recit.* Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 361.*

83. Contrà ab interlocutoria judicis sententia, vel extrajudiciali ejus gravamine, sive in continenti sive ex intervallo, appellatio interponatur, facienda est in scriptis, ex constitutione Innocentii IV. relatâ *c. 1. pr. in 6.* quæ, etsi à nonnullis DD. de quacunque, etiam ad judicem Papâ inferiorem, vg. ab Episcopo ad Archiepiscopum, interpositâ appellatione exaudiatur, apud Haunold. *cit. Tract. 5. n. 362.* ipsis accedentem; ne, si ea nimis facilis & expedita sit, lites facilè protrahantur: hæc tamen Constitutionis extensio non probatur Hostiensi apud Gloss. *in pr. cit. V. Ad nos*, Dominico *n. 15.* Archidiacono *in can. fin. 3. q. 5. n 6.* Viviano *in pr. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 109.* cùm; quòd *pr. cit.* dispositio, quoad hunc articulum, correctoria sit Juris Civilis, appellationem apud Acta vivâ voce interpositam, *l. Sed & apud acta cit.* indistinctè admittentis, Glossa *in l. & V. Sed & apud cit.* ac proinde restringenda potiùs sit, quàm extendenda, *arg. l. Præcipimus 32. in fine, C. hîc*: tum verò; quòd in appellationibus ad sedem Apostolicam cautiùs agendum, & cavendum sit, ne facilè quid impetretur per subreptionem: quòd, si appellatio in scriptis fiat, faciliùs obtinetur.

84. Præter hanc aliæ quoque & notabiles differentiæ inter appellationes à sententiis, Definitivâ & Interlocutoriâ, intercedunt: Et primò quidem; quòd à definitiva, sive vivâ voce sive in scriptis provocetur, appellandi causâ in specie exprimi, non sit necesse: sed sufficiat, si provocans, sententiâ se gravatum generatim, ab eâque ad superiorem provocari, exponat,

arg. l. Sed & apud cit. & c. 1. cit. V. Ità, quæ,
85. junctâ Glossâ *V. Statuit, in 6.* Ab interlocutoria autem interpositæ appellationi, si gravaminis & appellandi justa & rationabilis causa in specie non exprimatur, tanquam irritæ deferre judex non teneatur, *c. Ut debitus 59. & cit. pr. c. 1. in 6.* Causæ autem specificam expressionem in hac appellatione requirendi ratio fuit; ut debitus honor deferatur judici *A quo*, præsumptionem pro se habenti: &, appellandi licentiâ refrenatâ, litigantium laboribus ac sumptibus parcatur, Panormit. *in c. Ut debitus cit. n. 1.* Vivianus *pr. cit.* Maranta *n. 154.* & Gonzalez *n. 14.* eam hujus discriminis rationem *n. 18.* reddens; quòd sententiam definitivam revocare judex, à quo ea prolata est, non valeat, *l. Judex 55. ff. de Re judic. & l. Post sententiam 9. C. de Sent. & interlocut.* revocare autem possit interlocutoriam, *l. Quod jussit 14. ff. de Re judic. c. Cùm cessante 60. hâc Rubric. & c. Si à judice 10. ibid. in 6.* eámque ob causam specialis ratio fuerit, causæ expressionem specificam in appellatione ab interlocutoria potiùs, quàm à definitiva exigendi; cùm gravaminis causâ expressâ judex moveri ad revocationem interlocutionis: non etiam, ut maximè vellet, moveri ab ea valeat ad, Jure sibi non permissam, revocationem sententiæ suæ definitivæ.

86. Excipienda tamen est Interlocutoria, habens vim sententiæ definitivæ; ab ea enim provocans ad specificam gravaminis causam exprimendam non adstringitur, Panormit. *in c. Pervenit 28. n. 7.* Sicut contrà ad ejus expressionem adstringitur, qui appellat à sententia definitiva, à qua appellatio ordinariè Jure inhibita est; cùm enim à tali sententia provocanti adversetur præsumptio Juris, ei deferre judex *A quo* non tenetur, nisi gravaminis & appellationis justa causa, quâ ea Juris præsumptio elidatur, in specie exprimatur, *citt.* Maranta *n. 155.* Laiman. *in c. 1. cit. n. 2. citt.* Gonzalez *à n. 14.* & Haunold, *n. 364.*

87. Secundò, appellatio à definitiva justificari potest non tantùm ex certa, si quæ expressa fuit, sed quibuscunque, novis etiam causis & probationibus; ut Regulæ instar sit, in secunda instantia allegari non allegata in prima, & in hac non probata probari posse, *l. Scio 3. §. fin. ff hic & l. Per hanc 4. C. de Temp appellat.* dummodo novæ probationes Jure non sint reprobatæ: cujusmodi foret productio novorum testium super iisdem, vel directè contrariis articulis; propter periculum subornationis: non etiam super articulis novis, dependentibus ab antiquis, ut *Tit. 10 à n. 115.* est explicatum. 88. Ea autem, quæ interposita est ab interlocutoria, justificari nequit ex novis & de novo probandis, sed solummodo ex causis, quæ in ipsa appellatione nominatim sunt expressæ, ut colligitur ex *c. Causam 62.* & apertè traditur *Clement. Appellanti 3. pr.* eámque ob causam, à judice interloquente provocans ad superiorem, coram illo allegare & deducere nequit diversam causam ab ea, quæ apud judicem *A quo* fuit expressa, Glossa *in Clement. cit. V. Dummodo, & ibi* Panormit. *n. 4* etiam si aliæ causæ notoriè faverent appellanti, *cit.* Glossa *V. Aliàs* quia notorium, licet relevet ab onere probandi, *c. Tua 8. de Cohabit cler. & mul.* non tamen relevat ab onere allegandi, *cit.* Maranta *n. 154.* & Barbosa *in Clement cit. n. 3.* Ratio, cur hujusmodi appellationis justificatio ex novis causis non admittatur, est non solùm; quòd, si in causa variari posset, ad litis prorogationem appellationes ab interlocutoriis sæpe malitiosè interponerentur, & novarum causarum deductionibus protraherentur: sed etiam; quod non appelletur, nisi à gravamine, non

ne, non, quod post eam jam interpositam proponendum, sed, quod expressâ causâ illatum asseritur: & judex *Ad quem* de ea duntaxat causa, quæ per appellationis viam ad ipsum delata est, cognoscere valeat ac pronuntiare, Panormit. *cit. n. 4.* & Vivian. *in Clement. cit pr.*

89 Sed hoc Regulare duntaxat, non perpetuum est; cùm non solùm novas probationes causæ expressæ in appellatione, probationem exigente: sed novam quoque causam deducere ab interlocutoria appellans valeat Primò, si illa post istam interpositam primùm orta, aut cognita fuerit; cùm, quòd hanc, non allegârit, appellanti non valeat imputari. Secundo, si oblatas gravaminis alias causas judex *A quo* noluit admittere. Tertiò, si gravamen per sententiam difinitivam irreparabile sit: cujusmodi foret, si judex decerneret alicujus torturam, *cit.* Maranta *à n. 165.* ubi hujusmodi casus alios refert.

90. Tertiò, Appellatio à definitiva sententia ligat manus judicis *A quo*, ut in causa procedere non possit, *l. 1. §. 3. ff. Nihil innov. appell. interp. & l. Appellatione 3. C. hîc:* non autem interposita ab interlocutoria: nisi ei judex detulisset, aut damnum irreparabile afferret, *c. Non solùm 7. in 6.* ut infrà explicatiùs tradetur. Hoc loco.

91. Illud addendum est, appellationem ab interlocutoria, habente vim sententiæ definitivæ, quoad formam & effectum appellationis interponendæ & quoad alia etiam æquiparari ei, quæ interponitur à vera definitiva; cùm, sicut hæc, sic etiam illa in continenti viva voce sine specifica gravaminis expressione fieri: &, quando in ea certa causa expressa est, non ex ea duntaxat, sed ex novis etiam causis, ac probationibus justificari queat, & nequeat revocari: ab eâque interposita judicis manus liget; ut adeò sententiam esse definitivam, & definitivæ vim habere, quodammodo paria sint, Glossa *in c. fin. V. Inanes, de Elect. in 6.* Zoesius *in l. Quod jussit 14. ff. de Re judic. n. 28.* Gaill. *Lib. 1. observat. 30. num. 5.* & Vallens. *ad hanc Rubric §. 9. n. 3.*

92. Appellationem à sententia sua definitiva legitimè interpositam admittere, eique deferre judex, tam Ordinarius, quàm Delegatus, debet; non solùm propter reverentiam judicis superioris: sed sui quoque contemplatione; cùm, si ea, quàm protulit, sententia à superiore confirmetur, rectè judicantis reportet laudem: si reformetur, partis gravamine sublatô ipsius conscientia relevetur. Neque injuriam sibi fieri existimare debet eo, quòd litigantes ad provocationis auxilium convolârint, *l. Et in majoribus 20. C. de Appellat.* cùm injustam etiâ ideo potuerit ferre sententiam; quod, parte jus suum non bene deducente, de ipsius causæ meritis non satis fuerit informatus. Quodsi temerè & sine justa causa appellationem repudiârit, is, qui appellavit, nihilominus adire superiorem & coram eo appellationem, perinde acsi recepta esset, introducere potest: adversus ipsum autem judicem triginta librarum auri, si Civilis: &, si Criminalis causa sit, arbitraria pœna constituta est Imperiali antiquô: Novissimô autem Jure damnum sustinet litis, & præterea decem libris mulctatur, *Novell. 126. cap. 3.* Jure Canonico, appellationi, saltem ad Papam interpositæ, non deferens, deponitur, *can. Decreto, 2. q. 6.* vel arbitrariâ pœnâ in eum proceditur à superiore, ad quem est remittendus *c. De Priore 12. hîc*, Specul. *tit. de Appellat. § 9. n. 1.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 399.*

93. Hîc tamen in re excipiendi sunt omnes casus, quibus appellatio Jure inhibita est:

bita est; tali enim casu aliquo & generaliter quamcunq; appellationem, frivolè ac frustratoriè interpositam, non admittens, eáque insuper habitâ in causa procedens, ulli pœnæ obnoxius non est; cùm tali appellationi deferre non teneatur, *c. Suggestum 15. hîc & c. Cùm appellationibus 9. in 6.* ne, quod ad defensionem & gravaminum remotionem injustè oppressis indultum est remedium, ad innocentiam & justitiam opprimendam convertatur, Maranta *cit. n. 399.*

Quin ita temerè in appellationis vocem prorumpens, illáq; receptâ succumbens Jure Civili pœnâ arbitrariâ coërcetur: appellatione autem non receptâ, superiorem tamen adiens, litéque coram eo instauratâ succumbens, præter causæ amissionem patitur famæ jacturam, *l. A Proconsulibus 19. C. hîc:* &, si temerè provocet ab executione, eámque suspendat, victus 50. librarum auri animadversione mulctatur, *l. Ab executione 5. in fine, C. Quorum appell. non recip.* Hic tamen pœnarum rigor à Curiis recessit, & hodie fere observatur Jus Canonicum, quô ita temerè appellantes ad judicem *A quo* remittuntur & condemnantur in expensis, *arg. c. Ut debitus 59. & c. Cùm appellationibus cit.* Speculat. *cit. n.* 1. & Haunold., *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. num. 440.*

94. Quare judex *ad Quem*, cùm appellationi justam causam obstare, eámque contra Jus temerè interpositam, advertit, ei deferre non debet: neque ei, qui ita appellavit, petenti Apostolos alios dare, quàm Refutatorios, quibus frivolam appellationem non receptam, & Reverentiales seu Dimissorios Apostolos ex certa causa expressa denegatos, attestetur. Interea autem nihil innovabit, donec devolutionis articulus à superiore decisus, & bene maléve judicatum, aut appellatum, pronuntietur, *l. Sciendum 6. C. de Appell. recip.*

Devolutionis autem articulô discussô, si judicatum malè, & bene appellatum, superior pronuntiârit, de causæ, tanquam per Appellationis viam ad se legitimè devolutæ, meritis ipse cognoscet, eámque secundùm ista terminabit per sententiam definitivam, *l. Eos 6. C. hîc;* & hanc, si per appellationem denuo interpositam non suspendatur, mandabit executioni. Si verò appareat, judicatum bene, & malè appellatum, sententiam priùs latam confirmabit, atque etiam ipse exequetur, juxta dicta *Tit. 27. n. 124.*

Sicut à definitiva, ita Jure Decretalium spectato, ante eam ab interlocutoria legitimè interposita appellatio recipienda: & contrà frivola, hoc est, nullâ expressâ, vel ex non justa, aut justa quidem, sed manifestè falsa causa facta, à judice *A quo* repudianda est. Quodsi eam non 95. admissam appellans prosequatur, superioris, ad quem est appellatum, partes erunt, cognoscere, an ea legitimè aut frivolè interposita sit: &, si frivolè interpositam repererit, appellante in expensis condemnato, causam remittere debet ad judicem priorem, *c. Cùm Ecclesia 38. & c. Ut debitus 59.* ut judicium, ubi cæptum est, ibi & finem accipiat, *l. Ubi 30. ff. de Judiciis:* nisi iste appellationi à sua interlocutione frivolè interpositæ detulisset; tali enim casu causam principalem ad priorem judicem remittere non tenetur: sed de ea cognoscere & definitivè pronuntiare ipse potest, *c. Cùm Appellationibus 5. in 6.* etsi æquum sit, ut eam ad priorem 97. remittat: & iste de ea remissa cognoscere valeat, ex vi prioris suæ, non solùm ordinariæ, sed etiam delegatæ jurisdictionis; quòd judicis etiam delegati jurisdictio, quantumvis per appellationem abdicata, quoad exercitum quodammodo reluciter-

resuscitetur & reviviscat, Franc. *in c. cit. §. Si verò, num.* 2. Gaill. *Lib. 1. observat. 131. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 195. not. 5.*

98. Si verò, rectè appellatum, & malè judicatum, appareat, locus non est remissioni causæ principalis ad judicem priorem: sed superior, sive Appellationis judex de ea, tanquam ad se devoluta cognoscere ac pronuntiare debet, *l. Eos 6. & 6. Ut debitus cit. in fine, ubi* Glossa *V. Alioqui*, Bartol. *in l. Eos cit. n.* 10. Gaill. *Observat. cit. n.* 2. & Barbosa *in c. Ut debitus cit. n. 7.* ut adeò, cùm bene appellatum est, superior sive appellationis judex hôc casu de eo etiam articulo cognoscat, in quo appellatum non fuit. Ratio est; quòd cùm ab interlocutoria non nisi propter gravamen illatũ appelletur, eum, qui ab ea rectè provocâsse judicatur, à judice *A quo* indebitè gravatum appareat, nec ad eum denuo remittendus sit, propter præsumptionem & periculum gravaminis, inposterum inferendi, *l. Eos cit.* Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 497.*

99. Dixi, *Jure Decretalium*; quia modernô appellationes ab interlocutoriis, definitivæ vim non habentibus, & gravamen per definitivam sententiam irreparabile non inferentibus, interpositæ per quemcunque superiorem Papâ inferiorem, recipi prohibentur à S. Synodo Trident. *Sess. 24. cap. 20. de Reformat.*

100. Dubium hîc est, an appellans pœnitere & appellationi renuntiare possit. Interponendæ renuntiari ab eo posse, planum est ex dictis *Tit. 27. n. 69.* adversæ partis consensu idem ei circa jam interpositam permissum, vix est, qui ambigat; cùm id argumentô à contrario ductô ex *c. Interposita 70. §. Illi*, indubitatè inferatur.

101. An interpositæ renuntiare, & ad inferiorem judicem redire valeat, adversariô invitô & contradicente, controversum, eáque in re á Nonnullis receptum est discrimen inter Sententias; ut ab Interlocutoria quidem, non etiam à Definitiva, & istius vim habente, interpositæ appellationi valeat renuntiari. Sed frequentiori & saniori calculo alii, in adversæ partis præjudicium renuntiari à neutra sententia interpositæ appellationi posse, defendunt; quòd consilium suum in alterius præjudicium mutare nemo possit. *l. Nemo 75. ff. de R. J.* quod appellationi renuntiandô fieri liquet; cùm enim hæc interposita evadat communis litigantium utrique, & jura ante non deducta allegare probaréque, & sententiæ in favorem suum reformationem petere, non solùm appellans, sed & appellatus possit, *l. fin. C. hîc, & l. Per hanc 4. C. de Temp. appell.* hoc interpositæ appellationis cõmodum intetvertere & adimere, invitâ & contradicente una parte, altera, non potest, Panormit. *in §. Illi cit. n. 4.* Gaill. *Lib. 1. observat. 122. n. 3.* Scaccia *de Appellat. q. 17. limit. 2. n. 95.* Hunnius *in Treutl. disp. 33. q. 24.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 191.* Unde proposita appellantis renuntiatio non impedit, quòminùs adversa pars, quæ ex appellatione sperat, commoda consequatur, & prosequatur.

ARTICULUS VII.

De Fatalibus Appellationis.

SUMMARIUM.

102. *Fatalia dicuntur tempora Appellationis:*
103. *Qua interponenda est intra decendium,*
104. *A die sententiæ latæ & notæ,*
105. *Vel quô gravamen timeri, aut inferri cæpit.*

106. *Appel-*

106. *Appellanti dantur Apostoli,*
107. *Quorum quinque species sunt.*
108. *Recipiendi ij sunt intra 30. dies,*
109. *A die, quô potuit appellari.*
110. *Tempus hoc judex* A quo *restringere,*
111. *Iisque præsentandi terminum præfigere potest.*
112. *Prosequendæ Appellationi Jure datus est annus,*
113. *A latæ sententiæ, vel illati gravaminis die computandus.*
114. *Biennium aliquando conceditur ex justa causa,*
115. *Se tenente ex parte alterius,*
116. *Vel utriusque litigantium,*
117. *Tempus mutuô consensu valentium prorogare:*
118. *Vel ex parte judicis, aut alicujus tertii:*
119. *Vel ex casu proveniente.*
120. *Tertius annus non conceditur:*
121. *Nisi ob impedimentum omnino indubitatum.*
122. *Tempus hoc restringi à judice,*
123. *Et ab ipso etiam litigante potest.*

102. FAtalium nomine hîc veniunt tempora, quibus exactis Appellatio, vel non conceditur, vel concessa & interposita, aut jam introducta extinguitur & quasi emoritur: cujusmodi quatuor à DD. referuntur.

103. Primum est Appellationis interponendæ: quod, licet antiquô ei, qui causam propriam, biduum: qui verò alienam sive procuratorio nomine agebat, triduum fuerit, *can. Biduum 29. pr. 2. q. 6. l. Eos, qui, 6. §. fin. C. hîc, & l. 1. §. 5. J. ff. Quando appell.* Novo tamen Jure, Civili & Canonico sunt decem dies, à die sententiæ, tam interlocutoriæ, quàm definitivæ, aut illati gravaminis extrajudicialis, numerandi, sive proprio, sive procuratorio nomine sit actum, *Novell. 23. cap. 1.* Unde sumpta est *Auth. Hodie, C. hîc, can. Anteriorum 28. in fine, 2. q. 6. & c. Concertationi 8. hîc, in 6.* Quorum proinde dierum ultimus est fatalis; ut, eô elapsô, appellandi facultas interear, & quasi expiret, *l. fin. C. de Temp. appell.* sententia verò consequatur rei judicatæ authoritatem, *c. Quod ad 15. in fine, de Sent. & re judic.* Speculat. *de Appellat. §. 5. n. 1.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appellat. n. 213.* & Gaill. *Lib. 1. Observat. 139. n. 2.*

104. Computandum est hoc decendii tempus, aliquando à die & momento sententiæ latæ, quando scilicet appellans ejus pronuntiationi per se, vel procuratorem adest: de quo casu accipienda est *Auth. cit.* Glossa *in Clement. Sicut 3. V. A die, & cit.* Maranta *num. 214.* aliquando verò ejus cognitæ, quando scilicet appellans à judicio non contumaciter abest; hôc enim casu decendium, non à pronuntiatione, sed ab istius eáque illati gravaminis notitia computandum, desumitur ex *l. 1. §. 7. & §. fin. ff. Quando appell. l. 1. C. de Temp. appell. & c. Concertationi 8. in 6.* verbis, *Infra decem dies (postquam sciverit) appellet. post decendium verò eidem non pateat aditus appellandi*, Barbosa *in c. cit. num. 6.* & Gonzalez *in c. Quod ad cit. n. 4.*

105. Quando gravamen non illatum, sed primùm inferendum est, etiam post decendium à die, quâ id cœpit timeri, & donec actu inferatur, appellari potest, Glossa *in c. Concertationi cit. V. Gravatus* & *ibi* Laiman. *n. 2.* Idem contingit, cùm gravamen iam illatum, tractum successivum & causam continuam habet; ut, cùm quis in carcere detinetur, ad locum non tutum citatur &c. ab isto enim appellare licet, quamdiu durat: dummodo gravamen præsens, vg. durans incaceratio

ceratio allegetur, & judex incarcerationem justam, vel locum tutum esse, per sententiam interlocutoriam non pronuntiârit; hujusmodi enim sententia decendii lapsu in rem judicatam transiret, & ulteriùs appellandi adimeret facultatem; quia generatim contra jus partis lata sententia, si ab ea intra legitimum tempus non provocetur, rei judicatæ authoritatem sortitur, *l. Cùm prolatâ 32. ff. de Re judic.* Gaill. *Lib. 1. observat. 139. n. 14.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 449.*

Quantumvis autem ad appellationem interponendam indultum à Jure decendium principiò utile sit, & ignoranti, tanquam legitimè impedito, qui verè contumax non est, non currat: in progressu tamen continuum est; ut à sententiæ latæ, eáve illati gravaminis notitiæ momento ad momentum, vg. ab hora decima diei 8. Septembris usq; ad eandem horam diei 18. ejusdem mensis duret, & ferias etiam solemnes includat, *l. Sive pars 3. C. de Dilat. & l. 1. C. de Feriis:* neque id immeritò; cùm & ipsis diebus feriatis appellatio validè interponatur, Gonzalez *in c. Quod ad cit. n. 5.*

106. Alterum, petendi & recipiendi Apostolos. Sunt autem Apostoli literæ, quibus judex *A quo* judici, *Ad quem* provocatum est, significat, an detulerit, vel non detulerit à sua sententia, tam interlocutoria, quàm definitiva, interpositæ appellationi, *l. Unica, ff. de Libell. dimiss. & l. Dimissoriæ 106. ff. de V. S.* Eorum ab aliquibus tres: ab aliis quinque species

107. referuntur, scilicet Apostoli Dimissorii: qui sunt literæ judicis *A quo*, appellationi à sententia sua deferentis, iisque judici, *Ad quem* provocatum est, fidem facientis de illa, apud se interposita & admissa, *l. cit. & can. Ab eo, 2. q. 6. & c. Ab eo 6. hîc in 6.* Reverentiales, quibus judex addit, appellationi apud se interpositæ, non ob causam justitiæ, sed solummodo ob honorem & reverentiâ superioris delatum, *c. 1.* ibi, *Si appellationi ex reverentia sit delatum, hîc in 6.* Refutatorii, quibus idem, appellationi à se non delatum, adjectâ ejus rejectæ causâ, significat judici, *Ad quem* est provocatum, *c. 1. cit. & l. fin. §. 1. C. hîc.* Testimoniales, quibus Notarius, vel alii viri honesti, cùm judicis copia haberi non posset, coram se appellatum, testificantur. Et demum Conventionales, quos pars adversa, in appellationem, sive in judicio, sive extra hoc, consentiens concedit, *c. Sæpe 44.* Panormit. *in c. Bonæ 51. n. 9.* Speculat. *Lib. 4. de Appellat. §. 3. n. 1.* Scaccia *de Appell. q. 13. à num. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 139.* Hodie Reverentiales potissimùm in usu esse: &, ne Justitiæ viam præcludere velle videantur, non facilè Refutatorios, sed ferè Reverentiales aut Dimissorios tantùm dari, Pragmatici monent apud Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 5. n. 415.*

Petendis ac recipiendis Apostolis olim quinque, *can. Ab eo cit.* Hodie 30. 108. dies sunt præscripti, *c. Ab eo 6. pr. in 6. & l. Judicibus 24. C. hîc:* intra quos, congruo loco & tempore instanter, & sæpius *instanter, instantiùs, instantissimè*, saltem uno contextu peti debent: &, si non petantur, vel intra dies illos (aut etiam breviorem terminum, quem judex ex justa causa potest assignare, Panormit. *in Clement. Quamvis 2. n. 6.*) non recipiantur, appellationi renuntiatum, eáque deserta præsumitur, *c. Ab eo, & Clement. citt.* saltem, si, qui appellavit, eos recipere potuisset, Joan. Andr. *in c. Ab eo cit. n. 3. ubi* Gemin. *n. 3. citt.* Speculat. *n. 13.* & Maranta *n. 219.* si verò judex appellanti, eos rite petenti, non tradat: sed in causa procedat, ejus processus & acta ipso Jure nulla sunt, *c. Ult super 4. in 6.* &, si intra præfixũ tempus, quò se daturum promisit, eos appel-

lanti instanter & sæpius petenti non exhibeat, iste appellationem prosequi potest, perinde ut, si ei expressè denegentur, *citt. c. Ab eo & Clement.* §. *fin.*

109. Porro prædicti triginta dies continui sunt, & appellanti currere probabiliter incipiunt à die appellationis interpositæ, vel quò provocans sententiæ latæ habuit notitiam & appellandi facultatem, ut *l. Judicibus cit.* ferè exaudiunt DD. Cujus rationem reddit Vallens. *hic* §. 10. *n.* 5. quia, si ei curreret à tempore latæ sententiæ, posset appellanti, eam latam esse ignoranti, præcludi tempus petendi Apostolos; cùm tamen ei præclusum non sit tempus appellandi, ut aliis DD. relatis observant *cit.* Maranta *n.* 220. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 143.

110. Ille autem trigina dierum terminus, pro Apostolis recipiendis Jure constitutus, à judice *A quo*, licet produci nequeat, restringi tamen & brevior præscribi potest, *Clement. Quamvis* 2. ut ab ipso præscriptus succedat in locum termini Juris, & eundem, quem ab isto præfixus, habeat effectum, *c. Ex insinuatione* 50. ut, qui appellavit, intra eum Apostolos non petens, aut recipiens, appellationi censeatur renuntiâsse *Clement. cit. pr. V. Verùm.* Ratio autem abbreviationis permissæ est; quòd judex quoad ea, quæ ad celeriorem appellationis expeditionem pertinent, jurisdictionem retineat: & à Jure dati termini longitudo ipsius commodum & favorem spectare videatur; ut ei non prohibeatur renuntiare, *citt.* Maranta *n.* 223. Scaccia *n.* 44. Vallens. §. 10. *n.* 6. & Gonzalez *n.* 8.

111. Tertium Fatale præfixum est appellationi introducendæ, sive Apostolos judici *ad quem* præsentandi: quod, etsi *l. Tempora* 2. *pr. & l. fin. C. de Temp. appell.* varium constitutum sit pro judicum aut locorum varietate, secundùm Ordinationem tamen Cameræ Imperialis *p.* 2. *Tit.* 3. §. 2. *&* 5. complectitur sex menses: qui currere incipiunt à die, non latæ sententiæ, sed interpositæ appellationis, teste Gaill. *Lib.* 1. *observat.* 140. *n.* 1. Jure autem Canonico ejus determinatio judicis arbitrio relinqui videtur, *c. Personas* 4. ibi, *Tu eis diem assignes:* quò Rescriptò Alexander III. respexisse videri potest ad *l. Præses* 5. verba, *Tempus, quod ad reddendos Apostolos præscriptum est, C. hâc Rubr.* Quod si judex *A quo* præsentandæ appellationis terminum non assignet, cùm Jure Canonico nihil statutum reperiatur, vel observandum erit tempus definitum à Jure Civili: vel, quod Gonzalez *in c. Cùm sit* 5. *n.* 10. monet, satis erit, inchoare & finire appellationem intra tempus, à Jure concessum ad eam finiendam.

112. Postremum datū est appellationi prosequendæ & finiendæ, ad quam, à quocunque, etiam extrajudiciali, gravamine provocatum sit, utroque Jure annus, & ex justa causa biennium conceditur, *c. Cùm sit* 5. *pr. Auth. Ei, qui, & l. fin.* §. 4. *C. de Temp. Appell.* Intra quod tempus, si provocans appellationem, justo impedimento cessante, non fuerit prosecutus, ea deserta censebitur, §. 4. *cit. & Clement. Sicut* 3. *Ubi* Panormit. *n.* 1. & *cit.* Gaill. *Observat.* 41. *n.* 1.

113. Currere autem de Jure Canonico hic annus aut biennium incipit à die interpositæ appellationis, si in judicio appelletur. Quodsi hoc fiat extra judicium, multùm interest, an à jam illato, vel primùm inferendo seu futuro gravamine appelletur; priori enim casu, sicut, cùm in judicio appellatur, ab interpositæ appellationis: posteriori autem, non ab illius, sed ejus, quod inferendum timebatur, gravaminis actu illati die annus inchoatur, *Clement. cit.* ut adeò anticipata appellatio à futuro gravamine quodammodo involvat conditionem, si gravamen actu in-

actu inferri contingat; & propterea trahatur ad illius actu illati tempus, ab eóque exordium sumat annus prosequendæ appellationi constitutus à Jure, & biennium ex justa causa ab homine concedendum, Vivianus *in Clement. cit. & in c. Cùm sit 5.* Wamesl. *num. 8.* & Gonzalez *n. 10.* Jure, inquam, *Canonico*; quia de Civili res non ita liquet, & controversa est inter DD.

In Camera Imperiali & aliis Tribunalibus majoribus, etiam Ecclasiasticis, ob multitudinem causarum ferè non attenditur Fatale appellationis prosequendæ: dummodo observentur, quæ ad eam interponendam sunt concessa, & longioris moræ causa non sint ipsi appellantes, Gaill. *Lib. 1. observat. 141.* qui etiam apud *cit.* Haunold. *n. 466.* monet Procuratores locorum, in quibus omnia fatalia observantur, ut; si intra biennium appellatio ad finem non perducatur, de sua diligentia & fatalium lapsu protestentur.

114. Causæ, ob quas ad appellationis prosecutionem & terminationem biennium concedi, ex Juris permissione potest, variæ sunt: & earum quædam se ex parte personarum appellantis, vel appellati, vel utriusque: aliæ ex ipsius judicis, vel alicujus tertii parte se tenent: aliquæ ex casu fortuito proveniunt.

115. Ex parte appellantis sunt adversa valetudo, inopia, ex eáque proveniens defectus sumptuum, ad appellationis prosecutionem necessariorum: absentia causâ Reipublicæ, captivitatis &c. Panormit. *in c. Ex ratione 8. n. 4.* & Vallens. *hic §. 13. n. 2.* quia his ab appellationis prosecutione legitimè impeditur, *arg. c. cit.* legitimè autem impedito tempus, ac proinde prosequendæ & finiendæ appellationis fatale non currit *arg. c. Quia 5. de Concess. Prabend. & l. Quod te 5. ff. de Reb. credit.* ut uno anno elapso ad ejus prosecutionem admittatur, eíque alter annus concedatur, Gonzalez *in c. Cùm sit cit. num. 11.*

Ex parte ipsius appellati, sive adversarii, ab isto per frustratorias dilationes, exceptionésque, aliáve per se aut alium objecta impedimenta procuratæ judicii protelationes, *citt.* Panormit. *num. 8.* & Vallens. *n. 4.*

Ex parte utriusque, si pendente appellationis prosequendæ tempore compromiserint in arbitros, *Clement. Quamdiu 4. & Auth. Si tamen, C. de Temp. appell.* Imò etiam, si iter, vel peregrinationem uterque susceperint, aut aliàs mutuo consensu ejus finiendæ terminum prorogârit, ut contra Panormit *cit. n. 8.* docent Felinus *in c. Ex ratione cit. n. 2.* Maranta *de Ord. judic. p. 6. Tit. de Appellat. 2. n. 225.* Scaccia *de Appellat. q. 15. art. 3. n. 165.* Vallens. *§. cit. n. 5.* & alii; partim, propter satis claros textus *Clement. & Auth. cit. & l. fin. §. 6. C. de Temp. appell.* quâ partes, ut nullum fatale observetur, paciscí permittuntur: partim; quia terminus appellationis prosequendæ & finiendæ in favorem partium non minùs constituitur, quàm terminus à delegante ad causam expediendam præfixus delegato; ac proinde, sicut iste, *c. De causis 4. de Offic. deleg. & l. Consensisse 2. §. 2. ff. de Judiciis*, sic etiam ille communi partium consensu poterit prorogari, *arg. c. Si de Terra 6. de Privileg.* 116

Pugnare quidem cum hac doctrina videtur textus *c. Oblatæ 57.* quô temporis, ad appellationem prosequendam à Jure indulti, sicut abbreviatio permittitur, sic prorogatio disertè negatur: & paritas triennii, ad causam principalem in prima instantia finiendam præscripti: cujus prorogatio partium consensu, etiam cum juramento, & per viam compromissi, permissa non est. secundùm Glossam a DD. receptam 117

receptam *in l. Properandum 13. V. Triennii, C. de Judiciis.* Sed reipsa textus non adversatur; quia eô termini prorogatio soli appellanti, aut judici negatur: consensu autem utriusque partis fieri textu illo non prohibetur; ac proinde *Clement.* & cæteris textibus allegatis standum est. Neque paritas est cum termino primæ instantiæ, cùm; quia, sicut istius terminum prorogari per viam compromissi posse, Glossa *cit.* disertè negat, sic eum, qui appellationis prosecutioni præfixus est, prorogari compromissô posse, *Clement. cit.* disertè affirmatur: tum verò; quia plus præjudicii affert peremptio in instantia secunda, quàm in prima; cùm istâ peremptâ sola Acta judicii Ordinatoria pereant, integro manente agendi jure: quod tamen perimitur pereunte instantiâ secundâ; nam istâ peremptâ sententia judicis *A quo* transit in rem judicatam, *Clement. Si appellationem 6.* Unde termini finiendæ appellationi præfixi prorogatio meritò faciliùs permittitur, quàm ejus, qui à Jure constitutus est instantiæ primæ, *citt.* Maranta *num. 226.* Vallens. *num. 6.*

118. Ex parte judicis, biennii pro appellationis prosecutione concedendi, justa causa datur, cùm iste ob infirmitatem vel aliam causam non sedet pro tribunali, vel aliàs per eum stat, quò minùs appellationis causa intra debitum terminum ad finem perducatur, Glossa *in c. Ex ratione cit. V. Per impotentiam.*

Ex parte verò alicujus tertii, cùm procurator negligit causæ prosecutionem, vel hæc à nuntio, vel alio quopiam impeditur, *citt.* Glossa & Panormit. *n. 8.* quô tamen casu appellationis tempus currit & secundus annus non indulgetur: sed ad damna & interesse præstandum actio datur adversus procuratorem, vel tertium impedientem, Glossa *in c. Ex ratione cit. V. Impotentiam* Panormit. *cit. n. 8.* & Vallens. *num. 10.*

Demum casus fortuitus prorogationi justam causam præbet, cùm vg. viæ ad judicium ab hostibus sunt obsessæ, aut causæ appellationis procurator interceptus, Vallens. §. *cit. n. 11.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 170. in fine:* quorum tamen DD. ille §. 14. *n. 1.* iste *n. 171.* rectè monet, ut ex hujusmodi impedimento, seu causa aliqua alter annus concedatur, eam ab appellante evidentibus argumentis probandam: quod *c. Ex ratione cit.* verbis, *Dummodo constiterit*, insinuatur, & clarè traditur *c. Cùm sit 5. & l. fin. §. 4. C. de Temp. appellat.* Unde

119. Dubium oritur primò, an ad appellationis prosecutionem tertius annus aliquando valeat concedi. Secundum annum, spectatô Jure, omnino fatalem, eóque lapso appellantem ad causæ prosecutionem non amplius admitti, censet Gonzalez *in c. Cùm sit. cit. n. 12.* quòd istius *c. textu* post lapsum biennii appellans amplius admissus non sit, etsi justum impedimentum allegârit. Id ipsum suadet ratio; quia præsumptio Juris est, quamlibet causam, quantumcunque arduam ad finem perduci intra biennium posse: dummodo appellans secundum præscriptum Juris eam summa ope summóque opere & studio prosequatur; ideóque iste terminus à Jure præscriptus est, ut tantò certior celeriorque sit litium finis, *c. Finem 5. de Dolo & l. Properandum 13. pr. C. de Judiciis*, Vallens. *loc. §. 14. n. 10.*

Neque obstat; quòd *c. Ex ratione cit.* post biennium deferatur appellanti: dummodo prosecutionem ipsius appellationis per impotentiam constiterit omissam esse; quia licet casu, quô de impedimento indubitatè constat, ad appellationis prosecutionem tertium annum instar secundi

secundi concedendum, aliqui satis probabiliter desumant ex *c. cit.* textu & com-
121. muni Regula, quâ legitimè impeditis tempus non currere dicitur, *c. Quia 5. de Concess. Prabend.* cùm imputari non debeat ei, per quem non stat, si non faciat id, quod per eum fuerat faciendum, ut habet altera Regula, quæ est *41. in 6.* Alii tamen tali casu impeditum non ipsô Jure, sed beneficiô restitutionis in integrum ex clausula generali, *l. 1. in fine ff. Ex quibus caus. major.* illæsum servari, volunt apud Barbosam *in c. Ex ratione cit. n. 2.* & Gonzalez *n. 12.*

122. Dubium secundò est, an etiam Jure concessum tempus valeat restringi. Quod DD. passim & bene resolvunt, dum iudici, à quo appellatum est, introducendæ appellationis tempus brevius aliquando præfigendi facultatem adstruunt; ut, si appellationẽ intra illud tempus introducere & prosecutionẽ inchoare appellans negligat, ea haberi valeat pro deserta, & appellans sententiæ ab eô latæ parere cogatur, *c. Cùm sit cit. & c. Ad aures 33.* præfigi tamen ab eo posse, negant, terminũ breviorem, intra quem causa appellationis debeat finiri; propter textum *c. Insinuatione 50.* Rationem reddunt; quòd judex *Ad quem* sit ipsô superior; ac proinde huic præscribi nequeat lex, vi cuius intra certum tempus causam teneatur expedire, *cit.* Vallens. §. *12. n. 5.* Barbosa *in c. cit. n. 2.* & *ibi* Gonzalez *n. 4.*

123. Dubium tertiò est, an prosequendæ & finiendæ causæ appellationis fatale restringi valeat ab ipso appellante. Ratio dubitandi est; quòd restringi nequeat ab ejus adversario. Sed, hoc non obstante, à Jure concessum tempus restringi ab ipso appellante & brevius reddi posse, satis receptum & clarè expressum est *c. Persona 4.* modò spectatis circumstantiis congruum sit, *c. Consuevit 4.* quia sic favori à Jure pro se principaliter introducto videtur renuntiare. Neque refert; quòd id non permittatur adversario; quia non debet esse in istius potestate, terminum adversario suo à Jure indultum coarctare, & legem ponere, ipsi præjudicantem, Panormit. *in c. Cùm sit cit. n. 6.* Vallens. §. *cit. n. 4.*

ARTICULUS VIII.

De Effectibus Appellationis, & post hanc Attentatis.

SUMMARIUM.

124. *Appellatio causam devolvit ad superiorem.*
125. *Jurisdictionem inferioris judicis non semper,*
126. *Plerumque tamen suspendit;*
127. *Ut post ipsam interpositam,*
128. *Et latam sententiam definitivam nihil valeat innovare,*
129. *Saltem, si frivola non sit.*
130. *In aliis tamen causis procedere.*
131. *Nec recusari potest:*
132. *Nisi, malè ab ipso judicatum, fuerit pronuntiatum.*
133. *Etiam post appellationem ab interlocutoria,*
134. *Et ab extrajudiciali gravamine interpositam aliquid innovari nequit,*
135. *Aliter tamen post eam, quàm post appellationem à definitiva innovata revocantur.*
136. *Ea revocatio fit à judice* Ad quem,
137. *Et viâ seu remediô Attentatorum:*
138. *Quod* Unde vi *Interdictô uberius est.*

124. APpellationis à sententia definitiva legitimè interpositæ duo celebres sunt Effectus: quorum alter Devolutivus, alter Suspensivus nuncupantur.

Devolutivus in eo situs est; quòd causa, super qua est appellatum, ejúsque cognitio cum omnibus accessoriis à judice inferiore devolvatur ad superiorem, ad quem est provocatum: & huic tribuat jus ac potestatem cognoscendi de justitia appellationis: &, si hanc justam ac legitimè interpositam esse constiterit, cognoscendi ac definitivè pronuntiandi de ipsa causa principali, *c. Dilectis 55. c. Ut debitus & c. Romana 3. §. Si verò in 6.* Sic enim, quantumvis Archiepiscopus non habeat jus & jurisdictionem in suorum suffraganeorum subditos, ab his tamen adiri per viam Appellationis, & de causis, per hunc ad se devolutis, tanquam judex Ordinarius cognoscere: Suffraganeorum sententias, si justæ, confirmare, aut, si injustæ videantur, omnino, vel ex parte infirmare potest: vel, si res poscat, sententiam omnino novam concipere & partibus publicare, *arg. c. Raynaldus 18. de Testam.* ut desumitur ex *can. Nullus Primas 7. can. Conquestus 8. &c. 9. q. 3. c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ord. c. 1. eâdem Rubr. in 6. & c. Romana 3. hâc Rubr. in 6.*

125. Atque hunc effectum appellatio aliquando operatur, etsi non operetur suspensivum, præsertim, quando ea interponitur à sententiis Censurarum; quantumvis enim sententia vg. Excommunicationis absolutè inflicta, postea interpositâ appellatione, non suspendatur, sed secum trahat executionem, eáque fulminatum statim liget; ut ei, tanquam à fidelium communione excluso, proventus Ecclesiastici subtrahi valeant, *c. Ad hæc 37. c. Pastoralis 53. §. Verum hic, & c. Is, cui 20. in fine, de Sent. Excom. in 6.* causam tamen transfert ad superiorem, ad quem est provocatum, Glossa *in c. Ad hæc cit. V. Interdictum*, Panormit. *ad hanc Rubric. n. 5.* Sylvester *V. Appellatio, n. 1.* Barbosa *in c. Pastoralis cit. n. 5.* & Gonzalez *in §. Verùm cit. n. 3.* 126.

Suspensivi effectûs vi sine alia inhibitione suspenditur jurisdictio judicis, à quo est appellatum; ut neque ejus sententia transeat in rem judicatam, neque executioni mandari possit, *c. Dilectis cit. c. Venientes 19. de Jurejurando, & l. 1. §. fin. ff. ad S. C. Turpill.* neque ipse, dum appellatio pendet, regulariter valeat aliquid innovare, sive in ea causa, in qua provocatum est, immutare: sed in eo statu, quò appellationis interpositæ tempore fuerunt, quamdiu de ea superior cognoscit, omnia sint relinquenda, *c. Directa 39. & l. Unica ff. Nihil innovari appell. interp.* Maranta *de Ord. Judic. p. 6. de Appellat. n. 173.* Si verò judex *à Quo*, aliquid eô tempore immutandô, innovârit, per viam seu remedium Attentatorum revocari & omnia in pristinum statû restitui debent, *c. cit. V. Quia tamen, l. Sciendum 6. ff. l. Ex illo 13. C. hic, & c. Non solùm 7. pr. in 6.* cùm enim appellatio appellantem quoad causam, in qua provocatum est, eximat à jurisdictione judicis *à Quo*, eámque suspendat, quidquid interim circa statum causæ innovandô attentat, factum censetur à non judice, sed à judice in illa causa jam incompetente, Anchoranus *in c. Non solùm cit. pr.* Covarruvias *Practic. cap. 23. n. 1.* & Vallens. *hîc, §. 15. n. 2.* 127. 128.

Neque solùm revocantur, quæ post appellationem interpositam: sed ea quoque, quæ ante ejus interpositionem post sententiam latam intra tempus decendii, ad appellandum concessi, fuerunt attentata. *c. Non solùm cit. pr.* cùm enim tempus illud à Jure indultum sit ad appellandum, nihil eô pendente debet innovari; ne per senten-

sententiam gravatis indultum à Jure beneficium, ipsis damnosum aut inutile reddatur, contra Reg. *Indultum* 17. *in 6.* Gonzalez *in c.* 1. *n.* 6. Unde appellatio, quæ est in proxima potentia idem operatur, quod ea, quæ actu interposita jam fuit. Neque id immeritò; cùm aliquid actu existere, & esse proximè extiturum, paria: & ejusdem rationis esse censeatur jus in proxima Spe, cujus est jus in Re, Anchoran. *in c. cit. not.* 4.

129. Porro, ut utrumque hunc effectum Appellatio à sententia definitiva producat, necesse est; ut, juxta dicta, interposita sit legitimè; quia, si ea manifestè frivola & frustratoria; ideóque Apostoli tantùm Refutatorii concessi essent, judex ad ulteriora & sententiæ executionem procedere non prohibetur, *c. Cùm Appellationibus* 5. *in 6.*

Dictum etiam suprà est, *In causa, in qua provocatum est*; quia in aliis ab ea diversis, tam Criminalibus, quàm Civilibus, causis judex *A quo* contra appellantem procedere permittitur, *c. Præterea* 22. *& c. Proposuit* 24. Ratio est; quia appellans ab illius jurisdictione solùm eximitur quoad causam appellationis: ad quam non solam Ordinarii judicis jurisdictio se extendit, *c.* 1. *de Offic. Ordin.* Ubi

130. Dubium movetur, an judex, à quo in una causa est appellatum, non idcirco quoad alias recusari valeat, tanquam suspectus. Affirmat id cum Glossa *in c. Proposuit cit. V. Non debet*, Maranta *de Ord. Judic. p.* 6. *Tit. de Appellat. n.* 6. propter textus *c. cit. & c. Ad hæc* 6. Negant in *c. cit.* Panormit. *n.* 2. & Felinus *n.* 1. propter non minùs claram Rubricam & *l. Unic. ff. Apud eum, à quo appellatur, aliam causam agere compellendum.* Ratio est; quia Appellatio non est justa causa offensionis; cùm per ipsam judici nulla injuria inferatur, *l. Et in majoribus* 20. *C. hic:* Imò ea huic deberet esse exoptata; cùm, si malè, sententiæ confirmatio ipsi honori: si verò, bene provocatum, à superiore pronuntietur, sententiæ revocatio, vel correctio ipsius conscientiæ levamini sit futura. Bartolus *in l. Unic. cit.* Civile Jus existimat. *cc. citt.* esse correctum: & propterea recusationi, *Rubr. & l. Unic. citt.* non permissæ, locum esse de Jure Canonico, à Legibus hac in re divertente; quòd experientiâ compertũ sit, multos judices provocationi à sua pronuntiatione adeò indignari; ut partes eâ gravatæ, offensionis timore appellationis vocem vix audeant proferre.

Hic Bartoli de controversia sensus, licet cum Jurium tenore satis conveniat, non displicet tamen etiam Opinio Gonzalez *in c. Ad hæc cit. n.* 2. utrumque Jus in concordiam reducere nitentis asserendô, solâ appellatione interpositâ, & adhuc pendente, judicem suspectum non reddi: nisi sententiæ ab eo latæ injustitia notoria sit, vel odii, aut amoris aliæ causæ, vel indicia se prodant.

Pro qua Jurium, in speciem sibi ad- 131.
versantium, conciliatione etiam facit ratio; quia antè appellationis exitum nescitur, an iniquè, vel imperitè judicârit, & parti fuerit offensus, ut notat Glossa *in c. Proposuit cit. V. Non debet.* Neque etiam, si malè appellatum fuisse, postea pronuntietur; cùm enim hôc casu ipsa appellationis causa ad ipsum remittatur, *c. Olim* 7. *de Except.* non est ratio, cur in aliis recusetur. Sed solummodo, si, bene appel- 132.
latum fuisse, pronuntietur; cùm enim tali casu plerumque iniquè, aut imperitè judicâsse redarguatur, pro offenso haberi justè poterit & recusari, juxta decisiones *c. Ad hæc & c. Proposuit citt. Plerumque*, inquam, non *Semper*; quia casu, quô appellans ideo succubuit; quòd in prima instantia, omissis, quæ allegare debebat, jus & inten-

& intentionem suam satis non probârit, quomodo judex iniquè, aut imperitè judicasse, & propterea tanquam offensus & suspectus recusari valeat, non apparet.

133. Post appellationem à sententia interlocutoria, non habente vim definitivæ, & irreparabile damnum non afferente, legitimè interpositam à Judice *A Quo* acta, ut tanquam Attentata in irritum revocentur, necessarium est; ut, ne ulterius in causa procederet, ipsi canonicè inhibitum sit à judice superiore. Inhibitioni autem, ut canonica sit, præmittenda est justificatio appellationis, sive, ut antequam illa fiat, appellandi causam justam ac rationabilem, & causam esse devolutam, constet, *c. Non solùm 7. §. Illa, ubi* Glossa *V. Ante definitivam*, Franc. *n. 5.* & Covarruvias *Practic. cap. 24. n. 1.* Causâ etiam justificatâ non omnia, sed ea tantùm acta judicis *A quo* revocantur, quæ post Canonicam inhibitionem sunt attentata, Franc. *cit. n. 5. & in c. cit.* Laiman & Barbosa uterque *n. 3.* Nisi judex *A quo* appellationi statim detulisset; cùm enim eam admittendô à se abdicet jurisdictionem, eáque tam super causa principali, quàm super articulo appellationis in superiorem transferatur, *c. Cum Appellationibus 5. in 6.* postea ab ipso acta in irritum revocanda erunt, quantumvis inhibitio facta non sit, Glossa *in* §. *Illa cit. V. Nisi judex*, Gaill. *Lib. 1. observat. 144. n. 3.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 244. in fine.*

134. Sicut post judicialem, sic & contra legitimè, hoc est, ex verisimili & probabili causa ad superiorem interpositam appellationem extrajudicialem, dum ea pendet, acta revocanda in irritum, & in eum statum reducenda sunt, quô interpositionis tempore fuerunt, ut colligitur ex *c. Bonæ 51.* quô textu contra eam ab Abbate ad sedem Apostolicam, etiam non specialiter contra personam & gravamen certum, ut in judiciali exigitur, sed generaliter, *Ne quis eum super possessione Ecclesiæ præsumeret molestare*, interpositam acta, tanquam attentata, adversus eos, à quibus Ecclesiæ possessione fuit dejectus, imò & adversus tertium possessorem, revocata, & in eum statum, in quo fuerunt tempore interpositæ appellationis, sunt reducta: atque insuper mediô tempore percepti fructus Abbati sunt assignati, Glossa *in c. cit. V. Eum statum, ubi* Panormit. *n. 16.* & Covarruvias *Practic. cap. 24. n. 5.* Qua in re, licet aliqui extrajudicialem appellationem æquiparent cum judiciali, non unum tamen inter eas &, præter alia, illud est discrimen; quòd per judicialem potestas judicis suspendatur: non 135
etiam per extraiudicialem; ideóque post illam quidem, non etiam post hanc interpositam acta ante omnia revocentur, sed pendeant ab eventu futuro; cùm tum demum revocentur, quando appellatio fuerit justificata, eámque interponendi causa probabilis declarata, *c. Bona cit.* Nisi non solùm post, sed etiam contra appellationem: vel post istam, ab Electione ad Ecclesiam Cathedralem, vel Regularem interpositam, sint attentata; hæc enim ipsô Jure ante omnia & ipsam quoque appellationis iustificationem, revocanda, aliis DD. relatis, docet Barbosa *Lib. 2. Decis. Vol. 39. àn. 68. &* ex eo Gonzalez *in c. Consideravimus 10. de Elect. n. 6.*

Quare intra decendium à sententia 136
definitiva, ab eáque interpositâ appellatione pendente: uti & post iustificatam, quæ ab interlocutoria interposita est: & pendente appellatione extraiudiciali, in appellantis præiudicium innovata post eius iustificationem, viâ seu remediô Attentatorum ante omnia revocanda sunt à iudice, ad quem appellandô est provocatum, ex decisione *c. Solicitudinem 54.* ubi Innocentius III. declarationem nullitatis

Excom-

Excommunicationis, quæ post appellationem, interpositam ad sedem Apostolicam, lata fuit, non ad Metropolitanum, qui per viam querelæ aditus erat: sed ad ipsum Papam, ad quem provocatum est, pertinere, rescripsit. Ratio est; quia, qui cognoscit de causa principali, is etiam de accessoriis & connexis cognoscere debet; quia accessorium sequitur principale, *Reg.* 42. *in 6.* & connexorum idem iudicium est, *c. Translato 3. de Constitut. & l. Quid ergo 3. §. 8. ff. de Contrar. act. tutel.* ut iudicis, cuius de eorum uno, etiam de altero cognoscere sit, *arg. c. 1. de Causs. possess. & l. Nulli 10. C. de Judiciis*: causa autem Attentati revocandi accessoria & connexa est causæ appellationis; cùm pendeat ex eo, an ista legitima, aut frivola sit, Panormit. *in c. cit. pr. & ibi* Laiman. *n. 3.*

137. Remedium autem Attentatorum, quô post appellationem attentata, & in appellantis præiudicium innovata, revocantur, licet magnam similitudinem habeat cum Interdicto *Unde vi*, quod competit spoliato: isto tamen uberius ac pinguius est; quantumvis enim Interdictô illô spoliatus ante omnia sit restituendus, *c. In literis 5. c. Conquerente 7. &c. de Restit. Spoliat.* tamen ad innovatorum revocationem viâ seu remediô Attentati agens maiori quàm ille privilegiô gaudet; Primò enim illius Interdicti intentatio exigit Ordinem Judiciarium; non etiam intentatio remedii Attentatorum, in quo, imploratô officiô iudicis, ab isto, parte solummodo citatâ, proceditur de plano: ut quodammodo, sicut facta innovatio, ita innovatorum revocatio fiat, Panormit. *in c. Bona cit. n. 16.* & Vallens. *ad hanc Rubric.* §. *16. n. 3.*

138. Secundò, Interdictum pro solis immobilibus, *l. 1. §. 6. & 7. ff. de Vi armata*: & contra eum duntaxat, qui spoliavit, spoliationem mandavit, aut eam suo nomine factam ratam habuit, *c. Cùm ad sedem 15. de Restit. Spoliat. & l. cit. §. 12. &c.* Remedium autem Attentatorum etiam pro mobilibus, & adversus quemcunque, sive bonæ, sive malæ fidei, possessorem competit, sive per partem, sive per judicem ad eum pervenerint, *c. Bona cit. & c. Ex parte 7. de Test. & atteſt. citt.* Panormit. *n. 19.* & Vallens. *n. 5.*

Tertiò, Interdictum intentans possessionem ac spoliationem, *c. Consultationibus 10. de Offic. deleg.* viâ autem Attentati agens solam possessionem appellationis interpositæ tempore penes se; non autem penes adversarium, vel alium existere, probare debet, abstrahendô, an vis intervenerit vel non, Panormit. *cit. n. 19.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 254.*

Quartò, Attentati remediô agenti non obstat notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis: neque etiam, si appellatio judicialis sit, exceptio excommunicationis: quæ tamen *Unde vi* Interdictô agenti obstant, *c. Cùm dilectus 2. c. fin. de Ord. cognit. c. Intellexi-mus 7. de Judiciis & c. fin. de Except. citt.* Panormit. *n. 20.* & Vallens. *n. 4.* excipiens à parte interpositam appellationem extrajudicialem; cùm enim hæc sit provocatio ad causam, *c. Cùm sit 5. pr.* & Actionis habeat rationem, *l. Qui appellat. 29. ff. de Judiciis*, Attentatorũ revocationem petenti obstare videtur exceptio excommunicationis, *arg. c. Intelleximus & c. fin. citt.*

Quintò demum, Interdictô agens in beneficialibus & similibus causis, secundùm communem multorum sententiam, ad instantiam partis, aut saltem judici pro sua informatione ex officio petenti, exhibere aliquando debet titulum coloratum: non etiam post appellationem innovata revocans viâ Attentati, *arg. c. Bona & c. Ex parte citt.* Panormit. *n. 17.* & Pirrhing *n. 254.* Alias differentias dabunt DD. *citt.*

ARTICULUS IX.

De Judicis Recusatione.

SUMMARIUM.

139. *Appellationi affinis est Recusatio:*
140. *Quâ tanquam suspectus declinatur judex:*
141. *Delegatus Utrôque:*
142. *Ordinarius saltem Canonicô Jure.*
143. *Recusandus judex est ante litis contestationem,*
144. *Inscriptis,*
145. *Et ex causa justæ suspicionis:*
146. *Quæ nominatim exprimenda est,*
147. *Etiam de Jure Civili.*
148. *De causa suspicionis aliquando arbitri:*
149. *Aliquando delegans,*
150. *Vel judex condelegatus;*
151. *Et, subdelegatô recusatô, ferè delegatus cognoscit.*
152. *Causam apertè frivolam rejicit ipse judex recusatus,*
153. *Secus arbitris, de ea cognoscentibus, statuit terminum:*
154. *Intra quem ab ipso acta non semper irrita sunt.*
155. *Suspicionis causâ non probatâ, de causa principali recusatus:*
156. *Illâ probatâ, alius judex cognoscit.*

139. APpellationi affinis est Recusatio judicis; cùm ista quoque & eôdem, quô illa, Jure comparata sit ad defensionem, *can. fin. V. Nam quod, 3. q. 5. & c. Secundò 41. §. fin.* eáque legitimè objectâ suspendatur jurisdictio judicis recusati; ut, suspicionis causâ apud arbitros pendente, aliquid innovare ei non liceat in præjudicium recusantis, arg. à contrario ductô ex *c. Cùm speciali 61.* verbis, *Causâ suspicionis non probatâ, sua jurisdictione utatur:* & innovata, post appellationem Attentatorum instar, ante omnia sint revocanda, *can. Quoties, 2. q. 6. ubi* Glossa, *V. Appellent, & in can. fin. V. Etsi, 3. q. 5.*

140. Est autem recusatio Rejectio sive declinatio judicis & jurisdictionis ipsius, propositâ causâ suspicionis, ut colligitur ex *can. fin. cit. c. Causam 17. c. Suspicionis 39. de Offic. deleg. & l. Apertissimi 16. C. de Judiciis,* Speculat. *Tit. de Recusatione, pr.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 265.* Eam litigatoribus ad sui defensionem permittendi in æquitate Naturali fundata ratio fuit; ne stare cogerentur judiciis eorum, quorum fidem, etsi publicâ authoritate approbata sit, ipsi tamen ex privatis rationibus meritò habent suspectam. Covarruvias *Practic. cap. 26. pr.* & Gonzalez *in c. Cùm speciali 61. n. 2.*

141. Recusari, cùm suspectus est, judicem delegatum utroque Jure posse, extra omne dubium, & planum est ex *cc. citt.* Nisi à litigantium altero sit impetratus; hunc enim impetrantis recusationi non obnoxium, liquet ex *c. Cùm olim 33.* nisi ex causa suspicionis, quæ postea primùm orta vel cognita est, *c. Insinuante 25. de Offic. deleg. ubi* Hostiens. *V. Propriô,* Laiman *in c. Cùm olim cit. n. 3.*

142. De judice Ordinario inter Jura illa DD. passim agnoscunt & statuunt discrimen; Ecclesiasticô enim eius recusationem: &, si suspicionis causa probata fuerit, à cognitione omnimodam remotionem permissam, indubitatum est ex *can. fin. cit. & c. Si quis contra 4. de Foro competet.* Imò totum Collegium recusari posse, communiter est receptum, *arg. Licet 10. eâdem Rubric.* Gaill. *Lib. 1. observat. 33. n. 2.* Unde hoc Jure recessum aiunt ab Imperiali, iudici Ordinario, iustâ ratione recusato, eam cognitionem non omnino adimente:

adimente: sed ei Archi-vel Episcopum: vel, ut moderna praxis est, virum bonum ac discretum, miniméque suspectum adiungendum statuente, *Auth. Si verò, C. de Judiciis*, Baldus *in Auth. cit. n. 1. ubi* Sichardus *n. 7.* & aliis relatis Covarruvias *Practic. cap. 26. n. 1.*

Non desunt tamen DD. qui, hôc etiam Jure Ordinarium æquè, ac delegatum, recusari in totum posse; atque *Auth. cit.* &, ex qua ista deprompta est, *Novell. 86. cap. 2.* consilium tantùm contineri, velint cum Hilliger *ad Donell. Lib. 17. cap. 25. lit. Q.* quòd, cùm Ordinarii suspecti non minùs, quàm delegati iudicium subire, periculosum sit, non fuerit ratio, suspicionis iustâ causâ subsistente, istius potiùs, quàm illius recusationem permittendi. De quo quidquid sit, in praxi Curiarum consuetudinem observandam, rectè monent Gaill. *cit. observat. 33. n. 16.* & Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 2. num. 75.*

143. Porro ad iudicis cuiuscunque legitimam Recusationem tria: & imprimis quidem requiritur; ut proponatur ante litis contestationem, *c. Inter Monasterium 20. de Sent. & re judic. & l. Apertissimi cit. pr.* Imò, Recusationes ante alias exceptiones dilatorias omnes proponendas, cum Glossa *in c. cit V. Subeundo*, tradit Zanger *p. 2. de Except. cap. 4. à n. 2.* adeò; ut, qui super aliis exceptionibus dilatoriis, vg. actoris excommunicati subiret iudicium, exceptioni iudicis Recusatoriæ renuntiâsse, eiúsque personam, insuper habitâ causâ suspicionis, approbasse videretur: *arg. c. Insinuante 25. de Offic. deleg.* eámque reprobare ampliùs non permitteretur, *Reg. Quod semel 21. in 6.* Nisi tamen suspicionis causa postea primùm orta, vel, quæ ante extitit, postea cognita fuisset; cùm enim, quæ de novo emergunt, novô auxilio habeant opus, *l. De* *atate 11. §. 8. ff. de Interrogat. fac.* & iusta ignorantia excuset, *Reg. Ignorantia 13. in 6.* ex causa suspicionis, postea primùm orta, vel comperta iudicis recusatio, lite iam contestata, usque ad conclusionem in causa admitteretur *arg. c. Insinuante cit. & c. Pastoralis 4. de Except. citt.* Gaill. *n. 11.* Zanger *n. 5.* & Haunold. *n. 73.*

Deinde; ut recusatio fiat in scriptis, 144.
sive oblatô iudici libellô Recusatoriô, *l. Apertissimi cit.* ibi, *Libellô recusationis ei porrectô*, Glossa *in c. Secundò 41. V. Coram allegare, citt.* Gaill. *n. 13.* Vallens. *n. 3.* & Haunold. *n. 76.* comparatur enim Appellationi ab interlocutoria, quæ in scriptis facienda est, *c. 1. in 6.*

Demum; ut allegetur iusta causa su- 145.
spicionis & Recusationis, vg. quòd iudex recusatus recusatoris sit inimicus, *c. Cùm R. 35. de Offic. deleg.* vel amicus cognatus aut affinis adversarii, *c. Causam 17. ibidem*: quòd in eodem negotio egerit advocatum, vel procuratorem: quòd cum alio habeat similem litem, eámque ob causam timendum sit; ne ius dicat inter alios, quod sibi dici postularet: quas & alias magnô numerô enarratas à Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appellat. à n. 27.* & generaliter quamcunque causam, ex qua testis repellitur, ad recusationem iudicis sufficere, rectè ait Gonzalez *in c. Cùm speciali 61. n. 4.* cùm ex suspicionis causa faciliùs recusetur iudex, quàm à testimonio dicendo quis repellatur, Glossa *in c. Cùm R. 35. V. Cum sint, de Offic. deleg. cit.* Gaill. *n. 10.* & Barbosa *in c. cit. n. 5.*

Eiusmodi autem causam, an in spe- 146.
cie exprimi necesse sit, vel sufficiat allegari generatim, controversûinter DD. & crebriori istorũ calculô receptum est inter Jura discrimen; ut Canonico quidem eius expressio specifica exigatur, *c. Secundò 41. §. fin. & c. Cùm speciali 61. pr.* Civili autem spectatô, sufficiat allegatio generalis,

per textus *l. Apertissimi 16.* eique subiectæ *Auth. Si verò, C. de Judiciis:* quibus suspecti iudicis recusandi modus præscribitur, certæ suspicionis causæ, ne verbô quidem, factâ ullâ mentione. Alii hôc Jure ejus expressionem necessariam volunt solummodo, cùm judex Ordinarius: non etiam cùm delegatus recusatur.

147. Has tamen distinctiones pro erroneis habet Gouzalez *cit. n. 4. in fine*, Easdem rejiciunt, & quoad causæ expressionem inter eos judicis ac Jura discrimen aliquod non agnoscunt Cujacius *Lib. 9. observat. 23.* Gilcken *in l. Apertissimi cit. n. 17.* & Hunnius *Vol. 1. in Treutl. disp. 12. q. 41.* Neque id immeritò; cùm, suspicionis causam allegandam, *l. fin. C. de Judiciis* eámque nominatim exprimendam, apertè habeatur *l. Si pariter 9. ff. de Causa liber.* cujus *pr.* tenor est, *Nisi justam causam adferat, quare ad eum mitti non debeat, fortè, si eum judicem inimicum sibi affirmet.* & demum ejus in specie exprimendæ necessitatem, Civili non minùs, quàm Canonico Jure fundata ratio evincat; quia judicis recusatio ad suggillationem ejus existimationis, ad contemptum & quodammodo iniuriam pertinet, *arg. l. Si quis 5. ff. de Judiciis, l. fin. C. Quando provoc. non est necess.* explorati autem Juris est, quoties aliquid ad iniuriam, & existimationis alienæ suggillationem pertinet, in specie & nominatim id exprimi oportere, *l. Item exigit 16. ff. de Dolo, & l. Prator 7 pr. ff. de Injuriis*, præsertim, si vergat in contemptum iudicis: quem, qui suspectum ait, nec addit causam, nihil dicere intelligitur; propter militantem pro eius integritate præsumptionem Juris, *c. Sicut 16. in fine, de Sent. & re jud. l. fin.* ibi *Quod non arbitramur, C. de Offic. Civil. jud.* Accedit; quòd, in dubio Jus Canonicum à Civili feciſſe divortium, non præsumatur, *arg. c. 1. de Novi op. nunt.* & optimus legum interpres sit Magister Usus, *c. Cùm dilectus 2, de Consuet.* teste *cit.* Gaill. *n. 16.* in libello Recusatorio expressionem certæ causæ exigens non minùs, quam Sacri Canones eam poscunt *c. Secundo 41. & c. Cùm speciali 61.*

Neque in contrarium faciunt *l. & Auth. citt.* quia causæ nominationi, eiúsque nominatim exprimendæ necessitati, ne verbô quidem, adversantur; atque idcirco recipiunt interpretationem, ex aliis *ll.* pro ea facientibus depromptam, consentaneam Sarcis Canonibus, Curiarúm etiam Secularium usu approbatam, & firmatam magna ratione.

De expressæ autem causæ veritate 148.
&, an ea legitima sit, cognoscere, non est ipsius iudicis recusati; ne in propria causa ius dicat, contra Regulam *Rubric. & l. Unic. C. Ne quis in sua causa:* sed ferè unius vel plurium arbitrorum, suspicionis causâ propositâ, ab ipso iudice recusato simul & eius recusatore, vel ab isto ipsiúsque adversario, si quem habet, electorum, *c. Suspicionis & c. Cùm speciali cit.*

Neque pro recusato iudice facit; quòd cuiusque iudicis sit æstimare, an sua sit iurisdicto, *l. Si quis ex aliena §. ff. de Judiciis*; quia hoc non indiscriminatim quocunque, sed eô solum casu verum est, quô ei obiecta exceptio concernit defectum iurisdictionis, vg. quòd rescriptum delegatorium ob- vel subreptitium sit, *l. Si quis cit. & c. Super literis 20. de Rescript.* Non etiam casu, quô exceptio respicit statum & similes qualitates personæ ipsius iudicis, vg. quòd servus, excommunicatus, infamis, vel propter scientiæ, aut integritatis defectum idoneus non sit; cùm enim huiusmodi exceptio lædat existimationem iudicis, eiúsque personam offendat, ab eius cognitione meritò repellitur: etsi admittatur ad cogni-

ad cognitionem prioris, ejus existimationi nihil derogantis, Panormit. *in c. Super cit. n.* 10, Felinus *ibid. n.* 22. & Bartol. *in l. Quidam* 57. *ff. de Re judic. n.* 7.

149. Dixi *Ferè* sive regulariter; quia variis casibus de causa suspicionis alii cognoscunt: & Inprimis quidem, cùm delegato recusato præsens est delegans; quia ad causam suspicionis, Sedis Apostolicæ delegato objectæ, arbitri ideo eliguntur; quòd delegans multùm distet, & sine magnis sumptibus ac molestiis nequeat adiri, ut cum Panormit. *in Repetit. c. Si quis contra 4. de Foro compet. n.* 21. advertit Molina *Tract.* 5. *de J. & J. disp.* 23. *n.* 15. Propter quam causam, si delegatus Episcopi aut ejus Officialis, uti etiam Vicarius generalis recusetur, de suspicionis causa, cognoscere ad Episcopum, aliunde non suspectum, pertinebit, *C. Si contra unum 4. pr. V. Cùm autem, de Offic. deleg. in 6.* nisi iste procul absit, ut causa ad eum referri facilè non possit; hôc enim casu arbitros eligendos, præter DD. *citt. in c. Si contra cit.* observant, Anchoran.

150. *not. 4.* Laiman. *n. 4.* & Barbosa *n. 8.* Deinde, quando tanquam suspectus recusatur unus ex duobus, ad eandem causam delegatis, cum clausula *Si ambo non poterit, unus procedat*, de recusationis articulo nō arbitri, sed condelegatus non recusatus cognoscit, *c. Si contra unum cit.* cùm enim vi talis clausulæ, unô impeditô, de causa cognoscere debeat alter, huic meritò adstruitur cognitio articuli suspicionis, ut intelligat, an clausulæ conditio adimpleta & jurisdictio sit sua solius,

151. Franc. *in c. Si contra cit. n.* 4. Demum, quando à Papa ad causam aliquam delegati subdelegatus à parte iam citata recusatur, multùm interest, an huic unꝰ duntaxat vel alter causæ articulus, vel tota causa per subdelegationem sit cōmissa. Priori enim casu de suspicionis causa ad subdelegantem: posteriori verò ad arbitros eligendos, vel delegantis condelegatum, si quem habet, cognoscere pertinebit; quòd hôc casu jurisdictio tota in alterū translata: priori verò delegatus ejus partem sibi reservârit; ut proinde, si præsens sit, ad eū, tanquam judicem superiorem, cognitio pertineret. *Parte*, inquam, *jam citata*; quia ante citationem, cùm res adhuc integra sit, de objecta suspicionis causa cognoscere delegatus posset, ut cum Glossa *in c. Si contra cit. V. Episcopi*, notat *cit.* Laiman. *n.* 2.

152. Casu, quô causa recusationis manifestè frivola & injusta foret, judex recusatus, insuper habitâ causâ suspicionis sibi objectæ, in negotio principali procedere non prohiberetur, ut *in c. Cùm speciali cit.* post Panormit. *n.* 12. notant Barbosa *n.* 1. Laiman. *n. 4.* Sicut de ea etiam cognoscit, quando allegata suspicionis causa non probatur: vel, quæ probata est, insufficiens esse pronuntiatur.

153. Quòd si, eam manifestè frivolam & injustam esse, non appareat: &, an vera & legitima sit, permissum sit discussioni ac judicio arbitrorum, his judex recusatus præfigere potest terminum, sive tempus, ad discutiendam & debito fine terminandam causam suspicionis: intra quem, si eam non definiant, judex recusatus in principali procedere permittitur, *c. Secundo 41. §. fin. & c. Legitima 2. in 6.* Intra terminum autem illum jurisdictione sua uti nequit circa causam principalem adeò; ut quidquid circa eam innovârit, juxta dicta, perinde, ut post appellationem attentata, ante omnia sit revocandum. Ubi

154. Dubium est, an post recusationem suam à recusato judice acta, & lata sententia ipso Jure irrita sint. Non quidem, si objectæ suspicionis causa notoria sit; cùm ex tali causa factam recusationem judi-

cis ab eo actorum valori obstare, satis conveniat inter DD. Etiam, si illa notoria non sit, saltem post arbitrorum electionem ab eo acta irrita esse, desumi solet ex eo; quòd intra terminum illum careat usu jurisdictionis, argumentò à contrario ducto ex §. *fin. cit.* & *c. Cùm speciali 61. pr.* quò textu utrôq; jurisdictione sua uti tum demũ posse asseritur, cùm suspicionis causa intra terminum illum non fuerit finita.

An eadem ratio sit, post recusationem gestorũ, antequam arbitri eligantur, dissensio est; valore enim ea quoque destitui, cùm Panormit. *in c. Cùm speciali cit. pr.* satis probabiliter existimant Gaill. *cit. observat. 33. num. 12.* & Zœsius *ad hanc Rubric. num. 38.* quòd, ipsâ suspicionis exceptione propositâ, ejus jurisdictionis usus ita suspendatur; ut eam sine recusantis consensu alteri committere ampliùs nequeat, *c. Judex 5. de Offic. deleg. in 6.* ac proinde multò minùs procedere valeat in causa principali, arg. à contrario *Reg. Cui licet 53. in 6.*

Verùm, quia *c. Judex cit.* recusati judicis acta non irritantur: imò ipse causam cum recusatoris consensu alteri committere, disertè permittitur, jurisdictionem ab eo adhuc retineri: & acta haltem, si suspicionis causa ab ipso admissa non sit, pro validis habenda, *in c. Cùm speciali cit.* non minùs probabiliter censent Innocentius *num. 7.* Imola *n. 8.* & Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 287.* id inferentes ex *c. Super quæstionum 27. de Offic. deleg.* ad cujus finem à delegato, si justæ recusationis causam non admittat, appellatio conceditur: & ea solùm pro irritis habentur, quæ post hujusmodi appellationem interpositam fuerint acta, minimè obscurô argumento valoris antè gestorum, saltem si recusationis causa postea ab arbitris fuerit reprobata.

155. Recusationis negotiô ab arbitris discussô, si allegata suspicionis causa non probetur, vel non justa esse pronuntietur, causa principalis ad judicem recusatum remittitur perinde, ut in appellatione ab Interlocutoria, *c. Ult. de dilat. 59. in fine*, cui recusatio comparatur, *cit.* Gaill. *n. 14.* & Everardus *in c. Quoniam 11. de Probat. cap. 4. n. 90.*

Si verò, allegatam causam esse ju- 156.
stam, ab arbitris fuerit pronuntiatum, causæ principalis discussionem quidam ipsis arbitris competere: alii eam ad recusati judicis superiorem remittendam: rursum alii, eam à judice recusato cum recusatoris consensu alteri idoneo & litigantium neutri suspecto viro committendam, volunt. Mihi cum *cit.* Gaill. *n. 15.* hac in re standum videtur locorum Consuetudine. Hâc autem seclusâ, de Civili, in Seculari foro observandô, ipsius negotii principalis cognitionem ipsis arbitris competere existimo secundùm receptum intellectum *l. Apertissimi cit.*

De Jure Canonico & in Foro Ecclesiastico multùm interest, qualis judex fuerit recusatus; cùm, si Ordinarius sit, is cum consensu recusatoris causam alicui personæ, neutri partium suspectæ, committere: vel, si in eam recusans non consentiat, eam remittere debebit ad superiorem, juxta *c. Secundò cit. §. fin. & c. Cùm speciali cit.* verba, *De recusatoris assensu personæ idoneæ negotium committat, vel ad superiorem transmittat*, adeò; ut horum alterum in optione sit recusatoris: &, si is in personam, cui Ordinarius causam committit, consentiat, ista ad superiorem transmitti non possit: sed post suæ recusationis causam approbatam uti teneatur remediô partibus convenienti & minùs onerosô, ut cum Innocentio *in c. Si quis contra cit.* & Henrico de Boich *in c. Cùm speciali cit. n. 4.* ostendit Barbosa *Lib. 2. Vot. Decisiv. vol. 24. n. 27. & 31.* Si verò recusatus sit delegatus, eô ipsô, quòd pro-

quòd, probatâ suspicionis causâ, ipsius jurisdictio evanescat, ipsi causæ tam commissione sive delegatione, quàm cognitione superſedendum, §. *cit.* ac proinde recurrendum erit ad delegantem, ut de causa cognoscat ipse, vel novò rescriptô eam alteri committat, Speculat. *Tit. de Recusat.* §. 5. *n.* 1. *citt.* de Boich *n.* 8. & Everardus *cap.* 4. *n.* 92.

ARTICULUS X.

De Relatione Causæ ad Superiorem.

SUMMARIUM.

157. *Causa ad Principem Relatio variis casibus,*

158. *Præsertim dubiô Juris circa ipsam ortô,*

159. *Saltem de Jure Canonico, fieri potest,*

160. *A judice inferiore, eam instructam cum Actis,*

161. *De partium consensu ad illum transmittente:*

162. *Et, donec remittatur, nihil innovante.*

163. *Hodie super dubiis Juris hujus periti consuluntur.*

157. RElationum, non solùm in Republica Seculari, à Provinciarum Præsidibus, & ipsis Prætorio Præfectis ad Principes: sed in Ecclesia quoque ab inferiorum Ecclesiarum Prælatis ad summos Pontifices, missarum, usus quondam frequens fuit: aliquando quidem in causis, Sedis Apostolicæ judicio reservatis, *can. Denique, 6. q. 3. & c. Ut debitus 15. in fine, hic:* aliquando, cùm à Principe causæ per delegationem committerentur, cum facultate procedendi usque ad conclusionem in causa: & *jussu* jut ista instructa ad ipsum, super eâ pronuntiaturum, referatur, *c. Licet §. de Offic. Legati c. Cùm Bertholdus 18. de Sent. & re judic. & c. Ut nostrum 56. hic:* aliquando & frequentiùs, cùm post ulteriorum allegationum renuntiationem causæ inter litigantes disceptatæ jus dubium remaneret; & propterea à judice ambiguo consilii, quid in ea definienda sequendum, peteretur, *l. Eum quem 79. §. 1. ff. de Judiciis & l. 1. C. de Relat.*

Ex postrema hac causa facta & in 158.
Rubricæ nostræ sensu accepta Relatio, à DD. esse dicitur, Inferioris judicis de jure dubitantis ad Papam vel alium Principem aut superiorem missa consultatio; ut sciat, quid in judicando sequatur, Speculat. *Tit. de Relationibus* §. 1. *pr.* & Maranta *de Ord. Judic. p. 6. Tit. de Appellat. n.* 7. *De Jure*, inquam; quia de facto dubius non consulere superiorem, sed in ejus veritatem & qualitatem ipse inquirere debet, §. *1. cit.* Glossa *in l. 1. cit. V. Consulat. & cit.* Speculat §. 2. *n.* 1. Unde

Patet ejus differentia ab Appellatione; etsi enim, sicut istâ interpositâ, sic &, Relatione apud superiorem pendente, aliquid innovandum non sit, *can. Nomen, 2. q. 1. & c. Licet cit.* Relatio tamen, non ut Appellatio à partibus, sed ab ipso judice, & in causis saltem Civilibus ante sententiam fieri solet: eáque factâ & admissâ super causâ, non ipse superior; sed, ad ejus remissionē sive rescriptum, judex inferior sententiam profert, Gonzalez *in c. Licet cit. n.* 5.

Quantumvis autem hæc consulendi facultas, tanquam brevitati litium inimica, à Justiniano sublata; & super litigantium controversiis plenè discussis judices, quod justum legitimúmque vident, decernere: & decreta, si interpositâ appellatione non suspendantur, executioni dare jussi sint, *Novell.* 125. *cap.* 1. relatô *Auth. Novo, C. hic:* sanctionibus tamen

Ecclesiasti-

159. Ecclesiasticis *can.* 1. *V. Nam si tale, dist.* 20. *can. Nomen, can. Denique citt. & c. Intimâsti* 68. *hîc*, firmata, & usu quoque, licet minùs, quàm olim crebro, retenta est: dummodo debitô modô fiat.

160. Ad eam enim requiritur Primò; ut plenam & omnibus facti circumstantiis perspicuè propositis & utriusque partis allegationibus perfectam totius causam instructionem contineat, & unàcum Actis ad Principem transmittatur, *l.* 1. *& l. fin. C. de Relat.* ne iste, quid rescribat, ambigere possit. Secundò; ut litigantium pars utraque consentiat: & propterea, antequam ad Principem transmittatur, relationis exemplum, seu copia ipsis edatur; ut, si quid fortè minùs verè, aut plenè expressum invenerint, id supplere, vel, libellô refutatoriô adjunctô, aut Principi oblatô, redarguere valeant: vel, tanquam ipsa relatione gravati, appellare, *c. cit. l. Super* 2. *C. de Relat. & l. fin. cit.* Tertiò; ut relatio fiat ante sententiam definitivam, *l.* 1. *cit.* Nisi causa sit Criminalis; in hac enim post latam sententiam, antequam executioni mandetur, Princeps consuli aliquando solet, an illam oporteat exequi, *l. Inter* 6. §. 1. *ff. de Interdict. & releg. cit.* Speculat. §. 4.

161 Relatione rite factâ perinde, ut Appellatione interpositâ, plenè conquiescit & suspenditur jurisdictio inferioris; ut, donec quid sequi oporteat, remissione sive rescriptô Principis referatur, neque procedere, neque aliquid immutare, neque in causæ merita inquirere valeat; &, quod interea innovat, irritum habeatur, *c. Licet cit.* junctâ Glossâ, *V. Transtulerat, cit.* Speculat. §. 5. *n.* 1. Gonzalez *in c. cit. num.* 8. & Bruneman. *in Auth. Novo cit. n.* 4.

163 Hodiernis moribus rariùs ad Principes: frequenter autem recurri solet ad Jurium peritos, & Academica istorum Collegia, eorúmque super Juris dubiis, in Civilibus & Criminalibus causis, requiri consilium: quod, donec reportetur, perinde ut relatione Principi præsentatâ, quasi suspensa jurisdictione, circa causam nihil innovatur, *citt.* Vallens. *n.* 5. & Bruneman. *in l.* 1. *cit. n.* 11.

TITVLVS XXIX.

De Clericis Peregrinantibus.

SUMMARIUM.

1. *Vim appellationis habet iter ad Papam,*
2. *Arreptum intra decendium à lata sententia &c.*
   Ut nihil etiam in judicio valeat innovari.
4. *Arreptum post decendium judicium manu non ligat.*
5. *Romipetas offendentes excommunicantur.*

1 APpellationis vim & effectus habet Profectio ad Sedem Apostolicam, ex rescripto Cœlestini III. *c. Unico hîc*; cùm adversus

versus eum etiam, qui intra decem dies à lata sententia vel gravamine illato: uti & adversus eum, qui litem sibi moveri 2. intelligens, antequam citatione prævenire-tur vel causæ commissionem factam cognosceret, ad summam illam Sedem iter ingressus est, vel nuntium direxit, perinde ut, si ad eam, provocâsset, procedere delegatus, imò & ordinarius judex non possit, *c. cit. c. Meminimus 9. & c. Adhæc 30. de Appellat.* Quare talis ipsô 3. factô sive itineris ingressu aut nuntii destinatione ab ejusmodi judicis jurisdictione eximitur; ut, sicut, appellatione pendente quoad articulum, in quo provocatum est, ita durante profectione in proficiscentis præjudicium nihil valeat innovari, *cc. citt.* dummodo iter judici vel parti intimatum & acceptum sit intra decem dies à lata sententia, vel gravamine illato, aut ante citationis insinuationem & notitiam delegationis, Scaccia *de Appellat. q. 6. n. 46.* Vallens. *ad hanc Rubric. num.* 2. & Barbosa *in c. Unic. cit. n.* 2. Ratio est; quòd talis, licet non verbis aut scripto, ipso tamen facto ad Sedem Apostolicam appellâsse videatur, *c. Dilecti 52. de Appellat.* & eum, qui ad sedem illam ingressus est iter, cum rebus suis securum sub protectione esse oporteat ejus, cui se commississe à Jure præsumitur; ut adversus eum nihil, tam extra, quam in judicio, valeat attentari.

Neque ista excedunt dispositionem Juris, *c. Unic. cit.* ne verbo quidem mentionem facientis, adversus peregrinantem Attentatorum in judicio; esto enim hoc ita sit, aliis tamen Juribus etiam hæc comprehendi perspicuum est, ex *cc. citt. & c. Cùm causa 22. de Offic. deleg.* & ex generalitate rationis; quòd ii, qui ad Sedem Apostolicam accedunt, sub istius protectione cum rebus suis debeant esse securi: quæ redditur, *c. Unico cit.* & ad omnia contra Romipetam attentata se extendit; ut proinde, secundùm favorabilem & aliis textibus consonam ejus dispositionem, contra hunc etiam in judicio intra decendium à prolatione sententiæ, & post arreptum iter Romanum attentata, sint revocanda: sicut, quantumvis ejus textu expresè sermo sit de Presbytero & Rubrica *da Clerico* loquatur, ejus tamen dispositione quoscunque etiam Laicos, Romanum iter ingressos, comprehendit, ut cum Panormit. *in Rubric. n. 1.* notant Laiman. *in c. cit. n. 3.* & Pirrhing *ad eandem Rubric. n. 3.*

Dixi, *Intra decem dies*; quia post 4. decendium, à sententia lata aut illato gravamine jam lapsum, arreptum iter non impedit sententiæ executionem: neque etiam, quò minùs judex in causa contra eum moveri cæpta procedat, si iter accipiat, postquam iam præventus est citatione: etsi contra ipsum ante citationem iter ingressum procedere non potuisset, *c. Meminimus cit.* Cujus ratio est; quia judicium, ubi acceptum est, ibi & finem accipere debet, *l. Ubi 30. ff. de Judiciis:* & generaliter ad subterfugiendum coram aliquo cæptum negotium, in jus vocatio nihil prodest; quod postea forum alibi cæperit sortiri, *per l. Si quis 7. ff. eádem Rubr. & c. Proposuisti 19. de Foro compet.* Imò profectio Romana etiam non patrocinaretur ei, qui iter primùm arriperet, postquam habuit notitiam literarum Apostolicarum, ab adversario contra se ad delegatũ impetratarum; quòd id malitiosè non tam ad removendum gravamen, quàm ad justitiam opprimendam arreptum præsumptio sit, *c. Suggestum 15. de Appell. Ubi* Panorm. *n. 2. & 3.*

Eorundem Romipetarum favorem 5.

etiam spectant Bullæ Cœnæ *Can. nonus & decimus:* quorum priore in eos, qui ad Sedem Apostolicam ejúsque Curiam accedentes, ab eáve recedentes, suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: posteriore in eos, qui ad Urbem devotionis seu peregrinationis causâ accedentes, in ea commorantes, ab eáve recedentes occidunt, mutilant, capiunt, detinent aut deprædantur: uti & in eos, qui talia temerè præsumentibus auxilium, consilium, aut favorem præbent, latæ sententiæ & Sedis Apostolicæ absolutioni reservata excommunicatio quotannis promulgatur. Inter quos Bullæ Canones seu casus, etsi videantur similes, non una tamen differentia intercedit; cùm prior eos, qui litis prosequendæ vel negotii expediendi vg. tributi solvendi, vel beneficii, privilegii, dispensationis aut alterius gratiæ impetrandæ: posterior illos spectet, qui devotionis, sive peregrinationis ad limina Apostolorum, causâ Romam petunt; & illô, qui Romipetas interficiunt, mutilant, capiunt vel detinent: istô etiam, qui eosdem violentâ bonorum ablatione deprædantur: atque insuper, qui horum aliquid facientibus auxilium, consilium aut favorem dant, Censurâ illâ afficiantur, Suarez *de Censur. disp. 21. s. 2. à num. 65.* & Palao *Tract. 25. disp. 3. p. 10. & 11.*

TITVLVS XXX.

De Confirmatione Vtili vel Inutili.

SUMMARIUM.

1. *Varii actus à Superiore confirmantur,*
2. *In forma communi & ordinaria,*
3. *Vel in extraordinaria & speciali.*
4. *Unde, confirmationē in posteriori hac,*
5. *Et in priori forma factam, cognoscatur.*
6. *Confirmatio communis actum validum roborat.*
7. *Specialis etiam invalido vim confert:*
8. *Nisi eam sine prævia cognitione factam constet.*
9. *In dubio confirmatio præsumitur esse communis:*
10. *Cujus plures sunt effectus,*
11. *Privilegii innovatione materiali ejus tenor conservatur:*
12. *Formali eô quæsitum jus firmatur:*
13. *Aliquando novum confertur aut amissum recuperatur,*

SÆpe contingit sententiam, à qua provocatum est, à superiore confirmari: & aliquando quidem à lege vel canone, eam firmam esse jubente, vg. propter appellationem negligentiâ partis desertam: aliquando ab ipso judice, á quo provocatum est, appellationem frivolè interpositam aut sententiam in rem judicatam transisse declarante: 1.

clárante: aliquando à superiore, ad quem provocatum est, bene judicatum & male appellatum pronuntiante. Cujusmodi à superiore factæ Confirmationis occasione præsenti Rubricæ subjectis textibus de ea generaliter; ac proinde non de sola sententiarum, sed statutorum quoque, uti & privilegiorum, electionum, contractuum, aliorúmque, tam extrajudicialium quàm judicialium actuum ac dispositionum Confirmatione agitur. Atque hoc modô & propriè accepta.

Confirmatio est Juris iam priùs habiti corroboratio, facta per legitimum superiorem, *c. Inter 6. V. Cæterum, de Fide Instrument.* Hostiens. *in Summa hîc n. 1. Prius habiti*, inquam; quia ejus, quod invalidum nullúmque est, confirmatio propriè non datur, *c. 1. c. Cùm dilecta 4. & c. Examinata 7.* cùm confirmatio supponat aliquid prius esse, quòd per ipsam roboratur, Bartol. *in l. More 5. §. ff. de Jurisdict. n. 5.* ubi ait, confirmantem non censeri dare simpliciter, sed, quod inchoatum est, consummare, & Suarez *de LL. Lib. cap. 18. n. 2.*

2. Sed hoc de presbè accepta & ordinaria confirmatione procedit; quia extraordinariâ, cùm novæ concessionis vim habeat, actus etiam invalidi roborantur & convalescunt.

Confirmari ergo sententiæ, privilegia, contractus, aliíque actus duobus modis possunt ac solent: aliquando quidem in forma comuni seu ordinaria, sicut contingit, quando superior, nullâ vel non exactâ causæ cognitione præmissâ actum,

3. sicut gestus est, confirmat; aliquando in forma speciali sive extraordinaria, sicut accidit, quando actum ex certa scientia, sive accuratè perspectis totius negotii circumstantiis & expensis ejus qualitatibus, corroborat, Panormit *in c. 1. n. 6.* Gonzalez *in c. De confirmationibus 2. n. 5.*

4. Posteriori hôc modô, sive in forma speciali confirmatio à Principe indulta censetur Imprimis, quoties actûs seu dispositionis confirmatæ tenor Confirmationis literis est insertus, *c. Venerabilis 8.* quia ita rem totam sufficienter intellexisse, & actui, defectu vg. solennitatis, si quis intervenerit, non obstante, authoritatem suam impendere, & robur addere voluisse, extra dubium est, *citt.* Panormit. *n. 6.* Suarez *num. 5.* & Felician. Oliva *de Foro Eccles. p. 1. quæst. 40. num. 5.*

Deinde, quando literis inserta est clausula, *Ex certa scientia*, Panormit. *cit. num. 6.* & Donatus *Tom. 1. Prax. Regul. p. 1. tract. 11. q. 5. num. 4.* quia Principi, se sufficientem rei sive negotii gesti scientiam, ac proinde etiam defectûs sua authoritate supplendi, notitiam habuisse, asserenti fides habenda est, *Clement. Unic. de Probat.* Neque multùm interest, an Princeps confirmationem suam *ex certa scientia* procedere, formalibus vel æquipollentibus verbis, puta *Ex plenitudine potestatis* vel *Non obstante quacunque lege, statuto, consuetudine, qua sit in contrarium* & similibus exprimat; cùm etiam hujusmodi clausulis abunde significet, se non secundùm Jus commune, sed ultra vel contra illud velle operari, Felin. *in c. Nonnullis 28. de Rescript. n. 12. fall. 4.* & Suarez *cit. cap. 18. n. 6.* Demum, si actûs confirmatio ab eo iteretur, Panormit. *in c. Porrecta 6. num. 5.* & Donatus *q. cit. n.* quia secunda jussio & rescripti geminatio vim habet clausulæ *Ex certa scientia & Motûs proprii*, tollitque subreptionem; cùm majorem animi deliberationem & magis enixam voluntatem demonstret,

monstret, Baldus *in l. Nec damnosa 3. C. de Precib. Imp. offic. num.* 1. & Tuschus *Practic. V. Geminatio conclus. 28. num.* 49.

5. In forma communi facta confirmatio censetur, quando actus neque insertô ejus tenore, neque aliâ ejusmodi clausulâ expressâ, sed simpliciter confirmatur: uti &, si confirmetur cum clausula *Sicut factum* vel *Sicut justè & providè factum:* vel negotium *Sicut secundùm Jus, loci, statutum, consuetudinem vel privilegium gestum:* vel privilegium, *Sicut concessum, & observatum est*, confirmatur, *c. Examinata cit. & c. Quia diversitatem 5. de Conces. Præb. cit.* Suarez *n.* 7. & Pirrhing *ad hanc Rubric. n.* 5.

Casu, quô confirmationis literis insertus est actûs gesti & confirmati tenor, vel clausula *Ex certa scientia*, vel alia huic æquivalens expressa, in forma speciali indulta confirmatio censetur, non obstantibus verbis, *Sicut providè aut justè factum &c.* iisdem relatis; quia hæc non obstant, quò minùs constet, Principem rei gestæ notitiam plenam habuisse; ac proinde actum in forma speciali confirmâsse, Glossa *in c. Venerabilis cit. V. Sicut, ubi* Panormit. *n.* 2. & *cit.* Suarez *n.* 5.

6. Multùm autem refert, utrô ex his modis confirmatio fiat; cùm facta in forma communi, licet validè & legitimè gesto actui majus robur & authoritatem conferat, nullam tamen vim & effectum habeat respectu actûs, ex quacunque causa invalidi; quia talis confirmatio sequitur naturam actûs, *c. 1. c. Examinata & c. Quia diversitatem cit.* ut jus quidem præexistens approbandô roboret: actum tamen, qui invalidè gestus est, in sua nullitate relinquat. Unde ita facta confirmatio quodammodo est conditionalis & includit tacitam conditionem *Si sententia justè lata, Si electio canonica, Si privilegium legitimè obtentum fuit &c.* Panormit. *cit. n.* 6. & Decius *in hanc Rubric. n.* 2. & Oliva *cit. q.* 40. *n.* 2. Contrà ea, quæ indulta est in forma speciali & ex certa scientia, vim habet novum jus conferendi actui confirmato: eúmque, si fortè invalidus esset, validum reddendi; quia æquivalet novæ concessioni, suppletque omnes defectus, qui in actu intervenerunt & suppleri possunt ac solent à confirmante, Laiman. *in c.* 1. *n.* 3. & 5. & Gonzalez *cit. n.* 5. Unde antiqua privilegia alicujus Ordinis Religiosi, quæ postea à Papa vel S. Synodo Tridentina revocata & amissa sunt, per confirmationem in forma communi impetratam non reviviscunt, aut revalidantur: quod tamen contingit, si ea in forma speciali, & ex certa scientia confirmentur, Rodriquez *Tom.* 1. *Regul. q.* 8. *art.* 6. & Donatus *Tom.* 1. *Prax. Regul. p.* 1. *tract.* 11. *q.* 2. *n.* 48. & 10. 7.

Quantumvis autem, ex certa scientia, aut cum alia æquivalente clausula impetratæ confirmationis vis magna sit, actum tamen invalidum etiam ipsa non roborat, ejúsve defectus supplet, quando causæ cognitionem reique gestæ veram notitiam non præcessisse, ex præsumptione aut alia legitima probatione habetur; sic enim clausulâ *Ex certa scientia &c.* non confirmantur contractus & alii actus irriti Jure Naturali aut Divino, vg. contractus usurarius: vel, cujus confirmatio in notabile præjudicium tertii cedit; quia jus tertio quæsitum tollere, eíve derogare Princeps, si speciáliter non exprimat, nunquam censetur, *c. Super eo 15. de Offic. deleg. & l. Prætor ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publico:* Neque supplet defectum veritatis, cùm falsitas 8.

falsitas est narrata, *c. De confirmationibus cit.* neque etiam defectum, quem supplere confirmans, licet absolutè possit, tamen non solet, sine expressa ejus mentione, ut est defectus habilitatis personæ, Laiman. *in c. 1. de Transact. n. 3.* & Oliva *cit. quæst. 40. à num. 6.*

9. Porro quâ formâ confirmatio facta censeri debeat casu, quô id literarum tenor ambiguum relinquit, dubitandi ratio est; quod ex una, actum, præsertim Papæ & alterius supremi Principis, interpretari conveniat, ut aliquid operetur, & otiosus non sit, *arg. l. Item veniunt 20. §. 6. in fin. ff. de Petit haredit. l. Quoties 12. ff. de Reb. dub.* ex altera verò parte, specialis plurimùm: communis autem & ordinaria confirmatio parùm & penè nihil operari videatur; cùm invalido vim nullam conferat: validus autem actus absque ea robur habeat ac subsistat. Verùm, quia interpretatio, communi Juri consona, ei, quæ ab hoc divertit, potior est, *arg. c. Cùm expediat 29. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* quando literarum tenor dubius est, confirmationem pro communi potiùs quàm speciali & extraordinariâ habendam, cum Decio *in hanc Rubric. n. 2.* volunt *citt.* Suarez *n. 7.* Oliva *n. 30.* & Donatus *q. 6. n. 1.* eâ etiam persuasi ratione; quòd confirmatio simpliciter & nullô additô factô supponat esse rem, quæ confirmatur; cùm sit qualitas accidentalis: non entis autem nullæ sint qualitates, *arg. l. Si servum 4. §. ff. de Act. empti & c. Bona 23. de Elect.*

10. Neque hujusmodi sive in communi forma facta confirmatio otiosa est; cùm eius non levis momenti sint effectus; quia aliquando actum inchoatum consummat ac perficit, in re, atque administrandi ius confert, absque ipsa ad rem tantùm ius habenti; ut de Confirmatione Electionis Canonicè factæ, & ab Electo acceptatæ, perspicuum est, ex *c. Nosti 9. c. Qualiter 17. de elect. & c. Avaritia 5. ibid. in 6.* actui seu dispositioni confirmatæ confert maiorem authoritatem; ut magis observetur: neque ita facilè impugnetur aut evertatur; quia actum confirmando Princeps, quodammodo facit suum, *arg. t. 1. C. de Vet. Jur. enucl. ubi* Imp. *Omnia*, inquit, *nostra facimus, quibus authoritatem impertimus*, Laiman. *in c. 1. n. 3.* & Barbosa *in c. Cùm dilecta 4. n. 22.*

Dubium aliud hôc locô movetur, an novum ius conferatur privilegii Innovatione. 11. Non est autem sermo de innovatione merè Materiali, quâ deperditum aut antiquum eius instrumentum; ne, chartâ vel characteribus corrosis, cum tempore inutile reddatur, transcribitur aut aliter innovatur; huiusmodi enim innovatione novum ius non conferri, disertè habetur *c. Cùm dilecta cit. c. Ex parte 13. & c. Quia intentionis 29. de Privileg.* quia tali innovatione id solum intendi solet, ut privilegii tenor & probatio conservetur. Sed de Formali, quâ innovatur ipsa Principis concessio, & ex ea privilegiato competens & instrumentô contentum ius: 12. cuiusmodi innovatione, an novum ius conferatur, iuxta dicta, pendet ex eius modo seu forma; cùm, si ista communis, ius quidem, si aliquod quæsitum & nunquam amissum est, principali authoritate muniat ac roboret: si vero specialis sit, ius novum conferendi, aut 13. id, quod amissum est, redintegrandi restituendique vim habeat, iuxta dicta & tradita *à cit.* Barbosa *n. 11.*

Atque hanc privilegii redintegrandi vim eius in forma speciali facta innovatio habet, non solùm, quando id revocatum fuit per Jus commune, quod Princeps privilegium innovans in scrinio pecto-

ris sui habere & non ignorare præsumitur, *c. 1. de Constit. in 6.* sed etiam, quando id amissum fuit per non-usum aut usum contrarium, aut etiam per revocationem hominis & Constitutionem, Juris communis Corpore non clausam; quia, in privilegii innovatione formâ speciali utens, eius ante concessi & amissi exactam notitiam, & id restituendi voluntatem habuisse præsumitur. Accedit; quod summus Pontifex privilegia ex certa scientia innovans, quando Prædecessorum suorum revocationes tollere eisve derogare non vult, addere soleat, *Dummodo sub nullis revocationibus sint comprehensa* quæ verba otiosa forent, si Privilegii ex certa scientia facta innovatio non haberet vim restituendi privilegia antiqua, ab homine revocata, ut probè advertit Donatus *cit. Tract. II. q. 7. n. 2.*

Libri II. Institutionum Canonicarum FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


WIESTNER
Institut: Canon:
Lib II